
image
not
available


INVENTA LEVITEM
FRANCISCVS
PRÆPOSITVS
CANN.
IN POLLING.
REGG.
Anno 1744.
PS. 2.
Jungwirth delet Sc.M.

B.
S. VII.
332.

Digitized by Google

4° Exeg. 550.

Marchius

Digitized by Google

JOHANNIS MARCKII

HISTORIA PARADISI *ILLUSTRATA*

LIBRIS QUATUOR.

QUIBUS

Non tantum Loci iſtius plenior Deſcriptio exhibetur, ſed & Hominis Integritas, Lapſus, ac prima Reſtitutio declarantur, ſecundum Geneſios Capita II. & III.

Accedit

Oratio Academica de Propagati CHRISTIANISMI ADMIRANDIS.



AMSTELAEDAMI,

Excudit GERARDUS BORSTIUS, Bibliopola.

Anno C. N. MDCCV.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

ILLUSTRIBUS & PRÆPOTENTIBUS
DOMINIS,

ORDINUM FRISIÆ

Inter Flevum & Lavicam

DEPVTATIS

NOVEM-VIRIS.

D. ULBIO BARONI ab AYLVA, Prætori in Ooſt-Dongerdeel.

D. ARNOLDO ab HAERSMA, Ex-Prætori in Smallingerlant.

D. HOMMIO à CAMSTRA.

D. SUFFRIDO GEROLDO JUKEMA à BURMANIA, Prætori in Wijmbritſerdeel.

D. MARTINO à SCHELTINGA, Prætori in Schoterlant.

D. JOHANNI KRACK BOURITIO, Prætori in Ængwirden.

D. EPEO WIELINGA, Conſuli Leovardiano.

D. EDIO FRIESWIJCK, Conſuli Snecano.

D. ISAACO MARTINO ADIO, Conſuli Worcumano.

D. HENRICO à WYCKEL, Eorundem Secretario Spectatiſſimo.

UT

Digitized by Google

UT ET

AMPLISSIMIS NOBILISSIMISQUE DOMINIS PRÆFECTIS

RATIONUM CAMERÆ QUATUOR-VIRIS.

D. ZEINONI JOACHIMO WELEVELD à BURMANIA, Prætori in Rauwerderhem.
D. FRANCISCO GLINS ÆBINGA ab HUMALDA.
D. ALLARDO à BURUM, Prætori in Donjawarſtal.
D. PETRO POUTSMA, Scabino Leovardiano.
D. HESSELO à SMINIA, Eorundem Secretario Digniſſimo.

DOMINIS SUIS BENIGNISSIMIS,

JOHANNES à MARCK F.P.P.

Validum, ILLUSTRES VIRI, & multiplex eſt vinculum, quo me Vobis ad Venerationem perennem obſtrictum ſentio. Vos utique eſtis, in

in quos per Belgium non unum cum Regionibus adjacentibus ſed & per Europam univerſam conjecti ſunt oculi omnium, qui vel Libertatis publicæ & privatæ tuendæ Curam decenter æſtimant, vel Literarum adjutarum Decus in deliciis prudenter habent, vel Eccleſiæ & Veritatis cœleſtis promovendæ amore debito ducuntur. Adeò pro illa vigilanter nervoſeque agitis, nullis fracti inſultibus; adeo pro iſtis jugiter induſtrieque ſtatis, nullis parcentes ſumptibus; adeo pro hac indeſinenter valideque laboratis, nullis cedentes tempeſtatibus; ut nemo laudes Veſtras ignoret tantas. Quas publicè porrò prædicare eos quam maximè decet, qui ſub Veſtro Sole ſeu vivunt ſeu vitam & ætatem juſtam olim nacti ſunt. Inter hos autem ego nomen meum

um ſigno, hoc ſemper pro magna laude habiturus, quod ex Friſia Veſtra prodierim, nec unquam dulciſſimæ Patriæ iſtius meæ aut Prudentiſſimorum ejus Procerum obliturus. Sed & ingratiſſimus ego ſummo cum probro cenſeri debeam, ſi non ſemper celebrem Veſtri Favoris inſignem experientiam quam à multis retro annis habui. Vos enim eſtis, VIRI PRÆPOTENTES, qui me Juvenem Viginti Annorum ad Theologicam Cathedram in Illuſtri Veſtra Academia Franequerana liberaliſſime vocaſtis Anno elapſi ſeculi LXXVI. qui labores meos in ea Statione Avita benigniſſime approbaſtis; qui poſt Sexennium ad Academiam Groninganam cum haud vulgari benevolentiæ teſtimonio dimiſiſtis; & qui favere abſenti multis mo-

modis nunquam in hunc diem deſiiſtis. Nec facilè dixerim ego, qua voluptate afficiar Nominum Veſtrorum Illuſtrium conſpectu; quando ſupereſſe deprehendo inter Vos Divinâ Clementia ſoſpites Patres Egregios quos olim expertus ſum Fautores magnos, & ſurrexiſſe Divinâ Gratia in aliorum poſt fata viventium locum Filios Paternarum Virtutum Æmulatione præſtantes, qui Generis ſui & Gentis Friſiæ Splendorem faciant perennem. Hunc etiam, quem Vobis nunc offero, fœtum ſerius videtis apud Batavos eſſe natum, ſed conceptum eundem ita profiteor inter Vos, ut naſciturus & ipſe longe citius fuiſſe videatur, ſi Franequerana Otia vel Groningæ vel Lugduni reperiſſem, nec Stationis mutatio ad alios labores hactenus me compuliſſet ſemper. Tandem

dem ergo cum prodit ille, Vobis, DOMINI MEI, quæſo ne plane displiceat, ſed eundem à manu mea accipite clementer, mihi favete conſtanter, Eccleſiam juvate potenter, Eruditionem promovete alacriter, Rempublicam gubernate feliciter, & cum omnibus Veſtris valete indeſinenter. Dabam Lugduni Batavorum a. diem xx. Jul. A. Dion. MDCCV.

BENE-

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI, S.

Prodit tandem hæc mea PARADISI HISTORIA, quæ nunquam proditura potuiſſet videri. Adeo in ea perſcribenda mora moram traxit, ut à prima ejus formatione Seculi quadrans fluxerit. Fuit enim Annus ſupra Milleſimum & Sexcenteſimum Octogeſimus & Primus, quo apud *Franequeranos*, poſt abſolutas Diſputationes de *Sibyllinis Carminibus*, conſilium cepi de illuſtranda hac vetuſtiſſimi temporis hiſtoria, quæ haberet ſimul aliquid curioſi quo animos juventutis Academicæ excitaret, & neceſſarii ſolidique quo inſtrueret eos ad communem Eccleſiæ uſum. Sed vix initium rei feceram, habitis *Septem Diſputationibus* de hoc argumento, quando à Franequerana Academia ad *Groninganam* per honorificam vocationem tranſii, rebus Eccleſiæ meiſque ita ſuadentibus; ubi volui quidem inſtitutum meum perſequi, ſicuti & agere cœpi per *Diſputationes Sex*, ſed ad alia magis neceſſaria avocatus, non potui huic decenter vacare Etiam dum *Lugduni* vixi, ita aliis Exegeticis laboribus fui occupatus, ut non niſi ante annos ſeptem *Topographiam Paradiſi* potuerim abſolvere, & nunc demum rerum in eo geſtarum filum pertexere. Atque hoc fere unum eſt quod volui ne neſcires, ex duplici cauſa. Primo ne mirareris, iſta quæ ad Hominis Creationem ſpectant multò brevius heic tractari, quam quæ eandem ſunt conſecuta. Nempe iſthæc primum ſcripſi, quando Opus integrum contrahere in longe minorem formam erat mihi animus; & dein cum excreſcerent reliqua, credidi eadem haud perinde augenda eſſe, quod in ipſa Paradiſi Hiſtoria poſſent ut ante geſta ſupponi. Secundò ne mirum tibi obveniret, de Paradiſo me ſcribere ipſo, poſtquam hoc argumentum à Maximis Viris pleniſſime ab aliquot annis tractatum fuit. Id enim nondum ita ſe habebat, cum in eo deſcribendo ipſe verſarer; & fuerunt Diſputationes meæ de hoc ar-

Digitized by Google

gumento in Academia hac publicè ventilatæ, longe antequam eruditum Opus aliud ejusdem argumenti apud Batavos prodiret. Quod hinc tangendum non putavi, ne vel inde viderer operis mei notabile augmentum sumpsisse, vel ejus laudibus per dissensum qualemcunque meum aliquid voluisse detrahere. Tu ergo quod ad usus tuos à me scriptum est nunc accipe benevolenter, eoque utere feliciter, & vale in Domino constanter.

ARGUMENTUM & SERIES

Operis hujus Integri.

LIBER PRIMUS

Qui Paradisi descriptionem pleniorem exhibet.

CAPUT PRIMUM.

Quo literalis Paradisi Veritas asseritur, & defenditur, contra Allegoricas aliorum glossas.

I. *Institutum Autoris, & Capita præcipua de Paradiso ipso tractanda.* II. *Philonis Judæi allegorica Paradisi expositio summatim exhibetur.* III. *Per eam prorsus rejicit ille literalem Paradisum, ob rationes tres satis leves.* IV. *Illius Veritas perinde rejecta fuit à Seleucianis, Valentinianis, & Hierachitis.* V. *Nec alia videtur Veterum quorundam Christianorum, in primis Origenis & Ambrosii, fuisse mens.* VI. *Qua renovata etiam & inculcata fuit sententia a Franc. Georgio* VII. *Opposita Augustini & Hieronymi sententia probatur.* VIII *Veritas literalis Paradisi ex Mose monstratur.* IX. *Quemadmodum & ex nominis translatione familiari ad Cœlum significandum.* X. *Etiam loci hujus memoria apud Gentiles servata & varie celebrata fuit.* XI. *Objectiones Philonis & Ambrosii solvuntur.* XII. *Quemadmodum & illa quas Franc. Georgius movit.*

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Quo nomina Horti Heden, Horti Dei & Jehovæ, atque Paradiſi, illuſtrantur.

I. *Appellatio Horti* בערן *&* ערן *à nonnullis pro appellativa, ab aliis pro propria habetur, ſive ſemper ſive quandoque.* II. *Locus Paradiſi appellationem* ערן *à Voluptate ſua acceperſſe videtur.* III. *Id nomen* ערן *tamen ſenſu proprio longe verius quam appellativo heic accipiendum.* IV. *De nominibus Horti Dei & Horti Jehova agitur.* V. *Horti hujus nomen communiſſimum eſt Paradiſus, cujus origo varia datur, & vera monſtratur.* VI. *Vocis Paradiſi propria ſignificatio inveſtigatur.* VII. *Uſus vocis Paradiſi proprius & metaphoricus annectitur.*

CAPUT TERTIUM.

Quo monſtratur, Paradiſum neutiquam ſupra hanc Terram, ſed in Terræ ſuperficie fuiſſe.

I. *Paradiſum vix ullus primum in Inferno conſtituit.* II. *Sed ſupra Cœlum Tertium eundem poſuerunt Valentiniani, cum quibus in eo forte fecit Clemens Alexandrinus.* III. *In Cœlo Tertio eundem quæſivit Origenes.* IV. *In Cœlo Aereo, & loco aliquo ſublimiſſimo ſupra terram idem collocatur à Veteribus aliis multis & Scholaſticis.* V. *Quæ omnes ſententiæ nequaquam ſunt veriſimiles, ſecundum narrationem Moſis in Terra Paradiſum ponentis.*

CAPUT QUARTUM.

Quo in Paradiſi Amplitudinem inquiritur, quæ utique per Terram Univerſam non eſt protendenda.

I. *Superioris Capitis ſumma, verbis Nachmanidis aucta.* II. *Rationes proponuntur, ob quas ſtatui queat, Paradiſum fuiſſe totum terrarum Orbem.* III. *Iſta ſententia perperam videtur tribui Joſepho, ſed verius eſt aliorum quorundam inter Chriſtianos.* IV. *Eadem ſententia rejicitur ob rationes juſtas, ſolutis etiam objectionibus.* V. *Spatium Paradiſi ab aliquibus nimis magnum, ab aliis nimis parvum conſtituitur.* VI. *Sententia heic media videtur præferenda, abſque certa ſpatii determinatione.*

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

CAPUT QUINTUM.

Quo per plurimas & diverſiſſimas de Paradiſi Situ in Terra ſententias diſtinctius itur.

I. *Præcipua Quæſtio proponitur de Loco & Situ Paradiſi, una cum methodo ſervanda in hujus inquiſitione ulteriori.* II. *Sententiæ quædam minus probabiles, de Orbe Altero trans Oceanum, aut Novo Orbe, aut Continentis noſtræ partibus nonnullis, tanguntur.* III. *Autores recenſentur qui locum Paradiſi prorſus latere volunt, cum diſſenſu mutuo, & rationibus variis.* IV. *Ab aliis collocatur Paradiſus in Terra Auſtrali, ſive hodierna, ſive antediluviana, cujus ex Burnetio diverſiſſima facies exhibetur.* V. *Alii multi conſtituunt Paradiſum in extremo prorſus Oriente, cum notabili tamen diverſitate.* VI. *Alii iterum in Occidentali Aſiæ parte, Jordani proxima, ſeu Palaſtina.* VII. *Vulgatiſſima hodie ſententia in aliqua Babyloniæ aut Meſopotamiæ parte Paradiſum ponit.* VIII. *Autorum horum multiplex adhuc diſſenſus inter ſe annectitur.*

CAPUT SEXTUM.

Quo Characteres Tres generales Terræ Paradiſiacæ monſtrantur.

I. *Characteres Terræ Paradiſiacæ generales alii, aliique ſpeciales.* II. *Character generalis primus eſt terræ magna Fertilitas.* III. *Secundus ejuſdem Summa Amœnitas.* IV. *Tertius denique Arborum præcellentia & multitudo.*

CAPUT SEPTIMUM.

Quo de Oriente diſſeritur, in quo Moſes Paradiſum conſtituit.

I. *Inter Characteres tres ſpeciales primus eſt quod in Oriente Paradiſus à Moſe conſtituatur.* II. *Qui Oriens intelligendus eſt non reſpectu alterius partis Hedenis, ſed Deſerti vel Canaanæ terræ.* III. *Pererii obſervatio de Terris quæ in Scriptura ſub Orientis nomine veniunt, cum caſtigatione una & altera.* IV. *Sub nomine Orientis venire non loca Orientis remotiſſima, ſed Judæis propiora, obſervatur & exemplis oſtenditur.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

Quo in Situm verum Regionis Heden curatius inquiritur.

I. *Alter poſt Orientem character ſpecialis Paradiſi eſt regio* Heden, *non appellative ſed ſenſu proprio intelligenda.* II. *Nomina locorum cognata iſti* Heden *apud Exoticos conferuntur à nonnullis, ſed præſtat heic ſacris potiſſimum literis inhærere in* Hedene *quærenda.* III. *Licet potuerint eſſe plura loca hoc nomen* Heden *habentia, videtur tamen apud Prophetas eadem* Heden *deſignari quæ apud Moſen.* IV. *Apud Prophetas Jeſaiam Ezechielem & Hamoſum varia loca nominis* Heden *ponunt aliqui.* V. *De Filiis* Heden *qui in* Telaſſar, *apud Jeſaiam, diſtinctius diſſeritur.* VI. *Loca Ezechielis, quæ ſenſum metaphoricum habent evidenter, non oſtendunt* Heden *apud Tyrum & Libanum debere aliquam quæri.* VII. *Nec firmatur ea ſententia decenter per poëticas de Veneris ſede fabulas.* VIII. *De* Beth-Heden *apud Hamoſum tandem agitur, & neque per illud nomen regionem aliquam* Heden *apud Dammaſcum eſſe quærendam, monſtratur.* IX. *Hedenem Syro-Phœnicia accenſendam eſſe, neutiquam liquet ex* Thalaſſar, *quod non eſt Græcæ originis à θάλασσα, ſed verius Orientalis.* X. *Ex connexione Hedenis cum* Haran, Canne, *itemque* Gozan *&* Retſeph, *concluditur merito, ad Babyloniam vel Meſopatamiam pertinere* Hedenem. XI. *Idem argumentum ab exceptione Nic. Abrami vindicatur.*

CAPUT NONUM.

Quo de Fluvio agitur procedente ex Heden ad Hortum irrigandum, & inde diviſo, ut eſſet in Quatuor Capita.

I. *Tertius adducitur ſpecialis character Loci Paradiſi, quem conſtituit Fluvius Hedenis hortum irrigans.* II. *Vis nominis* נהר *Fluvii oſtenditur; & quo pacto hic differat à mari, voraginibus ſubterraneis, torrentibus, ſtagnis, rivulis, fontibus; nec collective heic accipi debeat.* III. *Is fluvius quomodo* Hedeni *à Moſe tribuatur.* IV. *Et quo ſenſu ex* Heden *proceſſiſſe dicatur, per verbum* יצא. V. *Irrigatio Horti per hunc Fluvium qualis & quo modo facta.* VI. *Diviſio Fluvii hujus qualis & unde facta ſit.* VII. *Expoſitio Capitum Quatuor in quæ diviſus hic Fluvius fuiſſe dicitur.*

Digitized by Google

ARGUMENTUM

CAPUT DECIMUM.

Quo nominalis & realis deſcriptio Quarti Fluvii Prath, ſeu Euphratis, continetur.

I. *Inter Capita ex Hedenis fluvio quatuor primum agitur de Fluvio Prath, quem Moſes ultimo nominavit abſque ulteriori deſcriptione. II. Nominis Hebraei* פרת *origo & ſignificatio varia adducitur, & vera inquiritur. III. De Graeco & Latino nomine Euphratis ejuſque origine vera diſſeritur latius.* IV. *Fluvii Prath ſeu Euphratis annotatur amplitudo, fertilitas, inflexio varia, & diviſio multiplex.* V. *Fluvii hujus ortus primus ex Armenia deducendus eſt omnino.* VI. *Fluvii ejuſdem progreſſus ulterior additur.* VII. *Fluvii denique hujus exitus in Mare, una cum lapſu in Tigrin.* VIII. *Conferuntur Veterum traditiones de Euphratis curſu & exitu.*

CAPUT UNDECIMUM.

Quo de Fluvio apud Moſen Tertio Hiddekel, ſeu Tigride, copioſius diſſeritur.

I. *Moſaicus textus de Tertio Fluvio Hiddekel cum variis ejus verſionibus exhibetur. II. De Nominibus Hiddekel, Diklath, Diglah, Deglah, & Tigris, agitur diſtinctius. III. De Aſſyria agitur, & quo modo intelligatur ac Tigri conveniat quod Moſes enim dicat* ההלך קדמת אשור / *oſtenditur.* IV. *Fluvii hujus obſervatur amplitudo, profunditas, & rapiditas.* V. *Ad Tigridis Ortum in Armenia aſcenditur.* VI. *Progreſſus Tigridis ejus ortui ſubjicitur.* VII. *Ejus denique annectitur exitus in Mare Perſicum cum ejus loco & modo.*

CAPUT DUODECIMUM.

Quo Fluvius Primus apud Moſen, Piſhon dictus, una cum terra Havila, declaratur.

I. *Textus Moſis de Piſhon & Havilah adducitur. II. Nominis Piſhon derivatio & ſignificatio. III. Nomen Havilah, terrae adjacenti datum, inquiritur & illuſtratur.* IV. *Terra tota hujus nominis, una cum Auro bono & Bedola ac Shoham illic repertis, amplius illuſtratur.* V. *Iſte triplex proventus terra omnino convenit tum Arabiae tum regionibus ei vicinis circa Euphraten & Tigrin.* VI. *Circumitio*

hujus

Digitized by Google

hujus terræ Havilah tributa Pisoni. VII. *Aliena quædam sententiæ de Pisone recensentur & examinantur, in primis quæ illum statuit esse Gangen.* VIII. *Alia de Pisone sententia rejiciuntur.* IX. *Sententia maxime recepta & probabilis, de Ostio Orientali vel Occidentali Tigridis Euphratisque conjuncti per Pisonem notato, proponitur & illustratur.* X. *Conclusio & assertio brevis dictorum de Pisone.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quo de Fluvio Secundo Gihon, & de Terra Cush quam ille circumit, disseritur.

I. *Verba Mosis de Fluvio Gihon adducuntur.* II. *Origo & notio vera nominis istius Gihon indagatur.* III. *De nomine Cush & terra hinc appellata prolixius agitur.* IV. *Terræ omnis Cush circuitus Fluvio Gihon tributus.* V. *An Gihon recte antiquitus pro Nilo sit habitus, ample satis disputatur.* VI. *Aliæ sententiæ de Gihon minus probandæ.* VI. *Rectius alii credunt, Gihon esse aliquod brachium Euphratis, vel Tigridis.* VIII. *Dissensus Eruditorum notabilis, an Gihon sit Occidentalis magis an Orientalis præ Pison alveus Euphratis Tigridi junctis.* IX. *Judicium Autoris de hoc postremo dissensu.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo declaratur, quid de Paradisi Situ speciali in Terræ nostræ superficie negandum atque asserendum videatur.

I. *Post Characteres Mosaicos expositos, in Situm Paradisi inquirere, nec indecens, nec frustraneum est.* II. *Descriptio Loci Paradisiaci ad Orbem etiam Post Diluvianum est accommodata.* III. *Neque est Paradisi locus ab humana cognitione omni plane remotus.* IV. *Paradisus non est quærendus vel in Terra Australi, vel in Oriente extremo, vel in Palæstina ejusve proxima vicinia.* V. *Fuit Paradisus omnino in aliqua Chaldæa seu vicina Mesopotamiæ parte.* VI. *Specialis magis loci Paradisiaci determinatio solida vix exspectari posse videtur.*

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Quo latius ostenditur, male & absque ullo justo fundamento Paradisi Sedem apud Jordanem constitui in Terra Cananæa.

I. *Repetuntur argumenta contra sententiam, quæ in Terra Cananæa ad Jordanem constituit Paradisum.* II. *Rationes & autoritates, pro illa*

Digitized by Google

illa ſententia adducta, recenſentur juſto ordine. III. *Prima Ratio ex amœna fertilitate terræ illius ſolvitur.* IV. *Alteri Rationi ex nomine Orientis perinde ſatisfit.* V. *Tertiæ Rationis ex nomine terræ Heden imbecillitas monſtratur.* VI. *Quemadmodum & Inſtantiarum, quæ ex nominibus Horti Jehovæ, Geneſar, &c. petuntur.* VII. *Quartum Ratiocinium ex Jardene collato cum Fluvio Hedenis diſcutitur.* VIII. *Ulterior omnis ratiocinatio pro ea ſententia examinatur.* IX. *Tandem Autoritates pro ea ſententia adductæ ponderantur.*

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Quo de Præſtantibus Paradiſi Arboribus generatim agitur.

I. *Tranſitus à Situ Paradiſi ad ejus Arbores.* II. *Arbor deſiderabilis aſpectui & bona eſui quo ſenſu dicatur.* III. *Quo ſenſu Jehovah Deus arborem talem germinare fecerit ex terra.* IV. *Conferuntur cum illa Moſis narratione, quæ ſunt apud Ezechielem, quæque tum Chriſtiani tum Gentiles varii habent.* V. *Arbores Paradiſi apud Moſen non ſunt ad ſenſum mere Allegoricum trahendæ.*

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Quo de Arboris Vitæ Nomine, Specie, Situ Speciali, Uſuque, & Celebritate, latius diſputatur.

I. *Specialis fit apud Moſen mentio Arboris Vitæ in medio horti.* II. *Arboris nomen ſingulare an de una individua arbore, an de una ſpecie collective, ſit intelligendum, rationibus hinc inde collatis, inquiritur.* III. *Nominis Vita numerus in Hebræo textu pluralis.* IV. *An Arbor Vitæ dicat Vivam aut Vivificam Arborem, diſputatur.* V. *Ad Vitam Naturalem, eſu fructuum hujus Arboris ſeu continuandam in perpetuum ſeu admodum prolongandam, volunt multi nomen hoc Arboris ſpectare.* VI. *Non videtur vis inſignis in uſum Vitæ Naturalis huic Arbori etiam præ aliis arboribus deneganda eſſe.* VII. *Ea tamen vis neutiquam habenda eſt pro ratione unica vel præcipua iſtius appellationis Arboris Vitæ.* VIII. *Compluribus argumentis hinc oſtenditur, nomen Arboris Vitæ unicè vel præcipuè ſpectare ad Vitam ſpiritualem & æternam, cujus in hac Arbore ſignum & ſignaculum fuit.* IX. *De Arbore Vitæ, qualis illa porro fuerit, diſquiritur,*

Digitized by Google

tur, oſtenditurque quenam heic certa magis, & quenam tantum probabilia, imo & prorſus fabuloſa ſint. X. *De Medio Horti agitur in quo Arbor Vitæ iſthæc collocata fuit.* XI. *Fuiſſe Adamo poteſtatem edendi de fructu Arboris Vitæ in Integritatis ſtatu, & ediſſe eum quoque de illo, prolixius aſſeritur & contra diſſentientes defenditur.* XII. *Arboris Vitæ veſtigia apud Gentiles conferuntur breviter.* XIII. *Literalis Arboris hujus interpretatio contra Allegoricam tandem inculcatur.*

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Quo Arboris Scientiæ Boni & Mali Nomen, Species, Locus, Uſus, & Fama, plenius exponuntur.

I. De nomine Arboris Scientiæ, atque ea occaſione de Unitate ejus Numerica vel Specifica agitur, ſicuti & de ſententia quæ eam in Frumentum commutat. II. Bonum & Malum illuſtratur à cujus Scientia Arbor hæc denominatur. III. Et perinde ejus boni malique Scientia. IV. *Proponitur eorum ſententia qui Arborem hanc per Prolepſin ſic dictam volunt, vel à triſti experientia mali per peccatum, vel à decipiente voce Satanæ.* V. *Eadem rejicitur ob complures rationes, ſolvunturque adductæ objectiones.* VI. *Speciatim diſputatur contra eam ſententiam quæ ex Satanæ tentantis verbis nomen hoc Arboris deducit.* VII. *Sicuti & contra alteram, quæ ad mali per peccatum experimentalem notitiam progreditur.* VIII. *Ante lapſum ſic appellata Arbor an nomen hoc à vi ingenerandæ homini Scientiæ habuerit, inveſtigatur.* IX. *Scientia boni & mali dicit heic rectius conſcientiam obedientiæ præſtitæ cum præmio exſpectando, vel inobedientiæ commiſſæ cum pœna metuenda.* X. *A qua Arbor eſt hæc denominata, quod ejus fructus omiſſus vel ſumptus manifeſtum obedientiæ vel inobedientiæ argumentum præberet.* XI. *Conſenſus Veterum plurimorum cum Recentioribus in eam appellationis rationem.* XII. *Ulterior Arboris hujus deſcriptio, quod fuerit bona ad eſum, deſiderium oculis, & deſiderabilis ad intelligendum, una cum Viſu Mulieris, exponitur.* XIII. *Sententiæ variæ de hujus Arboris ſpecie recenſentur, juxta quas fuit illa, vel Vitis, vel Malus, vel Ficus; de quibus ſingulis plenius diſputatur.* XIV. *Quid de ea re vere & probabiliter dici poſſit & debeat, monſtratur.* XV. *Locus ejus in Medio Paradiſi agnoſcendus eſt.* XVI. *Uſus hujus Arboris ex Dei*

Digitized by Google

ARGUMENTUM

præcepto annectitur. XVII. *Arboris hujus Memoria qualiſcunque apud Gentiles.* XVIII. *Quam fuiſſe omnino corpoream nec myſtice eſſe exponendam, clauſula loco obſervatur.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

Quo reliqua Paradiſi Copia & Ornatus illuſtratur.

I. Tranſitus ad aliam Paradiſi Copiam, quam Moſes non adeò explicite memoravit. II. Atque ita in Paradiſo agnoſcendæ ſunt Herbæ quævis præſtantiſſimæ, ad viſum olfactum & eſum hominis & brutorum aptæ. III. De Animalibus Terreſtribus agitur, quæ in Paradiſo agnoſcenda omnino eſſe monſtratur. IV. *Objectionibus quibuſdam breviter ſatis fit, & commentum de Animalium Locutione in Paradiſo exploditur.* V. *In Paradiſo quoque agnoſcendæ ſunt Aves, de quarum creatione ſimul diſſeritur, an illa ex Aqua an ex Terra facta ſit.* VI. *Piſces etiam, die quinto ex Aqua creati, non videntur plane à Paradiſo removendi.* VII. *Ornata Paradiſi Ordinatio ad omnem hanc Copiam annectitur.*

CAPUT VIGESIMUM.

Quo de ſpeciali Tempore Plantationis Paradiſi agitur.

I. Occaſio inquiſitionis de tempore plantati Paradiſi proponitur. II. Non debet Paradiſus credi plantatus ante Moſaicum rerum omnium Principium; quorſum male trahitur מקדם / *quod heic non ad tempus ſed ad locum ſpectat. III. Sed nec Paradiſus plantatus eſt aut poſt ſex dies Creationis aut poſt Adamum formatum.* IV. *Non videtur autem dubitandum, quin Die Tertio plantatus fuerit Paradiſus.*

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Quo de Paradiſi Duratione tandem diligentius diſputatur.

I. Paradiſum adhuc hodie ſupereſſe, multorum Veterum eſt ſententia, in quam rem querundam ex ipſis adducuntur verba. II. Occaſio ejus ſententiæ apud Patres & conſentientes paſſim Papiſtas additur, juxta Traditionem vanam Judaicam. III. Sententiæ ejus Argumenta proponuntur complura. IV. *Adverſæ ſententiæ Autores, qui Paradiſum non amplius ſupereſſe, ſed dudum vaſtatum eſſe ſtatuunt.* V. *Ar-*

Digitized by Google

V. *Argumenta hujus ſententiæ adducuntur & urgentur complura.* VI. *Ad oppoſitæ ſententiæ Argumenta antea adducta etiam reſpondetur.* VII. *Objectio ab Autoritate Veterum latius expenditur.* VIII. *Modus perditi Paradiſi annectitur.*

LIBER SECUNDUS

Qui Hominis Integri hiſtoriam complectitur.

CAPUT PRIMUM.

Quo de Hominis Nominibus & Creatione generatim agitur.

I. *Introitus ad hoc argumentum ex Iſ.* XLV. 18. II. *Rationes per quas Homini commendatur Sui ipſius Cognitio.* III. *Illa autem ex hiſtoria Paradiſi optime haberi poteſt.* IV. *Varia Origo nominis Latini Hominis producitur.* V. *Hebraica Hominis Nomina expenduntur.* VI. *Poſt Animæ & Carnis nomina ad Græcum ἄνθρωπος accedunt.* VII. *Hominis nomina ad ſtatum ejus vilem & ſervilem nonnunquam maximè referuntur.* VIII. *Nomen Hominis etiam ad Sexum Virilem, ejuſque ſingularem Potentiam & Præſtantiam ſignificandam, applicatur.* IX. *Uſus nominis proprius, quo ad primum hominem applicatur, & appellativus diſcernitur.* X. *Tandem nomen Hominis ad totum genus communiſſime refertur, abſque ſexus maſculini aut fœminini diſcrimine.* XI. *Hominem eſſe Dei Creaturam reſpectu Generationis quotidianæ, & quoad animam & quoad corpus, obſervatur.* XII. *Sed & agnoſcenda eſt prima Hominum origo per Creationem extraordinariam.*

CAPUT SECUNDUM.

Quo Hominum Prima Creatio breviter illuſtratur.

I. Nominis Adami celebritas, & luſus in ejus Hebraicis Græciſque literis. II. Nominis Hevæ ſeu Havvæ ſignificatio & ratio vera indagatur. III. Sententia de Præ Adamitis producitur & argumentis quibuſdam exploditur. IV. *Objectiones pro Præ Adamiitis plurimæ memorantur, in primis autem exegeſis textus Rom.* V. 12. 13. 14. *nova.* V. *Loci iſtius Paulini παρεμφάσεις pluribus oſtenditur.* VI. *Voces Dei ante Hominis creationem præmiſſæ proxime oſtendunt hujus excel-*

lentiam, & aptitudinem temporis ad hujus creationem. VII. *Eadem omnino per Pluralem numerum ad plures Trinitatis Perſonas nos ducunt, aliorſum inaniter tracta.* VIII. *Quæ Plures Divinæ Perſonæ hinc nos creaſſe ad ſuam Imaginem ſunt dicendæ, licet ipſa Trinitatis qua talis Imago in nobis non deprehendatur.* IX. *Materia humani corporis fuit pulvis de terra.* X. *Cui formato inſpirata eſt anima vitæ.* XI. *Creatio unius primum Adami & dein Hevæ ex ipſius dormientis Coſta.* XII. *Non fuiſſe hominem primo bicorporeum & androgynon, monſtratur conſequenter.* XIII. *Ex formatione divina & adductione Hevæ ad Adamum in ſtatu Integritatis colligitur Matrimonii inculpata ſanctitas.* XIV. *Ex ea etiam ratio Matrimonii decens colligitur, & contra Polygamiam Simultaneam præſcribitur.* XV. *Locus creationis Adami & Hevæ inquiritur.* XVI. *Tempus creationis eorundem annectitur.*

CAPUT TERTIUM.

Quo de Corpore Humano, etiam Adami, agitur diſtinctius.

I. *Tranſitus ad Humanæ Naturæ declarationem, per loca Jeſ.* XLIII. 21. *& Prov.* XVI. 4. II. *Atque ita nobis primo occurrit Hominis Corpus terreſtre.* III. *Ejus præſtantia in aliquibus monſtratur capitibus.* IV. *Eademque ex Recognitionibus exhibetur latius.* V. *Vii à Davide per Opus Phrygionicum exprimitur.* VI. *Textus Eccleſiaſtæ, quo Corporis humani deſcriptio legitur, breviter quoque illuſtratur.* VII. *Objectiones adverſus humani corporis præſtantiam ſolvuntur breviter.* VIII. *De Ætate & Mole Corporis Adami in prima ejus Creatione agitur.* IX. *Non eſſe Giganteam corporis molem Adamo tribuendam, monſtratur.* X. *Textus Joſuæ objectus declaratur, & Vulgatus Interpres redarguitur.*

CAPUT QUARTUM.

Quo de Anima hominis, ejuſque Unione cum Corpore, porro agitur.

I. *Animæ Rationalis Nomina declarantur breviter.* II. *De Animæ Eſſentia plurimorum incertitudo, & error eorum omnium qui Corpoream illam putarunt, inter quos Tertullianus.* III. *Ea ſententia cum argumentis ſuis exploditur.* IV. *Nec admittendum videtur dogma recentiorum Philoſophorum, quo Anima ſit ipſa Cogitatio.*

Digitized by Google

tatio. V. *Animæ Rationalis positiva descriptio, & Facultatum ejus distinctio.* VI. *Ejus Libertas etiam declaratur, & quo usque illa sit inseparabilis ab Anima ostenditur.* VII. *Animæ Origo à multis petitur ex Traduce Seminali vel Spirituali.* VIII. *Sed illam omnino ab immediata Creatione Dei repetendam esse monstratur.* IX. *Objectiones adversus eam doctrinam breviter solvuntur.* X. *Animæ Immortalitas explicatur & asseritur.* XI. *Objectiones contra eam brevissime solvuntur.* XII. *Tandem de Unione Animæ cum Corpore pauca adjiciuntur.*

CAPUT QUINTUM.

Quo de Imagine Dei agitur, ad quam Homo creatus est.

I. *De Spiritus & Animæ distinctione in locis duobus Paulinis dicitur.* II. *Ad tractationem Divinæ Imaginis transitur.* III. *De discrimine aut convenientia vocum Imaginis & Similitudinis agitur.* IV. *Iis vocibus non significatur heic directe aliquid in Deo, sed in homine.* V. *Conquisitæ quædam Divinæ Imaginis in homine explicationes, juxta eam quæ ad corporis externam formam eandem varie refert.* VI. *Quæ postrema refutatur.* VII. *Imaginis Divinæ in homine generalis complexus & divisio.* VIII. *Spiritualem Animæ naturam Imaginis Divinæ partem constituere monstratur.* IX. *Idem ulterius ostenditur, etiam ex loco Act.* XVII. 29. X. *Objectionibus aliorum dissentientium satis fit.* XI. *Ad Rectitudinem hominis transitur, quæ plus dicit quam Innocentia.* XII. *Eam Rectitudinem præcipuè constituere Divinam Imaginem monstratur.* XIII. *De Novo Homine agitur, & quo pacto is nos ad conditionem Adami primam ducat.* XIV. *Sanctitas Veritatis quo sensu à Paulo dicatur.* XV. *Justitia illic non notat jus vitæ æternæ, sed de inhærenti qualitate intelligenda est.* XVI. *Rectitudinem hanc ad Dei Imaginem etiam retulerunt Veteres.* XVII. *Rectitudinem Ecclesiastes, & Bonitatem Moses primo homini quoque tribuit.* XVIII. *Indicia Integritatis primorum Parentum ex Mose adduntur.* XIX. *Rationibus & Consensu Antiquorum eadem firmatur.* XX. *Objectiones Socinianorum refelluntur breviter.* XXI. *Additur Dominium hominis in alias creaturas, cum ejus demonstratione in Nominibus quæ Adam animantibus imposuit.* XXII. *Sicuti male in Dominio solo à Socinianis constituitur Imago Dei, ita alii illud ab hac male excludunt.* XXIII. *Hac occasione de Carnium Esu Licito in*

ARGUMENTUM

Integritatis ſtatu differitur. XXIV. *Tandem adjicitur & adſtruitur hominis ante peccatum Immortalitas, ad Imaginem Dei quoque referenda.* XXV. *Antiquorum Chriſtianorum & Judæorum conſenſus in eam producitur.* XXVI. *Diſſentientes notantur, eorumque pro Adami Mortalitate Objectiones ſolvuntur.* XXVII. *Imaginem Dei Angelis non eſſe denegandam, monſtratur.* XXVIII. *Neque Mulier Imagine Dei eſt privanda.* XXIX. *Imaginis Divinæ Sedes in homine inquiritur, & quo uſque Corpus hoc juxta Animam nominari queat.* XXX. *Quo uſque Imago Dei per Lapſum deperdita ſit, & adhuc reliqua in homine, docetur.* XXXI. *Sitne Imago Dei reſpectu Rectitudinis & Immortalitatis dicenda Naturalis aut Supernaturalis homini, inquiritur,*

CAPUT SEXTUM.

Quo monſtratur, Deum cum Homine primum Creato Fœdus iniiſſe.

I. *Tranſitus ad Fœdus Dei cum Adamo, cujus varia nomina præmittuntur.* II. *Fœderis ejus veritas oſtenditur ex Hoſ.* VI. 7. *ubi nomen Adami non appellativum ſed proprium eſſe monſtratur.* III. *Fœdus autem non minus vere proprieque Adamo quam Iſraelitis tribui obſervatur.* IV. *Faciunt huc deinde loca omnia, in quibus eſt mentio aut deſcriptio Fœderis Operum, quod cum homine peccatore Deus non potuit inire, atque hinc cum integro erectum eſt.* V. *Accedit ad Fœderis hujus confirmationem omnium hominum Communis Reatus, & Chriſti pro nobis Sponſio ac Satisfactio tam Legalis quam Pœnalis.* VI. *Idem Dei cum Adamo Fœdus ex Moſis narratione ſatis ſolide deducitur.* VII. *Nec eſt illa de Fœdere Dei cum Adamo doctrina nova, ſed antiquitus & communiter tradita.* VIII. *Adverſæ ſententiæ Autores aliqui adducuntur.* IX. *Objectiones Generales breviter ſolvuntur.*

CAPUT SEPTIMUM.

Quo de Deo & Adamo, tanquam Partibus Fœderatis, agitur plenius.

I. *Tranſitus ad Partes Fœderatas, quæ heic ſunt Duæ diſtinctæ, & inter ſe Inæquales.* II. *Pars Prima Fœderata heic eſt Jehovah Deus, non tam Filius, quam Tri Unus ipſe.* III. *Spectandus eſt Triunus Deus in hoc Fœdere, ut Supremus quidem, ſed ſimul etiam Juſtiſſimus & Optimus Dominus.* IV. *Deo Fœderatus hic fuit Adam,*

Digitized by Google

ut Homo tam in Corpore quam in Anima. V. *Qui hoc amplius eſt ſpectandus, ut Rectus doniſque ſufficientibus Sapientia & Sanctitatis inſtructus.* VI. *Ad que conſervanda & actu exerenda ipſe homo abſque Dei ſingulari Concurſu non ſufficiebat.* VII. *Spectare hoc etiam oportet Adamum ut Mutabiliter Rectum.* VIII. *Cum qua Mutabilitate jungitur Nondum Conſummata Adami Beatitas.* IX. *Cum Adamo adhuc ſolo ante Eve creationem Fœdus ſuum iniit Deus.* X. *Repreſentavit tamen Adam, tum Mulierem mox creandam, tum omnes ſuos Poſteros ex ea Naturales.* XI. *Eximitur tamen ab hac repreſentatione in Adamo Chriſtus; cujus rei ratio ſimul oſtenditur.*

CAPUT OCTAVUM.

Quo Fœderis Divini cum Adamo Lex Præcipua exhibetur.

I. *Tranſitus ad tractationem Legis in hoc Fœdere Principalis.* II. *Legem rationalem veri nominis Homini Integro à Deo latam eſſe oſtenditur.* III. *Que neutiquam per ſolum Preceptum Symbolicum abſolvitur.* IV. *Sed eſt amplius Moralis eadem, qua hodieque Naturalis dicitur, & clarius ac plenius in Decalogo exponitur.* V. *Uti hac ſane ratione Utriuſque Tabule, & Amoris in Deum & Proximum illic precepti, non poteſt Adamo denegari.* VI. *Per Tria prima Decalogi Precepta itur ſingulatim, tanquam Adamum obligantia.* VII. *Quartum Preceptum omnino etiam ad Adami Integri Legem ſpectaſſe, monſtratur.* VIII. *Idem de Precepto Quinto, Sexto, Septimo, Octavo, & Nono, oſtenditur.* IX. *Et tandem de Decimo.* X. *Eadem Lex ad ſervandam Nature Integritatem Primevam Adamum obligavit.* XI. *Modus Legis hujus Adamo late per Naturalem in Anima Inſcriptionem.* XII. *Sed & in aliquibus per externa Dei facta & dicta.*

CAPUT NONUM.

Quo Fœderis Divini cum Adamo Lex Symbolica tractatur.

I. *Ad Legem Principalem addita eſt altera Symbolica, quam ſervare debuit Adam.* II. *Eſus de omni Arbore Horti quo ſenſu Adamo tributus ſit.* III. *Arbor Una Scientie Boni & Mali eximitur.* IV. *De qua Eſus homini interdictus, & ſimul Tactus ad Eſum, ex declaratione Mulieris non redarguenda.* V. *Quod Interdictum quo*

pacto

Digitized by Google

ARGUMENTUM

pacto per Copulam priori Conceſſioni nectatur, oſtenditur. VI. *Tempus dati hujus Interdicti inquiritur.* VII. *Iniquitas omnis ab eodem arcetur.* VIII. *Rationes ejus interdicti inepte memorantur & rejiciuntur.* IX. *Meliores petuntur à documentis hinc fluentibus plurimis aptis.* X. *Sed precipua ratio ejus indubie fuit Exploratio Obedientiæ vel Inobedientiæ Adami liquida.*

CAPUT DECIMUM.

Quo Modus Obedientiæ Adamo præſcriptæ exponitur.

I. *Prater Legem geminam decet Modum Obedientiæ hujus præſcriptum indagare.* II. *Fundamenta ex quibus is cognoſci queat.* III. *Requiſita fuit in hoc Fœdere ab Adamo Obedientia Univerſalis Totius Legis.* IV. *Et Obedientia Totalis Integri Hominis.* V. *Et Obedientia Conſtans abſque intermiſſione aut abruptione.* VI. *Et Obedientia Perfecta abſque ullo vel minimo defectu.* VII. *Et Obedientia Propria abſque ulla alterius ſubſtitutione.* VIII. *Ad eandem Obedientiam quo pacto nos adhuc obligemur per Fœdus Gratiæ.*

CAPUT UNDECIMUM.

Quo facta à Deo Comminatio Mortis decenter exponitur.

I. *Verba Comminationis ex duplici textu adducuntur.* II. *Phraſis, moriendo morieris, in emphaſi ſua declaratur.* III. *Phraſis altera à Muliere adhibita, ne moriamini, confertur in eundem ſenſum.* IV. *De Morte heic tranſgredienti Adamo denunciata laudantur verba Auguſtini.* V. *Intelligere ſane in ea oportet Mortem Æternam.* VI. *Sed & ſimul Spiritualem, quæ eam antecedit.* VII. *Omnino etiam Corporalem, cum Calamitatibus omnibus precedentibus.* VIII. *Mors hæc omnis quando cum Eſu fructus vetiti connectitur, eam pro Pœna ad tranſgreſſionem tantum ſecutura habendam eſſe apparet.* IX. *Gloſſæ aliæ Viri Docti de Morte heic denunciata examinantur.* X. *Mors Adamo ipſi & eodem lapſus die quo ſenſu denuncietur ex variorum ſententia, cum ipſe mortuus tum non ſit.* XI. *Precipua dubii hujus ſolutio ad priores adjicitur.* XII. *Conjunctionis adhibitæ vis in hac comminatione monſtratur.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT DUODECIMUM.

Quo facta Adamo Vitæ Promiſſio aſſeritur.

I. *Tranſitus ad Fœderis Promiſſionem.* II. *Quæ à quibusdam prorſus negatur.* III. *Quorum hypotheſis pluribus modis convellitur.* IV. *Promiſſio Adami ab aliis negatur fuiſſe Vitæ Æternæ, ponitur vero vel mere Temporalis, vel ſimul Spiritualis Felicitatis continuandæ.* V. *Quo pacto Vitæ continuatio Adamo promiſſa dici queat.* VI. *Vitæ Æternæ promiſſum Adamo factum eſſe monſtratur.* VII. *Objectionibus Socinianis breviter ſatisfit.* VIII. *Objectiones Amyraldi etiam ſolvuntur.* IX. *Argumenta ab Altingio objecta etiam ſolvuntur.* X. *Cœli quoque inhabitationem Adamo promiſſam fuiſſe aſſeritur & defenditur.* XI. *Modus factæ Adamo Promiſſionis additur.* XII. *Meritum quale hinc in Adamo Obediente videatur admittendum.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quo de Fœderis Divini cum Adamo Signaculis agitur.

I. De *Signaculis Fœderis Operum generatim agitur.* II. *Pro tali non immerito habetur Sanctificatio & Quies Diei Septimi.* III. *Ipſum Paradiſum fuiſſe Adamo Cœli & Felicitatis futuræ Signaculum, monſtratur.* IV. *Arborem Scientiæ Boni & Mali non malè etiam pro Sacramento Fœderis agnoſci, docetur.* V. *Pro Sacramento Fœderis Adamici communiſſime tandem habetur Arbor Vitæ, cujus ſignificatio & ſignificandi Modus declaratur.* VI. *Obligatio Adami annectitur, qua juxta Promiſſionis Divinæ Confirmationem fuit in his Symbolis.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo Adami Conſenſus in Fœderis Divini Stipulationem & Promiſſionem exhibetur.

I. Conſenſus *Fœderalis Adami Duo Actus.* II. *Adſtipulatio Adami ex ejus Humana Natura & præſenti Rectitudine educitur.* III. *Sicuti & aliis ex Moſe argumentis eadem probatur.* IV. *Annectitur Adamicæ Reſtipulationis certitudo.* V. *Quo ipſo Jehovah*

Digitized by Google

ARGUMENTUM

fœderaliter factus est Deus Adami. VI. *Adstipulationis & Restipulationis defensio additur.*

CAPUT DECIMUM QVINTUM.

Quo tandem de Fœderis Divini cum Adamo Antiquatione disseritur.

I. *Triplex de Fœderis Primi Antiquatione Quæstio proponitur.* II. *Fœdus illud vere Antiquatum esse monstratur.* III. *Per Antiquationem eam Fœderis Operum non est tamen sublata Lex Fœderis præcipua.* IV. *Neque debitum Obedientiæ Perfectæ.* V. *Neque pœna Mortis ad transgressionem omnem.* VI. *Neque Præmium Vitæ ad plenam Obedientiam.* VII. *Quo sensu itaque Antiquatio Fœderis Operum sit intelligenda.* VIII. *Antiquationis hujus Perpetuitas asseritur.* IX. *Ejus Modus Actusque adduntur.* X. *Gradus Antiquationis plures secundum Cl. Coccejum.*

LIBER TERTIUS.

Qui Lapsus Humani historiam exhibet.

CAPUT PRIMUM.

Quo Lapsus Adami, respectu Nominis & Rei, declaratur summatim.

I. Status Miseriæ Humanæ proponitur. II. Qui fluxit ab Adami prima Transgressione. III. Nomen Transgressionis Fœderis & חטא quod peccato Adami datur. IV. *Nominum פשע & עון applicatio ad Adami peccatum.* V. *Græcorum nominum,* ἁμαρτίας, παραβάσεως, παρακοῆς, *&* παραπτώματος, *hic adhibitorum vis.* VI. *Ipse externus Peccati Adamici Actus proponitur.* VII. *Facti hujus Fœditas damnabilis breviter annectitur.*

CAPUT SECUNDUM.

Quo cum externo Esu juncta Adami Perversitas dictinctius exponitur, Sceleriſque integri Magnitudo amplius declaratur.

I. Perversitas Adami cum hoc facto externo juncta monstrari debet. II. Qua ex seductione Hevæ potest colligi; dum tamen Adamum

Digitized by Google

mum ex amore in Mulierem peccasse volunt multi. III. Sed præter rationem solidam & speciem ullam. IV. *Infidelitas cum Esu juncta in Adamo notatur.* V. *Et Superba Divinæ Similitudinis affectatio.* VI. *Et Intemperans Gulæ Desiderium.* VII. *Et Defectio ab Officiis Tabulæ Primæ & Secundæ moralibus.* VIII. *Priorne Infidelitas an Superbia in Adamo peccante debeat judicari.* IX. *Quopacto Peccatum Adami ab aliis temere augeatur, dum de possibili ipsius delicto Veniali inepte differunt Papistæ.* X. *Peccatum idem Adami quo sensu Gravissimum queat appellari.*

CAPUT TERTIUM.

Quo de Adamo cum & præ Muliere Transgressionis primæ Reo disseritur.

I. Peccantis Personæ consideratio etiam necessaria est. II. Quæ primò fuit Mulier. III. Apud hanc si substitisset peccatum, non videtur reatus ad posteritatem fuisse spectaturus. IV. *Sed dedit etiam Mulier Viro suo secum.* V. *Quo animo & instituto hoc egerit Mulier.* VI. *Viri insecutus Esus de Fructu Vetito ad dationem & vocem Mulieris.* VII. *Locus Pauli, de Uno Unius Hominis Peccato tanquam perditionis omnis causa, ad Adamum, non ad Hevam, spectans declaratur.* VIII. *Utrius peccatum, Adami an Hevæ, gravius sit dicendum.*

CAPUT QUARTUM.

Quo Modus declaratur Humani Lapsus, & neutiquam Deo sed Homini ipsi Culpam ejus tribuendam esse, monstratur.

I. Textus Salomonis de Origine Mali breviter illustratur. II. Ea in Status primi Mutabilitate & Arbitrii Humani Indifferentia primum est quærenda. III. Modus quo inde Lapsus processisse videtur. IV. *Culpa Lapsus hujus Homini ipsi est tribuenda omnino.* V. *Non autem Deo, vel quod Hominem fecerit Mutabilem.* VI. *Vel quod Lapsum ejus immutabiliter ab æterno decreverit.* VII. *Vel quod Legem Homini dederit quam transgrederetur.* VIII. *Vel quod tentari eum à Serpente siverit.* IX. *Vel quod Gratia eum sua à Lapsu in tentatione non cohibuerit.* X. *Vel denique quod inter peccandum Gratiam suam priorem Homini abstulerit.*

Digitized by Google

ARGUMENTUM

CAPUT QUINTUM.

Quo de Serpente Seductore hominis agitur.

I. *Serpentis ſeductione Lapſus eſt Homo.* II. *Inde nata Idololatria in Serpentes, & hareſis Ophitarum.* III. *Nomen Hebraum Serpentis* נחש *exponitur.* IV. *Serpentis ſeducentis hominem irriſio vetus & nova vaniſſima.* V. *Ad hanc evitandam nomen Serpentis de Diabolo aliqui metaphorice intellexerunt.* VI. *Argumenta pro Serpente Animali adducuntur.* VII. *Calliditas Serpentis præ omni Beſtia agri declaratur, & ad probationem Serpentis animalis urgetur.* VIII. *Objectiones Irriſorum adverſus Serpentem ſolvuntur.* IX. *Uti & eorum qui metaphoricè vellent Serpentem dè Diabolo exponere.* X. *Non apparens tantum ſpecies Serpentis, ſed verus heic fuit Serpens.* XI. *Idemque ab intelligente aliquo Spiritu verè obſeſſus.* XII. *Quem per ineptam blaſphemiam multi olim voluerunt Chriſtum ipſum fuiſſe.* XIII. *Sed quem vere Diabolum fuiſſe monſtratur.* XIV. *Quod adverſus triplicem Objectionem defenditur.* XV. *Quid Diabolum ad Hominis Seductionem moverit.* XVI. *Cur Diabolus per Viſibile Corpus, & quidem Serpentis, tentaverit hominem.* XVII. *Quo modo ad ſermonem Serpentis non exhorruerit vel obſtupuerit Mulier.*

CAPUT SEXTUM.

Quo Seductionis Humanæ per Serpentem Proceſſus declaratur.

I. Tranſitus à Tentatore ad Tentationem hominis. II. *Quadam heic gratis extra Moſen finguntur ſeu conjiciuntur.* III. *Facta omnino eſt Tentatio per intelligibilem Serpentis Loquelam.* IV. *Et quidem immediate ad Mulierem ut debiliorem.* V. *Eamque Solam ſeu à Viro tum abſentem.* VI. *Non videtur Extraordinarium Dei Legatum ſe finxiſſe Seductor.* VII. *Interrogatio Serpentis prima declaratur.* VIII. *Et Reſponſum Mulieris ad illam.* IX. *Subjecta à Serpente negatio Mortis ad Eſum ſecuturæ tractatur.* X. *De Promiſſa Oculorum Apertione agitur.* XI. *Promiſſa Dei Similitudo declaratur.* XII. *Sensus & Scientia Boni & Mali.* XIII. *Boni hujus connexio*

arcta

Digitized by Google

arcta cum Esu fructus vetiti. XIV. *Quo sensu Scientiam rei à se dictæ Deo tribuat insuper Serpens.* XV. *Insecutus Mulieris Visus ad Arboris Esum ducens annectitur.* XVI. *Amyraldi Dissertatio laudatur, cum conclusione hujus argumenti.*

CAPUT SEPTIMUM.

Quo de Tempore Humani Lapsus disputatur modestè.

I. *De Loco Tentationis & Seductionis Humanæ aliquid præmittitur.* II. *Tempus Lapsus Humani figendum est non Annis aut Mensibus pluribus post Hominis Creationem.* III. *Sed potius aliquibus tantum Diebus, qui temere & varie à multis determinantur.* IV. *Dum alii ad Horas tantum aliquot statum Integritatis durasse & vel Septimo vel ipso Sexto Die primæ septimanæ hominem lapsum esse urgent.* V. *Autores recentiores & argumenta postremæ hujus sententiæ.* VI. *Argumenta varia in contrarium urgentur.* VII. *Objectiones ex textu Mosis solvuntur.* VIII. *Item quæ petitur ex Psal.* XLIX. 13. IX. *Etiam illa ex Joh.* VIII. 44. X. *Tandem in Sabbathum primum Septimi Diei inquiritur, nec per illud Lapsum hominis supponi monstratur.*

CAPUT OCTAVUM.

Quo de Humana Nuditatis Agnitione ad commissum Peccatum & Tegumento sumpto agitur.

I. *Transitus ad Lapsus Consequentia proxima.* II. *Ubi de duobus illis, Adamo & Muliere, simul agitur.* III. *Oculorum Apertio ipsis adscripta declaratur.* IV. *Et simul Nuditatis propriæ Agnitio.* V. *De Folio Ficus agitur.* VI. *Et dè ejus folii Consutione.* VII. *Quo modo sibi hinc Cinctoria fecerint homines.* VIII. *Quid de hoc facto judicandum sit; ubi de Adamianis veteribus quoque agitur.*

Digitized by Google

ARGUMENTUM

CAPUT NONUM.

Quo Terror & Abſconſio Hominis lapſi ad auditam Dei Vocem declaratur.

I. *Tranſitus ad Adami Hevaque terrorem.* II. *Jehovah Deus cujus vox audita eſt.* III. *Ejuſdem Vox ipſa declaratur.* IV. *Uti & Ambulatio ejus in Horto.* V. *Quæ facta ad Ventum Dei.* VI. *De Auditu vocis hujus Divinæ agitur.* VII. *Abſconſio Adami & Uxoris ad eam auditam inſecuta.* VIII. *Et quid de ea judicandum ſit.*

CAPUT DECIMUM.

Quo Examen Dei Judiciale de Homine lapſo illuſtratur.

I. *Actio Dei adverſus Hominem lapſum.* II. *Clamor Jehovæ Dei ad Adamum.* III. *Adami ad hunc Clamorem Reſponſio.* IV. *Repetita duplex Dei ad Adamum Interrogatio.* V. *Adami Principalis Reſponſio.* VI. *Divina Mulieris Interrogatio.* VII. *Mulieris denique ad hanc Reſponſio.*

CAPUT UNDECIMUM.

Quo Sententia Dei in Mulierem lata declaratur.

I. *Examinis Divini proxima ſequela.* II. *Dei in Mulierem Sententia.* III. *Dolor & Prægnatio Mulieris declaratur.* IV. *Ejus Multiplicatio quo pacto intelligenda.* V. *Liberorum Partus in Dolore.* VI. *Mulieris Appetitus ad Virum, cum hujus in eam Dominio.* VII. *Pœnæ hujus Extenſio ad Sexum integrum Muliebrem.*

CAPUT DUODECIMUM.

Quo Sententia Dei in Adamum exponitur.

I. *Tranſitus ad Sententiam in Adamum latam.* II. *Culpæ Adamicæ præmiſſa declaratio.* III. *Maledictio Terræ in pœnam Adamo denunciata.* IV. *Sequentia hinc Adami incommoda variis phraſibus expoſita.*

Digitized by Google

expoſita. V. *Mors ad moleſtias vitæ & ex eis ſecutura.* VI. *Communes aliquæ Obſervationes adhuc adjiciuntur.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quo de Divina Similitudine Homini poſt Lapſum à Deo tributa agitur.

I. *Tranſitus ad alias Peccati Adamici ſequelas.* II. *Inter quas nova Jehova Dei Dictio.* III. *Quæ ſpectat ad Adamum, non excluſa tamen Muliere.* IV. *Et in qua mentio Unius ex Nobis.* V. *Cujus Similitudo in Scientia Boni & Mali tribuitur Adamo.* VI. *Et quidem per Verbum* הה *cum præmiſſo Ecce.* VII. *Quod Ironice intelligendum eſſe monſtratur, rejectis aliis gloſſis.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo Divina Excluſio Hominis ab Arbore Vitæ & Ejectio ex Paradiſo illuſtratur.

I. *Vocis Divinæ continuatio.* II. *Exponitur præmiſſum, & nunc.* III. *Impedienda Miſſio Manus & Sumptio Eſuſque de Arbore etiam Vitæ.* IV. *Ne viveret ipſe in æternum.* V. *Dicti hujus Divini variæ παρερμηνείαι redarguuntur.* VI. *Miſſio Adami ex horto Heden ad colendum terram, ex qua ſumptus erat cum Expulſione.* VII. *Quæ quo loco debeat haberi, adjicitur.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quo de Obſervatione viæ Arboris Vitæ per Cerubhim cum Flamma Gladii vibrantis ſe agitur.

I. *Verborum ſequentium de Collocatione Cerubhim &c. varia Verſio.* II. *Expoſitio* ים כרו. III. *Flamma Gladii ſe vibrantis quomodo intelligenda.* IV. *Ejus Flamma cum Cerubhim conjunctio conſideratur.* V. *Locus Cerubhim cum Flamma ex Oriente ad Hortum Heden.* VI. *Quo ſenſu Deus Cerubhim illic commorari fecerit.* VII. *Finis ejus Obſervatio viæ Arboris Vitæ.*

C A-

Digitized by Google

ARGUMENTUM
CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Quo de Communibus Hominum Malis ex Adami Lapſu ortis aliquid breviter adjicitur.

I. *Mala ex Lapſu Adami in ejus Poſteris.* II. *Quorum primum eſt communis illorum Reatus in Adamo per Divinam Imputationem juſtiſſimam.* III. *Imputationis Mediate & Conſequentis ſupra declaratur & rejicitur.* IV. *Ex Reatu communi fluens Mentis ipſius Nativa Corruptio inculcatur.* V. *Et Mors omnium Temporalis, quæ tamen in Fidelibus nequaquam eſt Pœna Compenſatoria.* VI. *Et tandem Mors Æterna perennium, à qua liberantur per Chriſtum Electi.*

LIBER QUARTUS.

Qui Hominis Lapſi Reſtitutionem tradit.

CAPUT PRIMUM.

Quo de Divina in Adamum lapſum Bonitate communiter agitur.

I. *Tranſitus ad ſtatum Reſtitutionis Humanæ.* II. *Status iſtius Novi Nomina & deſcriptio.* III. *Reſtitutionis iſtius non quidem Veritatem ſed Poſſibilitatem arguebant Dei Perfectiones.* IV. *Conjecturam quoque probabilem de ſua Reſtitutione ex multis aliis potuit facere Adam lapſus.* V. *Sed revelatio ejus clariſſima facta eſt per Prot-Euangelium in Sententia Serpentis.*

CAPUT SECUNDUM.

Quo Dei Dictio ad Serpentem, & hujus Semen, declaratur.

I. *Jehova Triunus eſt qui Sententiam in Serpentem tulit.* II. *Is ad Serpentem antea deſcriptum, & Præſentem jam, loquutus eſt.* III. *Quod*

Digitized by Google

III. *Quod nequaquam inconveniens aut ineptum debet judicari.* IV. *Spectat autem Divinæ dictionis argumentum omnino ad Serpentem Corporeum.* V. *Sed & simul quam maxime ad Satanam obsidentem.* VI. *Qui cur non sit expressius nominatus, inquiritur.* VII. *Ad Serpentem Obsessum & Obsidentem simul pertinet tota hæc Dei dictio.* VIII. *Junctum cum Serpente Semen ejus declaratur.* IX. *Sententia in Serpentem cur primo & absque judiciali Examine lata sit.* X. *Serpentis Scelus ostenditur, ob quod ille hoc à Deo damnatur.*

CAPUT TERTIUM.

Quo Serpentis Maledictio, Itio super Ventrem, & Esus Pulveris, declaratur.

I. *Pœna Serpentis variis phrasibus expressa.* II. *Maledictio Serpentis præ alia omni bestia, non legenda in Vocativo.* III. *Eadem breviter exponitur.* IV. *Et ostenditur quo modo in obsesso & obsidente Serpente locum habeat.* V. *Itio Serpentis super Ventrem perinde declaratur.* VI. *Quo pacto ea tanquam pœna in Animali & in Satana locum habeat.* VII. *Esus Pulveris per omnes vitæ dies.* VIII. *Quo modo in Serpente & Satana is locum habeat.*

CAPUT QUARTUM.

Qua Mulier cum Semine suo declaratur.

I. *Necessaria tractatio de Muliere & hujus Semine.* II. *Mulier indubie est Heva.* III. *Ea cur præ Adamo sola hoc memoretur.* IV. *Semen Mulieris communiter de Hominibus intelligendum.* V. *Specialim de Electis & Fidelibus.* VI. *Precipue autem Christus Mediator in hoc Semine intelligitur.* VII. *Et distinguendum Semen illud ab ipsa Muliere.*

ARGUMENTUM

CAPUT QUINTUM.

Quo de Inimicitia inter Serpentem & Mulierem cum mutuo Semine, & Contritione Capitis illius ac Calcanei hujus, tractatur.

I. *Verborum Moſis ſequentium de Inimicitia ponenda &c. Paraphraſes Chaldaicæ.* II. *Inimicitia quo ſenſu à parte Serpentis & Mulieris ponenda.* III. *Ea quo pacto reſpectu Serpentis animalis obtineat.* IV. *Et dein reſpectu Serpentis infernalis.* V. *Capitis Serpentini ſequens Contritio exponitur.* VI. *Illa an Mulieri an ejus Semini ſit tribuenda, adeoque legendum* הוא *an* היא */ inquiritur.* VII. *Contritio ea Capitis quo modo in Serpente animali obtineat.* VIII. *Et ſimul in infernali Serpente.* IX. *Contritio Calcanei in Semine Mulieris.* X. *Ejuſque implementum expoſitum.*

CAPUT SEXTUM.

Quo Euangelicum argumentum Fœderis Gratiæ ex declarata in Serpentem Sententia ſummatim educitur.

I. *Maledictionis Serpentinæ præſtantia reſpectu noſtri.* II. *Argumentum ejus ſecundum Lutherum.* III. *Idem ſecundum Parenum noſtrum, cum iniqua cenſura Helvici.* IV. *Idem ſecundum Cl. Coccejum.* V. *Præcipua utique Fœderis Gratiæ ſumma heic deprehenditur.* VI. *Quod contra Socinianos & Socinianizantes teneri debet.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

Quo de Tunicis Pellis à Deo aptatis Adamo & Uxori differitur.

I. *Signa Divina Gratiæ in Hominem lapſum, quæ ad verbum Prot-Euangelii poſſunt addi.* II. *Qua occaſione de Tunicis agitur.* III. *Quæ Tunicæ Pellis dicuntur.* IV. *Eas quo modo Hominibus fecerit, illoſque eis induerit Jehova Deus.* V. *Unde fuerint hæ Tunicæ Pellis, & quo pacto ad Obſignationem Fœderis Gratia fecerint.*

CAPUT OCTAVUM.

Quo inquiritur, an nomen Hevæ, ab Adamo Uxori datum, ad Fœderis Gratiæ Promiſſum. ſic agnitum ſpectet.

I. *Textus de dato Mulieri nomine Heve.* II. *Ejuſque Expoſitio brevis & communior.* III. *Facta autem eſt hæc nova Mulieris appellatio verius poſt Lapſum & Protevangelium quam antea.* IV. *Non tamen per Adami Incredulitatem, aut Ironiam acrem.* V. *Sed juxta alios cum reſpectu ad Vitam ſpiritualem & æternam Protevangelio promiſſam & agnitam.* VI. *Sententiæ hujus Argumenta præcipua recenſentur.* VII. *Dum alii plures de Vita Animali cogitant propaganda ab Heva ut communi matre.* VIII. *Horum Argumenta quoque adduntur.* IX. *Ἐπιχείρησις de tota hac re adjicitur.*

CAPUT NONUM.

Quo ſimiliter de nomine Kajini, ab Heva filio ſuo dato, diſputatur.

I. *Collatio verborum Hevæ apud Kajini partum.* II. *Nominis Kajin origo & declaratio brevis.* III. *Acquiſitio Viri* את יהוה / *in Genitivo, vel per Appoſitionem, à multis relata ad Fidem Hevæ in Prot-Euangelium de Meſſia, quem vel cujus Signum illa putaverit ſe*

Digitized by Google

in Kajino nactam esse. IV. *Argumenta Quatuor pro ea sententia adduntur.* V. *Autores di se opponentes aliqui nominantur.* VI. *Argumenta horum quoque memorantur.* VII. *Priora Tria primæ sententiæ expenduntur.* VIII. *Sicuti & Quartum ex vocibus* את יהוה / *quarum exegesis varia apta datur.* IX. *Conclusio hujus Dissertationis.*

CAPUT DECIMUM.

Quo de Fide & Resipiscentia Protoplastorum, & consecuta hinc eorundem Salute, agitur tandem breviter.

I. *Transitus ad alia pro Fide & Salute Adami argumenta.* II. *Tatianorum de Adamo in æternum damnato Error.* III. *Argumenta adversus eum Errorem leviora.* IV. *Validiora pro Fide & Resipiscentia Salutari Protoplastorum.* V. *Objectiones tandem solutæ.*

HISTO-

Digitized by Google



HISTORIÆ PARADISI ILLUSTRATÆ LIBER PRIMUS.

Qui ejus Loci Deſcriptionem pleniorem exhibet.

CAPUT PRIMUM.

Quo literalis Paradiſi Veritas aſſeritur, & defenditur contra allegoricas aliorum gloſſas.

Inſtitutum Autoris, & capita præcipua de Paradiſo ipſo tractanda.

COnſtitui nunc σὺν Θεῷ, poſt tractatos complures Textus Selectos V. & N. T. continuatis quibuſdam Diſputationibus variam humani generis exponere ſortem, quam ipſi in creatione primum conceſſit Dei bonitas, quam maligno adverſarii impulſu atque inſano conatu ſibi deim ipſe contraxit homo, ac quam largita eſt iterum lapſo peccatori in unigenâ Filio per Proteuangelium mox promiſſo inexhauſta Dei miſericordia; uti quidem ille triplex hominis Status, *Integritatis Miſeriæ & Gratiæ*, *Inſtitutionis* item *Deſtitutionis* & *Reſtitutionis*, appellatione

ne in ſcholis Theologorum notus, atque omnem Chriſtianæ Theologiæ exhauriens medullam, compendio in *Hiſtoria Paradiſi* nobis exhibetur à Moſe *Gen.* I. II. III. Quam dum enucleare aggredior, de PARADISO ipſo primum cum cura aliqua agam; in quo non ſolum plurima, de quibus dicendum eſt, geſta ſunt, verum & in cujus inhabitatione haud exigua primævæ felicitatis pars conſtitit; ex quo per peccatum ejectus eſt homo; & ſub quo etiam emblemate æterna nobis in Chriſto cœli addicitur beatitas. Hujus certè deſcriptio, quamquam apud Moſen videatur plana; tam multis difficultatibus, partim per incognita ferè, quæ apud Moſen leguntur, fluviorum nomina, & per complures dubiæ ſignificationis ſeu phraſes ſeu voces, partim per curioſas Interpretum gloſſas, involuta eſt, ut de Horti hujus *Veritate*, *Nominibus*, *Loco*, *Amplitudine*, *Regione Fluviis & Situ*, *Arboribus & Copia*, *prima Creatione*, & tandem *Duratione*, copioſa ſit diſſerendi materia, eaque haud parum ardua. Cujus tractatione abſolutâ hoc *Libro Primo*, rerum geſtarum hiſtoriam deinde perſequi animus eſt *Libris ſequentibus.*

Philonis Judæi allegorica Paradiſi expoſitio ſummatim exhibetur.

II. Non niſi cantilenam ex ſcholis aut ſomnium nos exponemus, ſi quæcunque de Paradiſo habet Moſes ſenſum habeant merè allegoricum, nec ſpecialis fuerit unquam locus hoc nomine communiter indigitatus, in quo primi felices vixerint homines. Quod tamen cum ſenſiſſe deprehendantur Viri non indocti, eorum ſententia ante omnia & exponenda & ad examen juſtum vocanda erit. Primo hic loco meritò nominem *Philonem Iudæum*, virum per omnia clariſſimum, judice non modò *Joſepho Antiq. Lib.* XVIII. *Cap.* 10. ſed & Chriſtianis Scriptoribus, *Euſebio*, *Hieronymo*, *Photio*, *Suidâ &c.* à quibus & inter Scriptores Eccleſiaſticos, Petrique Apoſtoli familiares, recenſetur, imò Chriſtianis ſacris initiatus vanâ credulitate quandoque dicitur. Is, uti omnem fere narrationem Moſaicam allegorice interpretatur, ſequentem in modum, in Latinum ſermonem à *Sigiſmundo Gelenio* verſus, de Paradiſo diſſerit, *in Libro de Mundi Opificio. Viro ſolitariam adhuc vitam degente, Paradiſus à Deo plantatus dicitur noſtris his nequaquam ſimilis: noſtrorum enim inanimata ſylva eſt, arboribus plena omnigenis &c. At Dei Paradiſus animatas omnes arbores habet, rationeque præditas, quarum fructus virtutes ſunt, & incorruptus intellectus, atque ſagacitas, quid turpe ſit, quid honeſtum dijudicans, ad hæc vita ſana, incorruptibilitas, & quicquid eſt ſimile. Hæc autem Philoſophia per ſymi-*

similitudines magis, quam propriè loqui videtur; arbores enim in terra nec unquam prius natæ sunt, nec nascituras est credibile, vitæ aut intellectus feraces; sed, ut puto, subindicatur per Paradisum quidem principalis vis animæ, τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικὸν, quæ est plena ceu plantis innumeris opinionibus; per Arborem autem Vitæ pietas inter omnes virtutes eminentissima, per quam immortalis redditur anima, sicut per Arborem Scientiæ boni & mali arbitra prudentia, quæ discernit res naturaliter contrarias &c. Nec minus luxuriat in immodicum modum idem Autor in *Libro Allegor. Legis*; ubi Deum dicit ἡ θεῖον σοφίαν *sapientiam terrenam insinuasse per Paradisi plantationem, dictamque virtutem* docet *figuratè Paradisum*, cujus locus proprius sit Eden, i. e. *deliciæ*, eò quod virtuti conveniat pax, voluptas, gaudium; & cujus plantatio sit *ad Orientem*, eo quod nec occidat, nec extinguatur, sed perpetuo suapte natura lux ejus oriatur. Subjicit ibidem multa de *Arboribus*, quas interpretatur τὰς κθ' μέρος ἀρετὰς, καὶ τὰς κθ' ἕξεις ἐνεργείας, καὶ τὰ κατορθώματα, καὶ τὰ λεγόμενα παρὰ τοῖς φιλοσόφοις καθήκοντα, *particulares virtutes, & earum operationes, & recte facta, & quæ dicuntur Philosophis officia.* Tum de *Arbore Vitæ*, quæ ipsi est γενικωτάτη ἀρετὴ ἣν ἔνιοι ἀγαθότητα καλοῦσι, *generalissima virtus, quam quidam bonitatem vocant.* Tum de *Fluvio* maximo, qui eandem denotet virtutem, tum de quatuor in quæ dividitur capitibus; *Physone*, dicto παρὰ τὸ φείδεσθαι καὶ φυλάττειν ἡ ψυχήν, *quod parcat animæ illamque servet*, notante *prudentiam*; *Geone*, significante γῆθος, ἢ κοιλίζοντα, *pectus, aut cornupetam*, & propterea symbolicè *fortitudinem*; *Tigride*, exprimente *temperantiam*, quæ cum concupiscentia ut immanissima tigride perpetuo habet negotium; *Euphrate* denique, indicante *justitiam*, quæ revera est fructifera & mentem exhilarans. Atque ut ibidem hæc omnia latius exsequitur, ita eadem tertiò repetit *in Libro de Plantatione Noë.*

III. Ne verò quisquam conjiciat, celebrem Scriptorem, supposito literali & historico sensu, spiritualium cum corporalibus similitudinem & convenientiam tantum demonstrasse, addere juvat disertissima verba, quibus literalem sensum rejicit, atque rationes aperit, ob quas id agat. Μὴ γὰρ τοσαύτη, inquit, κατάσχοι ἡμῶν λογισμὸν ἀσέβεια, ὡς ὑπολαβεῖν, ἐπὶ γεωργεῖ καὶ φυτεύει θεὸς γῆν καὶ παράδεισον. *Absit ut tanta rationem nostram invadat impietas, ut suspicemur Deum terram colere, & Paradisum plantare: cur enim* Per eam prorsus rejicit ille literalem Paradisum, ob rationes tres satis leves.

id faceret, ſtatim occurrit dubitatio, non enim ut amœnos ſeceſſus & voluptates ſibi quæreret, quæ fabuloſitas ne in cogitationem quidem admittenda eſt. Nam Deo ne totus quidem mundus dignum eſſet domicilium, qui ſibi ipſi locus eſt, & ipſe ſe ipſo plenus ſibique ſufficiens &c. Lib. Alleg. Legis. Similia habet in *Libro de Plant. Noe*; Paradiſi plantatio *ſi accipiatur de vitibus, & olearum, malorum punicarum, ſimiliumque arboribus,* πᾶσι καὶ δυσηλεγκτον ἡ εὐήθεια, *magna & incurabilis ſtultitia foret. Quæri enim poſſet, in quem uſum factus ſit, an propter amœnam habitationem? ergo totus mundus non eſt aptius ſummo Regi habitaculum &c. Ad cujus igitur uſum fructum Paradiſus hic erit fertilis? Hominis certè nullius, nam Paradiſi nemo prorſus inducitur incola, quando & is, qui primus ex terra fictus fuerat Adam, tranſlatus inde dicitur. Deus ſicut aliis rebus ita & cibis non indiget &c. Eundum igitur ad allegoriam, viris perſpicacibus amicam, quando & ſacra oracula occaſionem nobis manifeſtiſſime porrigunt: narrant enim in Paradiſo ſtirpes eſſe, noſtris nequaquam ſimiles, ſed vitæ, immortalitatis, ſcientiæ, cognitionis, intellectus bonarum rerum, & malarum imaginationis &c.* Ex quibus omnibus non modò liquidò patet, Paradiſum localem nullum ab ipſo agnoſci, verùm & triplex fere ſententiæ perſpicitur argumentum, ex plantationis ſimilis indignitate & indecentia, ex ejus inutilitate, denique ab arborum quarundam nominibus deſumptum.

Illius Veritas perinde rejecta fuit à Seleucianis, Valentinianis, & Hierachitis.

IV. A Judæis ad Chriſtianos etiam tranſiit allegorica hæc expoſitio, quos inter jam olim hoc nomine notati fuerunt *Seleuciani*, de quibus ex *Philaſtrio Auguſtinus Hær.* LIX. *eos viſibilem Paradiſum negare.* Vocat hos *Auguſtinus* ibidem *Hermianos*, quos dum non immeritò cum *Hermogenianis* eoſdem facit *Lamb. Danæus*, judicat duas diverſas hæreſes & diverſi temporis ab *Auguſtino* potius confuſas, quam conjunctas fuiſſe. Verum neſcio, unde confuſio illa probari poſſit, cum *Seleucus* æquè ac *Hermias* ſeu *Hermogenes* materiæ æternitatem reliquaque capita urgere, hinc cum Hermia conjungi potuerit. Id certum eſt, non ſolos Seleucianos viſibilem Paradiſum negaſſe, ſed & ipſos *Valentinianos*, uti manifeſtè liquet ex *Tertulliano c. Valent. Cap.* XX. ubi ipſos Paradiſum dixiſſe *Archangelum quartum, & ſupra cœlum tertium pepigiſſe* ſcribit; quibus ſimilia habet *Irenæus Lib.* I. *Cap.* I. *Paradiſum ſupra tertium cœlum exiſtentem virtutem angeli Nun dicunt eſſe &c.* Quemadmodum notum eſt, eandem etiam *Hierachitarum* fuiſſe ſententiam,

ex

ex *Epiphanio Hær.* LXVII. Οὐ πᾶσιν ἦ παλιὸ ἔτω ἀδιάφορον εἶναι ἀιῶνιον.

V. Imò ſicut allegoriarum ſtudium aliis etiam in Eccleſia Viris celebribus commune fuit, ita idem ad Paradiſum applicare hi non dubitarunt. Præiit *Origenes*, dum uti ex *Epiphanio Hær.* LXIV. & *Epiſt. ad Joh. Hieroſolymit. Methodio* apud eundem, atque *Hieronymo in Epiſt. ad Pammachium* conſtat, Paradiſum ita de tertio cœlo interpretatus eſt, ut per arbores *angelicas* intellexerit *fortitudines*, per flumina *virtutes cœleſtes*, *totumque Paradiſi continentiam tropologica interpretatione ſubverterit*; dum ipſe contra literalem ſenſum Paradiſi diſerte diſputat *de Princ. Lib.* IV. *Cap.* 2. imò dum, ut docet *Euſtathius Antioch. in Synt. de Engaſtr. c. Origenem*, literalem Moſis ſenſum *fabulas* vocavit. Secuti etiam magna ex parte ſunt *Gregorius Nazianzenus*, *Nyſſenus*, *Macarius*, &c. ſed ſupra hos omnes *Ambroſius*, quem in commentariis ſuis pleraque ex Origene deſcribere ſolitum, Eruditi annotant. Hic, ut rectè monet *Sixtus Senenſis Lib.* V. *Ann.* 39. totum de Paradiſo librum in allegorica ejus explanatione conſumpſit, atque ibidem inculcat; *Paradiſum videri fuiſſe animam, quæ multiplicat ſemen acceptum, in qua virtus unaquæque plantatur Cap.* 1. *Paradiſum eſſe terram fertilem, hoc eſt animam fœcundam, plantatam in Eden, hoc eſt in voluptate quadam*; fontem irrigantem Paradiſum eſſe Dominum Jeſum Chriſtum; quatuor flumina eſſe quatuor virtutes, &c. *Cap.* III. Nec aliter Idem in *Epiſtola ad Sabinum*, quæ eſt XLII. *Lib.* VI. ubi ad hanc quæſtionem à Sabino propoſitam ex profeſſo reſpondet, *in Paradiſo Lignum vitæ radicatum, & lignum ſcientiæ quæ diſcernat bonum & malum, cætera quoque ligna plena vigoris, plena vivificationis, ſpirantia & rationabilia.* Hinc *Paradiſum ipſum non terrenum videri poſſe, non in ſolo aliquo, ſed in noſtro principali, quod animatur & vivificatur animæ virtutibus & infuſione Spiritus Dei.* Quod ubi ex Salomone probavit, virginem animam vel Eccleſiam ſub nomine *Paradiſi concluſi* exprimente *Cant.* IV. 12. repetit, *Paradiſum in principali noſtro eſſe, ſylveſcentem plurimarum opinionum plantariis, in quo principaliter lignum vitæ conſtituit Deus, id eſt, pietatis radicem.* Non neſcio, Pontificios vulgò cum *Sixto Senenſi* negare *Ambroſii* cum *Philone* aut *Origene* conſenſum; & multis contendere *Bellarminum*, quod Ambroſius non negaverit Paradiſum corporalem, ſed eo poſito, totus fuerit in explicandis ejus ſignifica-

Nec alia videtur Veterum quorundam Chriſtianorum, in primis Origenis & Ambroſii, fuiſſe mens.

tionibus atque mysteriis *Cap.* XI. *de Grat. pr. hom.* Sed nimis altum de locali Paradiso apud Ambrosium est silentium, nimis clara ejus in utroque loco sunt verba, nimis aperrè Adamum *totius mundi* dicit *incolam*, nimis directè sententiæ *Josephi* suam opponit, nimis tandem imbecilles sunt *Bellarmini*, quas opponit, rationes; uti præter alios ostendit Vir Doctissimus *Christianus Schotanus Histor. Sacr. Tom.* I.

Quæ renovata etiam & inculcata fuit sententia à Franc. Georgio.

VI. Invehitur porrò magnopere *Sixtus Senensis* in *Franciscum Georgium*, quod omnem hic Paradisi historiam longis allegoriarum ambagibus destruere contenderit, nec ullâ validâ ratione adductus *Origenis* de allegorico Paradiso errorem jam extinctum in lucem revocaverit. Similiter *Bellarminus* mirum videri debere judicat, sententiam hanc, jam olim à Patribus damnatam, ab hoc propugnatam fuisse, & ob debiles rationes Virum alioqui doctum à communi totius Ecclesiæ sententia recedere potuisse. Rationes uterque ipsi tribuit quatuor; quarum prima est, quod Paradisus nullibi *in terra* plantatus dicatur; altera, quod arboribus omnibus die tertia creatis, non possit novi horti plantatio post diem sextum concedi; tertia, quod frustra Paradisus talis foret conditus, mox ejecto homine; quarta denique, quod Paradisus ante cœlum & terram fuerit creatus, ex expositione *Hieronymi in Gen.* II. 8. Ubi legitur apud Vulgatum Interpretem, *plantaverat autem Deus paradisum voluptatis à principio*; consentientibus, ut observavit Hieronymus, *Aquila*, qui posuit ἀπὸ ἀρχῆς, *Symmacho*, qui habet ἐκ πρώτης, & *Theodotione*, qui transfert ἐν πρώτοις. Ad quas rationes duplicem præterea addit *Bellarminus*, unam ab autoritate *Ambrosii*, alteram à testimonio Pauli, tertium cœlum aut per Paradisum explicantis aut cum Paradiso conjungentis 2 *Cor.* XII. 2. 4. Cujus loci Paulini occasione uti multi indubie ad allegorias conversi fuerunt, sic & *Val. Weigelius* triplicem suum Paradisum reperisse censendus est, de quo vide *Crocium Part.* I. *Cap.* V. *Qu.* 6.

Opposita Augustini & Hieronymi sententia probatur.

VII. Placet nobis sententia *Augustini*, qui *Lib.* XIII. *de Civ. Dei Cap.* 21. & alibi ostendit, Paradisum multis equidem modis per similitudinem ad res spirituales transferri posse, uti Ecclesiam ipse ibidem cum Paradiso, quatuor Euangelia cum quatuor fluminibus, Sanctos cum lignis fructiferis, Opera Bona cum fructibus, Christum cum ligno vitæ, Voluntatis Arbitrium cum ligno scientiæ confert; sed tamen Paradisum corporalem neutiquam esse negandum.

Digitized by Google

dum. *Hæc, & si quæ alia*, inquit, *commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen & illius veritas fidelissimâ rerum gestarum narratione commendata credatur.* Quod posterius ubi non attenditur, uti sane ab Autoribus allegatis fieri non videtur, deliram vanitatem, & intolerandam Scripturarum detorsionem neutiquam probamus, in quam gravissimè meritò invehitur *Hieronymus in Dan.* x. *Eorum*, inquit, *deliramenta conticescant, qui umbras & imagines in veritate quærentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut flumina & arbores & Paradisum putent allegoriæ legibus se debere subruere.* Quod si hic licuerit, nihil amplius in historia sacra immotum erit, imò nihil in universa Scriptura deprehendetur, quod non miris glossis in adversos etiam sensus trahi poterit.

VIII. Etenim certum est, Mosen hic non vaticinari res futuras, quandò corporalibus phrasibus res sæpe spirituales denotantur, uti in Templi apud Ezechielem delineatione, & in Novæ Hierosolymæ descriptione Apocalyptica videre licet, sed historica simplicitate res gestas persequi, quandò verborum ænigmatibus dubiis & incertis veritatem involvere non est scriptoris humani laude digni. Minus decet id virum θεόπνευστον, ad id à Deo excitatum, ut latentia rerum primordia, ac primævam communium parentum felicitatem, cæcis ac insipientibus exponeret posteris. Quorum ne millena quidem pars sensum hic spiritualem inquireret, nedum genuinum reperire posset, dum viri ὀξυνοὶ seu *perspicaces*, ut secum ἀλληγορουμένους *Philo* appellat, neutiquam inter se, imo vix secum ipsis conveniunt; quod ex superioribus satis jam patere puto. Nec mirum, quandoquidem, si torsionibus talibus indulgere licet, alii semper in Scriptura sensus absque difficultate reperiri possunt; quò referenda forte videtur Judæorum regula, מפורם בנינו שבעים פנים לתורה / *manifestum est inter nos, legem septuaginta habere facies.* Neque simpliciter hortum Moses nominat, sed eleganter illis omnibus modis describit, qui ad intelligentiam loci alicujus facere possunt. Habemus enim Paradisi locum *Heden*, ἐδὲμ, ut Græci, notum regionis nomen, situm ejus ab *oriente*, κατ' ἀνατολὰς; ornatum per arbores omnis generis eximias, quarum binæ nominantur; fertilitatem ex fluvio irrigante, diviso hinc in quatuor capita, quorum & nomina & regiones adjacentes cum harum excellentia iterum subjiciuntur. Quæ omnia trahere ad voluptatem

Veritas literalis Paradisi ex Mose monstratur.

Digitized by Google

tem cum virtute junctam, ad lucem hujus perpetuam, & ad particularium virtutum operationes, suppositâ etiam harum divisione Platonica, atque per miras allusiones detortis fluviorum nominibus, uti est in re seria immodicè nugari, ita absque vi phrasibus & vocibus fermè singulis illata non licet. Ut id etiam exemplum allegem, si Paradisus τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικὸν, aut virtutem denotet, quomodò ille extra hominem plantatus, & homo in eo collocatus, dein inde emissus dicitur? qui verius sensu hoc plantatus & collocatus in homine fuerit, atque ab eo ablatus. Quibus similia ne innumera alia ad tædium Lectoris adducam, velim ultimò animadverti, eandem Paradisi cum Creatione, datâ prima Lege, Tentatione, Lapsu, &c. prorsus esse rationem, cum hæc omnia eadem styli simplicitate in historica narratione inter se connectantur. Quæ si perinde in allegorias convertere libuerit, uti magna ex parte Veteres multos egisse fatendum est, nutant nobilissima fidei Christianæ capita, atque sana non minus ratio, quam tristis spernitur miseriæ nostræ experientia.

Quemadmodum & ex nominis translatione familiari ad cœlum significandum.

IX. Addere lubet Sacræ Scripturæ illa loca, quibus, juxtâ Judæorum locum felicitatis sic passim exprimentium praxin, supremum Cœlum, Dei thronus, Angelorum sedes, & beatorum patria, *Paradisi* appellatione venit, & quibus Paradisum olim aliquem localem extitisse, si quid video, continetur. Loca sunt *Luc.* XXIII. 43. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* 2 *Cor.* XII. 2. 4. *Novi hominem in Christo, raptum hunc in tertium cœlum &c. &c. quod raptus sit in Paradisum &c. Apoc.* II. 7. *Vincenti dabo edere de Arbore Vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei.* Cum quibus conferri potest *Apoc.* XXII. 1, 2. ubi factâ fluvii & arboris vitæ mentione ad *Paradisum* respici, adeoque sub ejus emblemate Cœlum proponi, manifestum est. Jam verò emblematica rei alicujus descriptio in Scripturis per Spiritum Dei facta ipsum emblema omnino supponit, cujus scilicet contemplatione ad rei inaccessæ cognitionem ducendus est homo; uti abundantiam, amœnitatem, lætam Dei fruitionem, atque alia cœli beneficia hic significavit Deus. Plane quemadmodum cœlum, *Jerosolymæ* nomine veniens, non tollit, sed ponit terrestrem civitatem, quam Deus in habitaculum sibi olim selegerat. Nec posset Spiritus per *Tsionem* Ecclesiam, per *Sodomam*, *Ægyptum*, *Babylonem*, Romam Antichristi sedem, per *Gehennam* locum damnatorum denotare, ni si Tsion,

So-

Sodoma, Ægyptus, Babylon, Vallis Hinnom, olim extitiſſent. Emblematibus equidem utuntur ſæpe homines confictis, dum ad Pöetarum reſpiciunt fabulas, aut antiqua quâdam traditione omnibus nota abſque curatiori inquiſitione adducunt: verum idem agere Deum, uti indecens videtur, ita neutiquam comperimus. Ad aliud enim longè genus pertinent tum parabolæ Euangelicæ, à Salvatore propoſitæ, tum etiam corporalia ſimilia, ſub quibus antiqua vaticinia Prophetis olim ſignificata fuerunt. Nec dici debet, generaliter ad loca hortoſque amœnos Paradiſi vocem eſſe referendam; cum illa in locis allegatis magis ſit definita, & nullus ſit locus vel hoc nomine adeò celebris, vel æquè aptus ad cœli gloriam exprimendam, quam prima parentum protoplaſtorum ſedes à Moſe deſcripta.

X. Quid quod amœniſſimi loci apud gentiles fama, quamquam intercedente longâ annorum ſerie & Poëtarum fabulis haud parum obſcurata, dubitantibus Judæis & Chriſtianis pudorem injicere debeat. Illi, ſicut de linguarum diviſione, aquarum diluvio, gigantum inſanis conatibus, lapſu hominis, miſeriâ conſecuta, præmiſſa tentatione, prima mortalium felicitate, imò ipſa Creatione, multa fabulati ſunt, quæ ex Sacra Hiſtoria repetenda eſſe jam dudum Docti docuerunt, ita Paradiſi memoriam ſervaſſe videntur. De *Bengalenſibus*, aliiſque Indiæ populis, dicere hic nihil attinet, quibus ſub nomine *beatæ vitæ locum* notante Paradiſum cognitum eſſe, ex *Andrea Theueto* obſervat *Carolus Stephanus*. Minus aut *Abyſſinos*, & *Neſtorianos*, Chriſtianæ ſectæ homines; aut *Muhammedanos*, qui multa à Judæis & Chriſtianis mutuati ſunt, pluraque de Paradiſi voluptatibus impuris blaterant, hic adducimus. Magis ad rem facit Διὸς κῆπος, *Jovis hortus*, quem in *Platonis Convivio* obſervavit *Euſebius de Prep. Euang. Lib.* XII. *Cap.* II. ex Moſis hiſtoria ænigmatice expreſſum; dum & ipſe Paradiſus venit nomine גן יהוה / *horti Jehovæ Gen.* XIII. 10. *Jeſ.* LI. 4. & גן אלהים / *horti Dei Ezech.* XXXVIII. 13. XXXI. 8. 9. Similiter *Hortus Alcinoi* apud *Homerum Odyſſ.* VII. quem non modò deſcribit à fonte, ἡμέν τ' ἀνὰ κῆπον ἅπαντα σκίδναται, *per totum hortum diſperſo*, verum & à mirâ fertilitate, commendatâ paſſim Poëtis, *Papinio*, *Juvenali*, *Ovidio*, *Propertio*; quò magis ipſum nomen *Alcinoi* benè literarum & ſoni reſpectu cum אל קנא nomine Dei convenit. *Horti* itidem *Adonii* ſeu *Adonidis*, quorum etiam *Plato in Phædro* me-

Etiam loci hujus memoria apud Gentiles ſervata & varie celebrata fuit.

Digitized by Google

minit, inſtructiſſimi ſcilicet & ad voluptatem compoſiti; ut ſi non à nomine Domini ארן / ab ipſa regione *Heden* id nomen poſſit derivari. *Horti Heſperidum*, quos ut celeberimos cum prioribus jungit *Plinius Lib.* XIX *Cap.* 4. & quos Poëtæ fabulantur nemore aurifero pretioſos ac à Dracone ſervatos eſſe. Ἠλύσιον *Homeri* πεδίον, ſeu Poëtarum Campi Elyſii, ab *exultando*, *Hebraicè* עלץ / עלי / עלץ / adeoque à voluptate, ſeu Heden, ut videtur, dicti; unde *Tertullianus Apolog. Cap.* XLVII. *Si Paradiſum nominemus, Elyſii campi fidem occupaverunt. Unde hæc, oro vos, Philoſophis aut Poëtis tam conſimilia? nonniſi de noſtris ſacramentis &c.* Quin & forte ad Paradiſum referendum eſt poëticum *Olympi* culmen, cum veteres & recentes ſcriptores haud pauci omni terra eminentiorem illum crediderint. Adde & Magorum præceptum, inter alia *Zoroaſtris* ſymbola à *Pſello* expoſitum, ζήτησον Παράδεισον, *quære Paradiſum*, quod memoriam ejus luculenter comprobat; ſi tamen à Magis ſymbola illa profecta. Addo ad hæc verba Viri Illuſtris *Petri Danielis Huetii*, Abrincenſis Epiſcopi, *Cap.* XVII. *Neque dubium eſt, locum hunc ſupernaturaliter à Deo formatum exemplar fuiſſe, ad quod Poëtæ profani Fortunatas ſuas Inſulas, campos Elyſios, prata Plutonis, hortos Heſperidum Adonidis Jovis atque Alcinoi effinxerint. Uti & Xenophon pulchros iſtos hortos, quos Paradiſos appellat, delineaturus, non aliis loquendi modis utitur, quam quos Moſes in deſcribendo Paradiſo terreſtri adhibuit.*

Objectiones Philonis & Ambroſii ſolvuntur.

XI. Et fatendum omnino eſt, rationes, quæ à *Philone & Ambroſio* contra Paradiſi alicujus localis exiſtentiam producuntur, magis veritatem Moſaicæ narrationis comprobare, ob infirmitatem nimiam. Quid? Eſtne impium, Deo terræ cultum atque Paradiſi plantationem tribuere? Eſt certe, ſi humanam hic induſtriam, indigentiam, & fatigationem Deo adſcripſeris, qui nullius rei indigus eſt, nec delaſſatur, ſolo voluntatis juſſu omnia operans *Act.* XVII. 25. *Jeſ.* XL. 28. *Pſ.* XXXIII. 9. CXLVII. 15. *&c.* Eſt verò pium, ſi θεοπρεπῶς intellectis his phraſibus, præſentem quamvis herbam, arborem, fruticem, Deum Autorem referre dixeris, omniumque creationem & ornatum omnia nutrienti Patri adſcripſeris; nec niſi impietatis tuæ argumentum eſt, ſi phraſes has alio acceperis ſenſu. An nullus etiam localis Paradiſi eſt uſus, quia hic te fortè latet? ac ſi in intima divinorum conſiliorum adyta penetrare debuiſſes, Verum non latet Paradiſi uſus, quem Deus fecit ut habitaretur;

Digitized by Google

&à ſe, non quidem Paradiſi præter mundum reliquum imò necipſius mundi indigo cum ſibi ab æterno ſuffeciſſet, ſed tamen inde neutiquam excluſo, imò ibi gloriam ſuam ſpeciali rerum omnium abundantia & ornatu manifeſtaturo; & ab homine, futuro ad breve quidem tempus ejus incola, ſed habituro per Paradiſi intuitum juge felicis ſtatus ſuæque proteriviæ μνημόσυνον. An tandem in Paradiſo ſtirpes fuerunt, noſtris nequaquam ſimiles, id eſt, animatæ omnes & ratione præditæ? Id quidem unde de omnibus cognoſcatur, ſcire velim, cum non niſi duas Moſes nominaverit, atque eás communiter ad oculum & eſum bonas pronunciaverit. Id verò nec de duplici hac arbore dixit, cujus nomen ſi ab inſita vita & cognoſcendi facultate deductum arbitreris, vaniſſimâ conjectura à mente Moſis longiſſimè aberrabis.

XII. Æque facilè concidunt *Franc. Georgii* ratiocinia. Quod enim hic *primò* dicit, nuſquam Paradiſum *in terra* à Moſe plantatum tradi; parum quidem id ad rem facit præſentem, cum præter terram plura ſint loca. Sed bene reſpondit *Bellarminus*, id ex ipſa *plantatione* ſatis colligi, & ex arborum & fluminum mentione. Nec illepida ipſius eſt retorſio, qua expreſſam terræ mentionem non eſſe neceſſariam docet; *nuſquam legimus in Scriptura primum hominem habuiſſe præcordia, non igitur habuit ille præcordia.* Quod *ſecundo* loco urget, arborum productione tertia die abſoluta non poſſe novam Paradiſi plantationem poſt ſextum diem ſtatui; infirma nititur hypotheſi, hanc ſcilicet demum poſt ſextum diem à Moſe factam dici, cum opera quædam ſex diebus facta per repetitionem copioſius tantum Capite Secundo explicentur, & rectè cum aliis Interpretibus *Vulgatus* verſum octavum transferat, *plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum.* Quamquam ſi aliter ſentire libeat, conciliatio locorum Moſis non ſit difficilis. De *tertio* argumento actum eſt modò, inutilitate ſcilicet Paradiſi poſt lapſum; & placent hic uſus à *Bellarmino* notati, niſi quod inhabitationis Enochi & Eliæ etiam meminit, de qua ſuo loco. *Quartum* denique ex expoſitione *Hieronymi* in vocem מקדם / nos parum ferit, quamquam multis videatur *Hieronymus* in benigniorem ſenſum interpretandus; de quo etiam poſtea dicetur. Nec de Pauli loco 2. *Cor.* XII. 2. 4. verbum amplius addimus, cum ex eo, Paradiſi nomen ad Cœlum transferente, localis Paradiſus ſit modo luculenter demonſtratus.

Quemadmodum & illæ quas Franc. Georgius movit.

CAPUT SECUNDUM.

Quo nomina Horti Heden, Horti Dei & Jehovæ, atque Paradiſi, illuſtrantur.

Appellatio Horti עדן & בעדן à nonnullis pro appellativa, ab aliis pro propria habetur, ſive ſemper ſive quandoque.

Aſſerta Moſaicæ narrationis literali Veritate, abſque quâ de Paradiſo diſſertatio omnis vaniſſima foret, nunc primum in *Nomina* inquirendum eſt, quibus humanæ manſionis felix hic locus inſignitur. Eum Moſes in primi hominis hiſtoria modo בעדן *hortum in Heden Gen.* 11. 8. modo גן עדן / *hortum Heden Gen.* 11. 15. 111. 23. 24. modo etiam הגן *hortum Gen.* 11. 9. 16. 111. 1. 2. *&c.* ſimpliciter, appellat. Intellexit hinc turba ferè omnis Interpretum poſt οἱ Lxx. qui transferunt *hortum in Heden*, παράδεισον ἐν ἐδὲμ, poſt *Chaldæum Paraphraſten*, qui pro varietate textus Moſaïci modo habet גנתא בעדן / modo גנתא דעדן / modo גנתא / poſt Commentatores Hebræos ac inter eos *AbenEzram* qui explicat per גן במקום שנקרא עדן *hortum in loco qui dicitur Heden*; prius vocabulum appellativum, poſterius proprium eſſe, locum horti exprimens. Aliter tamen viſum eſt, poſt *Philonem Judæum*, antiquo Interpreti Græco *Symmacho*, qui uti conſtat ex *Hieronymo Quæſt. Hebr. in Gen.* utramque vocem appellative accipiens, *Paradiſum florentem* tranſtulit, & dein παράδεισον τ᾽ ἄλσος, *quod & ipſum amœnitatem & delitias ſonat*, ſecundum *Hieronymum*. Quem uti alii Veteres & recentiores, ita & *Vulgatus* Interpres Latinus ſecutus, *Paradiſum voluptatis* habet hoic; alibi tamen retinens nomen *Eden Gen.* IV. 16. *&c.* Nec aliter Verſio Tigurina *Leonis Judæ*, in quâ Deus legitur *plantaſſe hortos delicatiſſimos*. Videntur hi Interpretes, conſiderata quæ ſubjicitur apud Moſen Paradiſi deſcriptione, judicaſſe ejuſdem amœnitatem per vocem עדן / *voluptatem* utique notante, ſignificatam eſſe. Atque occaſionem ſententiæ fortè amplius dedit, tum proximè ſequens *Orientis* mentio, per quem locus nobis explicatur; tum mutatio in phraſi Moſis, qui nonniſi ſemel *hortum in Heden*, ſæpius *hortum Heden* habet, quæ poſterior phraſis non ad horti ſitum ſed ad ejus qualitatem videbatur eſſe referenda. Quemadmodum phraſes has diſtinxerunt οἱ Lxx. qui non παράδεισον ἐν ἐδέμ, ſed παράδεισον τ᾽ τρυφῆς *Paradiſum deliciarum* tranſtulerunt hortum Heden *Gen.* 11. 15. 111. 23. 24.

Un-

Unde judicavit etiam Celeberrimus Theologus *Samuel Mareſius Select. Diſp. Tom.* II. nomen *Heden Gen.* II. 8. eſſe quidem proprium, ſed *verſ.* 15. potius ob mutatam conſtructionem appellativum. Nec aliter videtur ſenſiſſe magnus *Buxtorfius*, quando & poſteriorem hunc verſum & alia plurima loca in *Concordantiis* ad appellativam vocis ſignificationem refert.

Locus Paradiſi appellationem עדן à voluptate ſuæ accepiſſe videtur.

II. Non dubito equidem, quin omnis generis *voluptatibus* honeſtis inſtructiſſimus fuerit Paradiſus, ut & κατ' ἐξοχὴν *hortus*, & *hortus deliciarum* appellari meruerit. Id etiam addo, libenter me credere, locum Paradiſi nomen *Heden* potius accepiſſe ab ejus ornatu & amœnitate, à quâ commendatur non obſcure ipſa regio, tum à Moſe, tum apud Jeſaiam *Cap.* LI. 3. *&c.* quam voluptatem hinc uſurpata alias rhetoricatione eſſe denominatam: prius enim ſimplicius mihi videtur, ſive à tempore antediluviano nomen illud regioni hæſerit, ſive etiam poſtea non diu ante Moſis tempora illud ei ſit impoſitum. Diverſitatem certè in appellationibus regionum, locorum, & urbium, facilè quivis obſervat; ut multæ quidem à primis fundatoribus aut habitatoribus fluxerint, quod in Elamaide, Aſſyria, Aramæa, Lydia, Sabæa, Media, Chuſana, Mizrajim, Chaldæa, Cananæa, &c. ex ipſo textu ſacro obſervant Eruditi, ſed & aliæ alio nitantur fundamento, puta vel rebus in loco aliquo geſtis, vel loci ſitu, vicinia, fertilitate, aut aliis circumſtantiis. Uti à re geſta nomen ſuum habet *Babel*, quod, confuſis ob humanam impietatem linguis, in perpetuam ſtupendi judicii memoriam ei tributum eſt, ſufficitque ad aſſerendam divini hujus operis veritatem. Nec alia ratio aut terræ *Nod*, in quam expulſus Kain *Gen.* IV. 16. aut montanæ Judææ, aut Jeroſolymæ, aut plerorumque locorum, quorum in Patriarchali & Euangelica hiſtoria fit mentio. Unum eſt, quod fortè hic contrarium ſuadere poſſet; quod ſcilicet Hedenis incolæ בני עדן / *filii Heden* à Rabſake vocantur 2. *Reg.* XIX. 12. *Ieſ.* XXXVII. 12. quaſi hic gentis foret parens, adeoque & nominis autor, quod certè viris quandoque hæſiſſe ex 2. *Chron.* XXIX. 12. liquido patet. Verum quamquam hæc phraſis ſæpe parentes innuat, uti *filii Ammon*, *Chet*, *Dedan*, hoc ſenſu in Scripturis leguntur *Gen.* XIX. 38. XXIII. 3. *Ezech.* XXVII. 15. *&c.* eam tamen ſæpe nihil aliud notare quam regionis aut urbis alicujus incolas, notum eſt. Unde occurrunt hoc ſenſu paſſim *filii Orientis*, *Noph*, *Tſion &c. Ieſ.* XI. 14. *Ier.* II. 16.

Pſ. CXLIX. 2. *&c.* imò & in Euangelio τὰ τέκνα Ἱερουσαλὴμ, *liberi Ieruſalem &c. Matt.* XXIII. 37.

Id nomen עדן eſt tamen ſenſu proprio longe verius quam appellativo heic accipiendum.

III. Cæterum non perſuadent Viri Docti, appellativo ſenſu *Heden* vocem adhibitam eſſe à Moſe; ſive quinque ſive ſex punctis h. e. *Tſere & Segol* vel duplici *Segol* notatam, in quo diſcrimen magnum ponunt aliquando Judæi. Cui primò planè obſtat vocis conſtructio, dum *in Heden* hortus dicitur eſſe plantatus, quod ſenſum præbet facilem, ſi nomen ſit proprium, ſed cum loquendi legibus vix conciliatur, ſi ſit appellativum, ſic enim non *hortus in deliciis* plantatus, ſed vel deliciis inſtructus, vel deliciæ in horto poſitæ potus dicerentur; unde tenentur ב pro Genitivi aut Adjectivi indicio habere, & ad nomen *horti* ſic referre, diſſentientes. Non repugnat etiam huic ſenſui altera apud Moſen conſtructio; quia hæc Hebræis non modo in exprimendis rei alicujus adjunctis familiaris eſt, verum & frequentiſſimè ad loci ſitum refertur, uti nota ſunt exempla *Vris Chaldæa* ſeu *Chaldæorum*, *Rabba Ammonitarum*, *Bethlehem Iuda &c. Gen.* XI. 31. 2. *Sam.* XXI. 26. *Matt.* II. 6. *&c.* Quod perinde in omni lingua obtinet, tum maxime, cum vox prior, aut ob plura ejuſdem nominis loca, aut ob ſignificationis latitudinem, uti hic, non ſatis definita eſt. In primis autem non videtur hic eſſe ratio dubitandi de proprio vocis *Heden* uſu; dum toties regio in orientali tractu celebris, de cujus ſpeciali ſitu poſtea dicemus, ſub hoc nomine nobis occurrit; atque inſtitutum Moſis eſt *verſu octavo* horti deſcribere ſitum, ſubjicienda demum ſequentibus aliquot verſibus illius amœnitate. Quod ex addita *Orientis* mentione clarum eſt, notantis aut generalius orientem mundi, aut ſpecialius orientalem Hedenis partem, atque utroque modo propriam *Hedenis* ſignificationem non excludentis ſed inferentis. Accedunt alia argumenta, ex fluvio egrediente *ex Heden verſ.* 10. ac ex deſcriptione terræ *Nod*, in qua ejectus à facie Domini Kain habitavit, & quæ dicitur fuiſſe קדמת עדן / *ex oriente Heden Gen.* IV. 16. Ubi oratio deficiet, ſi appellativè, pleniſſima verò erit, ſi propriè vocem ſumpſeris. Ex dictis verò putem abunde conſtare, non aliter uno vel altero verſu vocem uſurpari. imò omnibus in locis, ubi ad primam Adami ſedem reſpicitur, commodè illam prò nomine proprio regionis haberi, uti ex inſpectione clarum eſt. Vide *Jeſ.* LI. 3. *Ezech.* XXVIII. 13. XXXI. 9. 16. 18. XXXVI. 35. *Ioel.* II. 3.

IV. Alio nomine Paradiſus in Scriptura vocatur *Hortus Dei*, *&* *Hor-*

Hortus Jehovæ Ezech. XXVIII. 13. XXXI. 8. 9. *Gen.* XIII. 10. *Isa.* LI. 3. Dubitant quidam Interpretes, an in istis locis omnibus & singulis Paradisus significetur, an verò indefinitè hortus amœnissimus denotetur, secundum notam Hebræorum consuetudinem, qui per adjecta *Dei* & *Iehovæ* nomina præstantiam summam exprimere solent. Laudatur in hanc rem *Kimchii* regula ex *Comment. in* I. *Sam.* XXVI. הדבר שרוצה להגדילו סומך אותו לאל / *rem, quam vult Scriptura magnificare, jungit Deo;* quam repetit in *Psal.* LXV. אלהים כנוי לדבר הגדול והנפלא / *Elohim est cognomen rei magnæ & admirabilis.* Adferuntur etiam exempla נפתולי אלהים / *luctationum Dei, montium Dei, cedrorum Dei, castrorum Dei, Gen.* XXX. 8. *Psal.* XXXVI. 7. LXXX. 11. 1. *Chron.* XII. 22. *&c.* A qua explicatione non alieni videntur ipsi Interpretes Belgæ in marginalibus adnotationibus. Addunt alii, excellentiam perinde apud Hebræos notari per Dei nomina, etiam cum per ל præfixum aliis junguntur, uti quando Boaz *benedictus* dicitur ליהוה / *Iehovæ i. e. copiosissime Ruth.* II. 20. & mentio est *validi & fortis* לאדוני *Domino, i. e. robustissimi Isa.* XXVIII. 2. Unde ad hunc modum plura etiam N. T. loca explicari solent, ubi *arma militiæ nostræ* dicuntur δυνατὰ τῷ θεῷ, id est, *validissima* 2. *Cor.* X. 4. & Moses in nativitate ἀστεῖος τῷ θεῷ *pulcherrimus Act.* VII. 20. uti cum *Drusio* & *Hugone Grotio* reddunt Interpretes nostri. Cæterum castigant hanc observationem alii Philologi, *primario nomen Dei additum* in omnibus allegatis exemplis *propriissimam* urgentes *retinere significationem, & rei causam efficientem denotare; quia autem à Deo non nisi magnum & eximium existere potest, hinc ex consequentia nomina hæc θειότατον tantum addere*; uti scribit Vir Eruditus *Salomon Glassius Phil. Sacr. Lib.* III. *Tract.* I. De eo in genere quicquid fuerit, nulla ratione putamus in laudatis locis *Hortum Dei* appellative sumi. Ad quid enim horti amœni generalis similitudo, ubi nullus Paradiso aut amœnior aut notior? In primis cum Ægyptus, alterum fertilissimi soli exemplum definitum, adjiciatur, & Heden cum *Horto Dei* conjungatur. Atque venit meritò sub hoc nomine hortus Adami; cum is à Deo plantatus exserte dicatur; & in eo familiarem sui communionem Deus homini concesserit; & divinum tandem in modum omni elegantia is fuerit instructus.

Horti hujus nomen communissimum est Paradisus, cujus origo variatur, & vera monstratur.

V. Communissimum verò supra reliqua est nomen *Paradisi*, Persis, Hebræis, Græcis, Latinis, & Europæis ferè gentibus familiare; quamquam id non habeat *Moses*, sed ejus Interpretes *Græci*, jux-

juxta cum *Vulgato*. De hujus primum quæritur origine, tum ſignificatione & uſu; miſſa ſcrupuloſa in genuinam vocis ſcriptionem inquiſitione, an *Paradyſus*, an παράδεισος vel *Paradiſus*, an παράδησος vel *Paradeſus*, dici debeat, quod poſtremum improbato vulgari uſu volunt *Tremellius* & *Iunius in Gen. Cap.* II. Non niſi luſus inanis otioſorum hominum eſt, *Paradiſum* dictum, quaſi *parantem Dei viſum*. Cujus generis & illa ſunt, *Paſcha* dictum ἀπὸ τοῦ πάσχειν, *Cepham* ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, *fratrem* quaſi *fere alterum*, *ſororem* quaſi *ſeorſim* natam, quæ tamen apud *Tertullianum*, *Iſidorum*, *Gellium* &c. leguntur. Græcis eam vocem videtur tribuere *A. Gellius Lib.* II. *Cap.* 20. quando *vivaria dici* ſcribit, *quos παραδείσους Græci appellant*. Clarius *Suidas*, poſtquam multis de Paradiſo αἰσθητῷ καὶ νοητῷ, & utroque quidem ſimul intelligendo, dixiſſet; παράδεισος εἴρηται παρὰ τὸ δρόσω, τὸ βρέχω, ῥηματικὸν ὄνομα δεῦσος· παράδεισος τροπῇ τοῦ υ εἰς ι. οἱ δέ φασι, παρὰ τὸ πολὺ δεῖσαν ποιεῖσθαι, ὅ ἐστι βοτανῶν συλλογήν. *Paradiſus dictus eſt, a futuro δρόσω rigabo, unde nomen verbale* δεῦσος *locus rigatus*, & παράδεισος *per mutationem v ini. Alii verò dicunt, à δείσας derivari, id eſt, herbarum collectione, quam facit.* Nec aliter *Iſidorus*, qui Paradiſi *vocabulum ex Græco in Latinum verti hortum ſcribit.* Verum *fruſtra eſſe, cum à Græcis vocem arceſſunt*, rectè judicat *Voſſius*. Apud Hebræos enim & orientales populos eadem reperitur, uti ex textu Sacro conſtat *Nehem.* II. 8. *Eccleſ.* II. 5. *Cant.* IV. 13. ubi vox פרדס / *Pardes*. An verò Hebraicæ ſit originis, an à Perſis repetenda, incertum magis eſſe videtur. Certum eſt, in ſcriptis Salomonis ante notam Iſraëlitarum cum Perſis communionem vocem reperiri; & non abludit à veri ſpecie origo vocis, quam ei aſſignant hic Eruditi, dictam autumantes à פרה & רשא *à proferendo fructus & herbas*, ut volunt *Martinius* & *Voſſius*, vel à פרה & הרס à *proferendo myrtos*, ut vult *Corn. à Lapide*, vel etiam ſimpliciter à פרר *ſeparando*, eò quod horti per ſeptum ſeparati à reliqua terra, & eleganter intus diviſi conſpiciantur. Certum etiam eſt, hoc nomen apud Perſas reperiri, uti ex *Nehemia* non modo diſcimus, ſed & ex *Xenophonte*, *Herodoto*, *Plutarcho*. Ut rectè ſcripſerit *Iulius Pollux Lib.* IX. *Cap.* 3. Οἱ δὲ παράδεισοι βαρβαρικὸν εἶναι δοκεῖ τὸ ὄνομα, ἦλθε δὲ καὶ ἐς συνήθειαν εἰς Ἕλληνικὸν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν περσικῶν. *Paradiſi barbarum videtur eſſe nomen, venit autem per conſuetudinem in uſum Græcum, ut alia mul-*

multa Persica nomina. Et habere linguas orientales multa inter se communia constat.

VI. De significatione nunc dicendum est, in qua generatim quidem conveniunt, denotare scilicet vocem septa quædam loca; verum an feris destinata, an arboribus consita, dissident. Prius vult *Gellius*, qui postquam dixisset, *vivaria esse septa quædam loca, in quibus fera viva pascuntur*, subjicit *à Græcis appellari hæc παραδείσους*. Aliter tamen plerisque visum, quos ita cum *Gellio* conciliat *Martinius*, ut quæ in hortis inter arbores nascuntur herbas alimento ferarum tribuat, eademque sic simul fuerint vivaria, uti *Xenophon* παραδείσους memorat δένδρων καὶ θηρίων, notante *Stephano*. Similiter an in genere viridaria, pomaria, & arbusta, an certam horum speciem significet vox nostra, incertum est. *Hesychius* παράδεισον interpretatur τόπον ἔνυδρον ἢ τι ἔυυδρον, ἐν ᾧ πέπαλοι, καὶ ἡ βασιλέως καλάλυσις. Quod cum orientalium rerum Scriptoribus non modo videtur convenire, sed & cum Scriptura, in qua non nisi Regibus Paradisus tribuitur; unde *Nehem.* 11. 8. per exegesin subjicitur, אשר למלך / *qui regis erat.* Lexicographi recentiores ex antiquis adnotant, *Græcis παράδεισος dici urbanos & elegantiores hortos;* à quo non multum abludunt, qui hac voce ampliores significari hortos observant, & δένδρα ἔχοντα ἡμερά. *Aben Ezra in Eccles.* 11. 5. sequentem in modum commentatur; והגן יש בו אילנים מינים רבים ופרדס הוא מין אחד רבים / *hortus varias habet species arborum, Paradisus unicam tantum:* quod probat ex *Cantico*, ubi פרדס רמונים *Paradisus malogranatorum* memoratur. Verum uti infirma nimis est illa probatio, ita assertio ipsa liquido ex loco *Ecclesiastæ* confutatur, ubi immediate additur; ונטעתי בהם עץ כל פרי / *plantavi in iis arborem omnis fructus.* Nec videtur cum illa posse conciliari locus *Nehemiæ*, ubi à custode Paradisi regii petuntur *ligna ad contignationem*, quæ non omnia unius generis esse solent. Reperitur etiam vox apud *Josephum Lib.* VII. *de Bello Jud. Cap.* 1. ubi vastationem suburbanorum Jerosolymæ describens, inquit, τὰ πάλαι δένδρεσι καὶ παραδείσοις κεκοσμημένα, *ea quæ quondam arboribus & paradisis ornata fuerant*, tum prorsus præcisis arboribus deserta facta esse. Ubi vix aliud voce hac significasse judicari potest, quam hortos urbi adjacentes. Unde omnibus expensis, nihil aliud putamus vocem illam notare, quam hortos, imprimis majores & splendidiores, atque ad voluptatem factos.

Vocis Paradisi propria significatio investigatur.

Usus vocis Paradisi proprius & meraphoricus annectitur.

VII. Usus tandem nominis notandus venit, qui vel metaphoricus vel proprius est; non tamen tam multiplex quam *Scholiastici* cum *Weigelio* statuunt. Quem enim hi urgent Paradisum *Spiritualem* & invisibilem, & explicant vel de Animâ divinæ gratiæ sede, vel de Deo deliciarum spiritualem autore, vel de Visione Dei, vel de Quiete & Gaudio hinc in animam effuso, eum in Scriptura vix reperimus. Assimilatur sanè Ecclesia *horto obserato* à Salomone *Cant.* IV. 12. ob rationes complures quas in *Commentario* nostro ad illum locum dedimus; & licet nobis ad imitationem Salomonis inter Paradisum, ac animam, Deum, ejus visionem, lætamque fruitionem, comparationem instituere. Verum tum nomen ipsum propriè usurpatur, cum alias subjectum inter & prædicatum nulla foret diversitas. In Scriptura ergo præter generalem horti significationem, & specialem de sede Adami usum, vix reperimus vocem hanc nisi de Cœlo usurpatam *Luc.* XXIII. 43. 2. *Cor.* XII. 2. 4. *Apoc.* II. 7. in quo scilicet plenissima Dei fruitio electis erit concedenda. Operosè Vir Doctissimus *Hugo Grotius* contendit ad textum *Luc.* XXIII. 43. post Hezræ tempora piarum mentium à corpore separatarum & resurrectionem exspectantium statum Hebræis vocatum esse גן ערן / ac voces eas hoc sensu in *Talmudicis* scriptis occurrere frequenter. Hinc illum *εὐφημισμὸν* de mortuo תהי נפשו בגן ערן / *sit anima ejus in horto Heden*, נעמהרה תהא צרורה בגן ערן / *animus ejus collectus esto in horto Heden*, *&c.* Sic & statum Hedenis à statu Resurrectionis distinguere *Iachiadem in Dan.* VIII. 14. Propterea nec aliter intelligendum Christum, nec Paulum; cui *primum* dicit *ostensa fuisse perfectissima gaudia post resurrectionem, quæ tertii i. e. supramundani cœli nomine appellantur; deinde verò ne tam longa expectatio animum cruciaret, etiam solatia piis medio tempore concessa, quæ Hebræi vocant* גוה ערן / *καλάπαυσιν & ανεσιν.* Adjicit porro *Justini* & *Tertulliani* verba, quibus hic præcipuè *Paradisum locum divinæ amœnitatis, recipiendis sanctorum spiritibus destinatum*, dixit. Ad quæ omnia tribus verbis defungi possumus; perperam ad statum trahi, quod Scripturæ imo etiam *Talmudici* ad locum beati status retulerunt; gratis locum & statum animarum à cœlo distingui, cum cœlestem eum faciat Scriptura, imo iterum *Talmudistæ*, fatente *Grotio*, cœlum *Paradisi Superioris* nomine apud ipsos venire; gratis Judæorum mentem Hezræ tempore ex scriptis *Talmudicis* colligi, post ipsum Christum natis; gratis eam Christo deni-

denique & Apostolo affingi mentem, quæ fuit vel primorum Christianorum, in multis tum errantium, vel incredulorum *Talmudistarum*, quorum & alia de animæ post mortem statu deliria nota sunt.

CAPUT TERTIUM.

Quo monstratur, Paradisum neutiquam supra hanc Terram sed in Terræ superficie fuisse.

Sed his missis, nunc in partem mundi inquiramus, quem Paradisus in rerum initio à Deo creatus occupavit, & ne aliqua prætermittatur, inferiora & superiora omnia lustremus. *Non defuisse,* scribit Celeberrimus *Maresius, qui Paradisum infra omnem terram situm assererent, eoque Christum descendisse cum latrone converso, cui dicebat, hodie mecum eris in Paradiso.* Addit, *inter hos visum quadantenus Hugonem Grotium suum nomen profiteri, inde explicando articulum Symboli de Descensu Christi ad inferos, & concludendo, quod si Christi anima fuit in ᾅδῃ, sequi eum fuisse ἐν ᾅδῃ.* Per quam sententiam scribit Doctissimus Theologus, *cœlos terræ, & inferos Paradiso miscere.* Verum quinam Autores de Primo Paradiso, in quo collocatus fuit Adam, ita senserint, me vix scire lubens fateor. Qui enim Christi descensum ad inferos per Paradisi mansionem exponunt, hi non de prima Adami sede, sed de felici animarum separatarum vel statu vel loco, sub emblematico Paradisi nomine, loqui videntur. Et sic ipse *Grotius*, qui postquam dixisset, Christi animam dum fuit in ᾅδῃ fuisse ἐν ᾅδῃ, subjicit; *nam sicut ᾅδης & שאול vocabula distinctam bonorum malorumque sortem significant, ita ᾅδης communiter significat statum animarum à corpore separatarum, opponiturque tum vitæ huic, tum resurrectioni, quomodo & שאול usurpant S. Litera.* Et videtur *Grotius* cum aliis locum quendam, primo parenti ad habitationem concessum, sub nomine Paradisi celebrem supponere; dum ibidem causam daturus, ob quam animarum lætam tranquillitatem appellatione Paradisi indicatam voluerint Judæi, hanc assignat, quod *locus ille Adamo concessus deliciis omnibus abundaverit.* De cætero an Scripturæ faveant illi explicationi *Descensus ad inferos*, per quam mansionem animæ beatam hic denotat, alias fortè prolixius dicetur. Hactenus saltem neque *Grotius*, neque qui cum eo faciunt Viri Docti, inter quos Celeberrimus

Paradisum vix ullus primum in inferno constituit.

berrimus Vir *Christ. Schotanus*, id rationibus ſuis mihi perſuadere potuerunt. Et eſt vix quicquam à Scripturis magis alienum, quam commune animarum omnium ad diem reſurrectionis receptaculum, à Gentilibus & Chriſtianis quibuſdam ſomniatum; cui tamen haud parum faviſſe illæ deprehendentur, ſi omnium & ſtatum & locum eodem vocabulo expreſſerint. Imò quicquid etiam oggeratur, *deſcendendi* vox ad loca refertur ſubterranea, in quæ piorum animas non detrudit Spiritus; quamquam hi corporum humatorum reſpectu Paulo forte κατοιχόμενοι dicantur *Phil.* II. 10.

Sed ſupra Cœlum Tertium eundem poſuerunt Valentiniani, cum quibus in eo forte fecit Clemens Alexandrinus.

II. Supra Cœlum Tertium *Valentinianos* Paradiſum pepigiſſe, antea verbo ex *Tertulliano* atque *Irenæo* monuimus. Lubet nunc ipſa *Tertulliani* adjicere verba, quibus hæreticorum ſententiam ſimul exponit & exſibilat. *Cœlos*, inquit, *noëros deputant, & interdum Angelos eos faciunt, ſicut & ipſum Demiurgum, ſicut & Paradiſum Archangelum quartum, quoniam & hunc ſupra cœlum tertium pangunt, ex cujus virtute ſumpſerit Adam, diverſatus illic inter nubeculas & arbuſculas. Satis meminerat Ptolomæus puerilium dicibulorum, in mari poma naſci & in Arbore piſces: ſic & in cœleſtibus nuceta præſumpſit. Operatur Demiurgus ignorans, & ideo fortaſſe non ſcit, in ſola terra arbores inſtitui oportere.* Ita ille *Cap* XX. *Lib. c. Valentianos*, & cum ipſo *Irenæus Lib.* I. *Cap.* I. Idem arbitratum *Clementem Alexandrinum*, ſcribit *Clar. Schotanus* quando verba Apoſtoli 2 *Cor.* XII. ſic παραφέρει; οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ ἁρπαγέντα ἕως τρίτου οὐρανοῦ, καὶ ἁρπαγῆναι εἰς παράδεισον, *novi hominem in Chriſto raptum in tertium uſque cœlum, & illinc in Paradiſum. Stromat. Lib.* V. Ex quibus tamen verbis ſeorſum conſideratis non adeò illud patet, quam ex antecedentibus, ubi ex ſcripto apocrypho Sophoniam in quintum cœlum fuiſſe raptum contendit, & ex conſequentibus, ubi de multitudine cœlorum diſſerit, Paulumque vult locutum eſſe ὑπὲρ τὸ οὐρανὸν τὸ τρίτον. Quamquam dubium videri poſſet, an de primo hic Paradiſo, an de beatorum ſede ſub emblematico hoc nomine tantum, locutus ſit *Clemens*. Manifeſtius longè in *Epitome Theodoti*, Clementis operibus annexa, homo dicitur conditus eſſe ἐν παραδείσῳ, τῷ τετάρτῳ οὐρανῷ, *in Paradiſo*, ſeu *quarto cœlo*. De quo tamen quarto cœlo fatendum eſt nos nihil plane in Scriptura legere, imò videri hanc illud non admittere; cum cœlum cœlorum ut ſummus altitudinis terminus hic paſſim conſideretur 1 *Reg.* VIII. 27. *Pſ.* CXIII. 5. *Eph.* IV. 10. *&c.*

III.

Digitized by Google

III. *Origenis* sententiam inter allegoricas expositiones antea numeravimus, sed est illa tamen hic repetenda, cum eum ex parte tantum *Philonem* secutum esse, atque *Ambrosio* præiisse, jam tum monuerimus. Scilicet ubi hi ipsum Paradisum voluerunt esse non locum aliquem, sed vel τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικὸν, vel σοφίαν θεῖον, vel virtutem, vel animam multiplicantem semen acceptum, videtur *Origenes* allegoricè tantum interpretatus esse arbores & flumina & quæ plura Moses Paradiso tribuit, quæque per *totam Paradisi continentiam* significat *Hieronymus*. Ita ut Paradisum locum fuisse mansionis Adami agnoverit, sed hunc statuerit ipsum Cœlum Tertium, angelicarum fortitudinum & cœlestium virtutum sedem. Nituntur quidam ostendere, uti observat *Sixtus Senensis*, Origenem non fuisse ejus mentis, ex nonnullis verbis ab eo scriptis *in* XXXI. *Hom. in Numeros. Adam post peccatum in aridam detruditur, antea enim non fuit in arida, sed in terra, Paradisus namque non est in arida, sed in terra.* Verum his verbis *Sixtus* nimium tribuere ipse non videtur, quandò subjicit; *quæ verba quantum valeant, expendant qui volunt.* Certe lusisse hic *Origenem* in vocabulo *terræ*, quandò hanc ab *arida* distinguit, contra vulgarem vocum usum *Gen.* 1. 9. 10 satis manifestum est. Et cur hic minus credemus *Methodio*, *Epiphanio*, *Hieronymo*, *Chrysostomo*, *&c.* hanc sententiam pariter Origeni tribuentibus, imo *Eustatio Antiocheno* in *Theorem. de Engastr.* ipsius verba alleganti, quibus τὸν μὲν τὸ χάσμα ἐνδοχεῖν; *seriem quæ secundum literam est*, uti vertit *Leo Allatius*, *fabulas* vocat. Ubi ipsa *Origenis* laudantur verba, & quæ hodie supersunt iis consona deprehenduntur, obtrectandi hic studium suspicari non licet, neque Autores omnes aut quosdam ex *Socrate* φιλολοιδόρους & κακολόγους dicere, quibus conviciis acerbissimè Origenis adversarios, Methodium præcipuè, Eustatium, Apollinarium, ac Theophilum proscindit hic *Histor. Eccles. Lib.* VI. *Cap.* 13. Et conveniunt sane aliæ *Origenis* hypotheses, de animabus omnibus in cœlo simul creatis, hinc in mundum inferiorem ob peccata detrusis, & corporum crassiorum vestimentis pelliceis indutis; de quibus passim Veteres, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Epiphanius*, atque ex iis *Illustris Huetius in Origenianis Lib.* II. *Quæst.* 12.

In Cœlo Tertio eundem quæsivit Origenes.

IV. A Cœlo Tertio ad Aëreum descendunt Scholastici Doctores plurimi, *Petrum Comestorem* secuti Magistrum Historiæ Scholasticæ, qui Paradisum scribit *locum amœnissimum, longo terræ &*

In Cœlo Aëreo, & loco aliquo sublimissimo

supra terram idem collocatur a Veteribus aliis multis & Scholiſticis.

maris tractu à noſtra habitabili zona ſecretum, adeo elevatum ut uſque ad lunarem globum attingat, unde & aquæ diluvii illuc non pervenerunt Lib. 1. Cap. 13. Huic ſententiæ, quam etiam habet *Petr. Lombardus* Sententiarum Magiſter *Lib. 11. Diſtinct. 17.* videntur non modo præluſiſſe *Beda* atque *Strabus*, ſed etiam *Iohannes Damaſcenus Lib. 11. Cap. 11. Rupertus in Geneſin*, *Avitus Alcimus Lib. 1. Cap. 9. Victor Maſſilienſis Lib. 1. Baſilius Magnus in Hexaëmeron*, quos nominat Bellarminus, *Moſes* item *Bar Cepha*, Syrus Epiſcopus, *Ephrem Edeſſenus*, *Sulpitius Severus*, atque alii plures. Multis *Baſilius*; locum hunc eſſe ὑπερφέρεσθαι τὰ κάτω τοῦ, θαυμαστὸν τῷ καλῷ, ἐν εὐκύκλῳ κάλλους, ἀνεπισκότητον διὰ ὕψος, πάσαις τῶν ἄστρων ἀκτῖσι λαμπόμενον, περιφαινόμενον πάντοθεν, καὶ ἐκ τῶν ὡρῶν ἀκεραίαν ἡδονὴν ἔχοντα, ἀέρι διαυγεστάτῳ εὐλαμπόμενον, *præcellentiſſimum, pulcritudine admirabilem, in conſpicuo ſitum, tenebris non adumbrabilem ob altitudinem, omnibus ſyderum ortibus colluſtratum, illuminatum undique, temporum ſuaviſſimam temperiem habentem, aëre limpidiſſimo circumfulgentem.* Quæ ne ipſum tantum allegoricè de cœleſti Paradiſo intellexiſſe putemus, poſt multa alia addit, ſe *intelligere Paradiſum σωματικῶς corporaliter, ſed allegorizare πνευματικῶς ſpiritualiter.* Sic & *Alcimus*;

Ergo ubi tranſmiſſis mundi caput incipit Indis,
Quo perhibent terram confinia jungere cœlo,
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanet &c.

Miræ hic vero ſunt de hujus altitudinis menſura inter Scholaſticos altercationes, quibuſdam eam ad globum Lunæ non niſi per hyperbolen quandam extendentibus, & vel in ſupremâ aëris regione, igni ſub concavo Lunæ proxima, atque ab omnibus ventis, pluviis, & vaporibus liberâ, vel media, vel etiam infima collocantibus, quibuſdam contrarium urgentibus. A quibus, uti apud *Albertum Magnum* videre licet, glorioſi etiam Thomæ Apoſtoli prætexitur autoritas. Veriùs ſententiæ hujus fundamentum à Judæis quibuſdam poſterioribus, atque Muhammedanis, ſupremæ felicitatis locum cum horto Adami confundentibus, eſt repetendum. Verum ita omni ſpecie caret hæc ſententia, ut pluribus eam argumentis confutet ipſe *Bellarminus*; quod ſcilicet *regio illa propter nimiam aëris ſubtilitatem ſit inhabitabilis*, quod ſic *ab aliquâ regione Paradiſus conſpiceretur, nobiſque aliquando ſolis & lunæ conſpe-*

ſpectum eriperet, quod tandem, *ſi nulla eſſet proportio altitudinis ad latitudinem, non ſufficeret totius terræ amplitudo ad baſin ejus capiendam.* Unde *Thomas Parte Pr. Quæſt.* CII. *Art.* 1. & *Albertus M.* hunc Sphæræ Lunaris contactum putant non eſſe intelligendum *de corporali extenſione; & elevatione, ſed imitativa participatione, ita quod proprietates lunæ & ſui orbis participet, per hoc, quod eſt locus quietis, immortalitatis, & incorruptionis.*

V. Ad ſuavia hæc πρωτοχυτολησίων ſomnia quidni exclamemus cum Milphione Plautino, *gerræ germanæ, atque adepol lyræ, lyræ!* Quid enim quæſo habet Moſes in univerſa Paradiſi deſcriptione, quod aut ad cœlum, aut ad lunæ contactum, aut ad aëris ſupremam nos ducat regionem? ubi & regio Heden, & tractus orientalis, & germinantes arbores, & irrigata terra, & fluvius procedens, & præſentia animalia, nos ad terram aut alligant aut revocant. Quænam, id enim meritò cum *Epiphanio* notamus, in Scripturæ circa Paradiſum phraſibus loci aliquam includit altitudinem? quando non ex Heden deſcendiſſe, ſed proceſſiſſe fluvium, homines in terram non demiſſos, ſed emiſſos, Cerubim cuſtodiiſſe non adſcenſum, ſed viam ligni vitæ, & habitaſſe feciſſe Deum homines non ſub Paradiſo, ſed contra Paradiſum, poſtremum quidem ex verſione τ LXX. per ἀπέναντι narrat Moſes. Cur amœnitatem omnem terræ denegabimus à Deo nuper formatæ, eamque regioni alicui aëreæ affingemus? Quidni rectè communis terræ ſuperficies, in quam expulſus poſt peccatum eſt Adam, ab horto Heden nobiliori ejus parte diſtinguatur, abſque ſeparatione ulla locali? Quam vanæ denique ſunt conjecturæ omnes de Paradiſo? vel per modum νεφελοκοκκυγίας in aëre ſuſpenſo, vel altiſſimi montis vertici adhærente, vel cœlum & terram diſcernente, vel totum terrarum atque Oceani orbem ab omni parte circumdante. Quas uti nulla firmat ratio, ita ſimplex Moſis jugulat narratio; ut niſi hiſtoriæ omnis auferatur veritas, Paradiſum in terreſtri quem incolimus globo conſtituere & porrò quærere debeamus. Egregiè *Theophilus Antioch. Lib.* II. *ad Autol.* Ὅτι δὲ ὁ παράδεισος γῆ ἐστι καὶ ὅτι ἐν τῇ γῇς πεφύτευται, ἡ γραφὴ λέγει, *quod vero Paradiſus terra ſit, & in terra plantatus, docet Scriptura, & plantavit Deus &c. & prodire fecit &c.* Τὸ οὖν ἐν ἐν τῇ γῇς, καὶ ἐξανατολὰς, σαφῶς διδάσκει ἡμᾶς ἡ θεία γραφὴ τὸ παράδεισον ὑπὸ τοῦτον τὸν οὐρανὸν, ὑφ' ὃν καὶ ἀνατολὴ καὶ γῆ εἰσιν, *quod igitur ait ex ter-*

Quæ omnes ſententiæ nequaquam ſunt veriſimiles, ſecundum narrationem Moſis in Terra Paradiſum ponentis.

Digitized by Google

terra & in orientali plaga, diſerte nos docet Divina Scriptura, Paradiſum eſſe ſub hoc cœlo, ſub quo oriens & terra ſunt.

CAPUT QUARTUM.

Quo in Paradiſi Amplitudinem inquiritur, quæ utique per Terram Univerſam non eſt protendenda.

Superioris Capitis ſumma, verbis Nachmanidis aucta.

Fruſtra eſſe omnes, qui extra terræ globum Paradiſum, ſive ſupra cœlum, ſive in cœlo, ſive in aëre quærunt, ſuperioris Capitis fuit concluſio. Ad cujus corroborationem nunc adjicimus verba *Nachmanidis ad Gen.* III. 23. quæ adduxit etiam *Paulus Fagius in Expoſ. Gen.* דע והאמן כי גן עדן בארץ ובו עץ החיים ועץ הדעת ומשם יצא הנהר ויפרד לארבעת הראשים הנראים לנו / *ſcias & credas hortum Heden in terra eſſe, in quo ſunt arbor vitæ & arbor cognitionis, & unde egreditur fluvius, qui dividitur in quatuor capita quæ à nobis conſpiciuntur.* Quæ eò magis ad rem noſtram faciunt, quod non tantum iiſdem nobiſcum utatur argumentis Scriptor Hebræus, ſed quod hanc ſententiam ex eo etiam eliciat textu, unde multis contrarium hæſiſſe deprehendimus. Adeò ſcilicet ſtramineum ex *Expulſione Adami ex Paradiſo in Terram* eſt argumentum prò locali Paradiſi à Terreſtri globo ſeparatione.

Rationes proponuntur, ob quas ſtatui queat, Paradiſum fuiſſe totum terrarum Orbem.

II. Sed de hoc capite cum actum ſit, nunc videamus porro, quantam primum, & quam dein terreſtris orbis partem Paradiſus occupaverit. Et videtur ante omnia inquirendum eſſe, annon omnem hic totius Terræ exhauſerit ambitu ſuo amplitudinem, ut hortus ille fuerit Mundus inferior univerſus, ad habitationem Adamo datus, & ante lapſum in primâ creatione omni abundantiâ inſtructus. Ad hæc enim cogitata rationes non improbabiles ducere nos poſſent. Quippe quis dubitet, Terræ à Deo formatæ, & necdum per peccatum hominis deformatæ, eam tribuere elegantiam, quæ perfectam Creatoris bonitatem maxime exprimat; eamque rerum omnium omnibus in locis abundantiam, quam in Aureo Saturni Seculo agnoverunt *Heſiodus*, *Virgilius*, *Ovidius*, *Lucretius*, & gentilium Poëtæ alii. Nec quicquam habet Moſes, quod non Terræ univerſæ videatur eſſe tribuendum; in quâ ſcilicet & *fluvii* agnoſci debent, ipſo præeunte Moſe *Gen.* II. 11. 12. 13. 14. & omnis

mis generis *arbores*, communiter orbis ſuperficiei adſcriptæ *Gen.* 1. 11. 12. & *animantia* quævis ex terra producta *Gen.* 11. 19. Verè etiam Orbis hic univerſus *Horti* vel *Paradiſi* nomine venire poteſt, vaſta expanſi undique ambientis intercapedine à cœlo & aſtris diviſus, viridarium pariter & vivarium ampliſſimum. Imò videri poſſet Moſes Hortum per Terram univerſam explicaſſe; quandò fluvium ex Hedene egredientem irrigaſſe hortum primò ſcribit, & dein irrigationem hanc eandem veluti exponens, & *Havilæ*, & *Cush*, & *Aſſur*, meminit. Nec anguſtius tandem palatium ipſâ Terrâ homini tribuendum eſſe videtur, ut cum imperii univerſalis majeſtate illud conveniat, Deuſque in terræ creatione ſuum aſſequatur finem, quam propter hominem condidit ut ab eo inhabitaretur *Iſ.* XLV. 18. *Pſal.* CXV. 16. hinc *terram implere* juſſo *Gen.* 1. 20. Quâ poſtrema ratione motus etiam fuit *Ambroſius*, ut Paradiſum ſpiritualiter exponeret; *Primum*, inquit, *Deus mundum creavit, deinde habitatorem mundi cui totus mundus patria foret. Nam ſi hodie quocunque acceſſerit ſapiens, ubique civis eſt &c. quantò magis ille primus homo totius erat mundi incola, & ut Græci dicunt, κοσμοπλίτης, opus Dei recens, confabulator aſſiduus, propoſitus omnibus terrenis animantibus, &c. Epiſt.* XLII. *ad Sabinum Lib.* VI.

III. Tribuitur vulgò iſthæc ſententia *Flavio Ioſepho*, Judæorum Hiſtorico. *Quidam arbitrati ſunt*, ſic ſcribit *Bellarminus Cap.* XII. *de Grat. Pr. Hominis, totum orbem terrarum eſſe Paradiſum illum, de quo Scriptura loquitur Geneſios Secundo Capite; in qua ſententia videtur eſſe Ioſephus Lib.* 1. *Antiq. Cap.* 2. *ubi dicit, fluvium, qui Paradiſum irrigabat, eſſe amnem quendam totam terram ambientem, quo nomine Oceanum ſignificaſſe creditur.* Cum majori dubitatione *Aug. Torniellus* annotat, *opinionem eam Ioſepho tribui.* Et vulgò Theologi noſtri, vel ſe illud non audere de *Ioſepho* affirmare, vel illud ex *Ioſephi* verbis revera non poſſe exſculpi, profitentur. Legit etiam Joſephum *Ambroſius*, ſed Hiſtoriographum hunc per Paradiſum dicit intellexiſſe *locum refertum arboribus virgultiſque plurimis*; quam ſententiam etiam ratione modo allatâ confutat. Verba ipſa *Ioſephi* hæc ſunt; ἄρδεται δ' ἔντος ὁ κῆπος ὑπὸ ἑνὸς ποταμοῦ, πᾶσαν ἐκ κύκλῳ ἢ γῆν περιῤῥέοντος, ὃς εἰς τέτταρας μέρη σχίζεται, *irrigatur hic hortus ab uno fluvio, omnem terram undique circumfluente, qui in quatuor dividitur partes.* Ex quibus quo

Iſta ſententia perperam videtur tribui Ioſepho, ſed verius eſt aliorum quorundam inter Chriſtianos.

pacto memorata elici possit opinio, neutiquam video. Aut enim πᾶσα ἡ γῆ omnis est terra Paradisi, ad hortum constituendum pertinens, aut à Paradiso distinguitur. Si prius, quod non improbabile videtur, Articulus ἡ hic vim relativam aut demonstrativam, ut alias sæpè, habet; atque ostendit tum *Iosephus*, & horti elegantiam, qui fluvio undique fuit septus, & aptum irrigationis ejus modum. Sin posterius verum est, nihil præter Mosen dicit ejus Interpres, phrasi tantum usus quadantenus latiori. Etenim fluvium Hedenis magna & dissita terrarum spatia alluere, ille expressè narrat, *Havilam*, *Cush*, & *Assur* memorans. Nec Terram universam per Paradisum intellexisse *Iosephum*, clarum est ex omni contextu; dum dicit, hortum hunc πρὸς ἡ ἀνατολὴν seu *ad orientem* plantatum; & Adamum ac Evam post creationem introductos in eum; post lapsum inde μετενηνεγθέντας εἰς ἕτερον τόπον *translatos in alium locum*; dum etiam regiones, quas amnis Hedenis circumluit, cum Mose à loco Paradisi distinguit. Inepta hinc est conjectura *Bellarmini*, per *fluvium* Josephum intellexisse Oceanum, quod omnino egerunt alii cum *Ioh. Damasceno de Orth. Fid. Lib.* 11. *Cap.* 9. quam ex ambitu Oceani, apud *Aristotelem* & alios per περίῤῥοιαν significato, videtur unicè hausisse. Parum interim attendens ad vocis ποταμὸς, quam tamen apud *Homerum* alioſque Oceanum quandoque notare novimus, ordinariam significationem, & ad consequentia Historici verba, quibus fluvium per varia fluenta in mare exire & in pelagus se exonerare scribit. Majori cum specie sententia hæc *Clementi Alexandrino* tribui potest, qui de Ligno vitæ & Paradiso sequentem in modum disserit *Strom. Lib.* v. Αὐλὴν δὲ φρόνησιν θείων ἀληθειῶν ὁ Μωϋσῆς ξύλον ζωῆς ὠνόμασεν, ἐν τῷ παραδείσῳ πεφυτευμένον. Ὁ δὲ παράδεισος καὶ κόσμος εἶναι δύναται, ἐν ᾧ πέφυκεν τὰ ἐν δημιουργίᾳ ἅπαντα· ἐν τούτῳ καὶ λόγος ἤνθησέν τε καὶ ἐκαρποφόρησεν σὰρξ γενόμενος, ᾗ τῆς χρηστότητος αὐτοῦ ἐζωοποίησεν, ἐπεὶ μηδὲ ἄνευ ξύλου εἰς γνῶσιν ἡμῖν ἀφῖκται. *Mox Sapientiam divinam Moses per allegoriam Lignum Vitæ appellavit, in Paradiso plantatum. Paradisus verò ipse Mundus esse potest, in quo omnia per creationem nata sunt. In quo etiam Sermo floruit & fructificavit caro factus, & bonitatem ipsius gustantes vivificavit, quandoquidem non absque ligno in cognitionem nostram devenit.* In quibus verbis non tam *Clemens* ad allegoriam Mosis narrationem transferre, quam quidem Mosi allegoricum vocum usum tribuere videtur.

tur. De *Valent. Weigelio*, fanatico ex Augustanis celebri, saltem dubitare non licet, quin Paradisum primum & visibilem universum hunc Mundum dixerit, cum totidem verbis non semel sententiam hanc suam exponat, atque ex mundi totius elegantia confirmet. Idem multis urget ex Papistis *Joh. Goropius Becanus in Indo-Scythicis* suis, *hortum voluptatis* vel *cum voluptate* apud Mosen reperiens, qui *cœptus* vel *incipi debuerit* plantari *ab Oriente*; mirâ vocum torsione. Et sua ætate alios fuisse *Viros Doctos qui idem arbitrati sunt*, testatur *Wolfgangus Musculus in Commentariis suis*. Quemadmodum ex proximorum seculorum Viris Celebribus Vir Doctissimus *Steph. Morinus* post alios nuper in hanc rem nominavit *Ioachimum Vadianum*, *Sangallensem*, cujus etiam rationes magnoperè cum eis convenientes, quas modo protulimus, adscripsit & diluit.

Eadem sententia rejicitur ob rationes justas, solutis etiam objectionibus.

IV. Plurimis id rationibus merito impugnat *Iohannes Crocius*, adversus *Weigelium* disputans; & recte annotat *Bellarminus*, *hanc sententiam Scripturæ Divinæ repugnare*. Etenim, uti idem egisse *Iosephum* modo observavimus, ita Moses certam mundi plagam Paradiso adscribit, certam etiam præter *Iosephum* regionem notat, plures enumerat terras in quas ex Heden exiit fluvius, distinguit denique clarissimè Paradisum à reliqua Terra, in quam post peccatum velut exules ejecti sunt homines primi; non enim ejectos esse ex mundo, imò jussos terram colere, Moses idem docet. Confugium *Weigelii* ad sensum allegoricum, ita ut *ejectio non fuerit externa* aut corporalis, quia caret fundamento, per se concidit. Et quamcunque etiam videantur habere speciem rationes supra propositæ, certum est, bene perpensas eas leves admodum deprehendi. Fuit sanè Terra universa in primâ creatione elegantissimum, copiosissimum, & instructissimum divinarum perfectionum theatrum; sed tale ut fuerit, pari omninò elegantia & abundantia in omnibus locis opus non fuit, uti in creaturis omnibus varii perfectionum conspiciuntur gradus. Imò ut hæc varietas ad perfectionem universi haud leve addit pondus, ita ad mundi primùm creati elegantiam videtur facere locorum qualiscunque distinctio, ad plagarum & animantium diversitatem accommodata. Poëtica de Aureo Saturni Seculo, & ferente omnia omni tellure, figmenta parum hic considerari debere putamus; quæ scil. ex vana, obscura, & ob seculorum intercurrentium multitudinem incerta traditione hausta, veritatem magis involvunt, quam exponunt, atque insuper hyper-

bolis & rheoricationibus fermè perpetuis ſcatent. Unde debet attendentibus omnibus diſplicere hypotheſis T. *Burnetii*, qui in Telluris Primigeniæ & Paradiſi deſcriptione *quoad maxima capita conſulendam* putat *hiſtoriam profanam*, *nempe narrationes illas antiquorum, quæ plerumque apud Poëtas occurrunt, de primis Mundi Seculis, & ſpeciatim de Aureo Seculo.* Ex quo ille tum principio, Poëtis magis quam Moſi credens, ver educit æternum, juge ſerenum, placidos zephyros, & ſimilia plura. Neque conveniunt Terræ univerſæ, quæ Paradiſo tribuit Moſes; quamqnam enim ubique & arbores & flumina & animantia conſpiciantur, illa tamen, & ſingula, & omnia, & in iſthac copia & ordine, non alibi deprehendere paſſim licet. Fruſtraneum etiam eſt obſervaſſe, mundum univerſum horti habere effigiem; cum non ſimpliciter horti meminerit Moſes, ſed talem ejus adjiciat deſcriptionem, quæ in partem terræ tantum cadit. Perinde hortum cum Havila Cush & Aſſur nequaquam confundit Moſes, ſed fluvii irrigantis curſum longius ultra Paradiſum ad diſſitas terras extendit. Tandem, ut aliud regum hujus mundi eſt palatium, aliud regnum, ita dominium primi hominis in Terram univerſam extenſum non tollit, imò potius infert, inſignius aliquod palatium, ordinariæ regis manſioni deſtinatum; in quo ſcilicet ita felices degerent homines, ut reliqui orbis, poſt multiplicatum imprimis genus humanum, uſus ipſis tamen interdictus aut interdicendus fuiſſe non videatur. Imò cum ante creationem omnem ſciverit pariter & decreverit Deus hominis tum lapſum, tum ſecuturam ex Paradiſo ejectionem, condita procul dubio eſt Terra univerſa, ut homini, ſi non mox in creatione, ſaltem poſt lapſum & multiplicatum genus, habitaculum præberet; Deo in ipſa creatione prò ſapientia ſua profundiſſima indubiè in fines ſibi præſtitutos proſpiciente.

Spatium Paradiſi ab aliquibus nimis magnum, ab aliis nimis parvum conſtituitur.

V. Si non Orbis univerſus, quanta ergo ejus pars Paradiſum conſtituerit, rogas; fueritne ſcilicet, vel una ex celebratis Mundi Partibus Quatuor, vel Regio aut Provincia integra, vel Tractus regionis longior, vel anguſtius etiam ſpatium, quale viridariis noſtris dari ſolet? Diſcrepant hic Doctorum opiniones, ubi nihil determinaſſe deprehenditur Moſes. *Fuerunt*, inquit *Sebaſtianus Munſterus, qui totum Orientem Paradiſo aſſignarunt; & alii putant, illum certas quaſdam Orientis regiones occupaſſe, puta Syriam, Damaſcum, Arabiam Felicem, Ægyptum &c. Comprehendit enim la-*

latiſſimum, non anguſtum terræ ſpatium &c. Similiter poſt Antiquos Hier. *Zanchius Part.* III. *de Oper. D. Lib.* I. *Cap.* I. *Moſes nomine horti indicare voluit locum, hoc eſt, regionem ampliſſimam, amœniſſimam, fertiliſſimamque, & totam irriguam &c. ita ut tota hortus & pomarium quoddam eſſe videretur.* Idem inculcat *Matth. Beroaldus Chronici Lib.* II. *Cap.* 7. tum ex fluminum lapſu, tum ex totius naturæ in illo loco repræſentatione. Hæc opinio, quæ dum in ſitum Paradiſi inquirunt à multis ſupponitur, variis nititur fundamentis. Præcipuum eſt inſignis primorum parentum felicitas, quæ anguſti alicujus ſpatii, tanquam ergaſtuli, limitibus non videtur eſſe concludenda. In primis in iſthoc rerum ſtatu, quando univerſus adhuc mundus elegans ſatis habitaculum homini præſtare poterat. Imo ſufficiens niſi concedatur horti magnitudo, poſteritari ex Adamo progenerandæ minus proſpexerit Deus, non utique anguſto viridario capiendæ, neque ante peccatum ex Paradiſo ejiciendæ. Accedit *Horti* nomen, quod ſive cum Hebræa voce à ſepiendo derivetur, ſive, ut vult *Iſidorus Lib.* XVII. *Cap.* 10. à perpetuo *fructuum ortu*, ad *Epicuri* menſuram non poteſt reſtringi, cui *parvos hortos Juvenalis Sat.* XIV. & *hortulos Cicero Lib.* I. *de Nat. Deor.* tribuit; quemadmodum hortos hic *otii magiſter* primus Athenis in ipſa urbe inſtituit, *uſque ad eum* enim, ut obſervat *Plinius Lib.* XIX. *Cap.* 4. *moris non fuerat in oppidis habitari rura.* Nec tantum frequens apud profanos Scriptores *Hortorum* in plurali mentio, quos imitatus *Leo Iuda hortos delicatiſſimos* apud Moſen legit, verum & ipſe textus ſacer *Neh.* II. 8. ſatis magnum ſpatium voce iſthac & alterâ *Paradiſi* exprimi comprobat. Sed ut verum fatear, exiſtimo, in hanc ſententiam plurimos fuiſſe permotos, quod judicarent præter Euphratem & Tigrin Gangis & Nili meminiſſe Moſen, atque non ad fluvium modo unum, ſed ad quatuor longè diſſitos hos amnes Paradiſum ab ipſo collocari. In alia omnia it præter alios *Franciſcus Iunius*, qui ſic ſcribit; *Secunda interpretatio eorum eſt, qui non Hedenem ſolum, ſed hortum quoque ipſum diffundunt in mundo latiſſime per Aſiam ferme totam & Africam, aut, (ſi qui fortè anguſtius) per Syriam Arabiamque & Meſopotaniam, ac proinde cum hæc latifundia Adamo cuſtodienda colendaque tribuunt, non vident, ſe & naturam rerum, & communis noſtri parentis commodum convellere, cujus exemplo docuit nos Deus, naturam parvo contentam eſſe, & bene Maronem*

monuisse, laudato ingenio rura, exiguum colito. Hunc sequitur *Doctissimus Christ. Schotanus*, qui propositâ aliorum sententiâ subjicit; *At ego hortum fuisse puto, quem colere & custodire poterat unius hominis industria, ad usus suos & familiæ.*

Sententia heic media videtur præterenda, absque certa spatii determinatione.

VI. Placet nobis limatum Magni nostri *Spanhemii* judicium, dum quæ de Paradiso fabulosa, certa, & incerta sunt, curatè distinguens, inter incerta recenset; *quis Paradisi aut Edenis ambitus fuerit, qua capacitas, utique maxima, nec qua tamen omnibus Adami posteris sufficeret.* A quo ipsius *Iunii* conclusio non multum abest, dum spatium horti à Mose non nisi latius definitum esse, hinc *à nobis divinari non posse* notat. Unde vanitatis argumentum est in *Abulensi*, quod sibi ipsi parum tamen constans, ambitum non modo sed & longitudinem Paradisi ad certam sive centum sive quadraginta sive triginta sive duodecim leucarum mensuram determinat; Paradisum non nisi ab electis habitandum, nec animalibus ullis in Paradiso opus futurum fuisse, & similia plura argumenta sententiæ suæ adducens, *in Gen.* II. *Quæst.* 9. & XIII. *Quæst.* 98. Nolim autem ego hortum, ipsius Dei manu plantatum, & in usum quidem communis terrarum Domini, conferri cum illis, quos ab ævo humana ordinavit industria, si vel spatiosissima potentissimorum Regum mihi propositeris viridaria; multum enim inter Deum & homines, omnium Regem & exiguæ alicujus terræ portionis Dominum, interesse semper deprehenditur. Nolim hinc eum restringi ad usus unius Adami, & exiguæ adhuc familiæ; cum nullam posteritatis curam habuisse præsumi Deus non potest; & cum de voluptate, & majestate Adami, perinde ut ipsius Creatoris, nobis omninò cogitandum etiam sit. Nolim maximè, ad unius hominis industriam limitari Paradisum, nisi de primi hominis robore, & terræ ante peccatum facilitate. & animalium omnium mansuetudine, justo fortè majora supponantur. Neque putem ex mandata Adamo cultura & custodia horti plus quam ejus officium posse colligi, quod cum perinde videatur & incubuisse Evæ, & incubiturum fuisse posteris, malè ex hoc officio spatium horti determinatur. Animalium ad Adamum adductio, quæ juxta Mosaicæ narrationis filum in Paradisum fuit, majus etiam spatium exigit; perinde ut Adami ab Eva in tentatione absentia. Nec quidquam porro est, quod nimis angustos hic nos doceat fingere limites, in Adami commodo, cui non ad molestiam aut fatigationem, quantum etiam fuerit horti spatium, sed ad volupta-

luptatem tantum laborandum fuit. Verum tamen non licet ad plures regiones, Asiaticas aut Africanas, imò ne ad integram quidem Hedem hortum hunc extendere, quem, quicquid confundant aliorum Scripturæ locorum παρεξηγήσεις multi Interpretes, in Hedenis tantum parte collocat, atque adeò ab Hedene distinguit Moses. Et est omnino verisimile, si in integritate perstitisset Adamus, quod tamen non futurum Deus & prævideràt & decreverat, illum non modo in cœlum translatum posteris Paradisum fortè relicturum, sed & cum posteris orbem etiam reliquum possessurum fuisse; ut propterea necesse non sit Paradiso capacitatem totius generis humani simul tribuere. De Fluviis vero quatuor, ac Paradisi cum his conjunctione, hactenus non est dicendi locus. *Non admittendam puto eorum opinionem, qui omnem Armeniam, Syriam, Mediam, Persiam, &c. Paradiso attribuunt. Fuisset ille orbis aliquis, non hortus*, inquit Venerandus Theologus *Gisbertus Voetius Disp. Sel. de Creat. VI.*

CAPUT QUINTUM.

Quo per plurimas & diversissimas de Paradisi Situ in Terra sententias distinctius itur.

Præcipua Quæstio proponitur de Loco & Situ Paradisi, una cum methodo servanda in hujus inquisitione ulteriori.

Atque sic ad præcipuam venimus quæstionem, quæ est de Loco & Situ Paradisi in superficie globi terrestris; quæ uti vetus, & variis tum antiquorum tum recentiorum altercationibus agitata est, ita ad intelligentiam textus Mosaici, atque examen fabularum Pontificiarum, & cognoscendam primam Antediluvianorum sedem, haud parum utilitatis adferens, inter merè curiosas non est numeranda. Narrat ex *Cæsario*, Gregorii Nazianzeni fratre, cui tamen ipsi *Dialogos* eos Eruditi quidam potius tribuunt, *Nicolaus Abramus*, Jesuita Mussipontanus, in *Pharo Vet. Test. Quosdam Ægyptios ad investigandam Paradisi sedem, per fluvium Geon, quem profani Nilum appellant, diu multumque adverso flumine navigasse: postquam autem tempore longissimo navigaverant, deveniisse in loca quædam solis ardoribus exusta, ubi totum flumen ita ferveret, ut ne extremis quidem digitis ejus aquas attingere possent, coactos retrocedere, consumptoque viatico, mutata retrorsum navigatione,*

ne, nullo tam difficilis viæ pretio in patriam rediisse. Vanitatis institutum arguit Autor, quod Tigri & Euphrate prætermissis Nilum scrutari maluerint; cum nec per illos Paradisum eos reperturos fuisse, hodie experientia constet. Tutiorem nos imò tutissimam viam pressuros putamus, si cum eodem *Abramo* rem hanc primò referamus ad Senatum, Patresque conscriptos consulamus; si dein loci notas situsque certa indicia ex Mose producamus; si tandem ex horum applicatione judicium de opinionibus singulis faciamus. Quibus absolutis patebit, an *Orientis Provinciam*, in qua plantatus fuit Paradisus, perinde ut alia multa, *vehementer incertam* rectè dixerit, & ad eam meritò applicaverit *David Pareus* dictum *Augustini*, *præstat dubitare de occultis, quam litigare de incertis.*

Sententiæ quædam minus probabiles, de Orbe Altero trans Oceanum, aut Novo Orbe, aut Continentis nostræ partibus nonnullis, tanguntur.

II. Nescio an operæ pretium sit futurum, ut scrupulosè omnium hic illarum opinionum instituamus recensionem, quæ aut vanissimis nituntur conjecturis, aut incertis atque obscuris tribuuntur Autoribus. Et per quas Paradisus quandoque in nostra Continente, quandoque in Orbe Novo & Insulis nunc cognitis, quandoque etiam in altero trans Oceanum Orbe inaccesso collocatur. Postremum hoc quin multis placuerit antiquis Patribus, qui simul cœlestem Paradisi altitudinem asserunt, dubitari non potest. De *Ephremo Edesseno* clarum id est ex *Mose Bar Cepha de Parad. Part.* I. *Cap.* XIII. ubi à *Masio* versus scribit Ephraimum dixisse; *Paradisum universam ambire terram, atque ultra Oceanum ita positum esse, ut totum terrarum orbem ab omni circumdet regione, non aliter atque Luna Orbis lunam cingit.* Quamquam autem ille universalis terræ & Oceani ambitus non adeò ab aliis inculcetur; plures tamen Oceanum Paradisum inter & terram nostram interposuerunt. Unde primis parentibus procera gigantum statura tributa, ut in nostram ejiciendi terram vadosum mare transire possent. Et concludit *Glossa Ordinaria*, adscripta *Strabo Fuldensi*; *ubicunque situs est Paradisus, scimus eum terrenum esse, & interposito Oceano & montibus oppositis remotissimum esse ab orbe nostro.* A Veteribus hic non prorsus abludere videntur, qui *Americam* Paradisi sedem statuisse dicuntur, Novum scilicet Orbem, aut etiam in *Fortunatis Insulis* Africæ adjacentibus, vel *Taprobana* & *Ceilano* Asiaticis, ob Gangetici forte sinus viciniam, eum collocarunt, Mare utique vastum interponentes omnes. Et ne de Interpretum dubites industria indefessa in quærendo per omnem terram beato horto, deprehendes apud *Abra-*

mum

Digitized by Google

mum nonneminem, qui in Belgii Atrebatenſi Comitatu apud urbem Heſdinum, ob nominis, & fluvii prætercurrentis forte vicinitatem, ſe Paradiſi locum reperiſſe autumavit. Neque tandem *Sinenſium* terra hic plane prætermittenda videtur, in quorum fluvio maximo Chamdan fertur arbor ingens & ſublimis, ferroque conſtans, propè quam ſedeat homo, fluvium compellans, ut *ſemitam Paradiſi*, atque *ex fontibus ejus emanantem*, eumque *hominibus oſtendentem*. Quæ nugamenta ex *Geographo Nubienſi* producit Doctiſſimus Vir *Chriſt. Schotanus*, nec tacuit *Huetius*, qui *El Idrin* hunc *male Nubienſem appellari* monet, *cum ſatis appareat ſubditum ipſum natum eſſe Rogeri* II. *Regis Siciliæ*, dum *Schotanus* ipſum *opus ſuum ſcripſiſſe* vult *regnante Rogerio* I.

III. Sufficiet nobis juſto ordine propoſuiſſe præcipuas cum ſuis munimentis ſententias aliquot, quæ applauſum hodie adhuc reperiunt apud homines non indoctos. Inter quas ut prima recenſeri poteſt illa *Theodoreti*, *Auguſtini*, *Ugonis*, *Bellarmini*, *Tirini &c.* quæ *locum terreſtris Paradiſi à cognitione humana remotiſſimum eſſe* dicit, ut habet inſcriptio *Capitis* XII. apud *Bellarminum*, ex *Auguſtino* ſumpta *Lib.* VIII. *de Gen. ad lit. Cap.* 1. Reſpondet ex hac hypotheſi ad difficultatem de fluviorum ortu *Theodoretus Quæſt.* XXIX. *in Gen.* meatus eorum ſubterraneos abditos eſſe, ut amputaret ſuperfluam curioſitatem Deus, neque conarentur hi fruſtra, eorum ripas proſecuti, locum Paradiſi perluſtrare. Adjicit *Salianus* in Annalibus *Thomam*, *Valentiam*, *Delrionem*, & *ſi qui alii*, inquit, *qui videntur mole difficultatum ſuperati manus dediſſe, & ad hoc, quod vocant, ignorantiæ aſylum confugiſſe.* Ex noſtris præter *Muſculum* ac alios videtur accedere *Pareus*, qui conſideratâ Paradiſi topographia Moſaica, *de ea* fatetur *Moſis ætate haud dubiè aliquatenus conſtitiſſe, nunc vero nullam Geographiam eam nobis exhibere poſſe*; hinc *locum Paradiſi dubium manere atque incognitum, niſi quantum conjecturis aliquid de eo cognoſcitur.* Diſcrimen autem eſt inter hujus ſententiæ fautores inprimis triplex. Quod ſcilicet hi generalius in Oriente Paradiſum juxta Moſen collocent, quod *negari non poſſe*, ſcribit *Salianus*, *in tanto Scripturæ & Patrum conſenſu*; illi verò מקרם vertentes *à principio*, neque hanc determinationem admittant. Quod hi hortum ipſum hodieque ſupereſſe, nec aliam ob rationem, quam ob montium intetpoſitorum altitudinem, aliaſque itineris difficultates, inacceſſum velint; illi verò per aquas

Autores recenſentur qui locum Paradiſi prorſus latere volunt, cum diſſenſu mutuo, & rationibus variis.

diluvii, & hortum ipsum sublatum, & fluviorum cursum omnem mutatum esse, contendant. Quod hi denique hypotheses præterea alias habeant, ut est Enochi & Eliæ in Paradiso mora, quibus in hac assertione serviunt; illi verò textus Mosaici difficultate simpliciter urgeantur. Huc enim summa argumentorum, quæ adferuntur, redit; nusquam fluvium unum ex Heden egredientem jam reperiri, qui in quatuor fluvios sic dictos, & sic currentes, ut describit Moses, dividatur; Enoch um & Eliam à communione hominum segregatos, juxta *Syracidem Cap.* XLIV. juxta traditionem Presbyterorum, qui Apostolos audiverunt, apud *Irenæum Lib.* V. *Cap.* 5. & juxta gravissimos Autores, in Paradiso adhuc vivere; describi tandem ita à Patribus hunc hortum, ut fuerit in eo ver perpetuum, nulla frigora, nulli æstus, nullæ pluviæ, grandines, nubes &c. qualem statum in terra alibi cognita non deprehendimus. Ad quæ omnia accedit, quod observat *Jac. Tirinus*, ex justitia Dei fluere hoc *in pœnam peccati*, ut lateat locus ille felicitatis.

Ab aliis collocatur Paradisus in Terra Australi, sive hodierna, sive antediluviana, cujus ex Burnetio diversissima facies exhibetur.

IV. Secundum locum damus illi sententiæ, quæ Paradisum collocat in Terra Australi, sive hodierna, sive qualis olim fuit ante Diluvium. In quam sententiam videtur scripsisse *Tertullianus*, Paradisum *materia*, vel *macerie*, *quadam igneæ illius zonæ à notitia orbis communis esse segregatum. Apolog. Cap.* XLVII. Nec abludit magnoperè *Moses Bar Cepha*, quando terram *in duas maximas partes* dividit, unamque *terram Paradisi*, alteram *extra Paradisum* vocat. Secutus ut videtur *Ciceronem*, *Plinium*, *Melam*, *Achillem Tatium*, ac Veteres alios, qui terram in medio dividi dixerunt per Zonam Torridam, *solis orbitam*, *exustam flammis*, *propter sideris incendium*, ut loquitur *Plinius Lib.* II. *Cap.* 68. imperviam. Partem *alteram Antichthones*, *nos alteram incolimus*, inquit *Mela*, *illius situ ob ardorem intercedentis plagæ incognito &c.* In quem locum lectu dignissima est Viri Clarissimi *Isaaci Vossii* de Veterum circa terræ orbem hypothesi observatio. Accedere etiam ad hanc sententiam videntur, quotquot ex Christianis, seu antiquis seu recentioribus, flammantem gladium ad introitum Paradisi positum de Zona Torrida, inhabitabili creditâ, explicarunt. Hanc verò imprimis accipit nuperus doctusque scriptor Anglus T. *Burnetius*; sed monstrosam præstruens de universa Terra Antediluviana hypothesin, per quam veram methodum doctrinæ Paradisiacæ se instaurasse gloriatur, & de qua haud prorsus perfunctoriè diximus *EXERC. TEXT. II. Part.* II. *ad Genes.* VII.

VII. 10. 11. Itaque vult ille aliam prorsus totius Orbis Terrestris ante Diluvium fuisse faciem quam nunc est; terram illam primam undique abyssum circumdedisse, planam ubique & continentem, absque montibus, vallibus, maribus ullis; concreviſſe primum ex pinguioribus particulis, aquæ innatantibus, quæ subsidentis in medium terræ faciem tegebat, atque descendentibus ex aëre pulviſculis; formam ejus fuisse oblongam versus polos, situm rectum in ecliptica; hinc fluxisse perpetuam & vernam cœli æquabilitatem, hinc terræ inditam aptitudinem ad plantas & animalia omnia sua sponte producenda, hinc ortam incolarum longævitatem; hinc, quamquam nullæ ob aëris æqualitatem essent vel pluviæ, vel venti vehementiores, extractos tamen per continuum solis calorem vapores, eosque cum non haberent aliud spatium, quo se æquè facilè repanderent, versus polos leniter fuisse motos, ac ibi tum loco frigidiore condensatos, perenni rore in suppositas decidisse terras; inde ortam per aquas decidentes, & à polis ob longitudinem altioribus versus Æquatorem fluentes placide, facilem terræ irrigationem, ita tamen ut aquis à terra intermedia & cœli ardore absumptis, illa ad Æquatorem non pertigerit, sub quo sita terra tunc propterea fuerit plane inhabitabilis & inacceſſa. Qui rerum status eousque duravit secundum hunc Autorem, donec aquis inferioribus abyssi per penetrantem solis calorem resolutis, & crusta terrestri variis in locis dehiscente, superficies terræ fracta aquarum abyssum supra se admisit, omnia susque deque tam miserè præcipitantem, uti illa absque ulla elegantia, decore, aut ordine, hodie constituta deprehendimus. Quale Diluvium ex constitutione globi terraquei plane necessarium passi etiam sint aut patientur reliqui Planetæ, Saturni compage juxta polos tantum delapsa. Atque has quidem & alias plures huc spectantes hypotheses, à priori & posteriori, uti gloriatur, demonstratas dedit, firmat multis modis veterum Gentilium & Christianorum traditio, comprobatque Scriptura *Geneſ.* I. 6. 7. II. 5. 6. VII. II. *Proverb.* VIII. 23. 27. *Job.* XXXVIII. 5. 8. II. 2. *Petr.* III. 5. 6. 7. Quem *Sancti Petri locum nemo illi unquam extorserit.*

Alii multi constituunt Paradisum in extremo prorsus Oriente, cum notabili tamen diversitate.

V. A Terra Australi ad Orientem properamus extremum, ubi Mosaici textus intuitu, cum propius illum non reperirent, hortum Hedenis, sive sub Æquinoctiali, sive ad partem septentrionalem post Tropicum Cancri, alii quæliverunt, & hic tamen

ultra Æquinoctialem verſus meridiem tranſilientibus aliis. Ita poſt longam diſputationem concludit *Guilielmus Pariſienſis Part. I. de Univerſo Cap.* LVII. *Manifeſtum eſt, Paradiſum terreſtrem eſſe magnam partem totius corporis terræ, & eſſe in extremis finibus orientis, & eſt veriſimile, quod ipſe ſit extremitas terræ à parte orientis.* In quam rem idem laudat originem *Nili*, quem *ab extremis orientis finibus fluere* inventum eſſe dicit. Haud aliter judicat *Abulenſis Quæſt.* IX. *in Gen.* II. ad ſeptentrionalem orientis partem Paradiſum collocans, quod nullus ultra æquinoctialem vel ſub illa videatur eſſe locus habitabilis, & *flumina quæ egrediuntur de Paradiſo intrent terram nobis cognitam Indiam ſcilicet & Armeniam per illam partem*; quomodo ad Sinenſium terram nos ille ducere videtur. Idem dicunt *Alcimi* verſus ſupra adducti; & ſimiles *Marii Victoris*,

Eoos aperit felix qua terra receſſus,
Editiore globo nemoris Paradiſus amœni
Panditur, & teretis diſtinguitur ordine ſylvæ.

Philoſtorgius ſimiliter κατὰ τὸν ἀνατολικὸν λέγει τῆς τῶν Ἰσημερίας δύσεως *Paradiſum ſitum dicit ad æquinoctium orientis*, conjecturâ ſumpta ex loci commoditate, deinde ex *Hyphaſi*, quam in ſacris Phiſon nominari obſervat, lapſu ex Arctois Orientis partibus meridiem verſus. Uti & ex Cariophyllo, ad ripas fluvii invento, cum credant incolæ illius loci hanc arborem ex lignis Paradiſi eſſe; item ex inditâ fluvio virtute ſanandi ardentiſſimas febres, quæ indicium præfert terreni cum Paradiſo commercii &c. uti docet *Photius in Epit. Hiſt. Eccleſ. Lib.* III. *Cap.* 10. Tendunt huc vulgo Scholaſtici cum *Durando*, qui monet *dicendum quod Paradiſus terreſtris ſit ſub æquinoctiali*; quem locum ne quis inhabitabilem cum Veteribus diceret, ſubjungit, eum temperatum eſſe, non ex natura climatis, ſed ex ſitu & altitudine. Et quid opus eſt plures addere conſentientes, cum inter veteres Patres multi deprehendantur, ex quibus *Baſilium* & *Gregorium Nyſſenum* laudat *Bar Cepha*, qui ex hac de Paradiſo opinione derivant ritus Chriſtianos, templa exſtruendi, in baptiſmi confeſſione ſe convertendi, & orandi, verſus Orientem. Qui ritus, cum Orientalibus etiam Chriſtianis fuerint communes, hac perſuaſione ſi nitantur, Paradiſum in ultimo Oriente neceſſario collocant. Fatendum eſt interim, iſtorum rituum alias etiam nec minus probabiles ratio-

rationes, & apud antiquos reperiri, quorum loca habet cum aliis *Baronius ad A. C.* LVIII. *Num.* 106. 107. & dari omnino, de quibus vide præter alios *Vossium de Orig. Idol. Lib.* II. *Cap.* 3. & lege curatissimam *Cel. Spanhemii* nostri *Dissertationem Tom. II. Lib.* VII. Si vero hic rogas rationes, ob quas in Oriente extremo collocetur Paradisus, illæ jam in antecedentibus fuerunt memoratæ; & accessit dubio procul communis illa persuasio, de *Oriente πασῶν τῶν ἄλλων μερῶν τῆς κτίσεως præstantiori aliis creaturæ partibus*, unde Apostolicam orandi versus Orientem praxin etiam deducit *Auctor Quæstionum apud Justinum Quæst.* CXVIII. *ad Orthodoxos.*

Alii iterum in Occidentali Asiæ parte, Jordani proxima, seu Palæstina.

VI. Ab Oriente revertimur ad Occidentalem Asiæ partem, Mari Mediterraneo vicinam, Palæstinam scilicet, in cujus orientali tractu ad ripam Jordanis Adami sedem figunt Viri Doctissimi. Existimant hi, hortum hunc *ad Lacum Genesar & Asphaltiten situm, Convallem illustrem, sive Campum Magnum, Jerichuntinam plagam, & magnam Galilææ partem, amplexum esse*, uno verbo *totum illum tractum, quem Jordanes a Genneſar ad Sodomiticam regionem perlabitur.* Non est dubium, quin huic sententiæ præluserint Judæi, qui *portam Paradisi vicinam* dixerunt *monti Moriæ*, ut est apud *Eliezerem Cap.* XX. Quemadmodum & illi Veterum, qui Adamum creatum voluerunt in Agro Damasceno, non admodum ab hoc tractu dissito. Integrum operis sui *Librum Secundum* nominatus antea Jesuita *Nicolaus Abramus* sententiæ hujus dat demonstrationi, atque post rejectas veterum & recentiorum opiniones alias prolixè contendit; communicationem fluentorum quatuor cum fluvio Edenis esse subterraneam, atque fluvium hunc indubiè Jordanem; ex nomine, derivando à יאר עדן / quod *fluvium Hedenis* notat, ex situ orientali & medio inter septentrionales illinc Tigris & Euphratis, australes hinc Pisonis & Geonis fontes, imo medio in terrarum orbe, ex Scripturæ locis quibus Jordanes cum Pisone Tigri Euphrate & Geone jungitur, ac convallis illustris Paradisus Dei ad orientem dicitur *Eccles.* XXIV. 35. 36. *Gen.* XIII. 10. 11. ex utilissima ejus restagnatione, ex flexibus mæandrisque perpetuis, ex vicina Adami creatione habitatione & sepultura, ex aquæ Jordanicæ incorruptibilitate, etiamsi per totum terrarum orbem deferatur, teste *Villamontio*, ex Jordanis denique in meatus subterraneos lapsu memorato passim Auctoribus, hinc commodo, ut ad capita seu fontes aliorum fluviorum volvatur. Adjicit ex *Strabone*,

ne, *Plinio*, aliisque, fluvium, nomine *Paradisum*, ad radices Libani scatentem; urbem etiam in Cœlesyria cognominem fluvio, ex *Plinio*; Regem Tyri in Heden constitutum *Ezech.* XXVIII. 13. Hedenis ligna Libano adscripta *Ezech.* XXXI. 16. Heden in Syria Damascena memoratam *Hamos* I. 5. nomen *Geneſar* compositum ex גן & שר / adeoque vel *hortum principem* vel *hortum principis* notans; loci illius amœnitatem, & fertilitatem, etiam in producendis miris *Paradisi Pomis* apud *Brocardum*, & ferendo celebratissimo Balsamo; pleniſſimam tandem cœlestis gratiæ in mortales exuberantiam, quæ inde fluxit. Quibus omnibus absolutis, sententiam suam à novitatis vitio liberat, adducens *Jacobum Naclantum Episcopum Clugiensem*, qui sententiam eandem confirmet ex eo, quod terra promissionis sit percelebris in divinis literis, & typus cœlestis patriæ, & ibi Christus, vera arbor vitæ, ortus, & inde lex, bonum & malum discernens, nullique mordenda, profecta sit. *Marianam* item, *Iarden* per *Iaar Eden* explicantem, veteres nonnullos ab *Athanasio* confutatos *Qu.* XLVII. *ad Antioch.* qui Jerosolymis Paradisum collocabant, tandem *Ciruellum Doracensem & Alphonsum à Vera Cruce*, fide *Cornelii à Lapide* hos quidem postremos. Sententiæ etiam hujus fautorem *Cel. Spanhemius* adduxit *I. Herbinium de Cataractis Lib.* III. *Diss.* 5. Neque dubium est, quin eidem magnum addat pondus Doctissimi & Celeberrimi hodie Theologi *Ioh. Henrici Heideggeri* consensus, quem testatus est *Histor. Patriarch. Tom.* I. *Exerc.* IV. *Pos.* 42. iisdem propemodum cum *Abramo* argumentis usus.

Vulgatissima hodie sententia in aliqua Babyloniæ aut Mesopotamiæ parte Paradisum ponit.

VII. Vulgatissima hodiè agmen claudat opinio, quæ in Babyloniæ aut Mesopotamiæ parte aliqua hortum Hedenis collocat. Tribuitur hæc vulgò ut primo Auctori *Augustino Stencho*, patriâ *Eugubino*, Chisamensi ante præcedens seculum Episcopo, qui & ipse gloriatur, *se rem neque ab Hebræis, neque Græcis, neque Latinis repertam deprehendisse.* Hanc sequitur *Calvinus* noster, & comprobat *Iosephus Scaliger*, qui *Lib.* V. *de Emend. Temp. nihil hac expositione aptius, nihil hac sententia summi sacrarum literarum Interpretis verius aut doctius dici posse*, imo *primum fuisse Iohannem Calvinum, qui feliciter τὸτο ἐφαρέσατο*, scribit in *Epist. ad Ioh. de Laat.* In hanc ruunt ex Pontificiis *Pererius*, *Cornelius à Lapide*, *Vatablus*, *Torniellus*, *Genebrardus*, *Salianus*, *&c.* ex nostris *Zanchius*, *Martyr*, *Junius*, *Piscator*, *Diodati*, *Rivetus*, *Voetius*, *Schotanus*, & turba omnis Interpretum. Atque hanc com-

commendarunt etiam nuperrime Galliæ Reformatæ & Papisticæ decora duo, *Sam. Bochartus in Epist. ad Lud. Cappellum*, novæ editioni *Geographiæ Sacræ* præmissa, atque *Petrus Dan. Huetius in suo Tractatu de Situ Parad. Terrestris.* Rationes adducunt hi Auctores complures, generales, & speciales magis. Hanc Terræ partem, tum Ægypti, tum Deserti, tum Judææ respectu, dicunt esse Orientalem, & sub hoc nomine in Scripturis venire. Hanc prædicant ab eximia fertilitate, quam fluvii, sive pinguedinem temperando, sive augendo, conferunt. De Mesopotamia præter *Dionysium Periegetem*, *Curtius Lib.* v. *tam uberi & pingui esse solo, ut à pastu repelli pecora dicantur ne satietas perimat.* De Babylone *Plinius Lib.* XVIII. *cap.* 17. *Bis secant, tertiò depascunt, alioquin folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquagesimo fœnore messes reddit exilitas soli; verum diligentioribus cum centesimo quinquagesimo. Neque est cura difficilis, quam diutissimè aqua rigandi (aquari gaudent, vel aquâ rigantur*, forte juxta alios legendum) *ut præpinguis & densa ubertas diluatur. Limum autem non invehunt Euphrates & Tigris sicut in Ægypto Nilus, nec terra ipsa herbas gignit. Uberratis tamen tantæ sunt, ut sequente anno sponte restibilis fiat seges, impressis vestigio seminibus &c.* Hanc observant sedem fuisse Noachi & hominum post Diluvium primam. Hic sitam volunt Hedenem, quæ cum Charran Mesopotamiæ urbe jungitur Ezech. XXVII. 23. *Jes.* XXXVII. 12. 2 *Reg.* XIX. 12. Hic conspici fluvios, Phrat. & Hiddekel, sive Euphraten & Tigrin ex communi ferè consensu, divisos primum tum & conjunctos. Vel non esse propterea necesse, ut Pisonem & Geonem, sive obstructos, sive ob mutata nomina & alveos incognitos, indicemus; vel posse duos dici alveos aliquos Euphratis supra vel infra Babylonem. Ubi & Tigrin nomen suum in illud *Pasitigris* mutare ex *Plinio* & *Curtio* observatur; quod *antiquæ appellationis vestigium esse* vero non absimile judicat *Calvinus.*

VII. Non est interim existimandum, Autores hos omnes, aut in explicandis his fluviis illorumque cursu, aut in ipsa regione, hac vel illa vicina, aut in regionis sive Mesopotamiæ sive Babyloniæ hac vel illa parte, aut in horti situ cis vel ultra fluvium, aut in fluvii divisione supra vel infra hortum, inter se planè convenire. Imò sunt hic lites infinitæ; *nec est*, inquit, *Celeberr. Spanhemius, conjecturis Criticorum locus, quibus non finis unquam erit aut modus.* Autorum horum multiplex adhuc dissensus inter se annectitur.

Cal-

Calvinus per Piſonem & Geonem oſtia duo intelligit, per quæ Tigris & Euphrates poſt conjunctionem in Sinum Perſicum effluunt, nixus autoritate *Strabonis*, diligentis & attenti ſcriptoris; nec curat, an infra confluentem habitaverit Adam, an in ſuperiori agri irrigui parte. Neque de fluviis aliter in ſumma rei ferè judicavit, vel *Scaliger*, vel *Bochartus* & *Huetius*; quamquam hi oſtii orientalis & occidentalis nomina permutent. *Franciſcus Junius* paulo aliter inſtituit, ac ex *Ptolomæo* Babyloniam in tres dividit partes; *Amordaceam* Sinu Perſico terminatam; *Medianam* junctam Deſertæ Arabiæ, in qua utrâque non quærendus Paradiſus, ob minorem fertilitatem atque ab Aſſyriæ finibus diſtantiam; ſummam denique *Auranitida*, Meſopotamiæ conterminam, cujus nomen ipſi per levem mutationem ex Hedene ſeu *Audanite* ortum. Per Piſonem Naharmalca ſeu βασίλειον intelligit, qua ſub Apameam in Tigrin delabitur, ut terminum orientalem; per Gihonem Naharſarem ſive Baarſarem ſive Maarſarem ſive Marſiam, Edenis ab occidente terminum, Edenem à Chaldæa reliqua diſterminantem; per Hiddekel ſuperiorem Naharmalcæ alveum, qui ſupra Seleuciam influit in Tigrin; per Euphraten denique fluvium, qui Edenem & Babylonem urbem mediam ſecabat. Hortum ergo in orientali parte Edenis trans Babylonem collocat ſecundum Baſilium & Tigrin. In curſu fluviorum falſum eſſe *Calvinum* Theologiæ quam Geographiæ peritiorem, ſcribit *Chriſt. Schotanus*, non uno etiam modo *Junio* obloquens. Heden hic urget nullatenus Chaldææ ſeu Babyloniæ eſſe partem; quod ab ea evidenter diſtinguatur, & à Rege Chaldeæ in expeditione extra ſuum regnum fuerit domita 2. *Reg.* XIX. 12. & celſiſſimas multas habuerit arbores *Ezech.* XXXI. quæ in Chaldæa nullæ. Conſtituit Ille igitur Hedenem in Meſopotamia Aſſyriæ vicina, unde egreſſus fluvius hortum irrigabat, qui poſtea in Euphratem lapſus quatuor faciebat capita, ita ut ramus Euphratis Babylona ſecans Gehon fuerit. Nodum vero hunc omnem ſecat, uti antea etiam vidimus, *Matthæus Beroaldus* in *Chronico* ſuo, non modo per Hedenem Syriam intelligens, Arabiam etiam & Meſopotamiam complectentem, ſed & fluvios ferè pro arbitrio ordinans, & textum Moſis fluvium in ſingulari memorantis exponens, *quaſi diceretur; fluvii qui ex ſuperioribus & diverſis locis influebant in regionem Edenenſem, poſtea commeabant in illum hortum conſitum in Edene, ut iis rigaretur, cum eſſet ampliſ-*

pliſſimus, egeretque multo humore & rivis quam plurimis. Quare acerrimè in illum invehitur *Scaliger*, cujus *libro nihil ſit inutilius aut quod pluris interſit ignorari*, & qui *inanibus futilibus & ineptis conjecturis novam Chorographiam comminiſcatur.* Videtur tamen *Beroaldum* nuper adhuc magnoperè ſecutus eſſe *Ioh. Clericus*, quando Heden ipſe interpretatur *Syriam*, ſed addit; *Etiamſi Hedenis & Paradiſi nomina ad loca quædam haud ampla Syriæ poſteris ſæculis pertinerent, attamen antiquiſſimis temporibus ea potuiſſe vaſtas regiones complecti, ut quæ à Syriaco Mari ad Tigrin vergunt, præſertim initio rerum quo incultis regionibus nulla erant nomina.* Hinc ille *Phiſchon* per conjecturam reperit in *Chryſorroa* Damaſcenorum, *Gichon* dein in *Oronte* alluente Caſſitidem, *Chiddekel* adhuc exponens de *alio Trigidis alveo qui hodie nullus eſt.* Sed iſta omnia magis diſtincte ad ſingulorum fluviorum declarationem erunt proponenda. Quid enim de his omnibus judicandum puremus, & maxime rei veritati conſonum videatur, in ſequentibus declarabimus.

CAPUT SEXTUM.

Quo Characteres Tres generales Terræ Paradiſiacæ monſtrantur.

Characteres topographicos Paradiſi quando ex Moſe nunc producendos habemus, poſt productas præcipuas de ejus Situ opiniones, occurrunt illi nobis generales partim, partim ſpeciales magis. Priori nomine complectimur qualitates ſoli, quæ cum pluribus in locis frequenter eædem aut ſimiles deprehendantur, ſolæ locum Paradiſi nobis indicare nequeunt; cum tamen ubique non ſint eædem, hactenus chracteribus annumerari merentur, quatenus pro certo id habere licet, ibi non fuiſſe Paradiſum ubi hæ deſunt prorſus, imo quatenus probabilem de loco Paradiſi conjecturam ſuppeditant, reliquisque characteribus illuſtrandis faciunt. Characteres Terræ Paradiſaicæ generales alii, aliique ſpeciales.

II. Atque hic quidem ex Moſe primum notamus loci *Fertilitatem*, quam ſignificat ipſe, & indirecte, & directe. Facit enim huc dubio procul irrigatio, & horti hujus & regionis totius, per fluvium vaſtiſſimum & in quatuor inſignia flumina ſe diffunden- Character generalis primus eſt terræ magna Fertilitas.

tem. Quippe quantum ex fluviorum irrigantium vicinia pinguefiat & fœcundetur terra, & experientia perpetua & ratio facilè docet. Facit huc præterea animantium ad Adamum adductio, quam aut in Paradiso aut circa Paradisum contigisse dubitari non potest; quamque terræ fertilitatem ad sufficiens illorum nutrimentum supponere non minus clarum est. Directè autem Moses narrat, quod *fecerit Iehovah Deus germinare ex terra omnem arborem concupiscibilem aspectui & bonam in escam Genes.* II. 9. subintelligendis omnino synecdochicè fruticibus & herbis reliquis. Unde abundantiam planitiei Jordanis à simili æque terræ Paradisiacæ quam Ægyptiacæ idem commendat *Gen.* XIII. 10. Dimanavit etiam longè lateque inter gentes tractus hujus stupenda prorsus fertilitas, de qua cecinisse Poëtas gentilium, *Hesiodum*, *Virgilium*, *Ovidium*, *Lucretium*, *Tibullum*, *Senecam*, plures, Aureum scilicet Seculum ac Tellurem recentem commendantes, quis amplius dubitet? ubi apud hos legerit;

——————— Ἐθλαὶ ἦ πάντα
Τοῖσιν ἔἰω, καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον, &c.
Ipsa quoque immunis rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus,
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant &c.

Quæ ne inter mera Poëtarum figmenta quis habeat, pariter ea legi possunt apud Philosophos, ac inter hos *Platonem* maximè, qui *in Politico* sic *Hospitem* hominum sub Saturno viventium felicitatem *Socrati* exponentem introducit; καρπὸς ἦ ἀφθόνους εἶχον ἀπό τε δρυῶν, καὶ πολλῆς ὕλης ἄλλης, οὐχ ὑπὸ γεωργίας φυομένους, ἀλλ' αὐτομάτης ἀναδόσεως τ γῆς. *Fructus verò illis*, ita reddit *Marsilius Ficinus*, *& poma & fruges abunde arbores & fertile solum sponte sua absque agriculturæ opera suggerebant.*

III. Cum fertilitate apud Mosen jungi reperimus Amœnitatem insignem, quandò præter vicina flumina, atque adductorum animalium oblectamenta, *omnem* nominat *arborem aspectui concupiscibilem.* Quæ, Deum per prosopopœjam introducens, eleganter παρρησιάζεται *Josephus*; *Equidem prospexeram vobis, quomodo vitam felicem, omnisque mali expertem viveretis, nulla nova cura in animo solicitati,* πάντων δ' ὑμῖν αὐτομάτων, ἵνα θεὸς ἀπόλαυσιν καὶ ἡδονὴν συν-

Secundus ejusdem summa Amœnitas.

συνπλεῖ, καὶ τὰ ἐμοὶ ἀνιόντων φύσεσιν χωρὶς ὑμετέρου πόνου καὶ πλάνης, *omnibus quæcunque ad usum & voluptatem conferunt sua sponte vobis provenientibus, mea unius providentia citra omnem vestrum laborem aut sollicitudinem.* Faciunt præterea ad commendationem Amœnitatis terræ paradisiacæ tribuendæ, quæ apud *Iesaiam* pariter & *Ezechielem* leguntur comparationes cum amœnissimis tractibus *Ies.* LI. 4. *Ezech.* XXVIII. 13. XXXI. 9. &c. Ne de nomine *Hedenis* nunc dicam, quod certe regioni verius hæsit ab ornatu voluptate & deliciis, uti suo loco fuit assertum, quam ut ornatus hinc appellationem traxerit. Quamquam, si & illud conceditur, Hedenem terram præ reliquis ob ornatum & voluptatem celebrem fuisse necessum sit, cum illa hinc nomen acceperit, etiam apud Græcos, ut sonus vocis ἡδονῆς & paronymorum sufficienter arguit. Celebris quoque est loci hujus amœnitas apud Poëtas, quando mira fabulati sunt de horto Alcinoi, de hortis Adonidis & Hesperidum, de Campis Elysiis, de Olympo, quibus omnibus, uti & Platonico Jovis Horto, respici ad Adami sedem, conjectura dicam an observatio est Virorum Doctorum Veterum & Recentiorum ante laudata. Aureo Seculo non minorem illi Amœnitatem, quam fertilitatem tribuerunt, sive fabulis, sive hyperbolis perpetuis, rei veritatem hic augentes, cum *Ovidio*, loco modò adducto *Metam. Lib.* I. *Fab.* 3.

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.
Flumina jam lactis jam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Quæ plane ad terram Paradisi applicarunt veteres Christiani, ac præ aliis quidem *Alcimus Avitus Viennensis*, Seculi Sexti ineuntis Scriptor Christianus, cujus versus *de Orig. Mundi ex Bibliotheca PP. Tom.* VIII. hic subjicimus.

Non hic alterni succedit temporis unquam
Bruma, nec æstivi redeunt post frigora soles &c.
Hic ver assiduum cœli clementia servat.
Turbidus auster abest, semperque sub ære sudo.
Nubila diffugiunt, jugi cessura sereno.
Nec poscit natura loci, quos non habet, imbres,

Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne ſolum, terræque benigna
Blanda nitet facies, ſtant ſemper collibus herbæ &c.

Tertius denique Arborum præcellentia & multitudo.

IV. Præter amœnitatem in communi tertiò etiam notare licet Arborum præcellentiam & multitudinem in ſpecie, à qua Paradiſi terra commendatur, tum apud *Moſen*, tum apud *Ezechielem Cap.* XXXI. 8. 9. 16. 18. Ubi memorabilis inprimis eſt comparatio *arborum Hedenis* cum מבחר ומוב לבנון / τοῖς ἐκλεκτοῖς ϗ λιβάνῳ, *præclaris atque egregiis Libani*, uti reddunt LXX. & *Vulgatus*; ſiquidem nemo neſcit, Libanum montem præcipuè celebrem fuiſſe arboribus, & utiliſſimis ob præſtantem fructum *Hoſ.* XIV. 8. & gratiſſimis ob ſuaviſſimum odorem *Hoſ.* XIV. 7. *Cant.* IV. 11. & eximiis ob magnitudinem *Pſal.* LXXII. 16. *Jeſ.* X. 34. & memorandis ob numerum, ut lignorum ſtupendam copiam ad extructionem & ornatum templi utriuſque ſuppeditare potuerint 1. *Reg.* V. 6. 14. *Hezr.* III. 7. Appellatio porrò *horti* obvia effecit, ut & Chriſtiani, modo cum *Alcimo, luci*, modo cum *Cl. Mario Victore, nemoris amœni, & diſtincti ordine teretis ſylvæ*, hic meminerint; & ut gentiles cum *Seneca Hippol. Act.* II. de felici ætate cecinerint.

——— *Sylva nativas opes*
Et opaca dederant antra nativas domos.

Quidni inſuper conjicere liceat, ex dicta fama frequentium arborum in eo tractu, in quo familiariter Deo uſus fuerat Adamus, æquè quam ex κακοζηλίᾳ facti Abrahamici *Geneſ.* XIII. 18. XXI. 33. aliisque ſimilibus cauſis, ortam eſſe gentilium conſuetudinem, *ad capita fontium lucosque amœniſſimos victimas immolandi, & omnem pravæ ſuperſtitionis religionem ſervandi*, quam *omnes provincias occupaſſe*, *Hieronymus* notavit *ad Jer.* VII. 31. & quæ tam ſæpe in ſcripturis redarguitur & interdicitur *Deut.* XII. 3. XVI. 21. &c. ut nequaquam neceſſe ſit ad ejus probationem, ſive originem vocis à crebris luminibus ſacris juxta Philologos maximos derivandæ, ſive Aſiaticorum pariter & Europæorum, Druidarum etiam, Germanorum, Lithuanorum &c. exempla, ſive celebres Cereris, Ditis, Palladis, Dianæ &c. lucos adducere. Id ſolum addo, fœcunditatem pariter & amœnitatem terræ Paradiſiacæ frequentes arbores omninò inferre, ob multiplicem harum uſum, cujus intuitu *Plinius* eas *ſummum munus homini datum* dixit *Procem. Lib.* XII. exponens

por-

porro *Cap.* 1. quomodo *mille earum ſint uſus, ſine queis vita degi poſſit.* Reperit certe in iis non modo venter eſcam, ſed & oculus gratum vitorem, olfactus voluptatem, atque corpus univerſum tegumentum & umbram.

CAPUT SEPTIMUM.

Quo de Oriente diſſeritur, in quo Moſes Paradiſum conſtituit.

Verum præmiſſis his ſoli qualitatibus ad ſpecialem magis loci deſignationem veniamus; quam fecit Moſes, collocans hortum hunc primo in *Oriente*, dein in *Heden*, tum prope *Fluvium* unum *irrigantem* illum, ac inde *diviſum in quatuor capita*, à nominibus ſingula ſuis atque reſtarum adjacentium vicinia deſcripta. *Et plantavit Iehovah Deus hortum in Heden*, מקדם / ſic Moſes *Gen.* 11. 8. Non eſt diſſimulandum, id apud *Vulgatum* tranſferri, *à principio*, eodemque ſenſu accepiſſe vocem iſtam Interpretes Veteres Græcos, *Aquilam*, *Symmachum*, *& Theodotionem*, vertentes, ἀπὸ ἀρχῆς, ἐκ πρώτης, ἐν πρώτοις. Imo ipſum, qui nobis hæc fragmenta reliquit, *Hieronymum* interjeciſſe; *Et nos, ab exordio, poſſumus dicere. Tradit. Hebr. in Geneſ.* Ut mittam *Targum Ionathanis*, in quo vox hæc exponitur קדם בריית עלם *ante creationem mundi.* Sed autoritates illæ aliis pluribus facile refelli poſſunt. *Vulgato* opponimus cordatiores Interpretes ex Pontificiis, *Ioh. Benedictum*, *& Ben. Pererium*, inter alios, qui expreſſe annotant, in Hebræo eſſe, *verſus orientem*, & *Kedem ſignificare in hoc loco plagam orientalem.* Tribus Interpretibus Græcis & Chaldaicæ iſti Paraphraſi prævalere exiſtimamus τὸν LXX. qui hic habent κατ' ἀνατολάς, & Magiſtros plurimos qui reddunt cum *Aben Ezra* מפאה מזרח / *à plaga orientali*: nequaquam diſſentiente *Onkeloſo*, quando vertit מלקדמין / quam reddit equidem vocem *Paulus Fagius* per *antea*, notat vero ipſe ſimul, non minus æquivocam eſſe ac Hæbræam. Stant tandem contra *Hieronymum*, notante id *Pererio*, *omnes fere* (forte & vere) *Græci Patres*, utpote verſionem Græcam ſecuti; imò & Latini anteriores, ex recepta enim olim interpretatione *Hieronymus* legit, *contra orientem.* Et ne ſolis pugnemus autoritatibus,

Inter Characteres tres ſpeciales Primus eſt quod in Oriente Paradiſus à Moſe conſtituatur.

bus, pro communi *Orientis* verſione facit; Moſis ſcopus, ſitum horti, non tempus creationis, quod ſic etiam prorſus indeterminatum relinqueretur, deſcripturi; ſimilis vocis ſenſus *Gen.* II. 14. III. 24. IV. 16. ibi neutiquam ad tempus referendæ; frequentiſſima denique uſurpatio vocum קדם / קדמה / קדים / מקדם / pro *oriente* apud Hebræos *Gen.* X. 30. XI. 2. XII. 8. XIII. 11. XXV. 6. XXIX. 1. *Num.* X. 5. XXXV. 3. 10. 11. *Ezech.* XLIII. 17. *&c.* ſive quod ob lucis ortum hæc plaga mundi prior cenſeatur, ſive quod Adamo facie verſus orientem creato, ut volunt Judæi, illa ipſi anterior fuerit. Nec videtur aliud fundamentum habere expoſitio *Vulgati* Interpretis, quam quod alibi *Prov.* VIII. 23. *Hab.* I. 12. *Mich.* V. 2. *&c.* vel antiquitatem vel æternitatem notet vox noſtra; quod, cum ſit hæc πολύσημος, & pro materiæ ratione explicanda varie, infirmum prorſus eſſe liquet.

Qui Oriens intelligendus eſt non reſpectu alterius partis Hedenis, ſed Deſerti vel Canaanæ terræ.

II. Parum autem lucis *Orientis* mentio adferre videtur, niſi porrò conſtiterit, cujus loci aut regionis reſpectu Oriens dicatur plaga hæc. Inter alios Vir Doctiſſimus *Franciſcus Junius* orientalem intelligit Hedenis partem; ac niti videtur tum ordine verborum, uti apud Moſen leguntur, primo *Hedenis* dein *Orientis* factâ mentione, tum proceſſu fluviorum ex Hedene ad irrigandum hortum, qui cum ſit ab occidente verſus orientem prope Babylonem, ſitum arguat in Hedene orientalem trans Babylonem. In hujus ſitus veritatem hactenus non inquirimus. Sufficit obſervaſſe, quod ipſe Vir Doctus, de ſitu horti in iſthac Hedenis parte parum dubitans, circa iſtam expoſitionem Orientis tamen incertus hæreat; *ſive*, inquit, *habita ratione Moſis, dum hæc ſcriberet, Iſraelitarumque verſantium in deſerto, ſive, quod magis probo, ratione Hedenis.* Ita præiit ex Judæis *Iarchi*, מקדם exponens במזרחו של ערן / *in oriente Hedenis.* Et pugnat pro hac exegeſi *Ill. Huetius*, urgens perinde ordinem vocum, & quod ſitus Hedenis orientalis ita notus fuerit, ut eum addi opus non eſſet, dum utile erat partem Hedenis unam ab altera diſcriminari. Interim diſſentire me hac in parte à Viris Doctiſſimis cum Interpretibus aliis libens fateor; cum nulla in textu Moſis ſit reſtrictio ad terram Hedenis, qualis legitur *Gen.* IV. 16. atque Moſi alias & Scriptoribus Sacris familiaris eſt, ubi ad ſpecialem regionem aut urbem reſpiciunt. Quomodò meminit mox Moſes קדמת אשור / *orientis Aſſyriæ Geneſ.* II. 14. קדם לגן ערן / *orientis horti Hedenis Geneſ.* III. 24. קדם לבית אל / *orientis Bethelis Geneſ.*

neſ. XII. 8. קדם לעין / *orientis Hajin Num.* XXXIV. 11. &c. Neque ſequitur profecto illa reſtrictio ex præmiſſa Hedenis mentione, quia abſonum neutiquam eſt ad regionis nomen adjici nomen plagæ in qua ſita ipſa ſit. Quemadmodum poſt terminos habitationis *filiorum* Joctanis *Orientis* ſit mentio *Gen.* X. 30. & Hamalekitæ ac Midianitæ nominati mox deſcribuntur ut *filii orientis Iud.* VI. 3. 33. Quamquam non negaverim complura eſſe loca, ubi *Oriens* ex ipſo contextu neceſſariò referri debeat ad regionem aut urbem aut quemcunque locum proximè nominatum. Cæterum cum reſtrictæ hujus ſignificationis nulla hic ſit neceſſitas, & non niſi latius, miſſis limitibus ſpecialibus, ſitum Paradiſi nobis deſcribere voluerit Moſes, & altera videatur multis Heden memorari inter Syriæ loca ſeptentrionalia *Hamos* I. 5. agnoſceute eam etiam *Huetio*, quin & jungente amplius Adanam Ciliciæ urbem, Eden vicum prope Tripolin, portum Aden &c. præſtare judicamus, ut in familiari apud Moſen & Scriptores reliquos Sacros relatione, ſive ad Deſertum, in quo hærebant Iſraëlitæ, ſive etiam ad terram Canahan, quam ingreſſuri ſpe certâ jam poſſidebant, intelligatur Oriens. Inter hæc duo vix quicquam intereſſe deprehenditur, cum ad meridiem vel orientem terræ Canaan ante ingreſſum vagati ſint Iſraëlitæ, & ſic eaſdem fere tum, quas poſtea, regiones ſibi orientales habuerint. Uſus autem Scripturæ, in deſignandis mundi plagis ad terram Canahan reſpicientis, perſpicua nititur ratione, quod ſcilicet Judæis poſſeſſoribus ejus ut amanuenſibus uſus ſit Spiritus S. Et obvius idem ubique eſt; quando *Septentrionis* nomine quandoque ibi veniunt remotiora Aſſyriæ atque Chaldææ regna, quandoque Syriæ & Phœniciæ propinquiora loca; *Meridies* ſimiliter nunc denotat Ægyptum, nunc Idumeam, à τοῖς etiam LXX. per θάλασσαν reddita *Pſal.* LXXXIX. 13. ob mare rubrum quod eſt ab iſthoc latere Judææ; nec *Occidens* frequentius aliud nomen quam ים / ſive *maris* habet, ob notum Maris Mediterranei ſitum ab occidentali parte. Pariter ergo *Oriens* dicitur terra Judææ orientalis; in qua ſitum fuiſſe Paradiſum etiamſi non expreſſe narraret Moſes, id tamen ex ſitu Hedenis, de quo poſtea agetur, colligi poſſet. Unde factum eſſe exiſtimo, ut multi aut ad diverſitatem interpretationis hic non attenderint, aut ſenſum utrumque conjunxiſſe videantur.

III. Cum verò latiſſime ſe extendat terrarum tractus qui Judææ

Pererii observatio de Terris quæ in Scriptura sub Orientis nomine veniunt, cum castigatione una & altera.

dæa orientalis est, operæ pretium erit amplius inquirere, quas maxime regiones hoc nomine notare soleat Scriptura. Ubi prætermittenda neutiquam est observatio *Ben. Pererii*; *Nusquam in sacris literis regionem, quæ est ultra Sinum Persicum, tam citeriorem quam ulteriorem Gange, sub nomine Orientis appellari, sed Orientales terras simpliciter vocare Divinam Scripturam, quæ sunt citra Sinum Persicum, ut Persidem, Armeniam, Arabiam, atque Mesopotamiam. Gentes quoque his regionibus propiores comparatione Iudæorum nominari solere orientales, sicuti Arabes, Idumeos, Amalekitas &c. Quin imo solere frequenter Scripturam appellare Mesopotamiam terram Orientalem.* Sinus Persici appellatione comprehendit ἡ μεγάλη θάλαττα, ἡ ἔξω τῶν κόλπων ἀμφοῖν, (περσικῆς καὶ ἀραβίας) ἣν ἅπασαν ἐρυθρὰν καλοῦσιν, *magnum mare*, uti scribit *Strabo Lib.* XVI. *quod extra utrumque sinum est, & totum mare rubrum vocatur.* Neque enim aliter intelligi potest, quomodo Persiam citra Sinum Persicum constituat, quæ ultra illum sita hoc interjecto ab Arabia divellitur, atque porro longissimè Mari seu Indico seu Arabico adjacet, ad Indum usque fluvium. Quod tamen à recepto loquendi modo alienum est, cum expresse scribat *Mela*, *Sinum Persicum, qua mare accipit, utrinque rectis lateribus grande ostium quasi cervice complecti Lib.* III. *Cap.* 8. & clarius adhuc *Strabo* ex *Eratosthene* notet, *os ejus adeò angustum esse, ut ex Armozo Carmaniæ promontorio Arabiæ pars conspiciatur, quæ est Macis proxima.* Non ergò Mare Persiæ adjacens Indiam inter & Arabiam, sed ejus demum Sinus alter inde ab angustia Persicus Sinus, sive ἡ ἔξω πέρσας θάλαττα appellatur. Pariter exemplo uti mihi nullo constat, Armeniam Judææ vere septentrionalem, atque Ponto Euxino, Mari Caspio, quin & Mediterraneo forte propinquam magis, quam Sinui Persico, in Scriptura Orientis nomine venire; ita debile nimis est argumentum ex historia Jobi, inter *filios orientis* numerati, petitum, quo ille confirmare satagit hanc appellationem tribui Idumææ. Supponens omninò fuisse Jobum Idumæum, quod tamen magnis argumentis impugnat Magnus *Spanhemius*, ejus sedem in Arabia Scenitide collocans *Hist. Iobi Cap.* III. *&* IV. Atque adversatus porrò Scripturæ phrasi, quæ quandoque quidem *Temanis* voce notat urbem Idumeæ in confiniis Arabiæ desertæ, sic appellatam à nepote Hesavi *Gen.* XXXVI. 11. *Ezech.* XXV. 13. &c. sæpius verò integrum sic videtur appellare tractum, utpote

pote meridionalem *Hab.* III. 3. *Deut.* XXXIII. 2. *coll. Ind.* v. 4. Quæ ſignificatio an perinde ſit admittenda in locis variis *Ier.* XLIX. 20. *Hamos* I. 12. *Hobad.* 9. viderit lector. Tantum certe abeſt, ut Idumæa orientalis ſtatuatur Judææ à Talmudiſtis, ut potius hi per Edom occidentalem plagam intelligant, ac per *Idumæos* propterea etiam *Romanos* ſignificent. Quod uti non prorſus abludit à Scriptura, montana Sehir inter occidentales Judææ terminos memorante *Joſ.* XII. 7. ita mire convenit cum traditionibus veterum Geographorum. Quando *Plinius* diſerte ſcribit; *mox incipit Idumea & Paleſtina ab emerſu Sirbonis lacus. Lib.* V. 12. Et clarius *Strabo Lib.* XVI. τῆ Ἰουδαίας τὰ μὲν ἑσπέρια ἄκρα τὰ πρὸς τῷ κασίῳ κατέχουσιν Ἰδουμαῖοί τε καὶ λίμνη, *Judææ extrema occidentalia, Caſio proxima, Idumæi occupant & lacus.* Nec aliter *Ptolomæus*, Idumæam univerſam ab occidua parte Jordanis fluminis collocans. *Lib.* V.

IV. His ad Jeſuitæ caſtigationem præmiſſis, in reliquis illi facilius ſubſcribimus. Quamquam enim probe perſpectum habeamus, illis in locis ubi ortus & occaſus ſolis inter ſe opponuntur omnem plane tertam orientalem & occidentalem ſignificari *Pſal.* CXIII. 3. *Iſ.* LIX. 19, *Mal.* I. 11. &c. non tamen Orientis ſimplicem mentionem nos ad continentis Aſiæ extrema, Indorum ſcilicet aut Sinenſium terras, unquam ducere meminimus. Cujus rei hæc videtur eſſe ratio, quod cum gentibus eas terras incolentibus, ut remotis nimis, vix quicquam commercii interceſſerit Iſraëlitis, impediti nempe per interjacentia Babyloniorum & Perſarum regna. Quod intelligi volumus de terreſtri via, ob claſſes Salomonis Ophireas, de quibus hic non eſt dicendi locus. Notum cæteroquin eſt, poſt *Ioſephum. & Hieronymum de Locis Hebraicis in Meſſe & Sophera*, eſſe Interpretes complures, quos ſequitur *Pareus* noſter, quin & ipſe ſui oblitus *Pererius*, qui Orientem poſterorum Joctanis ſedem interpretantur *ulteriores Indiæ regiones Gen.* X. 30. Sed nullo niti hanc ſententiam fundamento, & Joctanis poſteros inſediſſe Arabiæ Felicis intima, ut *rem certam* aſſerit ſeculi noſtri decus *Samuel Bochartus.* Nec putem, Moſen omnes extremos habitationis recenſere terminos, in quos Semitarum ſera poſteritas poſt primorum patrum, quorum nomina tantum Moſes habet, obitum ſe diffudit. Atque accedit amplius, quod inter Semi filios non Arphaxad, ex quo Joctanitæ, ſed Elam & Aſſur in partes magis

Sub nomine Orientis venire non loca Orientis remotiſſima, ſed Judæis propiora, obſervatur & exemplis oſtenditur.

orientales ſeceſſerint, Hebero ſanè patre Joctanis cum altero filio Peleg in & circa Chaldæam ſedem figente. Unde faſcor, potius me per Orientis Montana Babyloniæ aut Meſopotamiæ loca quam Indiæ intelligere. De eo quicquid fuerit, conſtat familiaris Scripturarum uſus, juxta quas terra Shinhar habet nomen *Orientis*, Cethuræi Arabiæ & vicinorum locorum incolæ קדמה אל ארץ קדם / *ad Orientem*, *in terram Orientis*, miſſi dicuntur, Cyrus vocatus ex *Oriente*, Magi veniſſe ex *Oriente*, Job magnus præ omnibus *filiis Orientis*, ſpoliandi à Judæis *filii Orientis*, Bilham accitus ex *Oriente*, Madianitæ & Hamalekitæ *filii Orientis*, Kedritæ item & Hazoritæ, Jacob fertur profectus eſſe in terram *filiorum Orientis*, Chaldææ denique tribuitur nomen *Orientis*, *Gen.* XI. 2. XXV. 6. *Iſ.* XLVI. 11. *Matt.* II. 1. *Iob.* I. 3. *Iſ.* XI. 14. *Num.* XXIII. 7. *Ind.* VI. 33. *Ier.* XLIX. 28. *Gen.* XXIX. 1. *Hab.* I. 6. 9. *&c.* Ex quibus aliiſque ſimilibus locis liquet ſatis, *Orientem* vulgo & frequentiſſimè non remotiora ſed propinquiora Judæis loca notare. Quod ad inſtitutum noſtrum ſufficit.

CAPUT OCTAVUM.

Quo in Situm verum Regionis Heden curatius inquiritur.

Alter poſt Orientem character ſpecialis Paradiſi eſt regio Heden, non appellative ſed ſenſu proprio intelligenda.

Poſt tractationem *Orientis*, in quo Moſes conſtituit Paradiſum, tranſimus ad nomen Tractus ſeu Regionis Orientalis, in qua idem figitur ab ipſo; *Et plantavit*, inquit, *Jehovah Deus hortum* בעדן / *in Heden Gen.* II. 8. Non eſt neceſſum, ut hic prolixe repetamus, quæ pro nominis hujus, non *Edem*, uti Græci ſcripſere, atque hinc *Diodorus* apud *Theodoretum Quæſt.* XXV. *in Gen.* id terram rufam interpretatur unde Adam formatus nomen acceperit, ſed *Heden*, proprio uſu contra appellativum *voluptatis* ſenſum antea dicta ſunt *Cap. II.* §. 1. Summa hæc eſt, erraſſe *Philonem Iudæum*, qui πᾶν οἰκεῖον τῷ παραδείσῳ ἰδέαν allegorice reddidit τρυφὴν, & cum eo *Symmachum*, qui apud *Hieronymum* habet *Paradiſum florentem* & παράδεισον τῆς ἄλσης; *Vulgatum*, qui *Paradiſum voluptatis* vertit; ac *Leonem Inde*, qui *hortos delicatiſſimos* tranſtulit; quin & eos ex noſtris Theologos, qui cum τοῖς LXX. *Gen.* II. 8. *Heden* quidem pro

pro nomine proprio habuerunt, sed *vers.* 15. ob mutatam constructionem pro appellativo, reperientes illic ὡδήδεσαν τ τρυφῆς, ex qua voce per corruptionem fluxisse apud *Theophilum Antioch. Lib.* II. *ad Autol.* illam τρυφῆς, seu potius uti ego lego illic φροφῆς, recte conjicit Vir Doct. *Steph. Morinus.* Non quod deliciis aut voluptatibus regio Paradisi caruerit, cum ab iis nomen hoc fluxisse simus persuasi: sed quod modus loquendi, scopus Mosis situm Paradisi describturi, sequens demum *vers.* 9. amœnitatis mentio, memoratus ex Hedene fluvii egressus, terræ Nod cum Hedene collatio, denique regionis cujusdam hoc nomine insignitæ celebritas, nos ad propriam significationem clarissime ducant. Quam agnoverunt etiam post τὰς LXX. post Chaldæum, post Commentatores Hebræos, Interpretes Christiani plurimi & maximi; uti ante pluribus fuit observatum atque declaratum à nobis. Neque admittenda heic est Judaica distinctio inter *Heden* quinque & sex punctis notatam, quam fervide cum aliis urget *Thom. Malvenda*; etiamsi appellative intellecta vox quinque tantum punctis notetur.

II. Hypothesi hac præmissâ, in situm *Hedenis* inquirendum est, qui ob antiquissima, non tantum Adami, sed & Mosis tempora, ob frequenter seculorum tractu mutatam locorum appellationem, & ob Geographorum veterum defectum, vix aliunde quam ex Sacris Literis erui posse videtur. Quamobrem laudamus quidem meritò sagaciam Doctissimii Viri *Fr. Iunii*, qui in *Auranitide*, à *Ptolomæo* juxta Euphratem positâ, & Babyloniæ parte, literatum cum *Hedene* similitudinem observat. Sed eadem deprehenditur in *Aurana*, Arabiæ Desertæ oppido apud *Ptolomæum*; & major forte in *Eddana*, Phœnicum κατοικίᾳ Euphrati quoque vicina apud *Stephanum*, imo & *Adana* πόλις πρὸς τῷ ὑφεάτῃ apud eundem, vel in *Edessa* Atargatis Deæ Syriæ apud *Strabonem* sede, Regis Agbari vel Acbari ad Christum literis, Servatoris ad illum rescripto, miraculosa illius per Thaddæum sanatione, & secuta ad hujus prædicationem urbis conversione, seu verè seu falsò celebratissima apud *Eusebium*, *Procopium*, *Evagrium*, *Nicephorum*, aliosque Christianos Scriptores. Unde observationes similes omnes non valent supra conjecturas, debiles sæpe & nimis longe petitas. Idem judico dè nominibus quæ recentiori tempore his aut illis locis tributa deprehenduntur similia; quale est illud quod dè *Insula* habet *Steph. Morinus* ex *Itinerario Ioh. Cartwrigii, qua Tigri fluvio ambiatur, & circiter decem miliaria Anglica contineat, Edenque dicatur*, quam

Nomina locorum cognata isti Heden apud Exoticos conferuntur à nonnullis, sed præstat heic sacris potissimum literis inhærere in Hedene quærenda.

in Geographica Mappa præfixa Operi *Bocharti* ipſe etiam expreſſit.

Licet potuerint eſſe plura loca hoc nomen Heden habentia, videtur tamen apud Prophetas eadem Heden deſignari quæ apud Moſen.

III. Omnis verò reperiendi in Sacris Literis Hedenem Moſaicam ſpes ferè decolavit, ſi ſit tenendum effugium, quod adverſus *Aug. Steuchum Eugubinum* diſputans tradit *Nicolaus Abramus* Jeſuita; *In Prophetis quidem*, inquit, *Eden agnoſco, ſed cum ut optime notat Cajetanus in Geneſin eadem appellatio duabus poſſit regionibus convenire, qui ſcimus hunc eſſe Paradiſum?* Conſentit cum multis aliis *Paulus Sherlogus Ant. Hebr. Lib.* II. *Diſſ.* 3. urgens, *ſæpe diverſorum regnorum provincias eandem ſortiri appellationem*, atque exempli gratia addens, *apud occiduos Indas & Hiſpaniam & Cantabriam reperiri.* Sed videntur talia verba caſtigationem noſtram mereri, ut inane χενοφύγιον in ſe continentia. Id equidem certum eſt, regiones, urbes, & loca, non minus quam homines, nomina ſæpe eadem habere: quod à primis gentium parentibus aut locorum incolis ſæpe, ſæpe ab iiſdem ſoli qualitatibus fluit. Atque hinc orta conſuetudo, ad nomen proprium, niſi textus circumſtantiæ ſatis illud declaraverint, adjiciendi quandoque nomen aut epitheton aliud, ut in *Ur, Rabbah, Bethlehem &c.* cernere licet, quando adduntur nomina *Chaldæa, Ammonitarum, Iudæ &c.* Eſt quoque *Hedenis* nomen tale, ut ob ſignificationem ſuam facile pluribus regionibus amœnis potuerit eſſe commune. Sed id propterea tale fuiſſe, gratis conjicitur; quemadmodum merito ab eruditis caſtigatur ipſe *Bocharius*, Vir ſummus, quando ex tribus hominibus, quibus nomen *Uz* in Scripturâ tribuitur, Arami primogenito, Nachoris filio, & Sehiris nepote, colligit *tres terras Uz. Phaleg. Lib.* II. *Cap.* 8. Nullius certè loci ſitus certus erit, ſi potuiſſe eſſe alia ejuſdem nominis, hinc ejus obviam deſcriptionem non debere ad illum applicari, liceat regerere abſque neceſſitate & ratione ulla. Aliud enim eſt, ſi deſcriptiones geminæ pugnent, quando multiplicatio locorum ejuſdem nominis neceſſaria fit. Quod cum hic non obtineat, omnia vero bene apud Moſen & Prophetas conveniant, horumque libri ab eodem Spiritu in uſum ejuſdem populi eadem lingua ſint ſcripti, rectè omnino Hedenis ſitum apud Prophetas terram hanc nominantes inveſtigari judicamus.

Apud Prophetas Jeſaiam Ezechielem &

IV. *Hedenis* mentio eſt non infrequens apud Prophetas; qui an ad eandem ſemper terram reſpexerint, cum *Nic. Abrahamo* primum eſt diſputandum. Loca quibus de *Heden* Levita agitur hic

non

non veniunt in censum, scilicet 2. *Chron.* XXIX. 12. & XXXI. 15. Pro diversis autem regionibus hujus nominis sic disputat Jesuita, ut in primâ acie collocet locum *Iesaiæ Cap.* XXXVII. 12. cui paral lelus est textus 2. *Reg.* XIX. 12. & quo memorantur בני עדן אשר בתלשר / *filii Heden qui erant in Telassar*, sive *Thalassar*, ut habet *Vulgatus. Illa verba inter duas aut etiam plures Heden*, inquit, *discrimen assignant, indicantque vocabulum Heden pluribus esse commune.* Ex quo loco, collato cum *Hamosi* textu *Cap.* I. 5. etiam similiter *aliud Eden in Cœlesyria ad Damascum* colligit *Fr. Junius.* Confert tum *Ezechielis* textum geminum *Cap.* XXVIII. 13. XXXI. 16. quo Tyri Rex constituitur *in Eden horto Dei*, & *ligna Eden*, uti contendit, *Libano* adscribuntur: Prophetæ enim verba כל עצי עדן מבחר ושוב לבנון transfert *omnia ligna Eden, egregia atque praclara in Libano*, Vulgatum secutus, nisi quod hic Heden appellative pro *voluptate* acceperit. Ex quibus concludit, *Tyrum in Syro-Phœnicia marique mediterraneo sitam, vel potius Tyri regnum vicinasque provincias, Libanum & subjectas terras, Eden fuisse nominatas.* Unde fluxerit etiam illud *Nonni in Dionysiacis*, *Venerem*, quæ respondet voci Hedenis, ὑπὲρ λιβάνοιο ἰζομένην, *Libano insidere*, & ex mari natam, non in Cyprum, sed in urbem *Beroën* sive *Berytον* appulisse, quæ ipsi

Ἔνδιον ἰυφροσύνης, παφίης δίμος, οἶκος ἐρώτων,
Ὀρχαμὸς χαρίτων, Λιβανηίδος ἄστρον ἀρούρης.
Penetrale lætitiæ, Veneris domus, ædes amorum,
Amœna gratiarum habitatio, Libaneidis astrum terræ.

Agmen claudit tandem *Hamos*, apud quem *Cap.* I. 5. inter Syriæ Damascenæ loca, quibus judicia sua denunciat Deus, memoratur *Beth-Eden*, cum *valle idoli* aut *iniquitatis*, sive *Bikhath-Aven.*

Hamosum, varia loca nominis Heden ponunt alii qui.

V. Possemus fortè generali hac disputatione supersedere, quandoquidem revera descriptam à Prophetis Hedenem hic Autor extra *Syro-Phœniciæ* tractum non agnoscit, unde nomen *Thalassar* apud *Iesajam* etiam derivat à θάλασσα, cum respectu ad *Mare Mediterraneum*, ad quod filii Heden fuerint siti; & quandoquidem concessa hypothesi de pluribus regionibus hujus nominis apud Prophetas, inquirere ex data descriptione liceret, quam ex his Moses respexisset. Consideratis tamen Jesuitæ argumentis, hucusque quidem in sententiam ejus concedere non possumus; quod si agendum non esse patuerit, certus magis erit Hedenis Mosaicæ situs.

De Filiis Heden qui in Telassar, apud Jesaiam, distinctius disseritur.

Primum ex *Jeſaia*, quod palmarium eſt, ſpeciem habet, ſed nudam tantum. Etenim non eſt neceſſum fere, ut hic moneam, locum, licet alter ejuſdem nominis nullus ſit, vel alio aliquo nomine addito, vel latioris tractus mentione adjectâ, declarari magis & poſſe & ſolere ſæpe. Dici prætérea poteſt, Hedenis partem aut urbem aliquam *Thelaſſaris* nomine fuiſſe appellatam, atque hanc ſolam, non univerſam Hedenem, ſe forte aut Aſſyriæ dominationi oppoſuiſſe, aut maximè fuiſſe vaſtatam. Quo modo rem intellexit fere Doctiſſimus Vir *Franc. Junius; Eſt*, inquit, *(Telaſarum) nomen caſtrorum, ſive munitionis in medio Euphratis ſitæ, quam Ammianus Marcellinus appellat Thilutham Lib.* XXIV. *Hiſtoriarum, quo Hedenitæ præſidiarii à Rege Babyloniæ videntur fuiſſe miſſi, ut adverſus vim Aſſyrorum defenderent locum.* Quorſum etiam inclinat *Grotius in* 2. *Reg.* XIX. ſcribens; *Thelaſſar contracte Thelda Ptolomæo, Thilutha Ammiano* dictam. Dum *Huetius* obſervat, *in eo* etiam *convenire Eruditos, quod Thalaſſar ſit Talatha, urbs Babyloniæ, à Ptolomæo ad alveum, quem Tigris cum Euphrate communem habet, collocata.* Argumentum addit *Fr. Junius* ex nomine petitum, quod tantundem ſit Thelaſſar, ac *objectum Aſſyrio propugnaculum.* Verum ſit Thalaſſar *regio Syriæ*, uti ſcripſit *Hieronymus de Locis Hebr.* & plures exiſtimant, & quidem ab Hedene diſtincta, non ſequitur tum, eam Hedenem eſſe appellatam, ſed tantum Hedenitas quoſdam ſedem ibi fixiſſe, atque habitationem ultra regionem ſuam primam extendiſſe. Neque enim *Edenem quæ eſt in Thelaſſar*, ſed *filios Edenis qui erant in Thalaſſar*, hic habet *Vulgatus*, plane uti *et* LXX. in quibuſdam Codd. υἱὺς Ἀδὲμ, vel Ἀδὲν, τὺς ἐν Θαλασσελμ, vel Θαλασσὰρ, dum in aliis prorſus alia habentur verba; quam verſionem cum etiam ſecutus ſit *Nic. Abramus*, miror eum varios Hedenitas cum varia Hedene adeo confudiſſe.

Loca Ezechielis, quæ ſenſum metaphoricum habent evidenter, non oſtendunt Heden apud Tyrum & Libanum debere aliquam quæri.

VI. In citandis ex *Ezechiele* locis an ſerio agatur, admodum dubito. Totus enim ſermo Prophetæ utrobique metaphoricus eſt, quod mediocriter ſapiens nemo non videt. Hinc priori *Capite* XXVIII. non tantum in Heden, ſed & *in horto Dei*, i. e. Paradiſo Rex dicitur fuiſſe; quem, ibidem Tyriorum ætate ſuperſtitem, Regem horum ut incolam poſt primos parentes ejectos admiſiſſe, quis credat, aut aſſererе auſit? Imo & paulo poſt *verſ.* 14. *in monte ſanctitatis Dei* conſtituitur, diciturque *Cerubh unctus protegens.*

Quæ

Quæ omnes phraſes abundantiam, robur inacceſſum, ſplendoremque Tyri, exprimunt clariſſime. Ut neſciam, quid *Munſtero*, *Vatablo*, ac Interpretibus aliis, in mentem venerit, cum habitationem in monte ſancto alieniſſimè expoſuerunt de miſſis ab Hiramo Tyri Rege lignis ad ſtructuram templi. Minus adhuc capio, quo modo *Hieronymus* hinc oſtendere voluerit, *ad hominem urbis Tyriæ Principem hoc pertinere non poſſe, ſed ad ſanctam quandam & præcipuam fortitudinem, quæ urbis Tyriæ princeps poſita ſit.* Neque enim ulla difficultas eſt, ſi ob abundantiam & amœnitatem cum Hedene & Paradiſo, atque ob inacceſſum robur cum monte Dei, Tyrum conferri dicamus. *Capite* vero XXXI. in excelſiſſimæ arboris lapſu emblematicè Pharaoni Deus ob oculos ponit exitium Aſſuris, Eſar-Haddone Sennacharibi filio per Merodachum vel Berodachum Babylonium ſuperato. Ac introducit tum porro arbores Hedenis, dein præſtantiam Libani, tandem *omnes bibentes aquam*, ſive *arbores aquarum verſ.* 14. i. e. bene plantatas & creſcentes, tanquam vel conſolationem in ſuo lapſu hinc accipientes, *coll. Iſ.* XIV. 8. 9. vel etiam condolentes magnopere, quales in terra depreſſi conſidere ſolent, uti id ſignificatio vocis נחם / obvia ſenſu *pœnitendi* bene patitur, & contextus *verſſ.* 15. & 16. poſſe exigere videtur. Ut adeo ſint diſtinctiſſima hic, arbores Hedenis, & præſtantiſſima ligna Libani, utraque tamen memorata ob elegantiam & celebritatem præ reliquis; quemadmodum intellexerunt etiam LXX. καὶ inter hæc duo interponentes, πάντα τὰ ξύλα τ῀ πυφῆς, καὶ τὰ ἐκλεκτὰ τ῀ λιβάνου. Unde mirandum eſt, iſta *Ezechielis* aliorumque Prophetarum loca non tantum pro Hedene in Syria quærenda laudari denuo *à Joh. Clerico*, ſed & ab hoc interdici, *ne hi Prophetæ meris alluſionibus ad locum hunc Geneſeos quem præ manibus habemus uti, aut regionem ipſorum tempore amœnam & florentem non reſpicere videantur.* Dum nihil tamen in contrarium adducit, præter urbis *Paradiſi* in Syria vel Laodicena vel apud fontes Orontis mentionem apud exoticos, terræque illius fertilitatem & amœnitatem inſignem; de quibus deinde ſuis locis agetur.

VII. Quæ adjiciuntur porro de *Venere*, utpote fabuloſa, vix conſiderationem ullam merentur. Id certum, vulgo ferri hanc ex *Homero*, aliiſque Poëtis, ſive in concha, ſive cum ſpuma, delatam primo in Cyprum inſulam; unde non tantum illa *Cypria* dicta, ſed & *πυφία* in citato carmine *à Nonno* vocatur, ab urbe ſcilicet

Nec firmatur ea ſententia decenter per poëticas de Veneris ſe de fabulas

licet Papho in insulâ hac celebri ob factam ibi puellarum in Veneris honorem prostitutionem. Quamquam plures memoraverit Veneres *Cicero Lib.* III. *de Nat. Deorum*, ac inter has *quartam* dixerit *Syriam*, *Tyroque conceptam*. Atque id non minus clarum est, haudquaquam ad nomen tractus, sed ad ejus amœnitatem respexisse Poëtas, quando vel hanc vel illam sedem ipsi huic amorum gratiarum deliciarum & voluptatem Deæ adscripserunt; quam Syro-Phœniciæ & Beryto urbi libenter tribuimus. Tandem si ex fabulis Poëtarum omnino disputandum est, miror non incidisse simul Jesuitæ Veneris cum Adonide nuptias, ut has explicaret de inhabitatione Libani, adeoque appellationem Hederis inde aliqua cum specie educeret.

De Beth-Heden apud Hamosim tandem agitur, & neque per illud nomen regionem aliquam Heden apud Dammascum esse quærendam, monstratur.

VIII. Tandem *Hamosi* locus, probe inspectus, *Hedenem* regionem in Syria fuisse neutiquam docet. Aliud enim quodammodo est nomen simplex *Heden*, aliud compositum *Beth-Heden*; qualis in locorum nominibus compositio frequentissima est apud Hebræos, v. g. in *Bethel*, *Bethaven*, *Bethlehem*, *Bethdagon*, *Bethsur*, *Bethmacha*, *Bethzaida*, *Bethphage*, *Bethania*, aliusque, quæ sub hac litera collegit *Hieronymus*. Nec debent composita hæc cum simplicibus magis confundi, quam nomina *Iehochanan*, *Iehojakim*, *Ieboram*, *Iehoshaphat*, *Iehojadah*, *Iehonathan* &c. aut *Iesajahu*, *Iirmejahu*, *Chilkijahu*, *Chiskijahu*, *Conjahu* &c. cum nomine Dei proprio & incommunicabili *Jehovah*, ex quo in fine aut principio hæc composita esse, nemo rite attendens diffiteri potest. Aliud deinde est regio, aliud seu urbs seu vicus seu domus specialis, sub quali notione *Beth-Heden* apud Prophetam venire clarum est. Tandem in hac compositione priorem vocem appellativam, posteriorem propriam esse, ut debeat verti *Domus Heden*, quis probaverit? Estque longe verisimilius, appellative utramque in origine sua esse accipiendam, nec posteriorem notare regionem, in qua situs hic locus, sed ejus qualitatem amœnam, & voluptatem; uti neque *Bikhat-Aven* vallis est in terra aliqua *Aven* sita. Ista omnia vero prætermittens *Nic. Abramus* proponit, sed absque nomine addito, quosdam ad hunc locum *fingentes, advenas & inquilinos in Syriam Damascenam ex Eden & Mesopotamia translatos esse*. Contra quos præter justam rationem ullam Thrasonice gloriatur; *Quid his hominibus facias; sed sic vivitur. Qui æruginе laborant putant omnia flavescere. Qui per perspicilla colorata respiciunt, iisdem omnia coloribus perfusa sibi videntur intueri, & qui præjudicatis opinionibus occu-*

occupati vel ad Scriptura vel ad Patrum lectionem accedunt, quicquid deinde legerint, ad ſua præjudicia torquent. Vide amplius, ſi placet, noſtrum *Commentarium*; unde diſces, non improbabiliter nomina illa duo Bikhat-Aven & Beth-Heden haberi pro mere emblematicis appellationibus ipſius Dammaſci.

IX. Una ergo apud Prophetas memorata Heden regio an Syro-Phœniciæ eſt tribuenda? Id quidem ex adductis locis hactenus gratis collegiſſe *Nic. Abramum* monſtravimus: ſed probat ille amplius ex filiis Heden in Thalaſſar conſtitutis. Vult etiam Heden hic *ad Syro-Phœniciam & Mare Mediterraneum pertinere, quod indicat*, inquit, *nomen Thalaſſar, quaſi θάλασσα, ut Syri conſueverant non paucas voces ex Græco deflectere.* Verum non Heden, ſed filios Hedenis in Thalaſſar apud Prophetam conſtitui, clarum eſt. Et uti conſtat, poſt latiſſime in Orientem extenſum Græcorum imperium, ac traductam ad illos ſapientiæ ſedem, Syros multa vocabula Græca levi terminationis aut pronunciationis mutatione factâ uſurpaſſe; ita idem tempore Hizkiæ factum eſſe, abſque ulla ſpecie gratis ſupponitur. Debentque longe prius Græca vocabula ex Orientalibus linguis, ob harum antiquitatem, derivari, quam Orientalia è Græcis. In primis nomina locorum nativa potius eſſe, quam aliunde aſſumpta, credere oportet. Commoda hic etiam adeſt vocis explicatio, ſi ipſa ſit orientalis; non illa, quam *Hieronymus* dedit vertens *appenſum Principem*, ſed altera *Fr. Junii* ſupra memorata. Integrè enim ſcribitur תלאשר / cum א / 2. *Reg.* XIX. 12. ut, cum habeat radicales אשר / *Aſſyria*, & תל *tumulum* ſive *aggerem* notet, ſignificare queat *munimentum Aſſuris*, quod ex cumulata terra fieri ſolet. Quod ſi non placeat, ſit *Thelaſſar*, aut *mons*, aut *terra vaſtata Aſſuris*, vel etiam appellative, *tumulus felicitatis*, aut *luci*, pro diverſo uſu radicis אשר / & vocum inde derivatarum; vel etiam *munimentum principis*, à תל & שר / uti ſcribitur תלשר / cum puncto ſiniſtro.

Hedenem Syro-Phœniciæ accenſendam eſſe, neutiquam liquet ex nomine Thalaſſar, quod non eſt Græcæ originis à θάλασσα, ſed veriua Orientalis.

Ex connexione Hedenis cum Haran, Canne, itemque Gozan & Retſeph, concluditur merito, ad Babyloniam vel Meſopotamiam pertinere Hedenem.

X. Vulgaris ergo ſequitur opinio, Hedenem ſitam eſſe in aliqua Babyloniæ vel Meſopotamiæ parte. Quod colligitur tum ex *Jeſaia* Cap. XXXVII. 12. tum ex *Ezechiele* Cap. XXVII. 23. apud quem utrumque cum *Harane* jungitur, loco Meſopotamiæ notiſſimo ex hiſtoria Abrahami Iſaaci & Jacobi *Geneſ.* XI. 31. XXIV. 10. XXVIII. 10. XXIX. 4. quamquam, an is in ſeptentrionali an in auſtrali Meſopotamiæ parte ſitus ſit, Viri adhuc magni diſputent, & quem

cum *Carrhis* Craſſi clade celebratis plures eundem credunt. Apud *Ezechielem* additur *Canne*, quam plurimi ſane & Doctiſſimi Interpretes confundunt cum *Calne*, principio regni Nimrodi in terra Sinhar *Geneſ.* x. 10. *Jeſ.* x. 9. *Hamos* vi. 2. licet iterum diſputent, an hæc ſit *Ammiani* Callinicum, an potius Cteſiphon in Chalonitide, uti cum *Euſebio* & *Hieronymo* vult *Bochartus*. Mercatores tum ſubjiciuntur *Shebha*, ſive Arabiæ, quæ contermina eſt Meſopotamiæ, & dein *Aſſur*; ſed neque inter ſe neque cum prioribus tribus Haran & Canne & Heden hæc connectuntur, interpoſito ו copulativo, uti illa. Apud *Ieſaiam* adduntur *Gozan*, *& Retſeph*. Intelligunt per priorem vocem multi quidem *Gauzaniam Ptolomæi*, Mediæ urbem, inter Chaborem montem, & Mare Caſpium medio fere loco ſitam, inducti tum literarum ſimilitudine, tum mentione *civitatum Mediæ* ſubjecta נהר גוזן / *flumini Gozan* 2 *Reg.* xvii. 6. Videtur tamen ex hujus loci contextu flumen illud potius ab Aſſyria pariter & Media diſtingui: & non urbem unam, ſed regionem integram *Gauzanitida* reperio in Meſopotamia apud *Ptolomæum*. Qui ibidem etiam apud Euphratem habet *Reſciphan* urbem, convenientem nomine omnino cum *Retſeph* memorata. Quamquam non ſit diffitendum, recenſere ipſum quoque inter Palmyrenes civitates *Reſaphan* urbem, atque huc reſpicientem *Hieronymum Reſeph civitatem Syriæ* dixiſſe, & *Gozan* præterea ſuo arbitrio *in finibus Damaſci* poſuiſſe. Concluſio Virorum Doctiſſimorum eſt, quandoquidem cum Haran, Canne, Gozan, Retſeph, locis Meſopotamiæ, tam immediate & iterato, quamquam diverſâ occaſione, conjungitur *Heden*, & hanc ad Meſopotamiam aut adjacentem Babyloniam pertinere.

Idem argumentum ab exceptione Nic. Abrami vindicatur.

XI. Ridet *Eugubinum*, & Viros *Doctiſſimos quoſque adſtipulatos* ipſi, *Nic. Abramum*. *Equidem videre non poſſum*, inquit, *cur Edeneam regionem Charris potius & Haran, ac proinde Meſopotamiæ, quam urbi Emath, quæ terræ ſanctæ limes eſt ad ſeptentrionalem plagam, vicinam eſſe collegerint &c. Vel illud quam lepidum eſt, Eden eſſe prope Charras in Meſopotamia, quia Haran Chene & Eden inter Tyri negotiatores ab Ezechiele numerantur: Carthaginenſes igitur & Tubal ſive Hiſpanos in Græciam tranſcribamus, Lybias Perſis jungamus, quod eos idem Propheta in eandem negotiatorum & militum ſeriem eodem Capite digeſſerit.* Quibus plane ſimilia habet *Cel. Heideggerus in Hiſt. Patriarcharum*. Nos quamquam

quam pro irrefragabili demonſtratione argumentum propoſitum non habeamus, illud tamen tam certum eſſe putamus, quam in obſcuris antiquitatibus indagandis ullum haberi fere poteſt; ridemuſque propterea exceptiones vanas. Hedenitas cum Haran, Gozan, & Retſeph, potius quam cum rege Hamath, jungimus, quod uno ſpiritu à *Ieſaia* conjuncti legantur cum illis, non cum hoc, aut cum Arphad, Sepharvajim, Henah, & Hivvah. Nec bona fide argumentum ex *Ezechielis* loco proponit ille; etenim non quod inter Tyri negotiatores numerentur Haran, Canne, & Heden, ſed quod ex plurimis aliis hi arctiſſimè inter ſe conjungantur, conjunctio autem temeraria non ſit, & conjunctionis ratio alia excogitari nequeat, id urgetur. Alias jungi reperimus Aſshur, & Ægyptum, & Pathros, & Cus, & Elam, & Sinhar, & Hamath, & Inſulas maris *Jeſ.* XI. 11. ubi conjunctionis ratio non eſt locorum propinquitas, ſed electi populi per diſſitiſſimas plagas diſperſio. Tubal & Meſech porro heic cum Javan junguntur, ob ſanguinis ex Japheto nexum *Gen.* x. 2. Et notare Tubal Iberos, non Aſiæ, Colchidi vicinos populos, ſed Europæ, Hiſpanos ſcilicet, hactenus non eſt irrefragabiliter demonſtratum. Perſæ iterum, Lydii, & Putæi copulantur, ob bellorum peritiam, atque in armis tractandis celebritatem. Alii ſimiliter ob mercium eandem ſpeciem ſimul memorari videntur. Atque ſic exemplorum allegatorum aliam eſſe rationem, ac manere argumenti recepti vim, apparet, quo concluditur ex conjunctis cum Heden locis ejus in Meſopotamia aut vicina Babylonia ſitus. Cum quo omnino etiam convenit horti Hedenitici collocatio in *Oriente*, de qua *Capite præcedenti* VII. egimus; & connexio terræ hujus cum *Euphrate*, de qua poſtea agetur ſuo loco.

CAPUT NONUM.

Quo de Fluvio agitur procedente ex Heden ad Hortum irrigandum, & inde diviſo, ut eſſet in Quatuor Capita.

Superest tertius character ſpecialis loci in quo ſitus fuit Paradiſus, iſque omnium maxime notabilis, quatenus ex eo non tantum hunc

Tertius adducitur specialis character Loci Paradisi, quem constituit Fluvius Hedenis hortum irrigans.

Hortum sed etiam tractum *Orientis* & situm *Hedenis* certius & distinctius cognoscimus. Hunc breviter complexus est Moses, ubi est in descriptione ornatus & abundantiæ Paradisi, his verbis *Genes.* II. *vers.* 10. ונהר יצא מעדן להשקות את הגן ומשם יפרד והיה לארבעה ראשים / *Et fluvius procedebat ex Heden ad irrigandum hortum, & inde dividebatur, eratque in quatuor capita.* Quæ verba in nonnullis interpretationibus veteribus minus plene exhibentur, uti LXX. habent, ποταμὸς ὃ ἐκπορεύεται ἐξ Ἐδὲμ ποτίζειν τὸν παράδεισον, ἐκεῖθεν ἀφορίζεται εἰς τέσσαρας ἀρχάς; & *Vulgatus*, *& Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum qui inde dividitur in quatuor capita*; dum *Onkelos* pro *capitibus* simpliciter habet רישי נהרין / *capita Fluviorum*, quod sequitur *Targum Jonathanis.* Sequitur vero tum apud Mosen istorum quatuor Capitum distincta nominatio, & trium quidem satis ampla descriptio à terris quas alluerent, dum quartum satis per solum nomen constare poterat omnibus. Cum autem ista quæ nunc produximus Mosis verba non sint adeò plana, quin pro hypothesium de Paradiso varietate diversam subeant interpretationem, singula curate lustrabimus, ut verus eorum sensus eluceat.

Vis nominis נהר Fluvii ostenditur; & quo pacto hic differat à mari, voraginibus subterraneis, fossis, torrentibus, stagnis, rivulis, fontibus; nec collective heic accipi debeat.

II. Ante omnia ergo occurrit heic נהר / quam vocem LXX. tantum non semper transtulerunt ποταμὸν, *Vulgatus* autem promiscue *fluvium* & *flumen.* Dicit autem proprie notabilem aquarum copiam quæ naturali & visibili alveo semper fluunt inter media terrarum vicinarum littora. Isto modo legimus de *fluvio Ægypti* & *fluvio magno fluvio Prath Genes.* XV. 18 de partibus habitantibus *trans fluvium Jos.* XXIV. 2. de *fluviis Dammasci* 2. *Reg.* V. 12. *&c.* & mox etiam heic de *fluvio Prath* juxta cum aliis ex hoc fluvio oriundo *vers.* 14. Atque sic distinguitur *fluvius* ante omnia à *mari*, notante vastam magis aquarum molem, quæ intra vicina & certa littora non ita continetur, & variè magis movetur. Quo pacto passim distingui videas *maria & fluvios Psalm.* LXXII. 8. LXXXIX. 26. *&c.* Atque hinc non possunt audiri, qui cum *Ioh. Damasceno* vellent in hoc fluvio intelligere ipsum *Oceanum*, οἵτινά ποτε ποταμὸν κυκλεῖται πᾶσαν τὴν γῆν; etiamsi nonnunquam forte improprie, etiam in Scripturis, maria ob aquarum copiam & fluxum fluviorum vel fluminum appellationem accipiant, *coll. Psalm.* XXIV. 2. *Ion.* II. 4. *&c.* Distinguitur porrò *fluvius* ab occultis & sub terra latentibus aquarum *voraginibus* quæ ex mari ortum ducunt; quan-

quandoquidem hæ uſum fluviorum præſtare non poſſunt, de harum progreſſu nihil dici poteſt, & hæ tanquam terra tectæ etiam ſub nomine terræ veniunt. Diſtinguitur *fluvius* inſuper à *foſſis* aquarum arte & induſtria humana excavatis, quas volunt cum *Kimchio* diſtincte יאורים / Græce τὰς διώρυχας, appellari *Exod.* VII. 19. quod vocum diſcrimen forte tamen perpetuum non eſt. Diſtinguitur etiam *fluvius* à *torrentibus*, נחלים / ſeu aquarum per pluviam in terræ ſuperficiem deſcendentium rivis decurrentibus qui æſtate aut calore magno ſtatis temporibus exſiccantur. Diſtinguitur adhuc *fluvius* à *ſtagnis* & *paludibus*, in quibus aquarum copia eſt conſiſtens magna, quæ ſub nomine אגמים junguntur cum נהרות & יאורים / *Exod.* VII. 19. Diſtinguitur tandem *fluvius* & ab ipſo *fonte* vel *ſcaturigine*, unde fluvii plurimi fluere incipiunt, Hebraice מקור vel מעין / perperam adeo de *Paradiſi fonte magni corporis terræ mamma* nugante cum aliis *Ruperto*; & ab exiguis prorſus *rivulis*, qui tanquam פלגי diſtinguuntur à נהר / *Pſal.* XLVI. 5. & qui plures juncti demum fluvium efficere queunt, *coll. Pſalm.* XCIII. 3. *Cant.* VIII. 7. *Iſ.* XXXIII. 21. *&c.* Iſte vero ſignificatus *fluvii* maxime emphaticus heic omnino tenendus eſt, non modo ob Paradiſi & Hedenis elegantiam, ſed etiam ob *progreſſum* ei tributum, *irrigationem* ipſi adſcriptam, & *diviſionem* ejus in quatuor fluvios hujus naturæ. Quæ poſtrema ratio plane impedit nomen hoc *fluvii* collective accipere de variis fluminibus; quam ſententiam *Ben. Pererius* notat placere *quibuſdam, exiſtimantibus ex regione Heden multos fluvios ad irrigationem Paradiſi cõfluxiſſe*, quamque verè reperimus apud *Vatablum*, & *Beroaldum*, & *Picherellum*, urgentem fruſtra omiſſionem Proprii Nominis & Articuli. Quo non obſtante plura tamen, minora vel Paradiſum non tangentia, potuerant eſſe in regione Heden flumina.

III. Fluvius vero iſte quando dicitur *proceſſiſſe ex Heden*, manifeſte conſtituitur idem in *Heden*, tanquam regionem eam permeans & ad ejus voluptatem & fertilitatem faciens. Ubi omnino *Heden* diſtinguitur ab *horto irrigando*, tanquam regio integra à certa parte regionis quam etiam fluvius hic tetigit; niſi velimus nominum diverſorum uſu in rem eandem Moſen obſcuritati ſtuduiſſe, atque à ſolita diſtinctione Hedenis & horti temerè receſſiſſe. Nec eſt propterea hic ludendum verbis *Vulgati* interpretis, quando is *locum voluptatis* pro *Heden* ſubſtituit; ſicut agere videtur *Nic. Abramus*, negans, *è* Is fluvius quomodo Hedeni à Moſe tribuatur.

verbis his intelligi, quod *fluvius hic præterlabatur locum voluptatis antequam irriget Paradiſum; conſtat enim*, inquit, *hortum divina manu conſitum fuiſſe in ipſo loco voluptatis, ſenſus igitur hic eſſe videtur, & fluvius ſcatebat de loco voluptatis, qui hortum ſive Paradiſum, eo ipſo voluptatis loco verſus orientem Divina manu conſitum, irrigaret, &c.* Utique ubi in Hebræo textu eſt ſolum nomen *Heden*, non potuit *Vulgatus* illud per *locum voluptatis* reddere, quin de loco certo id ſimul intelligeret, & quidem illo quem ipſe *Eden* dixit *Gen.* IV. 16. ut hæc modo ſit interpretatio Latina nominis Hebraici regionis, quæ ſenſum non variat. Interim nomen *Heden*, per ſe non determinatum ad partem reliquam regionis præter Paradiſum, ubi fluvio tribuitur *proceſſus* ad horti irrigationem, videtur omnino aliam potius partem quam Paradiſiacam notare, ut ex Heden illuc æque quam ad alias dein terras latiſſimè diſſitas procedere poſſet. Ut adeo fluvius hic non fluxerit primum ex ipſo Paradiſo, ſed *egreſſus ex regione Heden inde curſum direxerit ad locum Paradiſi*; ſicut ex mente Græcorum ſcribit *Pererius.*

Et quo ſenſu ex Heden proceſſiſſe dicatur, per verbum יצא.

IV. Iſtius rei veritas pendet magnopere ab intellectu apto verbi vel participii יצא / quod LXX. & *Vulgatus* reddiderunt, ἐκπορεύετο, *egrediebatur.* Scilicet id multi volunt referre ad fontem, per quem primum è terra emerſerint vel aſcenderint aquæ fluvium conſtituentes, ſive ad primum fluvii è terra egreſſum; quo modo etiam hominum & germinum nativitas prima *exitus* nomine venit *Geneſ.* XV. 4. XLVI. 26. *Ieſ.* XI. 1. *Ier.* XXX. 21. *Mich.* V. 1. *&c.* & de *aquis exeuntibus Exod.* XVII. 6. imo *fonte è domo Iehovah egrediente Ioël.* III. 18. *&c.* legimus hoc ſenſu. Non poteſt adeo negari, quod iſta notio quidem conveniat verbo adhibito; foretque eadem neceſſaria, ſi de fonte heic ageretur potius quam de fluvio. Sed tenendum præterea, verbum יצא æquè notare *itionem* vel *proceſſionem* de uno loco conſpicuo in alium, quam *exitum* vel *egreſſum* primum; unde verterunt etiam frequenter LXX. per ἔρχομαι, διέρχομαι, πορεύομαι, διαπορεύομαι, εἰσπορεύομαι, *&c.* Quorſum dubito an ſatis curate à nonnullis referatur *exitus ſolis* ex *Gen.* XIX. 23. *Pſal.* XIX. 6. *&c.* ſiquidem ille ita continuo progreditur, ut tamen reſpectu hominum in terræ ſuperficie habeat primi ortus ſui diſtincta momenta. Sic vero de *proceſſione* intellectum verbum magis convenit *fluvio*, qui cum talis eſt ut hoc nomen mereatur, aquarum copiam ex fontibus jam habet, & qui jugiter ire ſeu procede-

Digitized by Google

cedere solet, sic à stagnis & torrentibus distinctus. Sed accipe, si placet, notionem *egrediendi*, quæ verbo huic præ aliis, יצא / הלך / &c. convenit; sic quidem notabitur terminus aliquis à quo oppositus alteri termino ad quem, qui in omni processione obtinet, non tamen propterea primus absolute terminus à quo. Atque sic in nostro textu, non ex Paradiso sed longius ex alia parte Hedenis, cujus terræ præstantiæ sic commendatur, addita Præpositione מ / deducitur hic fluvius tendens in Paradisum & in fluvios alios hinc ortos, dum de fonte fluvii tacet Moses, & ad decus Hedenis vel Paradisi faciebat, non tam quod illic nasceretur fluvius initio adeo exiguus, quam quod illac perlaberetur multis dudum accessionibus auctus. Quin & istud attendere oportet, quod *processio* fluvii videatur quidem magis propriè & plene dici aquarum fluxus à fontibus versus ostia, quatenus illuc eunt aquæ; quod tamen nihil omnino obstet, quo minus fluvius procedere dicatur ab ostiis aut medio aliquo tractu ad fontem, quatenus nempe & alveus & aquæ ejus illuc protenduntur, quin etiam tum quæ sunt intra aquas animantia tum quæ super eis vehuntur beneficio fluvii illuc tendunt. Quadè re postea ad *vers.* 14. erit ex professo magis agendum, ubi de *Hiddekel*, tanquam ההולך קדמת אשור / agitur.

V. Finis idemque effectus fluvii procedentis ex Hedene memoratur, *ad irrigandum hortum.* Notat autem *irrigatio* communicationem sufficientis humoris quo terra fruges suas producat, qualis antea respectu universæ terræ tribuitur *vapori* אד vel אדה / pro quo LXX. cum *Vulgato* habent πηγὴν, *fontem*, sed *Onkelos* עננא / *nubem vers.* 6. Nec abnuero, si in verbo השקה velis contineri abundantiam humoris necessarii, ut quasi eo inebrietur terra ad majorem fertilitatem & amœnitatem, *coll. Iesa.* XXVII. 3. *Ezech.* XXXII. 6. *Ioel.* III. 18. *Psal.* CIV. 13. *&c.* Fit autem talis irrigatio terræ per fluvios variis modis in variis locis. Inter eos est *restagnatio*, qualis in Nilo observatur, *coll. Deut.* XI. 10. *&c.* De quo videri potest *Appendix* adjecta *Herodoto de Increm. Nili* ex variis collecta; atque etiam late *Seneca Quæst. Nat. Lib.* IV. *Cap.* 2. *Initio diducitur, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris stagnat; cursum illi violentiamque etipit latitudo regionum in quas extenditur, dextra lævaque totam amplexus Ægyptum. Quantum crevit Nilus, tantum spei in annum est. Nec computatio fallit agricolam; adeo ad mensuram fluminis respondet, quam fertilem facit Ni-*

Irrigatio Horti per hunc Fluvium qualis & quo modo facta.

Nilus. Is arenoſo & ſitienti ſolo & aquam inducit & terram. Nam cum turbulentius fluat, omnem in ſiccis atque hiantibus locis facem relinquit, & quidquid pinque ſecum tulit arentibus locis allinit, juvatque agros duabus ex cauſis, & quod inundat & quod oblimat &c. Et perinde *Nonnus Dion.* III.

Νεῖλον ἐφημίξαντο φερώνυμον, ὕνεκα γαίῃ
Εἷς ἑτὸς ἐξ ἑτέος πεφορημένος ὑγρὸς ἀκοίτης
Χεύμασι πλήθοντι νέῳ θελγόμενος εἰλύν.
Indigitant Nilum de nomine, quippe quotannis
Humectat terram fluctu oblimante maritus,
Inducitque novum ſtagnanti flumine limum.

Eadem Jardeni, quem etiam hac in re cum Nilo confert *Pſeudo-Ariſteas*, adſcribitur ex *Joſ.* III. 15. ubi dicitur כלא על כל גדותיו / *plenus ſuper omnes ripas ſuas omnibus diebus meſſis*; & *Ioſ.* IV. 18. ubi poſt tranſitum Iſraëlis *aquæ Iardenis* dicuntur *reverſæ ad locum ſuum, atque iviſſe ſicut heri nudius tertius ſuper omnes ripas ejus.* Quamquam vix aliud ex illis locis colligere liceat quam aquarum Jardenis altitudinem majorem tempore meſſis, *coll.* I. *Chron.* XII. 15. *Eccleſ.* XXIV. 36. unde ſuccum ſeu terra traxerit, ſeu incolæ derivaverint magis copioſum; dum fertilitatem inundantium aquarum ſoli fere Nilo tribuit *Seneca*, *mira æque natura fluminis, quod cum ceteri amnes abluant* (vel *ambedant*) *terras & eviſcerent, Nilus tanto ceteris major adeo nihil exedit nec abradit, ut contra adjiciat vires, minimumque in eo ſit quod ſolum temperet &c.* dumque reſtagnatio Jardenis felicius forte colligatur ex *Ier.* XII. 5. XLIX. 19. L. 44. ubi occurrit גאון הירדן / *elatio Iardenis*, tanquam à qua celeriter fugiendum, & à qua leo cum impetu currat. Sed præter reſtagnationem fluvius terras vicinas irrigare poteſt communicatione ſucci ſui per terræ poros minores, & foſſas hinc deductas, & vapores inde ſolis beneficio eductos, qui aëra temperent & in rorem gratum coaleſcant, quaſi quotidie irrigantem, uti in illis paſſim terris videmus quæ mari vel fluviis adjacent unde reſtagnantes aquæ damnum magnum adferrent. Qualis irrigatio heic videtur intelligenda, ubi proceſſus fluvii lautatur in eam rem, & ubi alias ad certa tempora illa alligari debet, quibus durantibus ex horto irrigato exulare cogerentur homines & jumenta; eo modo, quo in Ægypto narrat *Seneca*, *illam faciem pulcherrimam eſſe, cum jam ſe in agros Nilus ingeſſit, latere campos opertaſque eſſe valles,*

op-

oppida insularum modo extare, nullum in mediterraneis nisi per navigia commercium esse, majoremque esse latitiam gentibus, quo minus terrarum suarum vident &c. Quamobrem mirari oporter fiduciam *Nic. Abrami*, quando ille dicit *fluvium quari debere sua natura restagnantem & statis temporibus redundantem, & irrigationem Paradisi sine restagnatione fieri non potuisse.* Quando porrò irrigatio hujus fluvii ad *hortum* hunc refertur, non puto sic ab isto beneficio alias prorsus excludi Hedenis vel etiam terræ reliquæ partes omnes; sed hortum hunc ita fuisse situm ut ille quam maximè irrigaretur, & hujus causa potissimum Deum fluvium hunc irrigantem in Hedene collocasse. Potuit autem hortus hic præ aliis terris irrigari, per depressam magis planitiem suam, aut locorum vicinorum altitudinem, aut varios anfractus & sinuosos inflexus per quos fluvius hic decurrit; dum hujus divisio in varia brachia per medium horti, vel circuitus circa hortum insularem, minus forte convenit cum divisione fluvii hujus subjecta, de qua nunc agemus.

VI. Scilicet משם יפרד / *inde divisus est*, hic fluvius irrigans. Non est illud *inde* heic causale, ut dicat ob irrigationem præmissam fluvium esse divisum, vel ante hortum vel in horto; nec temporale, ut dicat divisionem factam post Adami vel primam creationem vel statum integrum; sed locale, ut dicat ex vel ab illo loco, qui nempe proximè nominatus est, sc. *horto* irrigato, & si ita vis etiam *Hedene* iutegra. Sed postremum nomen non cape tamen solum, & quidem isto sensu quo à horto discernitur, ut per hortum fluxerint quatuor fluvii, antea longius dissiti sed heic concurrentes atque tum iterum divisi longius per varias terras, quæ videtur esse *Picherelli* opinio. *Divisionem* vero cum dicit Moses, indubiè intelligit talem quæ conspicua fuerit hominibus, uti fluvios passim secari videmus, non verò in arcanis terræ meatibus factam, quando id addi debuisset, ne alia omnia cogitarent homines, & quando hæc res hominibus constare non posset, ad terræ gremium minime penetrantibus. Sic sequimur hactenus *Augustinum*, qui scripsit *Lib.* VIII. *de Gen. ad Lit. Cap.* 7. *Nam hoc solere nonnullas aquas facere* (ut alicubi sub terras eant & dein iterum erumpant) *quis ignorat? sed ibi hoc scitur, ubi non diu sub terris currunt.* Nempe tanta fuit horti & Hedenis irrigatio ex fluvio adhuc uno, ut illa postea plurimis & dissitissimis regio-

Divisio Fluvii hujus qualis & unde facta sit.

nibus ſufficerit in quas fluvius propterea divideretur. Si porro roges, ubi diviſio hæc ſit facta, an infra hortum ſolum, an ex parte ſupra eum? in quanta ab horto & Hedene diſtantia? an eodem aut ſimili ſpatio in quatuor capita, an diverſo? de his utique omnibus ex his verbis nihil certi dici poteſt, quæ ſunt plane generalia, & diviſionem arguunt factam extra hortum & Hedenem fortè. Erit ergo de eo apud nomina fluviorum quatuor diſtinctius videndum. Et ſunt inepta figmenta quæ feruntur à *Toſtato* ex *Baſilio & Ambroſio* de *ampliſſimo lacu* quem fluvius ex Paradiſo delapſus faciat, ex quo tum illa quatuor flumina dimanent. Ut nugas *Muhammedis* mittam de fluviis quatuor, *aqua puræ, lactis, vini, & mellis*, Paradiſum irrigantibus.

Expoſitio Capitum Quatuor in quæ diviſus hic Fluvius fuiſſe dicitur.

VII. Diviſione hac, quæ numerum fluminum in quæ diviſio facta eſt per ſe non determinat, non communicatur aqua fluvii unius cum quatuor fluminibus, vel in ea effunditur, vel eorum fit, ac ſi diviſio in quatuor partes fieret ante conjunctionem cum quatuor fluminibus, ſed *fit* vel *eſt* ipſe ille Fluvius unus *in quatuor Capita*; cum qua locutione per præfixum ל contulit *Ill. Huetius* alias ſimiles ex 2 *Sam.* XIII. 28. *Matth.* XIX. 5. & colligi longe plures ex Grammaticis poſſunt. LXX. pro ראשים / habent ἀρχάς, laudante eam quoque vocem *Huetio*; quæ tamen non minus ambigua eſt quam Hebræa. Intelligunt enim illam multi etiam Veteres de *fontibus*, ex quibus tanquam *initiis* & ſimul *altiſſimis* capitibus fluvii oriuntur. Sic ſane ἀρχὰς per πηγὰς exponentes *Severianum Homil.* V. *in Hexaëm. & Mich. Glycam Annal. Part.* I. producit *Huetius*. Neque notius quicquam eſt, quam apud Poëtas & ſcriptores alios fontes aquarum aut fluviorum capita appellari, vel ex Lexicographis. Is ſenſus ſi ſit tenendus, neceſſum erit, ut fluvium Hedenis plane terra ponamus abſorptum, qui per voragines profundas devolvatur tandem ad illa loca quatuor diſtincta, unde per modum fontium iterum emergat; quod voluere Veteres ob ſuas hypotheſes de Pishon & Gehon, & quod perinde tanquam certum ſupponit *Nic. Abramus*. Et quaſi non ſufficeret hic maxima quatuor flumina ex hoc Hedenis fluvio derivaſſe, addit cum aliis *Rupertus*, *omnes aquas potabiles & ſalubres, ubicunque fluant & undecunque appareant, de fonte Paradiſi per occultos meatus originem trahere, & ex ejus dulcedine hoc habere ut potabiles & ſalubres ſint &c.* Sed habet alias notiones vox *capitis*, quæ magis heic videntur

tur convenire; ubi *capita* nominata dein dicuntur *circumire* terras varias, & per *fluvios* explicantur *verſſ.* 13. 14. & fluvius poſt diviſionem non fluxit ad capita hæc, ſed *fuit* ipſa illa diviſione *in capita quatuor*, ſeu eadem conſtituit. Si omnino volueris notionem *principiorum* vel *initiorum*, dicam ego, optime ſic notari ingreſſus primos fluviorum ſingulorum; ubi à ſe invicem ſeparantur, & ubi illi incipiunt ſicut fluvii alii apud fontes ſuos, ſicuti legimus de *capite via Ezech.* XVI. 25. & *plateārum Jeſ.* LI. 20. *Thren.* II. 19. *Nah.* III. 10. & *populi Deut.* XX. 9. *&c.* Neque alius tum erit ſenſus, quam ex uno hoc fluvio diviſo alios novos oriri. Alias optimè obſervavit *Ill. Huetius*, poni *caput* etiam pro *cuneo militum* ſeu *agmine*, in quam rem vide *Jud.* VII. 16. 20. IX. 34. 37. 43. 44. I *Sam.* XI. 11. XIII. 17. 18. *Job.* I. 17. ubi LXX. conſtanter adhibuerunt nomen ἀρχῆς. Atque ſic erit *agmen aquarum*, qua phraſi uſus *Virgilius Georg.* I. heic earum magna congeries qualis in fluviis adeſt. Sed amplius eſt *caput*, omne id quod in ſuo genere tanquam præcipuum excellit; quomodo *caput anguli* eſt lapis ἀκρογωνιαῖος *Pſalm.* CXVIII. 22. & *caput lætitiæ* ſummum gaudium *Pſalm.* CXXXVII. 6. & *caput montium* eorum præſtantia *Deut.* XXXIII. 15. *&c.* Quamobrem cum heic de fluviis agatur, *capita* intelligimus *fluviorum*, ſeu fluvios excellentiſſimos & maximos. Quem ſenſum ego aliis omnibus præfero, etiam illi ſecundum quem capita heic forent extremitates fluvii unius variæ, in quas corpus illud velut excreſceret. Tanto magis ille ſenſus placet, quod fluvii nominibus ſuis dein expreſſi vere ſint capitales & vaſti; quodque hoc quam maximè faciat ad commendationem Paradiſiaci fluvii, quod non minores rivi, ſed capita fluviorum ex eo procedant. Quin & ſic difficultas erit ſublata, de pluribus fluminibus quæ ex uno Euphrate videntur oriri, unde plures quam quatuor ſint ex fluvio Hedenis derivandi; ſiquidem nominans Moſes quatuor fluvios capitales ſic ſatis ſubinnuit fluenta plura minora ex eodem Hedenis Fluvio originem ſuam repetentia. Iſtam etiam video eſſe mentem *Matt. Beroaldi*, quando pro *capitibus* habet *præcipuos & illuſtres Fluvios.* Sed generalia hæc ſunt omnia; quæ per ſpecialem deſcriptionem Pishonis, Gehonis, Hiddekel, & Prath, fient dein clariora.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM.

Quo nominalis & realis descriptio Quarti Fluvii Prath, seu Euphratis, continetur.

Inter Capita ex Hedenis fluvio quatuor primum agitur de Fluvio Prath, quem Moses ultimo nominavit absque ulteriori descriptione.

Ex Fluvio Hedenis diviso facta *Quatuor Capita*, seu natos ex ea divisione præcipuos totidem *Fluvios*, lustraturi propius, ut sic Fluvii communis, & regionis Heden, & Paradisi situs magis nobis innotescat, ab eo facimus initium, quem ultimo loco nominavit Moses, nulla etiam ad nomen descriptione adjecta, cum inquit *Gen.* 11. 14. ואתה הרביעי הוא פרת. Quæ cum levi immutatione & additione vertuntur à LXX. & *Vulgato*, ὁ δὲ ποταμὸς ὁ τέταρτος Εὐφράτης, *Fluvius autem quartus ipse est Euphrates*; dum ad literam Hebraicè exstat, *& fluvius quartus ipse Prat*, vel *Phrath*. Sciendum est autem, esse hoc minime ex fluvii hujus præ aliis tribus minori præstantia, quod ultimus & quidem solo nomine absque ulteriori descriptione compareat, siquidem alias toties commendatur ille in Scriptura præ aliis multis; sed tum quod hic ut notus satis Jisraëlitis nulla præter nomen nota characteristica opus haberet, tum quod vel serius à communi fluvio divideretur quam alii, vel ordo numerationis, institutæ aut secundum mundi plagas aut secundum notitiam majorem & minorem hominum aut secundum rationem aliam nobis hodie minus perspectam, ad hunc fluvium postremò duceret. Quin etiam *Philo Lib.* 1. *Leg. Alleg.* rationes allegoricas quæsivit, cur descriptio uberior Euphratis non sit facta, διὰ τοῦτο πρὸς τὸ ἀληθὲς καὶ σπέρμα πηγὰς χώρας, ἢ ἄπικρος ἔχει πολλάς, has scil. quod ἡ δικαιοσύνη, καθ' ἣν ὁ Εὐφράτης ποταμὸς συνίσταται, ὅτι πολιορκεῖ καὶ σφετερίζεται πολλά, ὅτι κίνησατεῖ λόγῳ τι; ὅτι ἀπονεμητικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν ἐστὶ, καὶ πάντα ὅτι ἀξίᾳ τὰ κατήκοντα, ἀλλὰ ἀξίᾳ τὰ δικαστήρια. Quem ex contextu suo sequitur *Ambrosius Cap.* III. *de Parad. Causam autem cur cæteri qua commeant fluvii describuntur regiones locorum, qua Euphrates commeat non describatur, illam accipimus, quia aqua ejus vitalis esse fertur, & quæ foveat atque augeat, unde Auxen eum Hebræorum & Assyriorum prudentes dixerunt, contra autem fertur esse aqua aliorum fluminum.* Interim licebit nobis, à notiori fluvio ad minus notos procedere, ut sco-

ſcopum noſtrum felicius obtineamus, nec ſupponere ſæpius cogamur quæ dein demum forent firmanda. Et video ſic paſſim præire Eruditos, ipſum etiam *Nic. Abramum*, quando *ab Euphrate ſumit exordium.*

II. Nomen hujus fluvii Hebræum eſt itaque פרת / *Prath*, vel *Phrath*, prout *Dagesh* pro ratione literarum & punctorum præcedentis vocis abeſt vel adeſt, vel etiam *Perath* aut *Pherath*, ſi ſic volueris *Sheva Mobile* exprimere; ad quod multis Scripturæ locis additur alterum appellativum nomen נהר / *fluvii*, etiam per interpoſitum nonnunqnam *Maccaph Gen.* XV. 18. *Deut.* I. 7. XI. 24. *Ier.* XLVI. 2. 6. 10. *&c.* Aliud nomen proprium in Scriptura V. T. obvium non eſt. Apud *Ioſephum* deprehendimus aliam nominis hujus lectionem quoad punctum primum & literam ultimam, quando ſcribit, καλεῖται δ' ὁ μὲν εὐφράτης ΦΟΡΑ; etiamſi in Latinis Codicibus ſit *Pheras* vel *Phoras*, imo quidam reponi jubeant Φορὰθ in Græcis. Addit ad nomen *Ioſephus* ejus ex origine ſignificationem; σημαίνει δ' ἤτοι σκεδασμὸν ἢ ἄνθος, *ſignificat autem vel diſſipationem vel florem*; etiamſi & heic *Iſ. Voſſius* voluerit legi ἔνθρ vel ἔνθον, quod fere conveniret Chaldæo פרת & Hebræo פרש. In prima verſione reſpexit ille ad radicem פור / quam ſæpiſſime LXX. vertunt per ἀφορίζεσθαι, χωρίζεσθαι, διαχωρίζεσθαι, διαφορεῖσθαι, διασκεδάζεσθαι, σπορπίζεσθαι, διασπορπίζεσθαι &c. aut ad Syriacam potius פרר unde ſunt פרורא *mica* & *fragmenta*, perinde uſitatam Chaldæis. Neque dubium eſt, quin ea ſignificatio conveniat Euphrati per diſſipationem & diſtributionem variam aquarum ejus in uſus terrarum adjacentium naturalem & artificialem. In altera verſione ſpectata eſt radix פרה / quæ germinationem arborum & florum notat, ac redditur per θάλλειν, ἀναθάλλειν, ἄνθειν, ἐξανθεῖν, ἀναπάλλειν, βλαστεῖν &c. cum reſpectu, non tam metaphorico ad ortum ſucceſſivum, incrementum, & præſtantiam aquarum Euphratis, quam quidem metonymico ad germina & flores terræ adjacentis per irrigationem hujus fluvii. Ad iſtas derivationes nominis *Prath* dixit *Huetius*; *Admiratione dignum eſſet, Judæum origines tam longinque petitas & coactas arceſſere, cum in proximo habeat verbum* פרה / *tam ſponte ſe offerens, niſi aliunde jam notum eſſet, ipſum in Lingua Hebraica profundam ſcientiam nuſquam oſtendiſſe.* Utique à פרה Hebræo *fructuoſum eſſe* vel *facere*, pro quo LXX. habent αὐξάνειν vel αὐξάνεσθαι, ſatis regulari-

Nominis Hebræi פרת origo & ſignificatio varia adducitur, & vera inquiritur.

ter videtur nomen hoc posse derivari; & spectavit eam radicem *Hieronymus de Nom. Hebr. in Gen.* cum *Euphraten* reddit *fruge-ferum sive crescentem*, juxta Hebræos, qui rationem nominis fluvii hujus dant, cum *Jarchio* inter alias, שמימי פרים ורבים / *quod aquæ ejus fructifice sint & crescant*; & convenit sic res nomine hoc expressa fluvio magnoperè excrescenti & irriganti ad fertilitatem. Nisi ex alia orientali radice deperdita apud Hebræos & excellentiam notante potius adhuc existimaveris nomen hoc debere deduci, cum פרתמים *Dan.* 1. 3. *Esth.* 1. 3. VI. 9. quos Hebræi exponunt plures per שלטנים / seu *dominatores* & *proceres*, dum alii cum *Jos. Kimchio* hoc nomen derivant ab ipso fluvio *Prath*, seu similitudinis seu viciniæ intuitu. Videtur etiam *Philo Lib.* 1. *Leg. Alleg.* vocem Hebræam deduxisse à פרה / quando *Justitiam* per fluvium hunc juxta eum repræsentatam dixit καρποφόρον τῷ ὄντι; & *Ambrosius Cap.* III. *de Parad.* scribens, *Euphraten Latine fœcunditatem atque abundantiam fructuum nuncupari.*

De Græco & Latino nomine Euphratis, ejusque origine vera differitur latius.

III. Sed pro Hebræo nomine Græci & Latini satis constanter εὐφράτην *Euphraten* dixerunt, Johanne idem nomen etiam habente *Apoc.* IX. 14. XVI. 12. Non potest fere dubitari, quin à nomine Hebræo *Phrath* id fluxerit ob soni & literarum mediarum convenientiam curatam; dum terminatio facilè accessit Græcis & Latinis magis commoda. Sed unde sit syllaba præposita *Eu*, id ipsum controvertitur. Deduxit eam dudum *Aug. Stenchus Eugubinus* ex pronomine הוא / quod apud Mosen immediatè præponitur nomini פרת. *Hu Perat, duæ sunt partes, hu id est, ipse est, Perat, Euphrates. Quas corrupte videntur antiqui copulasse, nomenque Euphratis fecisse, cum tamen Perat sit ejus nomen, itaque Phrates Græcè esset dicendum.* Eadem est sententia *Genebrardi, Pererii, à Lapide, Merceri, Fagii, Schindleri, Grotii &c.* Et videtur, præter soni qualemcunque convenientiam, firmari ex eo quod Græci apud Mosen plane prætermiserunt in sua versione pronomen illud, immediate post πάρατος ponentes nomen εὐφράτης, ubi *Vulgatus* habet & pronomen & verbum, *ipse est*; quo magis excellentiæ indicandæ causa potuerunt in orie te id pronomen apud Mosen lectum jungere nomini, quasi dixissent, *ipse Phrat*, eximius ille fluvius. Quod statuit *Grotius, ex illo articulo excellentiam designante & ex nomine illo communiore factum Græcum nomen Euphrates*; dum alia quæ ipse addidit, *esse & alibi omnes eo nomine à fe-*

cun-

Digitized by Google

cunditate appellatos, forte minus cohærent cum iſta pronominis vi, *ille eximius amnis nomine Pherath aut Phrahatis dictus*. Fatendum cæteroquin, quod apud Moſen Pronomen omninò à nomine ſit diſtinctum; & apud alios tres fluvios etiam adhibitum, licet cum nominibus eorum non jungatur immediate; nec alias in Scriptura cum nomine Phrath cohæreat. Unde videri queat minus probabile, ex ſola vitioſa lectione τῶν LXX. apud Moſen nomen compoſitum *Euphratis*, tot ſcriptoribus Græcis & Latinis commune, fluxiſſe; niſi hoc addamus communiori uſu orientalium invaluiſſe, ut Pronomen idem Nomini jungeretur, uti ſolent alias Præfixa, quod in unam vocem ſuæ linguæ ſono accommodatam coaleſcere fecerunt Græci. Quando mihi quidem non conſtat ratio, cur derivationem hanc cum *Huetio* debeam *errorem* vocare; quo magis ille etiam dicit *fortaſſe Græcos de Perath feciſſe Euphrates*, *uti de Tabor fecerunt Atabyrius*, *de Derceto Atergatis*, in quibus utique præpoſita ſyllaba ex pronomine præfixo originem æque habere poteſt quam ex litera א præfixa quæ eſt in aliis nominibus propriis *Ephrajim*, *Ephrata*, & forte Arabum *Iphraton* quod aliqui heic reſpiciunt. Notum verò eſt, quod εὐφραίνω ab εὐφρόσυνον dudum deduxerint multi cum *Ambroſio Cap.* III. *de Parad. Plerique Euphratem ἀπὸ τῆς εὐφραίνεσθαι dictum putant*, *hoc eſt à lætando*; quod ille tum allitterationem allegorice in Euphrate intellectam applicat tanquam quæ homines exhilaret, ſed alii ad fluvii amœnum conſpectum & lætos uſus. Sed videtur hæc potius eſſe alluſio quædam quam vera etymologia; uti ſimiliter judico de reſpectu ad Græcam vocem εὔφορος, *fertilis*, quam cum aliis inculcavit *Martinius*, ſiquidem tum mediam hujus vocis ſyllabam magis retinuiſſent. Si omnino voluerit, *Eu* non eſſe Orientalis ſed Græcæ originis, dic potius, ſolum illud Adverbium εὖ à Græcis eſſe præpoſitum, ad præſantiam *Phratis* exprimendam, uti ſic plurimis vocabulis Græcis æque præponitur, quam extra compoſitionem adhibetur. Antiquæ & primæ appellationis *Phrath* veſtigia ſunt, quod ille ab accolis in quibuſdam locis *Frataha*, in aliis *Aforat* vel *Forat*, cujus nominis *oppidum quod Characenorum regi pareret in Paſitigris ripa* habet *Plinius Lib.* VI. *Cap* 28. dicatur, ex *Odoardo Barboſa*, *Petro Texeira*, aliiſque, dum ſimul *in regione Coraſa* fluvium hunc *Euphran* dici addit *Chriſtianus Becmanus de Orig. L. Lat.* Non deſunt poſt hæc omnia, qui *Euphraten* Græ-

cos

cos finxiſſe volunt ab Arabico *Iphraton*, quod *inundationem* notet; ſed ſic ad fructificationem Hebræa radice expreſſam forte reducimur.

Fluvii Prath ſeu Euphratis annoratur amplitudo, fertilitas, inflexio varia, & diviſio multiplex.

IV. Qualis porro fuerit hic fluvius, amplius inquirere decet. Atque ſic inter fluvii hujus qualitates occurrit ante omnia ejus *amplitudo* & *vaſtitas* magna. Ejus reſpectu vocatur in Sacris *Fluvius Magnus Gen.* XV. 18. *Deut.* I. 7. *Joſ.* I. 4. *Apoc.* IX. 14. XVI. 12. & perinde apud Exoticos, *Lucanum*, *Callimachum*, alios, inter quos *Herodoto Lib.* I. *Cap.* 180. dicitur ἐὼν μίγας καὶ βαθὺς ἢ ταχύς, & *Strabo* eum *Tigride majorem* ſeu μείζονα fert, dum *Virgilius* dixit *altum Georg. Lib.* IV. Ut non poſſit audiri *Grotius*, quando variis locis hoc inculcat, *Prath* hunc *magnum fluvium* dici tantum comparatione aliorum fluminum ejuſdem nominis. Quin etiam inde eſt, quod per *Fluvium* abſolute ſæpe intelligitur in ſacris Euphrates, tanquam inter omnes in Judæa & ambitu ejus magnopere excellens, *coll. Gen.* XXXI. 21. *Exod.* XXIII. 31. *Num.* XXII. 5. *Deut.* XI. 24. *Joſ.* XXIV. 2. 3. 14. &c. Ne jam dicam de nomine *Maris*, quod multi volunt huic fluvio dari *Iſ.* XXI. 1. *Ier.* LI. 36. Accedit ad amplitudinem *fertilitas* magna per aquarum præſtantiam, & inundationem vicinorum locorum. Unde *Lucanus* dixit cum *fertilem*, *Pharie vice fungier undæ*; & *Cicero Lib.* II. *de Nat. Deor.* inter Nilum & Indum memorat *Euphratem*, qui *Meſopotamiam fertilem efficit in quam quotannis quaſi novas agros invehit*; & *Plinius* modum omnem inundationis determinavit *Lib.* V. *Cap.* 26. *Increſcit & ipſe Nili modo ſtatis diebus, paulum differens, ac Meſopotamiam inundat, Sole obtinente viceſimam partem Cancri, minui incipit in Virgine, & Leone trangreſſo. In totum vero remeat in vigeſima nona parte Virginis.* Qualia etiam fere *Strabo* habet *Lib.* XVI. Πλημμυρεῖ δὲ ὁ Εὐφράτης κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ θέρους, ἀπὸ τῆς ἔαρος ἀρξάμενος, ἡνίκα τήκονται αἱ χιόνες ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας, ὥς ἀνάγκη λιμνάζειν καὶ κατακλύζεσθαι τὰς ἀρούρας &c. Dum pro figmento habemus vim peſti & morbis plurimis medendi, ab Arabibus fluvio huic adſcriptam. Accedunt ad fertilitatem juvandam ejus *inflexiones* variæ, à quibus *vagus* & *flexuoſus* fluvius hic appellatur à *Statio* & *Mart. Capella*, & σκολιὸν ῥεῖθρον ipſi tribuit *Strabo Lib.* XI. quemadmodum & varios ejus curſus in occidentem meridiem & orientem deſcribunt *Plinius Lib.* V. *Cap.* 24. & *Strabo Lib.* II. Adde ad iſta tria quartum, nempe variam hujus flu-

fluvii *divisionem*, sive naturalem sive artificialem, tum ad irrigandas terras, tum ad sistendum alibi nimium aquarum impetum. Illuc referunt nonnulli nomen נהרות / *fluviorum*, quod ob oppositionem *maris* credunt ad varios alveos Euphratis pertinere *Psal.* LXXXIX. 26. *coll. Psal.* CXXXVII. 1. *&c.* sed quod referri etiam potest, aut ad plures fluvios, aut ad hujus magnitudinem & longitudinem ἀπεριέργως, qua voce utitur *Dionysius Perieg.* in descriptione ποταμῶν ἐυφεύτων. Sed divisiones seu scissiones seu fissiones complures reperies descriptas apud *Strabonem* & *Plinium*, inter quas illa *Gobari Prefecto* adscripta *diductio, ne precipiti cursu Babyloniam infestaret*, unde & apud *Syros* nomen *Armalchar Lib.* VI. *Cap.* 26. Ista autem varia brachia Euphratis sic potuerunt specialia sua habere nomina, ut idem tamen commune Euphratis ipsis non immeritò relinquatur.

V. Sed ad institutum nostrum ut accedamus propius, cursum fluvii hujus omnem sequi oportebit à fonte ad exitum usque. Principium ejus hoc pacto exponit *Caj. Iul. Solinus Polyh. Cap.* XXXVII. *Euphratem fundit Armenia Major, ortum supra Zizamam sub radicibus montis, quem Capoten accolæ nominant, Scythis proximum. Hic receptis in se aliquot amnibus convalescit, & stipatis convenis aquis luctatur cum Tauri montis objectu quem apud Elegeam scindit, resistat licet duodecim milibus passuum latitudine &c.* Conveniunt generatim quæ habet *Plinius Lib.* V. *Cap.* 24. *Oritur Euphrates in prefectura Armeniæ majoris Caranitide, ut prodidere ex iis qui proxime viderunt, Domitius Corbulo in monte Aba, Licinius Mucianus sub radicibus montis, quem Capoten appellant, supra Simyram* XII. M. *passuum; initio Pyxirates nominatus. Fluit Derxenen primum, mox Anaetiam, Armeniæ regiones à Cappadocia excludens. Dascusa abest à Simyra* LXXV. *M. passuum. Inde navigatur Pastonam quinquaginta M. passuum. Melitenen Cappadociæ* LXXIII. *M. passuum. Elegiam Armeniæ decem M. passuum, acceptis fluminibus, Lyco, Arsania, Arsano: apud Elegiam occurrit ei Taurus mons, nec resistit, quamquam* XII. *M. passuum latitudine prævalens. Omiram vocant irrumpentem, mox ubi perfregit, Euphratem, ultra quoque saxosum & violentum &c.* Etiam quæ prostant apud *Melam Lib.* III. *Cap.* 8. *Euphrates immani ore aperto, non exit tantum unde oritur, sed & vaste quoque decidit. Nec secat continuo agros, sed late diffusus in stagna, diuque sedentibus aquis & sine alveo paludis piger, post ubi marginem rupit*

Fluvii hujus ortus primus ex Armenia deducendus est omnino.

verè fluvius eſt, acceptiſque rivis celer & fremens, per Armenios & Cappodocas occidentem petit, ni Taurus obſtet in noſtra maria venturus. Inde ad meridiem avertitur. Adde etiam *Strabonem Lib.* XI. Ὁ Εὐφράτης τὰς πηγὰς ἔχων ἐν τῷ πρὸς βορρᾶν μέρει τοῦ ταύρου, ῥέων ἐπὶ δύσιν ἀφ' ἑσπέρας τῆς μεγάλης καὶ μεσημβρίνης μέχρι τῆς ἱερᾶς, ἐν δεξιᾷ ἔχων ταύτην, ἐν ἀριστερᾷ δὲ τὴν λοιπὴν, εἶτα ἐπιστρέφει πρὸς νότον, συναπτὴς ὢν τοῖς καππαδοκῶν ἐρέσεις, δεξιᾷ δὲ ταύτας ἀφεὶς, καὶ τὰ τῶν κομμαγηνῶν, ἀριστερᾷ δὲ τὴν ἀσκηνηνὴν καὶ σωφηνίλην τῆς μεγάλης ἀρμενίας πρόεισιν ἐπὶ τὴν συρίαν &c. Qui non longe poſtea eadem aliis verbis repetit; Ὁ δὲ Εὐφράτης ἀπὸ τῆς βορείου πλαγίας τοῦ ταύρου τὰς ἀρχὰς ἔχων, τὸ μὲν πρῶτον ῥεῖ πρὸς δύσιν ἀφ' ἑσπέρας, εἶτ' ἐπιστρέφει πρὸς νότον καὶ ἀφανίζεται τὸ ταῦρον μεταξὺ τῶν ἀρμενίων τε καὶ καππαδοκῶν καὶ κομμαγηνῶν. Ad quorum textuum exegeſin, correctionem, & conciliationem in minoribus quibuſdam circumſtantiis, vide quæ eruditiſſime ſcripſit *Ill Salmaſius in Exercit. Plinianis.* Addimus nos ad hæc verba *Euſebii de Loc. Hebr.* ex *Hieronymo; Euphrates fluvius Meſopotamiæ in Paradiſo oriens. Porro Saluſtius autor certiſſimus aſſerit, tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonſtrari. Ex quo animadvertimus, aliter de Paradiſo & fluminibus ejus intelligendum.* Id occaſione horum verborum *Euſebii* non prætermittendum, quod fontes Tigris & Euphratis vicini ferantur in Armenia. Sic ſane *Strabo*, ὁ δὲ πύξις ἐκ δὲ αὐτοῦ ὄρους ἐκπεσὼν ἐπὶ τὴν σπλιθίκειαν &c. paulo poſt diſtantiam fontium determinans, διέχουσι δ' ἀλλήλων αἱ πηγαὶ τῆτε Εὐφράτου καὶ δὲ τίγριδος περὶ διακοσίους καὶ πεντακοσίους σταδίους. Unde ortum eſt, quod nonnulli *unum fontem* cum *Boetio*, ſeu *non diverſos fontes* cum *Lucano*, Tigridi & Euphrati adſcripſerunt. Sed non ſatis recte, ſecundum ea quæ cum *Strabone* alii autores habent laudati antea. Nec diffitentur ſane hujus Euphratis cum Tigride in Armenia ortum Chriſtiani illi, qui illuc primum per meatus ſubterraneos fingunt deferri ut tum emergat; cum *Claudio Mario Victore Lib.* 1. *in Gen.*

Tertius hinc rapido percurrens gurgite Tigris
It comes Euphrati, junctis quos mole ruentes
Tellus victa cavo ſorbet patefacta barathro,
Donec in Armenia ſaltus & Medica tempe
Quos non ſuſtinuit, nec jam capit, evomat amnes.

Scilicet ubi ex fonte emergit fluvius, illic agnoſcendum eſt ipſius pri-

primum initium; dum aquarum ductus & voragines ſub terris longiſſimis incertiſſimæ & plane incognitæ ſunt quoad ſitum ſuum, nec nomen illorum fluviorum quos deinde eum aliis aquis junctæ conſtituunt, gerere poſſunt.

VI. Ubi in Armenia ortus hic fluvius perrupit ita Taurum, ſectari oportet ejus curſum ulteriorem, qui apud adductos autores generatim dicitur eſſe verſus meridiem & orientem, ſpeciatim in Syriam & Arabiam & Babyloniam. Ita *Solinus; Longiſque excurſibus dextera Comagenem, Arabiam læva relinquit, deinde prælabens plurimas gentes, Babyloniam quondam Chaldæorum caput dividit, Meſopotamiam opimat inundationis annuæ exceſſibus, ad inſtar Ægypti amnis terras contegens &c.* Et latius *Plinius l. c. Arabiam inde læva, Merorum dictam regionem, triſchœna menſura, dextraque Comagenen diſterminat, pontis tamen etiam ubi Taurum expugnat patiens. Apud Claudiopolin Cappadociæ, curſum ad occaſum ſolis agit. Primo hunc illi impugnatum curſum Taurus aufert, victuſque & abſciſſus ſibimet alio modo vincit, ac fractum expellit in meridiem. Ita naturæ dimicatio illa æquatur, hoc eunte quo vult, illo prohibente ire qua velit. A cataractis iterum navigatur: XL. M. paſſuum inde Comagenes caput Samoſata. Arabia ſupra dicta habet oppida, Edeſſam quæ quondam Antiochia dicebatur, Calirrhöen à fonte nominatam, Carras clade Craſſi nobiles. Jungitur præfectura Meſopotamiæ, originem à Syris trahens, in quo Anthemuſia & Nicephorium oppida. Mox Arabes, qui Rhetani vocantur; horum caput Singara. A Samoſatis autem latere Syriæ, Marſyas amnis influit. Gingla Comagenen finit, Merorum civitas incipit. Oppida alluuntur Epiphania & Antiochia, quæ ad Euphratem vocantur. Item Zeugma, LXXII. M. paſſuum à Samoſatis, tranſitu Euphratis nobile. Ex adverſo Apamiam Seleucus idem utriuſque conditor ponte junxerat. Qui cohærent Meſopotamiæ Rhoali vocantur. At in Syria oppida, Europum, Thapſacum quondam, nunc Amphipolis, Arabes Scenitæ. Ita fertur uſque Uram locum, in quo converſus ad orientem, relinquit Syriæ Palmyrenes ſolitudines, quæ uſque ad Petram urbem & regionem Arabiæ Felicis appellatæ pertinent.* Ejtiam Mela dixit; cum *ad meridiem avertitur* Euphrates, *primum Syros tum Arabas ingredi.* Sicut *Strabo* poſt proceſſum τὴν τῶν συρίων, ſubjicit; καὶ λαμβάνει πάλιν ἄλλην διεύθυνσιν εἰς τὴν Βαβυλωνίαν καὶ τὴν Περσικὴν κόλπον.

Fluvii ejuſdem progreſſus ulterior additur.

πον. Idem altero citato loco sic pergit; ἐκπιπτὼν δ' ἔξω καὶ ῥοῦμβῳ & κῦ ϯ συρίαν. Διηρίθμει πρὸς χειμερινὰς ἀνατολὰς μέχρι Βαβυλῶνος, καὶ ποιεῖ πλὴ Μεσοποταμίαν πρὸς τ πύχιν &c. Habet ille etiam *Lib.* II. ex *Eratosthene*; τ πύχιν κ τ Εὐφράτ͂ ἐγκυκλῶδαι τ π Μεσοποταμίαν κ τ Βαβυλωνίαν, κ τὸ πλέον γε τ ἐγκυκλώσεως τ Εὐφράτ͂ ποιεῖν, ὅπου γὰρ τ ἄρκτον ἐπὶ μεσημβρίαν ῥυὲν διηρίθμει πρὸς τὰς ἀνατολὰς, ἐκπίπτειν ϯ ἐπὶ μεσημβρίαν. Quin & *Lib. XVI.* Babylonem describens dicit, τὸν πλατὺν λεγόμενον μέσον ῥεῖν τὴν πόλεως σχεδαιὸν τὸ πλάτ͂ος. Notius vero nihil est ex sacris, quam Euphraten illic occurrere, tanquam discernentem Syriam occidentalem cum parte Arabiæ Desertæ à Mesopotamia & Chaldæa, *coll. Genes.* XI. 31. *Jos.* XXIV. 2. *&c.* & proponi quoque tanquam ultimum terminum terræ ab Israelitis occupandæ ab orientali septentrione *Genes.* XV. 18. *Deut.* I. 7. XI. 24. 2. *Sam.* VIII. 3. Urbium plurimarum seriem ad Euphraten sitarum reperies præterea apud *Ptolomæum Lib.* V. *Cap.* 18. ubi ille *Mesopotamiam* docet *ab occasu terminari parte exposita Euphratis fluvii juxta Syriam, à meridie reliqua parte Euphratis juxta Desertam quidem Arabiam usque ad finem.*

Fluvii denique hujus exitus in Mare, una cum lapsu in Tigrin.

VII. Restat adhuc fluvii hujus exitus, qui varius fertur. Scilicet ferri Euphraten *in Persicum Sinum* plus quam semel dixit *Strabo*, eum hac in parte parem faciens Tigridi; ἀμφότεροι ϯ πολλαχοῦ εἰς τ Περσικὸν κόλπον &c. ἔνθα ἐκδίδοντα εἰς τ κῦ Πέρσας θάλατταν. ὅπερ Εὐφράτης καὶ ὁ πύχις. Et quidem ita ut commixtionem fluviorum horum vix agnoscat, dicens eos συνάπτεσθαι ἀλλήλοις ἐγγὺς κῦ τ Βαβυλωνίαν, & Tigridem ἐκτρέχειν διὰ τ σελευκείαν συνάπτειν τῷ Εὐφράτ͂ πλησίον &c. εἶτ' ἐκδιδόναι κ αὐτὸν εἰς τ αὐτὸν κόλπον &c. ubi illæ voces Græcæ ἐγγὺς & πλησίον à *Xylandro* interprete male videntur prætermissæ, & non ad Babyloniam vel Seleuciam sed fluviorum contactum referendæ. Quo magis idem ut φανερῶς ἄτοπον rejicit, τὸ πολὺ ὕδατ͂ ϗ Εὐφράτ͂ ἐνδέχεσθαι τ πύχιν *Lib.* XVI. Facit cum eo *Dionysius Perieg.* ita de Euphrate scribens *Vers.* 978. *&c.*

Ὃς δή τοι πρῶτον μὲν ἀπ' ἤρεος Ἀρμενίοιο
Μακρὴν δὴ νόσον εἶσι: πάλιν δ' ἀγκῶνας ἑλίξας
Ἄντην ἠλίοιο μέσῃσι Βαβυλῶνα περήσας
Περσίδ͂ εἰς ἁλὸς οἶδμα θοὴν ἀπερείσεται ἀχνὴν,
Γαπύης πρόχοῃσι πρηΰνων ἐγγὺς ἰόντων.

Quæ

Quæ ſic in ſuis *Hypomnematibus* expreſſit *Euſtathius*; ὅτι περὶ ἀναπλάσεις τῆς καππαδοκίας ὁ Εὐφράτης ποταμὸς ἀπειρέσιος ὑπὸ τὸ Ἀρμενίων ὄρος ῥεῖ μακρὸν, ἐπὶ νότον τὸ πρῶτα, εἶτα ἐλίξας ἀγκῶνας πρὸς ἀνατολὰς, καὶ μέσην τὴν βαβυλῶνα περῶσας εἰς τὴν περσίδα θάλασσαν ἀπερύγεται, καὶ περὶ τὴν περσικὴν πόλιν περσεπολιν &c. Nec aliter *Ammianus Marcellinus Lib* XXIII. *Cap.* 6. apud *urbem Teredona poſt flexuras multiplices pelago miſceri Euphratem.* Convenit etiam, *quod Plinius* dixit ex *Nearcho & Oneſicrito Lib.* VI. *Cap.* 26. *Euphrate navigari Babylonem è Perſico Mari &c.* Sed *Herodotus* curſum Euphratis æque quam Tigridis deducit in *Mare Rubrum Lib.* I. *Cap.* 180. Τὸ μέσον τῆς βαβυλῶνος ποταμὸς διέρχει, ᾧ ὄνομα ἐστὶ εὐφρήτης, ῥέει δὲ ἐξ ἀρμενίων ἐὼν μέγας καὶ βαθὺς καὶ ταχὺς ἐξίει δὲ ἐς τὴν ἐρυθρὴν θάλασσαν. Eodem fere modo loquitur *Diodorus Siculus Lib.* II. Μετὰ τὸν νῶτον καὶ χάγχην εἶτες διεσημάτατοι χωρὸν τῆς τῆς Ἀσίας ποταμῶν Εὐφράτης καὶ Τίγρις, τὰ μὲν πηγὰς ἔχουσιν ἐκ τῶν Ἀρμενίων ὀρῶν, διεχόντας δὲ ἀπ' ἀλλήλων σταδίους χιλίους καὶ πεντακοσίους, εἰσχεόντες δὲ εἰς μηδίαν καὶ καθεξῆς ἐμβάλλουσιν εἰς τὴν μεσοποταμίαν, εἶτα ἀπολαμβάνοντες εἰς μέσον, εἶτον κατέχουσαν τὴν χώραν ταύτην τῆς εὐσπορείας· μετὰ δὲ ταῦτα τὴν βαβυλωνίαν διελόντες, εἰς τὴν ἐρυθρὰν ἐξερεύγονται θάλασσαν. Nec aliter *Joſephus* ipſe; εὐφράτης δὲ καὶ τίγρις εἰς τὴν ἐρυθρὰν ἄπεσον θάλασσαν. Quæ cuncta tanto lubentius deſcripſimus, quod ea quæ de ortu & curſu Euphratis antea ſunt dicta magis confirment. Videntur etiam iſti, qui de Perſico & Rubro Mari loquuntur, autores revera non diſſentire, quatenus Rubri Maris appellatio longe ultra unum Sinum Arabicum apud Veteres extenditur, adeoque Sinui Perſico communis eſt. Sed alii ſunt Autores, qui Euphraten tradunt non in Mare ſed in Tigridem influere, per quem in Mare deferatur. Sic ſane *Solinus* ſcripſit de Tigride; *Euphraten defert in Sinum Perſicum.* Sed ille heic lucem videtur accipere ex *Plinio Lib.* VI. *Cap.* 27. *Inter duorum amnium* (Tigridis & Euphratis) *oſtia* XXV. *M. paſſus fuere, aut ut alii tradunt* VII. *M. utroque navigabili. Sed longo tempore Euphraten præcluſere Orcheni, & accolæ agros rigantes; nec niſi per Tigrin deferitur in Mare.* Idem ille ſcripſit *Lib.* V. *Cap.* 26. *Scinditur Euphrates à Zeugmate octoginta tribus millibus paſſuum circa vicum Maſſicen. Et parte læva in Meſopotamiam vadit per ipſam Seleuciam, circa eam præfluenti infuſus Tigri. Dexteriore autem alveo Babylo-*

niam quondam Chaldæe caput petit, mediamque permeans, item quam Otrin vocant, distrahitur in paludes. Influxum Euphratis in Tigrin asserit etiam *Arrianus Lib.* VII. *de Exped. Alex.* & docet ejus rationem naturalem; τὸν δὲ ποταμῶν, τῶν ἐυφράτα καὶ ἔς πίγρι, εἰ τὴ μέσην σφῶν Ἀσσυρίαν ἀπείργασιν, (ὅθεν καὶ τὸ ἔτεμα μεσοποταμία ὠνόμασται τὴ ὄπιχωρίων καλέζεται) ὁ μὲν τίγρης πολὺ πλατύτερός τε ῥέων ἔς ἐυφράτα, διώρυχάς τε πολλὰς ἐκ ἔς ἐυφράτα ἐς αὐτὸν δέχεται, καὶ πολλοὺς ἄλλους ποταμοὺς ὑποδαλλόμενος, καὶ ἐξ αὐτῶν αὐξηθεὶς ἐσβάλλει ἐς τὴν πόντον περσικήν. Adde, quod *Ptolomeus Lib.* V. *Cap.* 18. non modo *scissionem* Euphratis, sed & ejus *commixtionem* cum Tigri ter pluſquam semel memorat, ſpeciatim *ſub* Ἀπαμείᾳ ponens τὴν ἔς βασιλείου ποταμοῦ πρὸς τὴν πίγριν συμβολὴν, poſtquam Euphratem *ſcindi* dixerat εἰς τε τὴν Μεσοβαζυλωνίαν ῥέοντα, καὶ τὴν δίχα σελευκείας, ὧν ὁ μεταξὺ καλεῖται βασιλεὺς ποταμός. Quæ ſciſſio ſpectata videtur ab *Ammiano Lib.* XXIII. *Cap.* 6. cum *Chaldæorum terras perfluere dicit potiores ante alios amnes hos quos prædixerat, & Marſen, & Flumen Regium, & Euphraten cunctis excellentem, qui tripartitus navigabilis per omnes eſt rivos inſulaſque circumfluens & arva cultorum induſtria diligentius rigans vomeri & gignendis arbuſtis habilia facit.* Quin etiam *Strabo Lib.* XV. agnoſcit τὰς μεταξὺ διώρυχας ἔς ἐυφράτα una cum aliis fluviis Suſianis συμπίπτουσας εἰς ἓν ῥεῦμα τὸ ἔς πίγριος, ὥστε ἓν τοῦτο καὶ τὰς ἐκβολὰς ἐνομάζεσθαι παραπλήσιον. Et *Lib.* II. producit τὸ χῶμα τὸ Μεσοποταμίας, ὃ ποιοῦσι συμπίπτοντες εἰς ἓν ὅτε πίγρης καὶ ὁ ἐυφράτης. Ex omnibus iſtis videtur conſtare Euphratis influxus in Tigrin, quem etiam facile ſuadet inculcata ab *Arriano* major Euphratis altitudo. Nec hunc audet diffiteri *Nic. Abramus*, eum *negari non poſſe* ſcribens, ſed inculcans hunc influxum non eſſe vel antiquiſſimum vel naturalem, ſed opera hominum ſerius incepiſſe; utique hanc theſin nequaquam univerſaliter probaturus, etiamſi vel factas novas quaſdam foſſas naturali aquarum impetu aut humana induſtria, vel antiquas & oblimatas quaſdam denuò reſtitutas eſſe, facile credamus. Non poſſum, quin deſcribam heic verba *Ill. Huetii*, ſententiæ *Abrami* plane oppoſita; *Omnes antiqui, & illi etiam, qui hos alveos manu factos accuratiſſime deſcripſerunt, tam aſſeveranter tamque conſtanti teſtimonio Euphraten cum Tigride per naturam conjungi, illoſque qui alios alveos fodiſſent, naturæ indicium ſaltem ſecutos eſſe, affirmant, ut ſine temeritate contrarium nemo ſtatuere poſſit.* Sed vellem, ipſum iſta An-

Antiquorum teſtimonia addidiſſe, æque quam illa ex *Fragmento Abydeni* apud *Euſebium Præp. Lib.* IX. *Cap.* 41. quod *omnia* in tractu Babylonico *ab initio aqua* fuerint, *Mare vocata*; unde aquarum decurſus in Euphraten tum à Viro Cel. concluditur naturalis non male. Sed novam difficultatem creant illi, qui omnem exitum tam in Mare quam in Tigrin Euphrati videntur negare. Inter quos eſt *Mela Lib.* III. *Cap.* 8. *Primum Syros, tum Arabas ingreſſus, non perdurat in pelagus, verum ingens modo & navigabilis, inde tenuis rivus, deſpectus emoritur, & nuſquam manifeſto exitu effluit ut alii omnes ſed deficit.* Cui jungendus *Polybius*, qui hæc de *Euphrate* habet *Lib.* IX. Ὁ γὰρ εὐφράτης ἢ μὲν ἀρχὴν λαμβάνει τῆς συρίας ἐξ ἀρμενίας, διαῤῥεῖ δὲ δι' ἐκείνης καὶ τῶν ἐξῆς τόπων, ὡς ἐπὶ βαβυλωνίαν, καὶ δοκεῖ μὲν εἰς ἢ ἐρυθρὰν ἐμβάλλειν θάλατταν, ἐ μὴν ἔστιγε τοῦτο, ταῖς γὰρ διώρυξι ταῖς ἐπὶ τὴν χώραν ἀγομέναις ἀπεκδαπανᾶται, πρὶν ἐκβολὴν εἰς θάλατταν ποιῆσθαι. Et faciunt huc quoque quæ *Arrianus* habet de *Pallacopa*, per quem magna pars aquarum Euphratis *in lacus* derivetur, atque ita hic exhauriatur labens, ut Aſſyriorum campi ab eo irrigari amplius nequeant; quod quidem Babyloniorum Satrapam coëgerit, & Alexandro ſuaſerit in uſus Aſſyriorum iſtum Euphratis in Pallacopam egreſſum difficulter obſtruere. Sed cogitandum eſt, hæc de Euphrate dicta ſpectare ad ejus jam diviſi alveum unum qui nomen ſuum diutiſſime fortè retinuit; ſicuti iſtam in *paludes diſtractionem* tantum *dexteriori alveo* Euphratis adſcribit *Plinius*, & perinde apud *Philoſtratum Lib.* I. *de Vit. Apoll. Cap.* 14. legimus, ἐς ἕλη ἀφανίζεσθαι τὸ πολὺ ἓ εὐφράτου, καὶ πλάτη τοῦτον ἐν τῇ γῇ.

VIII. Atque ſic d. Euphratis exitu ſtatuendum omnino ex collatione horum Autorum videtur, quod in Chaldæa non adeo procul à Babylone ille ſciſſus, partim in Tigrin influat, ſic in Mare Perſicum ducendus, uno cum Tigride vel etiam duplici potius diſtincto oſtio, ob novam aquarum diviſionem poſt conjunctionem, de quo poſtea latius agetur; partim in terras irriguas lacus & paludes derivetur, verſus dextrum latus Arabiæ, ubi Euphratis exitum in mare antiquum præcluſerint Orcheni in ſuos uſus, accedente etiam forte providentiæ divinæ ſpeciali per tempeſtates ductu, qui exitum antiquum Euphratis illi impedierit. Eo ſane modo *Plinii* verba, de *Orchenis præcludentibus Euphraten*, longe ſimplicius vi-

Conferuntur aliæ Veterum traditiones de Euphratis curſu & exitu.

videntur intelligi, quam ſi cum *Salmaſio* a Pallacopam ſeu foſſam credamus eum reſpexiſſe, per quam amnem fere omnem exhauſerint, atque à recto curſu & exitu ſuo abduxerint Orcheni; quo magis de extremis oſtiis Tigridis & Euphratis illic loquitur *Plinius*. Conferri cum dictis his merentur, quæ *Bochartus* habet *Phaleg. Lib.* 1. *Cap.* 8. ex *Geographo Nubienſi*, de uno alveo Euphratis in Tigrin influente *è regione Bagdad* (quam *Seleuciam* ille credit,) *& reliqua ejus parte è Rahaba a tergo deſerti diviſa in varia brachia, quorum unum pergit ad Tſariſar, aliud ad Alcaiſar*, (quod *Almelic* dictum idem ipſe putat cum βασιλείῳ ποταμῷ, vel *Naarmalcha*, vel *Chobar* apud *Ezechielem*, Apamiam ſtatuens eſſe Alcaiſar,) *aliud ad Sura*, (ad quod ſita Babylon & prò quo vitioſe legatur ποταμὸς σὺν *Baruch.* 1. 4.) *quartum denique ad Cufam*, (quod apud alios veniat nomine *Narraga*, vel *Baarſaris*, vel *Maarſaris*, vel *Marſyæ.*) Ex iſto porrò tam diverſo exitu Euphratis velim judicari de incertiſſimis non tantum ſed & ineptiſſimis fabellis, quas nobis propinarunt aliqui Veteres, ac ſi Euphrates terræ voragine abſorptus in Africa demum emergeret ad Nilum conſtituendum. Quod ſerè legitur apud *Pauſaniam in Corinthiacis*; Καὶ δὴ καὶ αὐτὸν ἔχει ὁ Νεῖλος λόγῳ ἐμφερῆ τῷ ἐς ἅλα ἀφανίζεσθαι. καὶ ἄνυδρις αὐτίκα ὑπὲρ Αἰθιοπίας, Νεῖλος γίγνεσθαι. Quemadmodum & *Philoſtratus* monuit illud à nonnullis audacius addi, Euphraten ἐν τῇ γῇ ἔνια ἐς Αἴγυπτον τ' ἀναφαίνεσθαι, καὶ Νείλῳ συγκεράννυσθαι. Utique dum aqua Euphratis, quæ non labitur in Tigridem, modica ſatis, facit a terræ neceſſariam modo irrigationem, nullam prorſus hoc meretur fidem, quod eadem ſubter Arabiam omnem & latum pelagus feratur in ciſſitam longiſſime Æthiopiam ut ibidem emergat. Et videtur in re ſeria ludere *Nic. Abramus*, quando perſuadere nobis vult, eam fuiſſe mentem *Lucani*, cum cecinit *Lib.* III. *Pharſal.*

——— *Sed ſparſus in agros*
Fertilis Euphrates Pharia vice fungitur unda.

Neque enim aliud ipſum reſpexiſſe quam ſimilitudinem Nili & Euphratis in terrarum adjacentium irrigatione, ſatis clarum eſt. Ad quam augendam & hoc facit, ſi verum eſt, quod *iiſdem ferme temporibus* exundatio fiat utriuſque hujus fluvii, obſervante juxta *Plinium* hoc *Solino*, qui addit: *quod Gnomonici ſimilibus parallelis accidere contendunt, quos pares in terrarum poſitione æqualitas norma-*

malis efficit lineæ, unde apparet ista duo flumina ad modum ejusdem perpendiculi constituta, licet diversis manent plagis, easdem incrementi causas habere. Verba isthæc latissime illustrata juxta rem ipsam vide apud *Illust. Salmasium*, qui horum occasione invehitur in *omnia Solviniana*, tanquam *nugatoria*, *inepta*, *frivola*, *falsa*. Interim ex illa exundantia Euphratis instar Nili ego potius colligerem, illius aquas per amplas voragines subterraneas in Nili fontes non tendere; quia sc. hoc si fieret, absque diffusione per agros peterent istos meatus facile ut alibi emergerent; nisi nimis angustos credideris meatus, quando tardius aquæ iterum in Nilum ascenderent, atque hujus per ampla ostia impediretur exundatio. Ejusdem commatis est traditio *Eratosthenis* apud *Strabonem Lib.* XVI. Τὸ ὕδωρ τῶν λιμνῶν πρὸς τῇ Ἀραβίᾳ ὑπορύμματον διεξόδων ἀνοίξαι πόρους ἐπὶ γῆς, καὶ δι' ἐκείνων ὑποφέρεσθαι μέχρι Κοιλοσύρων, ἀναθλίβεσθαι δ' εἰς τὰς περὶ Ῥινοκόλουρα καὶ τὸ Κάσιον ὄρος ποταμούς, καὶ ποιεῖν τὰς ἐκεῖ λίμνας, καὶ τὰ βάραθρα &c. Quam etiam refutat *Strabo*; οὐκ οἶδα δ' εἰ πιθανῶς εἴρηκεν, αἱ γὰρ ἐν Φράτῃ παρεκχύσεις αἱ ποιοῦσαι τὰς πρὸς τῇ Ἀραβίᾳ λίμνας καὶ τὰ ἕλη, πλησίον εἰσὶ τῶν πέρσας θαλάττης, ὁ δὲ διείργων ἰσθμὸς οὐκ πολύς ἐστιν οὐκ πεζεύσης ὡς πὸ ταύτῃ μᾶλλον εἰκὸς ἰῶ βιάσασθαι τὸ ὕδωρ εἰς τὴν θάλατταν, εἶτ' ὑπὸ γῆς. εἶτ' ἐπὶ πολὺς, ἢ πλείους τῶν ἑξακισχιλίων σταδίων διανύειν, ἄνυδρον καὶ ξηρόν &c.

CAPUT UNDECIMUM.

Quo de Fluvio apud Mosen Tertio Hiddekel, seu Tigride, copiosius disseritur.

Mosaicus textus de Tertio Fluvio Hiddekel cum variis ejus versionibus exhibetur.

Postquam de *Prath Fluvio Quarto* actum est primò tanquam reliquis apud Mosen præmissis notiori, ob eandem rationem de *Fluvio Tertio Hiddekel* agemus ante primum & secundum nempè Pishon & Gihon. Hujus scil. non tantum nomen habet Moses, sed & cursum addidit, his verbis *vers.* 14. ושם הנהר השלישי חדקל הוא ההולך קדמת אשור. Quæ verterunt LXX. Καὶ ὁ ποταμὸς ὁ τρίτος τίγρις, ὅτος ὁ πορευόμενος, vel ὁ πρὸς πορευόμενος, κατέναντι Ἀσσυρίων. *Vulgatus* autem, *nomen vero fluminis tertii Tigris, ipse vadit contra*

Assyrios; porro *Onkelos*, דיגלת הוא המהלך למרנחא תליתאה נהרא ושום / *& nomen fluvii tertii Diglath, is qui vadit ad orientem Attur*, conveniens fere cum paraphrasi *Jonathanis*; tandem, ut alios mittam, *Syrus*, ܕܩܠܬ ܗܝ ܕܗܠܟ ܩܕܡ ܐܬܘܪ ܘܫܡ ܢܗܪܐ ܬܠܝܬܝܐ *& nomen fluvii tertii Deklath, qui abit versus*, vel *ex adverso, Atur*; dum voces Hebrææ ad literam sonant, *& nomen fluvii tertii Hiddekel, ipse vadens coram*, sive *versus*, sive *ad orientem*, aut *per orientem*, aut *in oriente*, *Asshur*. Ubi si rogetur ratio, cur fluvium hunc *tertium* demum constituerit Moses, non est illa in præstantia minori fluvii hujus præ aliis quærenda, ob ejusdem maximam celebritatem, quam dein videbimus; sed repetendæ sunt conjecturæ quas circa Prath quartum fluvium ante dedimus nos.

De Nominibus Hiddekel, Diklath, Diglah, Deglah, & Tigris, agitur distinctius.

II. Nomen hujus fluvii est itaque apud Mosen חדקל / *Hiddekel*, vel *Chiddekel*, quod semel adhuc legitur cum encomio *fluvii magni Dan.* x. 4. ubi in multis Codicibus Græcis etiam est, πήγεις ἰδδεκέλ, vel ἐδδεκέλ, vel ἰδδεκίλ, quodque magno consensu derivant eruditi à חדד / *acutum esse*, & קלל *levem* vel *velocem esse*, sive ab adjectivis hinc derivatis חד & קל *acutus & velox*; quamquam prius illud *acutum* nonnulli referant ad aquarum *claritatem*, alii ad *saporem* earum penetrantem, dum rectius refertur ad velociam cursus quæ est in acutis major quam in obtusis, vel ad alvei formam quæ fluxus velocitatem quoque peperit. *Jarchi* dixit שמימי חדים וקלים quod *aquæ ejus sint acutæ & veloces.* Est ergo nomen hoc fluvio magno & rapido convenientissimum, ex origine sua; nec quidquam aliud determinat de ejus situ aut qualitatibus, quando nec apud alios autores idem prorsus sonus vocis occurrit. Proxime ad sonum Hebraicæ vocis accedit Syriaca ܕܩܠܬ utpote in qua tres literæ integræ retinentur, addita tantum litera terminali, & abjecta initio aspirata ח / secundum Syrorum frequentem consuetudinem, quasi hæc esset habenda pro ה demonstrativo, aut derivanda ex חד Chaldæo prò אחד. Iterum proximè ad sonum Syriacæ vocis Arabica & Persica accedit دجله *Diglah* vel *Deglah* quemadmodum & Chaldaica utriusque *Paraphrasios* דיגלת per levem mutationem literæ ד / seu asperioris in ג seu g. molliorem, quæ innumeris aliis exemplis constat; ex quibus adduxit hei *Huetius* sequentia, *Agbarus, Atergatis, Agrigentum, Gajus & Gnejus, Gurgulio*, derivata ab *Acbar, Derceto, Acragas, Cajus & Cnejus, Curculio.* Habet ve-

ro

ro hanc eandem etiam *Josephus*, Hebraicam vocem exhibiturus, simul cum significatione addita quam antea exhibuimus, *Antiq. Lib.* 1. *Cap.* 2. καλεῖται πίχης, vel πίχις, ὃ δηλοῖ, ἐξ ὃ φράζεται τὸ μὴ σύνετον ὀξύ, *vocatur autem Tigris Diglath, quod interpretatur angustus simul & velox*, interprete *Sigism. Gelenio*, seu *quod indicat acutum aliquid & angustum*, vertente *Ruffino*, dum *Huetius* vult locum Græcum *emendandum & legendum pro* ἐξ ὃ φράζει, ὃ ἀφράζει, *quod explicatur angustus & levis.* Habet eandem fere vocem *Plinius Lib.* VI. *Cap.* 27. *Ipsius, qua tardior fluit, Diglito*, (est ista mutatio ex statu vocis emphatico) *unde concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari.* Etiamsi in illa nominum duorum distinctione & applicatione ad varias fluvii partes ipsum non sequantur eruditi multi. Quin etiam nomen idem *Degil* vel *Tegil* vel *Degila* vel *Degela* servari adhuc in oriente ferunt. Quod utique, nisi ista vocis origo ex Mose videatur obstare, satis commode derivari posset à דקל *ebullire* apud Chaldæos; collato tum loco *Plinii*, ubi *fluvii* hujus initio tribuit nomen *Diglito*, tum *Hesychii*, ubi *Tigris* nomen exponit ὁ ἓξ ποταμὸς ῥοῖζον, addens de fluvio ipse quæ intelligi fere aut probari nequeunt, ᾧδε μὲν ἰουδαίοις Φορράθη, ᾧδε δὲ ἕλλησι πίγρις, dum conjicit *Sopingius* per Φορράθη *intelligere* ipsum *Euphratem*, adjicitque alias difficiles ipse voces, *qui Hebræis* פרת *à fertilitate.* Græci vero & Latini usurpant nomen *Tigris* vel *Tigridis*; quod cum sit apud LXX. quoque, nescio cur *Europæis* id quasi vindicet *Huetius.* Est autem sententia satis communis & prorsus verisimilis, & hoc quoque fluxisse ex voce Hebraica secundum Arabicam & Persicam flexionem; ita ut ד initialis conversa sit in literam ejusdem proxime soni ר *l* sicut in *Iota*, *Azotus*, *Artaba*, *Atergatis*, factum notat *Huetius*, & ל *l.* mutata æque facile & frequenter in ר *r.* juxta obvium in pluribus linguis usum, & terminatio tandem Græco Latinoque usui accommodata. Notum cæteroquin est, nomen *Tigris* derivare alios, seu ab animali ejus nominis velocissimo, quod *velocitatis tremendæ* juxta *Plinium Lib.* VIII. *Cap.* 18. seu à vocabulo Persico, vel Medico, vel Armeniaco, secundum *Varronem*, *sagittam* notante. Prius legas prolixe narratum & deductum apud *Eustathium in Hypomnematibus ad Dion. Perieg. vers.* 984. Κατὰ δέ τινας ᾠδὴ ἡ πίχειν τὸ ζῶον ἡ κλῆσις ἐστὶ τούτῳ τῷ ποταμῷ, ἢ ἡ γενικὴ τίγρι ᾠδὴ τῷ Ἀσσυρίῳ. Μυθεύεται γὰρ, ὅτι Σύλαξ ποτὲ καλούμενος ἦτο ὁ ποταμὸς, ὃ ἐστι κατωφερὴς, ὕστερον ἐκλήθη Τίγρις, δι' αἰτίαν τοιάνδε.

Μαίνεπω Διόνυσ☉ Ἥρας προνοίᾳ, καὶ φοιτῶν ὅπι τύχοι, γίνεπω κὴ σοὶς τῷδε τῷ ποταμῷ, καὶ θέλων εἰς τὸ πρόσω ἀλαθῆναι, ὅπῃ ἔχει. Ὠικτίζεπω ἢ αὐτὸν ὁ πατὴρ Ζεὺς, καὶ πέμπει ζῶον Τίγριν, ὃς ἔστι τῷ Διονύσῳ καθηγησάμεν☉, αὐτῷ μὲν ποιεῖ τὸ θυμὴ ες, τῷ δὲ ποταμῷ ἀφ' ἑαυτῦ καλεῖσθ☉ ἀφῆκε. Καὶ ἄλλως κὴ δίχα τ☉ μυθικῆς ταύτης ἐπιβολῆς, τ☉ σοὶς τὸ ζῶον ὁμωνυμίαν ὁ ποταμὸς ἔχει, διὰ τὸ βέυμα τ☉ ἐξύ. Θηρίον γὰρ ὁ τίγρις ἐμόνον ἡλέφαντ☉ πολὺ ἀλκιμώτερ☉, ἀλλαὶ κὴ τ☉ ὠκύτητα ῥᾴων εἰκαθῆναι. Διὸ κὴ ὁ τῷ Ἰουλιανῷ δοθεὶς ἀπατηλὸς χρησμὸς ὧδε θηρὶ ποταμῷ ἐπέχειν ποιῆσαι τὰ θρυλλέμενα, ἤγουν ὧδε τῷ θηριωνύμῳ Τίγρει. Responsum illud Juliano datum habet *Theodoretus Hist. Eccles. Lib.* III. *Cap.* 21. monstraturus τὸ ψεῦδ☉ τῶν χρησμάτων. Atque ipsam illam derivationem nominis ab animali fero, quam habet quoque *Eusebius de Loc. Hebr. fluvium vocari hoc nomine* monens *propter velocitatem, instar bestiæ nimia pernicitate currentis*, & *Philostorgius Lib.* III. *Cap.* 7. *&c.* munit etiam *Guil. Hill* exemplis aliis, quando *fluvios duos Assyriæ in Tigrin se exonerantes* Λύκον & Κάπρον *bestiarum nomine similiter Græci appellant.* Posterius idem habet *Eustathius* etiam ante prius, conferens aliud exemplum; Διὸ φασὶ κὴ Τίγρις καλεῖσθ☉, ἤγουν ταχὺς ὡς βέλ☉. Μῆδοι γὰρ Τίγριν καλοῦσι τὸ τόξευμα ὕτω ἢ ὁ Ἄξις ποταμὸς Σικελικὸς ὧδε Θεοκρίτῳ, διότι, φασὶν, ἀκίδι τὸ τάχ☉ τ☉ βέυματ☉ ἐκείνυ ἔοικε. Nec aliter *Plinius Lib.* VI. *Cap.* 27. *Unde concitatur, a celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam.* Vel etiam *Solinus Cap.* XXXVIII. *Primo pigrè fluit, nec cum suo nomine, at cum fines Medorum invectus est, Tigris statim dicitur. ita enim nominant Medi sagittam.* Vel *Q. Curtius Lib.* IV. *Cap.* 9. *Nec sane alius ad Orientis plagam tam violentus invenitur, multorum torrentium non aquas solum sed etiam saxa secum trahens; itaque à celeritate qua defluit Tigri nomen est inditum, quia Persica lingua Tigrim sagittam appellant.* Vel ipse *Strabo Lib.* XI. post memoratam fluvii τ☉ ἐξύτητα subjiciens; ἀφ' ἧς κὴ τἄνομα, μήδων τίγριν καλούντων τὸ τόξευμα. Quod adeo placet nonnullis, ut tam animalis quam fluvii nomen ab illo *sagitta* fluxisse conjiciant, conferentes vocabulum Chaldaicum חץ / unde Medicum *Tigris* sit factum per additionem literæ primæ tanquam *Heemanticæ*, cum *Martinio*, vel etiam Persicum *Tojor* & Arabicum *Tajaron*, jusdem fere significationis, cum *Huetio.* Confertur quin etiam ab hoc Viro Doctissimo, quod certo loco Nili *Diodorus Siculus Lib.* I. *tribuit* τ☉ καταφορὰν ☉ ποταμῦ,

τομῆ, ἔτως ὀξεῖαν ἢ βίαιον, ὥστε δοκεῖν μηδὲν βέλος διαφέρειν; quodque ipsum vetus nomen Σύλαξ vel *Sollax* commode derivari queat à vocabulo שלה *propulsi* instar jaculi, vel שלח *jaculi*. Quomodo porrò idem nomen scribatur rectius, Τίγρις, vel Τίγρης, quomodo flectatur in obliquis casibus, atque unde sit deducendum aut quorsum referendum nomen aliud τίγρης, apud *Arrianum & Julianum*, non est necessum ut prolixè inquiramus. Videri de iis potest *Eustatius* loco adducto, atque erudite hunc simul & *Herodotum* illustrans *Claud. Salmasius in Plin. Exerc.*

111. Quidquid vero fuerit de origine nominis *Tigris*, non male per illud videntur Interpretes nomen Hebræum *Hiddekel* exposuisse; quandoquidem non abludit, vel nominis *Hiddekel* notio cum natura & nomine Tigris aliunde derivato collata, vel conjunctio cum Euphrate, vel etiam ulterior Moïs descriptio ab *Assyria*, apud quam vadit. Est heic controversa phrasis illa קדמת אשור. Etenim intelligunt multi ità eam; ut nudam viciniam Assyriæ notet, sive referatur *contra*, sive *versus*, sive *coram*, sive è *regione*, vel *ex adverso Assyriæ*. Atque is sensus vocis uti convenit usui Chaldaico & Syriaco קדם & קדמא, & præterea ipsi radici Hebraicæ קדם notanti etiam *antecedere*, unde & *orientis* & *antiquitatis* significatio fluxit, ita agnitus est à LXX. & *Vulgato*, & judicatur heic esse necessarius ob situm *Assyriæ*, quocunque modo intellectæ latius vel strictius, qui interdicat heic de Oriente Assur cogitare. Illa enim terra *Assyria*, seu per solitam literarum mutationem à *Xiphilino* ipso observatam *Atyria*, unde etiam apud *Suidam* nomen regis Θύεγες, sic dicta uti videtur à filio Shemi ejus nominis *Genes.* x. 22. 1. *Chron.* 1. 17. stricte accepta, est *Adiabene*, quam non tantum *Plinius* notat *Assyriam ante dictam Lib.* v. *Cap.* 12. & *Assyriorum initium* appellat *Cap.* vi. 13. sed & *Ammianus Marcellinus* scribit *priscis temporibus Assyriam vocitatam Lib. XXIII. Cap.* 6. Ubi præterea hic observavit non esse illam dictam *Adiabenam* quasi ἀ διάβατον, quod *inter Onam & Tigridem sita navigeros fluvios adiri vado nunquam potuit*, sed à *duobus perpetuis amnibus Diaba & Adiaba*, quæ nomina juxta Hebræorum & Chaldæorum הדיב non infeliciter derivat *Bochartus* à Chaldæorum דיב & דיבא notante *lupum*, adeoque idem cum λύκος Græcorum. Atqui illa regio, una cum *Nino* vel *Ninive* metropoli *Genes.* x. 11. 2. *Reg.* xix. 36. *Jon.* 1. 2. *&c.* sita fuit, non ad occasum Tigris, uti scribit *Plinius fuisse & Ninum impositam Tigri ad solis occasum*

De Assyria agitur, & quo modo intelligatur ac Tigri conveniat quod Moses eum dicat הולך קדמת אשור / ostenditur.

ſpectantem quondam clariſſimam Lib. VI. *Cap.* 13. ſed ad ejus ortum circa Lycum flumen, jux a Veteres alios, ut adeo Tigris ab occidente Aſſyriæ fluens hanc à Meſopotamia diviſerit, & Mauſil Moſal vel Almozal Nino ab occidentali latere Tigris opponatur. Aſt *Aſſyriæ* nomen ſi latius volueris extendere ad regna ab Aſſyriis dein occupata, ne ſic quidem ad Orientem ejus conſtitui poterit Tigris; ſiquidem præcipua & vetus Aſſyria ſic locum ſuum non mutat, nec minus ejus limites verſus orientem quam occidentem protenſi fuere, adeò ut nomen etiam commune fuerit factum Medis & Perſis. Quamvis autem verum ſit, Scriptores Græcos & Latinos nomina Aſſyriorum & Syrorum, à quorum oriente fuit Tigris, aliquandò inter ſe permutare, uti multis exemplis oſtendit *Cel. Bochartus*, quod unde factum ſit plures ſunt conjecturæ; non videtur id in diſtinctiſſimis vocibus Hebraicis Aram & Aſhur poſſe locum habere, aut tempore Moſis quando Aſſuris imperium eo uſque extenſum fuiſſe non conſtat, nec habet ſane in Scriptura locum, ob perpetuam Syriæ & Aſſyriæ diſtinctionem. Difficultatis hujus ſatis magnæ conſcientia fecit, ut tranſtulerint *Tremellius & Junius*, *ad orientem Aſſyriam verſus*, ac ſi eſſent duo nomina abſoluta; ſicut *Huetius* imputat *Calvino*, quod tranſtulerit cum conjunctione, *verſus Orientem & Aſſyriam*, quod tamen apud ipſum neutiquam reperio. Non obſtant iſta tamen omnia, quo minus *Paraphraſtas* & *Magiſtros* ſequantur alii multi, verba Hebræa קדמת אשור vertentes, *ad orientem Aſſhur*. Hanc ſcil. dicunt eſſe perpetuam notionem קדמה & קדם / ubi ad locum, non autem ad rem, refertur; quam in rem conferri poſſint loca *Gen.* II. 8. III. 24. IV. 16. XXI. 30. 2. XXV. 6. 1. *Sam.* XIII. 5. *&c.* Etiamſi porro verum ſit, quod Tigris non claudat ab oriente extremo Aſſyriam, recte *ad orientem Aſſyriæ* vadere dicetur tamen, duplici quidem aut triplici ſenſu. Primo, quatenus *Oriens Aſſyriæ* dicetur merito illa pars orientis, quæ Aſhuri ceſſit & ab eo Aſſyria eſt denominata, in oppoſitione ad Hedem ipſam & alias regiones quæ ob orientalem ſitum juxta Aſſyriam nomen Orientis merentur & obtinent; quo modo legimus alias de multiplici *Aram*, nempe *Aram Beth Rechobh*, *& Aram Tſobha*, *& Aram Mahachah*, *& Aram Naharajim*, *& Aram Dar Meſek &c.* Id quod forte ſpectavit verſione ſua à verbis recedente, juxta *Tremellium* & *Junium* ac ſequentem *Piſcatorem*, etiam *Caſtalio*, *in orientem*, *qua eſt Aſſyria.* Alia eſt interpreta-

tio,

tio, ſi *orientem Aſſyriæ* dicamus poni pro parte Aſſyriæ orientali, in oppoſitione ad extenſos etiam latius, & quidni ſatis antiquo tempore, ejus regni terminos in occidentem, dum *Plinius Meſopotamiam totam Aſſyriorum fuiſſe* dicit, *vicatim diſperſam præter Babylona & Ninum Lib.* VI. *Cap.* 26. ut ſic Aſſyriam orientalem & occidentalem diſtinguens textus, non in hanc per quam potius tranſibat Euphrates, ſed in illam fluxiſſe velit Tigrin. Quin & tertio dici poteſt, quod *Oriens Aſſhur* ſimpliciter queat exponi de Aſſhur ſita in oriente ſeu conſtituente orientem; prout genitivus ſæpe eſt declarativus ſui nominativi, atque hoc ſenſu de *inferioribus partibus terræ, ſcuto fidei, thorace juſtitiæ &c.* legimus. Cum ergo tam multiplici ratione queat *Orientis* notio heic teneri, non video cur à ſolita illa ſit recedendum hoc loco; & cur in diſputatione adverſus eam hoc ſupponendum cum *Huetio*, quod Tigris ſic *ad orientem reſpectu Aſſyriæ* omnis conſtituatur. Ne jam dicam de Tigridis alveo uno circa Apamiam *flexo ad Septentrionem*, adeoque ad Orientem Aſſyriæ per Suſianam, quem ex *Plinio* urget *Carverus*; quandoquidem ille nec præcipuus eſt, nec adeo longus, aquis remeantibus in meridiem. Sed controverti porro poteſt ſignificatio verbi הלך / & ſimul ejus conjunctio cum *Oriente Aſſhur.* Nempe notat verbum illud *progreſſum* ab uno loco ad alium, hinc tam *abitum* quam *aditum*; quæ ſignificatio omnis cum heic locum queat habere, videtur tamen vel illa *aditus*, vel communior *progreſſus* heic præferenda. Ut adeò non ſignificetur exitus *ex oriente Aſſhur*, ſed poſt memoratum progreſſum ex Heden & communi ejus fluvio, proceſſus ſeu *ad* ſeu *per orientem* ſeu *in oriente Aſſhur*, ex quibus præpoſitionibus aliquam pro lubitu eligere potes dum res ipſa per eas ſignificata facile connectitur; quo pacto de ambitu Havilæ & Cush in aliis fluviis legimus. Notandum hoc inſuper, quod *progreſſus* fluvii quoad aquas ſuas propriè quidem fiat à fonte ad oſtium; ſed quod tamen uſus communis loquendi omnino ferat ut fluvium aliquem progredi dicamus ab oſtio ad fontem, quatenus illuc protenditur alveus ejus cum aquis ſuis, & per eum progredi licet animantibus & hominibus. Nec multum intereſt, qualem progreſſum heic intelligas; cum fluvius Hiddekel, alibi natus, ad & per Aſſyriam adeoque in illa defluat ita ut ſimul ex illa iterum elabatur, & via ejus ſeu proc ſus retrò putari poſſit in Aſſyriam. Quocunque modo cuncta ille ſe habeant, ſemper manet hic fluvius

Hid-

Hiddekel fluvius in *Assyria* præcipue fluens, per quam terram hunc ab aliis fluviis distinxit Moses. Atque id convenit *Tigri* fluvio, quem in *Assyria* inveniunt omnes, tanquam præcipuum fluvium in quem alii etiam minores illabantur. Neque negant idem per omnia, sed & firmant, qui videntur dissentire. *Fr. Junius* utique *superiorem* apud Mosen intellexit *Nahar Malcæ vel Basilii alveum, qui supra Seleuciam influit in Tigrin*; sed agnoscit tamen *Chiddekel proprie significare Tigrin*, hunc quem ipse urget usum vocis esse *synecdochicum*, & Basilium *nomen Tigris mutuari* ob influxum in eundem. Et perinde nuper *Ioh. Clericus alium* monet *intelligi Tigridis alveum, qui hodie nullus est, & quo olim, postquam cum Euphrate aquas miscuerat, in Orientem, Assyriam versus derivabatur*; agnoscens ergo perinde in Hiddekel Tigrin. Interim uterque mittit fluvium quem habemus hujus nominis hodieque; & ponit unus nomen ejus communicatum esse cum alveo uno Euphratis in eum illabentis, absque autoritate & contra verisimilem rationem cum ex Euphrate in Tigrin aqua illaberetur Basilii; alter vero, alveum ejusdem & fluxum minus notum & minorem, eundem ut videtur, quem tanquam septentrionalem, minorem, Assyriæ antiquæ orientalem, imo & Susianum, ex *Plinio*, *Stephano*, *Diodoro*, & *Daniele* ipso, adduxit *Carverus*; præterquam quod hic *Orientis* mentionem immiscet improvide utpote קדמת vertens *versus*. Non obstante itaque hoc dissensu de brachio Tigris potuit recte scribere *Calvinus*; *Duo ex capitibus esse Euphraten & Tigrim satis inter omnes convenit, nemo enim litem movet, quin* חדקל *sit Tigris*. Et perinde *Matth. Beroaldus*; *Noti autem sunt ex aliis Scripturæ S. Locis Tigris & Euphrates, nec de iis a quoquam ambigitur, unde nulla de iis relinquitur dubitatio*. Si post hæc roges, cur Tigrim fluvium notissimum sic magis à cursu suo quam Euphraten describere voluerit Moses? credo ego idem factum esse ad fluvii hujus commendationem apud populum Israël, Assyriæ remotioris minus quam Syriæ propioris tunc quidem conscium, atque ut appareret quam lata terræ fieret irrigatio ab isto uno fluvio quadripartito quo primum alluebatur Paradisus in Heden, quam eandem ob causam de cursu Pishon & Gihon etiam differuit Moses. Quamquam simul notari queat, sic magis distinctum esse hunc fluvium ab aliis ejusdem nominis qui feruntur, & qui facile ex vocis origine & notione cogitantur. Ubi non opus

Digitized by Google

opus est disputare de vera lectione *Xenophontis Lib.* v. *de Exp. Cyr.* ubi in Paphlagonia is habet fluvium secundum, sive *Tigrim* sive *Irin*; quando *Herodotus Lib.* v. *Cap.* 52. in ipsa Armenia ponit ποταμὸς νησοι περητὰς τέσσαρας, ac inter hos Τίγρης, μὴ ὃ δεύτερόν τε καὶ τέταρτον ὠὐτὸν ὀνομαζόμενον, οὐκ ὠὐτὸν ἐόντα ποταμὸν ἀδὲ ἐκ ἑωυτέ ῥέοντα, τὸ μὲν πρότερον ἐξ Ἀρμενίων ῥέοντα, τὸ δὲ ὕστερον ἐκ Μαπηνῶν &c. quamquam & heic aliqui loco Τίγρητος legant Πίγρητα, & nomina illa duo fluviorum distinctorum distincta statuant. Quemadmodum vero plures hinc colliguntur Tigrides, sic & varia de *Nini* situ testimonia *Bochartus* non videt *aliter posse conciliari, quam si dicatur duplex fuisse Ninus, una ad Euphratem in Comagena, altera in Assyria trans Tigrim, quas licet diversissimas tamen promiscuè sumunt Scriptores, passim Euphratensi tribuentes, quæ propria sunt Trans-Tigritanæ. Phaleg. Lib.* IV. *Cap.* 20.

IV. Pauca ergo de hoc fluvio, quem *Hiddekel* Moses cum Daniele, aliique plurimi *Tigrin* vocant, adjiciemus extra Mosen, ex quibus ille magis nobis innotescat, & nos felicius de situ Paradisi judicemus. Atque sic deprehendimus hunc quoque fluvium satis *amplum* & vastum. Id liquet ex *Daniele Cap.* x. 4. ubi illum הנהר הגדול *fluvium magnum* vocat. Docent idem omnes, qui Euphrati hunc jungunt cum *Mela*, *duos* nominante *claros amnes*, *Tigrin Persidi propiorem*, *ulteriorem Euphraten Lib.* III. *Cap* 8. Quin & *Diodorus* non modo hos duos μεγάλους vocat, atque μὴ τὸ νεῖλον καὶ γάγγην ὑπερμεγέθεις ὄντας τῷ ὄγκῳ τῶν Ἀσίαν ποταμῶν *Bibl. Hist. Lib* II. sed & mensuram Tigris determinavit, tribuens illi πλάτος μὲν ὀκτὼ πλέθρων τριῶν σταδίων, ἔστι δὲ ὅτε καὶ τεττάρων *Lib.* XIX. Et colligas meritò eam fluvii hujus magnitudinem ex aliis fluviis pluribus illabentibus; qualis apud *Diodorum Lib.* XIX. ὁ κοπράτης ποταμὸς, ὃς ὑπὸ ἐκ τινος ὀρεινῆς ῥέων ἐξέπιπτεν εἰς τὸν πόντον; qualia apud *Plinium* Armeniæ *flumina clara*, nominibus variè lectis expressa; qualis præ aliis etiam *Lycus*, & ipse *Euphrates*. Unde meritò scripsit *Arrianus Lib.* VII. *de Exp. Alex.* ὁ μὲν πόντος πολύ τι ταπεινότερος ῥέων ἢ Εὐφράτης, διώρυχός τι πλέας ἐκ ἢ Εὐφράτης ἐς αὐτὸν δέχεται, καὶ πλέας ἄλλας ποταμὸς παραλαβὼν καὶ ἐξ αὐτῶν αὐξηθεὶς, ἐκβάλλει ἐς τὸν πόντον περισσότερος; & perinde *Curtius* l. a. quod *multorum torrentium aquas secum trahat*. Deprehendimus dein hunc fluvium præ aliis *profundum*. Inde est, quod *Arrianus* notavit, μέγας τε καὶ βαθὺς ἔστι διὰ τῶν

Fluvii hujus observatur amplitudo, profunditas, & rapiditas.

ἐκβολὴν, rationem addens hanc bimembrem, καθότι ἡ καταναλίσκουσα αὐτὴν ἄδηλον εἰς τὴν χώραν, ἔστι γὰρ μετεωροπόρος ἡ ταύτῃ γῆ ὑδατώδης, ἀδὲ ἐκδίδωσιν οὕτως ἢ τὰς διώρυχας οὐδὲ εἰς ἄλλον ποταμὸν, ἀλλὰ δέχεται γὰρ ἐκείνας μᾶλλον. Et fuit inde maxima nata Alexandro difficultas tranſeundi hunc fluvium apud *Curtium*; quemadmodum mercatoribus merces ſuas navibus provehendi facultas in hoc fluvio apud *Diodorum*. Deprehendimus porro fluvium hunc ex illa alvei profunditate & aquarum illabentium multitudine *celerrimum* & *rapidum* prorſus, ſecundum ea quæ antea dè notione vocis dicta ſunt. Hinc non tantum apud Poëtas latinos *celer*, *violentus*, *rapidus*, & *rapax* audit, ſed & latius de eo cecinit *Dionyſius Perieg. verſſ.* 983. & 989.

Τὸν δ' μετ' εἰς αὐγὰς, ποταμῶν ὤκιστον ἁπάντων
Τίγρις ἐυῤῥείτης φέρεται, ῥόον ἔστιν ἐλαύνων &c.
—— —— πάλιν δ' ἐξαῦτις ἀναχὼν
Ὀξύτερον φορέῃσι κάτω ῥόον, οὐκ ἀὶ ἐκείνῳ
Ἐν πᾶσιν ποταμοῖσι θοώτερον ἄλλον ἴδοιο.

Quin & tantam eſſe fluvii hujus vehementiam, narrantem audivimus *Curtium*, ut *etiam ſaxa ſecum trahat*. Ex iſtis liquet facile fluvii hujus ab Euphrate diverſitas, quoad illius *inflexiones & inundationes*, quæ ob profunditatem & rapiditatem heic non ita deprehenduntur. Nempe prius voluit *Strabo Lib.* XI. cum dè Euphrate dixit, πλείω διέξεισι χώραν σκολιῷ τῷ ῥείθρῳ; atque alterum cum ratione alia ipſe quoque habet *Lib.* XVI. ὁ μὲν ἂν Τίγρις ἐκ τῶν νοτιωτάτων μερῶν τῆς Ἀρμενίας, ἃ πλησίον ἐστὶ τῆς Βαβυλωνίας, δεχόμενος τὸ ἐκ τῶν χιόνων ὕδωρ ἀεὶ πολὺ ἦν, ἅτε ἐκ τῶν νοτίων πλευρῶν, ἧττον ἂν πλημμύροι. Paulo validius loquitur *Arrianus*; ἄρδεσθαί τε ἀφ' αὑτοῦ τὴν χώραν ἀδαμῆ παρέχει.

Ad Tigridis Ortum in Armenia aſcenditur.

V. Magis ad inſtitutum noſtrum facit curſus hujus fluvii omnis, quem paucis his complexus eſt *Theodoretus Lib.* III. *Cap.* 21. Οὗτος δὲ ἐκ τῆς Ἀρμενίων ἀναβλυστάνων ὀρῶν, καὶ δι' τῆς Ἀσσυρίας ῥέων, εἰς τὸν περσικὸν εἰσβάλλει κόλπον. Minus verò plene *Epiphanius Ancorati Cap.* LVIII. Διατέμνει γὰρ Τίγρης τὰ μέρη τῆς ἀνατολῆς, καὶ δύνει ὑπὸ τὴν γῆν, καὶ ἀνίσχει ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας, κατὰ μέσον Καρδιέων καὶ Ἀρμενίων, καὶ ἀναπηδᾷ πάλιν, καὶ ἀνατέμνεται εἰς τὴν τῶν Ἀσσυρίων γῆν. Scilicet in Armeniæ montibus fontes Tigridis primi æquè quam Euphratis ponuntur. *Ita Solinus Cap.* XXXVII. *In Armeniæ regione*

ne caput tollit mire quam lucidum, conſpicuo fonte, in loco edito, qui Elegos *nominatur. Nec ab exordio ſtatim totus eſt. Primo pigrè fluit, nec cum ſuo nomine: at cum fines Medorum invectus eſt, Tigris ſtatim dicitur, ita enim nominant Medi ſagittam. Influit in Arethiſam lacum, omnia pondera ſuſtinentem, cujus piſces ſe nunquam alveo Tigridis miſcent, ſicut nec amnici piſces in ſtagnum tranſeunt Arethiſæ, per quem diſſimilis colore volucri meat curſu. Mox Tauro reſiſtente in profundum ſpecum mergitur, quem ſubterlabens in altero ejus latere apud Zomadam emicat, ulvas & purgamenta plurima ſecum trahens; deinde idemtidem abſconditur rurſuſque redditur &c.* Ita & *Plinius Lib.* VI. *Cap.* 27. *Oritur in regione Armeniæ majoris, fonte conſpicuo, in planitie. Loco nomen Elongoſine eſt. Ipſius qua tardior fluit, Diglito; unde concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi ſagittam. Influit lacum Arethuſam, omnia illata pondera ſuſtinentem, & nitrum nebulis exalantem. Unum genus ei piſcium eſt, idque tranſcurrentis non miſcetur alveo, ſicut nec è Tigri piſces in lacum tranſnatant. Fertur autem & curſu & colore diſſimilis, tranſvectuſque occurrente Tauro monte in ſpecu mergitur, ſubterque lapſus, à latere ejus erumpit. Locus vocatur Zoroanda. Eundem eſſe manifeſtum eſt, quod demerſa perfert. Alterum deinde tranſit lacum, qui Thoſpites appellatur, rurſuſque in cuniculos mergitur, & poſt* XXV. *M. paſſ. circa Nymphæum redditur &c.* Enimvero *Strabo* ita Tigrim fert ex monte Tauro ἐνεχθέντα, ut diſtent inter ſe fontes Euphratis & Tigridis σχεδὸν διχιλίοις καὶ πενταγοσίοις σαδίοις *Lib.* XI. Qui idem de lacu *Arſena* vel *Thoniti* narrans iſta de Tigride ſcripſit; φέρεται δὲ δι' αὐτῆς ὁ Τίγρις ἀπὸ τῆ Νιφάτου ὀρεινῆς ὁρμηθείς, ἄμικτον φυλάττων ἀπὸ τ ὀξύτητα &c. κ ὑ τ μυχὸν τ λίμνης εἰς βάραθρον ἐμπεσὼν ὁ ποταμὸς, καὶ πολὺν τόπον ἐνεχθεὶς ὑπὸ γῆς, ἀναπέλλει κατὰ τ χαλωνίτην &c. Atque diſtantiam Euphratis & Tigridis juxta cum lacu Thoniti habet etiam *Dionyſius Perieg. verſibus* mediis inter eos quos antea produximus 985. *&c.* quoſque malè videtur intellexiſſe *Val. Schindlerus*, ſcribens aquas Trigidis *uno die tantum intervallum abſolvere, quantum fortis & celer viator ſeptem.*

Τόσσον ἀνευθὲν ἰὼν, ὅσσην ἑβδόμην ἦμαρ ἰδεύσας
Ἰφθίμῳ καὶ κραιπνὸς ἀνὴρ ἀνύσειεν ὁδίτης.
Ἔστι δέ πς κ μέσσα περιτροχῳ ὕδασι λίμνη

Ὄνομα Θωνῖπα, ἧς ἕλκεται εἰς μυχὰ Τίγρις
Δύων πολλὸν ἔιερθε.

Cum quibus alterum oportet conferre locum *Strabonis Lib.* XVI. Τὸ μὲν ἓν μέγιστον ὁ ἀφίσαντι Δάσημα ἀπ' ἀλλήλων ὁ Εὐφράτης καὶ ὁ Τίγρις, τὸ πρὸς τοῖς ὄρεσιν ἐστὶ. τοῦτο δ' ἂν εἴη τὸ αὐτὸ ὅπερ εἴρηκεν Ἐρατοσθένης, τὸ ἀπὸ θαψάκου, λαθ' ὃ ἰὼν τὸ ζεῦγμα ἀπὸ Εὐφράτου τὸ παλαιὸν, ὅπου τ' ἀπὸ Τίγριδος Δράσασιν, καθ' ὃ διέβη Ἀλέξανδρος αὐτὸν, διχιλίων τετρακοσίων, τὸ δ' ἐλάχιστον μικρῷ πλέον τ' Δακοσίων, κατὰ Σελεύκειαν πως καὶ Βαβυλῶνα. Διαρρεῖ δὲ ὁ Τίγρις τὴν Θωνίπην καλουμένην λίμνην κατὰ πλάτος μέσην. περαιωθεὶς δὲ ὅπου θάτερον χεῖλος, κατὰ γῆς δύεται μέχρι πολλοῦ ψόφου καὶ ἀναφυσημάτων, ὅπου πολὺ δι' ἐπέχθεις ἀφανὴς, ἀνίσχει πάλιν ἀπὸ πολὺ ἄπωθεν τῆς Γορδυαίας. Οὕτω δὲ σφοδρῶς διεκβάλλει τὴν λίμνην, ὡς φησιν Ἐρατοσθένης, ὥστε ἀλμυρὰν αὐτὴν εἶναι καὶ ἀνίσχυν, γλυκυτάτην κατὰ τοῦτο εἶναι τὸ μέρος καὶ ῥοώδη καὶ ἰχθύων πλήρη. Quo autem modo quæ in his de primo ortu Tigridis, & lacu uno vel gemino, ejusque nomine, (quod *Ammianus* facit *Solingiten*, *Lib.* XXIII. *Cap.* 6.) & transitus modo, aliisque, diversa videntur, queant aut debeant inter se conferri, & cum dicto *Pomp. Melæ*, *Tigris ut natus est ita descendens in littora permeat*, vide prolixius apud *Ill. Salmasium*, & *Doct. Hillium*, in omnibus nec inter se consentientes. Repeti vero heic meretur illud *Eusebii de Loc. Hebr.* antea adductum; *Porrò Sallustius autor certissimus asserit, tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari.* Quod ita legitur quidem etiam inter *Fragmenta Sallustiana*, sed & aliter illic producitur ex *Seneca*; *Sallustius, autor certissimus, asserit Tigrim & Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividantur spatio medio relicto multorum millium &c.* Illud merito ex omnibus his concludimus, Tigrin ita quoad primum ortum suum ex Armenia derivari, ut ductus alios & priores subterraneos ex alio longè dissito tractu fingere facile cum *Cl. Mar. Victore* liceat, probare aut persuadere verò neutiquam. Neque huc faciunt quidquam, quæ autores adducti habent de Tigridis fluxibus subterraneis; quandoquidem hi post ortum in Armenia ex fontibus suis ponuntur, non ante eum. Uti pluribus locis etiam ostendit *Seneca*, inter alia *Nat. Quæst. Lib.* III. *Cap.* 16. ubi post exemplum *Lyci epoti* & *Erasini combibiti* producit *in oriente Tigrim*, qui *absorbetur & desideratus*

diu

diu tandem longè remoto loco, non tamen dubius an idem sit, emergit. Quemadmodum de tribus illis junctim *Plinius* scripsit *Lib.* II. *Cap.* 103. *Subeunt terras, rursusque raddunturr, Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia.*

VI. Natus & renatus Tigris fluvius Mesopotamiam ab oriente claudit & constituit, ab altero latere habens Assyriam Mediamque, donec in Babylonia Euphrati junctus Susianam & Persiam ad orientale & Arabiam cum Babylonia ad occidentale accipiat. Quomodo Tigridem sæpius describit *Ptolomæus.* Et pergit *Solinus. Adiabenos Arabesque præterfluit, Mesopotamiam amplectitur, amnem nobilissimum Choaspemaccipit &c.* Et *Plinius*; *Tigris autem ex Armenia acceptis fluminibus claris, Partheni, Agnice, Pharione, Arabas Aroeos Adiabenosque disterminans, & quam diximus Mesopotamiam faciens, lustratis montibus Gordiæorum, circa Apamiam Mesenes oppidum, citra Seleuciam Babyloniam* CXXV. *M. p. divisus in alveos duos, altero meridiem ac Seleuciam petit, Mesenen perfundens, altero ad septentrionem flexus ejusdem gentis tergo campos Cauchas secat. Ubi remeavere aquæ, Pasitigris appellatur. Postea recipit ex Media Choaspem, atque ut diximus inter Seleuciam & Ctesiphontem vectus in lacus Chaldaicos se fundit, eosque* LXX. *M. p. amplitudine implet. Mox vasto alveo profusus &c.* Istum fluxum ab oriente Mesopotamiæ continuo videas à *Strabone* inculcari, quando inter alia pergit *Lib.* XI. Ἀναπίπλει κατὰ τὴν χαλωνίτιν, ἐκεῖθεν δ' ἤδη πρὸς μεσημβρίαν ὅπου καὶ τὸ τῶν Σειρήνων ἄλσος ἐκεῖνός τε καταφέρεται, τὸν Γορδυαῖον ἐν δεξιᾷ ἀφεὶς καὶ τὴν Μεσοποταμίαν ἔλιῶν. καὶ ἐνῳκισμένης τινὰς ἐν ἀσφαλεῖ ἔχων τὴν αὐτὴν χώραν, πλησιάσαντες ἀλλήλοις καὶ πλήσαντες τὴν Μεσοποταμίαν, ὁ μὲν δὴ Σελευκείας φέρεται πρὸς τὸν περσικὸν κόλπον, ὁ δὲ δὴ βαβυλῶνος &c. Eadem plusquam semel habet *Diodorus*, fluvium hunc ex montibus Οὐξίων *Uxiorum* educens per aspera & campos in Persicum Mare *Lib.* XVII. atque alibi de Tigride & Euphrate scribens *Lib.* II. Τὰς μὲν πηγὰς ἔχουσιν ἐκ τῶν Ἀρμενίων ὀρῶν, διεχόντας δ' ἀπ' ἀλλήλων σταδίους χιλίους καὶ πεντακοσίους. ἐκπεσόντες δὲ μετὰ Μηδίας καὶ Παραιτακηνῆς, ἐμβάλλουσιν εἰς τὴν Μεσοποταμίαν, ἐν ᾧ ἀπολαμβάνοντες εἰς μέσον, ἄπιτοι κατέσχον τὴν χώραν ταύτης τῆς εὐφορίας. Μετὰ δὲ ταῦτα τὴν Βαβυλωνίαν διελθόντες, εἰς τὴν ἐρυθρὰν ἐξερεύγονται θάλασσαν &c. Ut non opus sit in rem eandem vel *Philostratum*, vel *Procopium*, vel alios plures

Progressus Tigridis ejus ortui subjicitur.

res Gentiles aut Christianos producere. Est autem ex isto cursu, vel communiori nominum quorundam usu, ratio petenda, cur fluvius hic vel Mesopotamiæ, vel Mediæ, vel Persiæ, appelletur; quod posterius nomen non modo habet *Hesychius*, Τίγρις ποταμὸς περσῶν, sed & *Lucanus Lib.* II. *Pharsal.* de Euphrate & Tigride canens, *quos non diversis fontibus edit Persis.*

Ejus denique annectitur exitus in Mare Persicum cum ejus loco & modo.

VII. Tandem exitus Tigridis videndus est, quem *Herodotus* ei per Gyndem fluvium ex Mantianis montibus aucto & Opin urbem præterlapso tribuit, ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν, *in Rubrum Mare Lib.* I. *Cap.* 189. dum alibi nominat Ἄμπη πόλιν, ὅπη τῇ ἐρυθρῇ καλεομένῃ θαλάσσῃ, παρὰ ὦν Τίγρης ποταμὸς ἀφανὴς ἐς θάλασσαν ἐξίει *Lib.* VI. *Cap.* 20. Sic & *Diodorum* nominare *Rubrum Mare*, audivimus, qui tamen idem scribit *Lib.* XVII ἐξίησιν εἰς τὴν πέρσας θάλασσαν. Quin & *Josephum* secutus *Eusebius de Loc. Hebr. Tigrin* dicit *post multos circuitus ut vult Josephus in Mare Rubrum influere*. Cum vero loquantur sive de *Sinu* sive de *Mari Persico* alii, *Plinius, Solinus, Strabo &c.* non potest dubitari, quin *Rubri Maris* appellatio latius ultra Sinum Arabicum heic more Veterum extendatur, & Persico sit communis. Quod porro ante exitum accipiat juxta alios fluvios illabentes etiam magnam Euphratis partem, heic repetere non est opus, tanquam ad Euphraten magis spectans. Sed hoc magis nunc observare decet, ubi & quomodo in Mare Persicum illabatur. *Mox vasto alveo*, inquit *Plinius*, *profusus, dextra Characis oppidi infertur Mari Persico decumo ore. Inter duorum amnium ostia* XXV. M. *pass. aut ut alii tradunt* VII. M. *&c. Ampi* πόλιν tanquam vicinam exitui nominat *Herodotus*. Apud *Ptolomæum Lib.* V. *Cap.* 20. occurrit *Teredon* cum duplici *ostio Tigridis, orientali & occidentali.* Apud *Strabonem Lib.* XVI. jungitur cum *Teredone* perinde ἡ ἐκβολὴ ἡ Εὐφράτου. Ejus *Teredonis* in extremitate Euphratis meminit quoque *Dionysius Perieg.* atque hujus nominis *vicum* simul cum oppido *Forath* produxit *Plinius Lib.* VI. *Cap.* 28. *Deinde est oppidum quod Characenorum regi paret, in Pasi-Tigris ripa, Forath nomine, in quod è petra conveniunt, Characemque inde* XII. M. *pass. secundo æstu navigant. E Parthico etiam regno navigantibus vicus Teredon infra confluentem Euphratis & Tigris.* De *Teredone* eadem in exitu Tigridis istos adduxit *Dionysii Afri* versus *Phil. Ferrarius*;

Extrema fluvii sub parte Teredona radens,

Hu-

Digitized by Google

Hujus ad auroram ripis devolvitur alius Tigris.

Habet & *Ammianus urbem Teredona, ubi post jacturas multiplices pelago miscetur Euphrates Lib.* XXIII. *Cap.* 6. Quidquid verò fuerit de ista Teredone, illiusque reliquiis hodiernis, & situ ab hoc vel illo ostio & latere Tigridis; id omnino notandum est, quod duplicis ostii Tigridis clare meminerit *Ptolomæus.* Quam in rem *Ill. Huetius* laudat non modo hujus temporis testes *Teixeiram & Thevenotium;* sed & *Martianum Heracleensem*, qui ostii *orientalis* meminerit; & *Xiphilinum*, qui à Trajano narrat subjectam insulam Messenam, quam Tigris prope ostium suum efficit; & *Stephanum*, qui Μεσήνη habet χώραν περιδ- ὑπὸ τ δύο ποταμῶν Εὐφράτου καὶ Τίγριδ- μεσαζομένην, ὡς Ἀσίνι- Κυάδρατός φησι, quod tamen ad exitum fluvii nullam habet restrictionem nisi quatenus ex aliis illustrari potest, etiam ex Μεσανίτη κόλπῳ apud *Ptolomæum Lib.* V. *Cap.* 19. Enimvero ad asserendum duplex & satis inter se divisum ostium *Tigridis* maximè facit *Philostorgius Lib.* III. *Cap.* 7. ubi ille post Tigridis ortum, & cursum, & conjunctionem cum Euphrate, & rapiditatem, subjicit; Εἶτ' ἤδη θάλατταν καταβαίνει, σχίζε) εἰς δύο μεγάλους ποταμὸς, ἔπειτα δυσὶ ἐχάτοις ῥεύμασιν ἀλλήλων διηγουμένοις, εἰς τ περιπλεῖν θάλατταν ποιεῖ) τὰς ἐκβολὰς, γῆν ἐν μέσῳ πλείστην περιπεμόμενο-, καὶ νῆσον αὐτὴν ποιῶν, ποταμίαν πᾶσα καὶ θάλατταν, ᾗ ἴδι- ἐστὶ τ Μεσηνῶν ὀνομαζόμενον. Credibile porro est, ob præcedentem mixturam Euphratis & Tigridis, appellationem utramque ostiis duobus tributam vel inter ea distributam ab aliis fuisse qui ostiorum duorum Tigridis non ita meminerunt. Utique dum lapsus Tigridis in mare vehemens tam clare constat, ineptissimè somniat *Nic. Abramius*, ex repetito fluvii lapsu subter tertam antea narrato, *totum Tigrim non emergere, sed aliquid aquæ per occultas venas diffundere, quod aliis locis in scaturigines erumpat*, nempe vel *Geon* vel *Phison*, fluviorum longissime dissitorum. Verum uti ex cursu fluvii sub terra minimè sequitur aquarum ejus maxima imminutio prius quam denno emergat, ita nullus Veterum eam tradidit. Ex adverso *Seneca* dixit *Epist.* CIV. *Ut Tigris eripitur ex oculis & acto per occulta cursu integræ magnitudini redditur.* Atque iterum *Nat. Quæst. Lib.* VI. *Cap.* 8. *Age cum vides interruptum Tigrim in medio itineris siccari, & non universum averti, sed paullatim non apparentibus damnis minui*

nui primum, deinde consumi, quo illum putas abire nisi in obscura terrarum? utique cum videas emergere iterum, non minorem eo qui prior fluxerat. Quibus adde alia quæ de repetita eruptione Tigridis antea sunt adducta. Quin & *Lucanus*, atque *Victor*, quos ipse Jesuita autores laudat, in eo faciunt differre Tigrim ab Euphrate, quod hujus ad exemplum Tigris renatus

Fonte novo flumen pelagi non abnuat undis,

imò

Fortior obice factus,
Multiplicatur aquis atroque citatior antro.
Exit, & Assyrios celeri secat agmine campos.

Quemadmodum verò prudenter ille omisit ista quæ habet *Philostorgius Cap. 9.* dè descensu Tigridis & Euphratis in profundum, utpote ad mare referenda palam; ita siculnea est probatio imminutarum olim sub terris aquarum ex eo, *quod ille fluviorum rex hac tempestate propemodum exaruit, ut recentiores Geographi prodiderunt*; quasi temporum tractu plurimæ causæ non possent fluvii alicujus aquas minuere, neque hæ olim perinde miuui debuissent, si alii inde tum nati fuissent fluvii. Præterquam quod aquæ sub terra huc illuc disjectæ imminui possent, non ideò ad unum aliquem fluvium remotissimum, eumque Pishon vel Gihon, delatæ, sed potius in voraginem subterraneam illapsæ. Sed de istis fluviis proximè quoque erit agendum.

CAPUT DUODECIMUM.

Quo Fluvius primus apud Mosen, Pishon dictus, una cum terra Havilah, declaratur.

Textus Mosis de Pishon & Havilah adducitur.

Cum duo priores fluvii, ex diviso Hedenis Fluvio nati, sint æque controversi, non est heic ratio ulla, cur ordine Mosis relicto secundum fluvium tractemus ante primum; qualem antea habuimus ut de Euphrate & Tigride ageremus primò. Nunc itaque investigandus erit Fluvius ex quatuor primus, *Pishon*; quem non tantum ab hoc nomine suo, sed etiam à terra adjacente, ejusque præstantissimo proventu, hunc in modum descripsit Moses *Gen. II. 11. 12.* שם האחד פישון הוא הסובב את כל ארץ החוילה אשר שם הזהב :

והזהב : הוא טוב שם הבדלח ואבן השהם. *Nomen unius*, vel *primi* (nempe *fluvii*, vel *capitis*,) *Pishon*, *ipse circumiens omnem terram Havilah*, *ubi aurum. Atque aurum terræ illius bonum*; *illic Bdolah*, *& lapis Shoham.* Nihil vero heic repetemus de ratione, ob quam *primum* hunc fluvium conſtituerit Moſes; neque enim *unum* ex quatuor heic tantum notari, docet præter frequentiſſimum uſum אחד אחד apud Hebræos, prima ejus nominatio, ſequenſque mentio & oppoſitio ſecundi, tertii, & quarti fluvii, etiamſi LXX. cum *Vulgato* literam ſecuti habeant heic, εἷς, *uni.* Eſt utique ratio illa nobis minus perſpecta, nec valebit ex illo ordine argumentum vel pro ſitus vel pro magnitudinis fluvii hujus determinatione, niſi conſtiterit, inde & non aliunde ordinem hunc Moſis fluxiſſe; dum à minimis æque ad maxima aſcendere quam à maximis ad minima deſcendere licet omnibus.

II. Nomen Moſes dicit fluvii hujus *Pishon*, פישון / apud LXX. & *Vulgatum*, Φισῶν, Φεισὼν, vel Φεισῶν, *Phiſon*, relicta aſpiratione quam *Dagesh Lene* initio vocis tollit. De iſtius notione video admodum diſſentire Veteres. Etenim *Joſephus* ad *multitudinem* retulit, reſpiciens ſic radicem פוש / vel פשה; σημαίνει δὲ πλῆθον τὸ ὄνομα. Quod ſequi videntur, qui aut *multitudinem* piſcium, aut *fertilitatem* adjacentium terrarum, aut *plenitudinem* & *extenſionem* aquarum, *coll. Syr.* XXIV. 27. aut harum irrigantium *diffuſionem*, in hoc nomine quęruht, ſicut *Scaliger* ideo πλημμύρεων vertit *Lib.* V. *de Emend. Temp.* Utique longe rectius heic locutus eſt *Joſephus*, quam *Philo*, allegoriis ſuis adeò indulgens, ut *Phyſon* vel Φυσὼν, ſicut apud ipſum ſcribitur, juxta ipſum repræſentans τὴν φρόνησιν, nominari dixerit διὰ τὴν Φείδεσθαι καὶ φυλάττειν τὴν ψυχὴν ἀπὸ ἁμαρτημάτων *Lib.* I. *Alleg. Leg.* Debet enim non à Græcis ſed ex Oriente hoc nomen repeti, æque quam nomina aliorum fluviorum. Atque id etiam ſtatuerunt, qui vel cum *Euſebio de Loc. Hebr.* interpretantur nomen hoc *catervam*, eodem ut videtur *multitudinis* aquarum ſenſu, vel cum *Hieronymo de Nom. Hebr. in Gen.* exponunt *os pupillæ*, acſi eſſet ex פי אישון / *ſive oris mutationem*, ac ſi eſſet ex פי & שנה / (quamquam *Ambroſius* III. *Cap. de Parad.* eandem nominis ſignificationem tradens ſcribat *Feoiſon*,) cum reſpectu ad diſſimilem ſibi fluvii hujus curſum vel qualitatem aliam; vel cum *Jarchio* cogitant de פשתה *lino*, cujus copiam producat; vel cum aliis recentioribus *manſionem* vel *quietem* vertunt, cum reſpectu

Nominis Pishon derivatio & ſignificatio.

ctu ad Syrorum ܦܘܪܬ vel ܦܪܬ / & leniſſimum fluvii fluxum; aut ejus *ceſſationem à fluxu aſpectabili, quippe qui ſub multis pelagis majorem curſus ſui partem peragat*, uti ſcribit *Moſes Bar Cepha Lib. 1. de Parad. Cap.* 28. Qui fluvii cum hujus nominis ſono quadantenus conveniant, poſtea videbitur ſuo loco.

Nomen Havilah terræ adjacenti datum, inquiritur & illuſtratur.

III. Cum fluvii hujus curſum Moſes addiderit, inquirenda eſt terra, quam ille in hac narratione nominat, חוילה / *Havilah*, vel *Chavilah*, apud Græcos Εὐιλάτ vel Εὐειλάτ, apud *Vulgatum Hevilath*, exponente hoc nomen *Hieronymo* per *dolentem ſive parturientem.* De ea terra ſatis late *Euſebius de Loc. Hebr. Euila, ubi aurum puriſſimum quod Hebraice dicitur Zaab, & Gemmæ pretioſiſſimæ Carbunculus Smaragduſque naſcuntur. Eſt autem regio ad orientem vergens, quam circumit de Paradiſo Phiſon egrediens, quem noſtri mutato nomine Gangem vocant. Sed & unus de minoribus Noë Evila dictus eſt, quem Joſephus refert cum fratribus ſuis à flumine Cephene & regione Indiæ, uſque ad eum locum qui appellatur Jerie, poſſediſſe. Sed & Iſmael in ſolitudine Evila habitaſſe ſcribitur, quam Scriptura Sancta eſſe ait in deſerto Sur contra faciem Ægypti, & inde tendere uſque ad terram Aſſyriorum.* Prima hæc verba ex Moſis textu petita vix ullam nobis dant lucem ulteriorem. Sed bene dein obſervatur, inter poſteros Noachi memorari quendam *Havilah* tanquam unum filiorum Joktan & nepotum Hebher, fratrumque Ophir & Jobhabh inter quos medius ponitur *Gen.* x. 29. Atque huic, qui *Joſepho* audit Εὐϊλάς, vel Εὐιλάτης, hic cum duodecim fratribus ſuis tribuit habitationem ἀπὸ κώφλω, vel κωφλῶ, παμὰ τ Ἰνδικῆς, κὴ τ πρὸς αὐτ, vel αὐτῷ, vel αὐτῇ Συρίας πσί; poſtquam de Semi filiis inter quos hi fuere generatim dixiſſet, οἱ ϯ μέχρι ϑ κατ' Ἰνδίαν Ὠκεανῦ κατοικῶσιν Ἀσίαν, ἀπ' Εὐφράτ ϯ ἀρχλ πεποιημέ͂οι *Ant. Lib. I. Cap.* 7. Corrigit vero priorem textum *Doct. Bernardus*, pro Συρίας volens legi Σηρίας, unde Cophen fluvius profluit, vel potius Ἀερίας, cum Arii rigentur Cophene amne, dum apud *Euſebium* Græce legitur ἀερίας, vel ἠρίαν, unde eſt in interpretatione *Hieronymi* loco adducto *Ierie.* Qui idem ad hæc *Joſephi* ſpectans verba, tum ad vocem *Sophera*, tum ad alteram *Ophir*, habet *regionem Ieria*, tanquam *regionem Indiæ* & terminum oppoſitum *fluvio Copheni*; dum ipſe *in Tradit. Hebr. in Gen.* poſſediſſe dicit Jectanis poſteros *à Cophene fluvio omnem Indiæ regionem quæ vocatur Ieria.* Interim ipſe Moſes, ſive

filiis

filiis Joktanis, ſive poſteris Semi communiter, tribuit habitationem *à Mesha quo ingrederis Sephar montem orientis Gen.* x. 30. Sequuntur vero *Ioſephum* & *Euſebium* paſſim Patres alii; non modo ob hypotheſin illam de Gange conſtituente Pishon, ſed & ob proximam conjunctionem *Ophir* tanquam fratris cum Havilah, cujus terra longe ad orientem diſſita auroque & lapidibus pretioſiſſimis inſtructa deprehenditur in hiſtoria Salomonis 1. *Reg.* IX. 26. 28. X. 11. *&c.* Sed longe alia eſt *Cel. Bocharti* mens; ille enim in Arabia Felice Havilæ hujus poſteritatem collocat, ubi in terra *Tehamæ*, ſeu regione *Caſſanitarum* juxta *Ptolomæum*, Geographus *Arabs* ponit terram *Chaulan* cum metropoli *Du-Sohaim*, ut ſint Chaulanitæ iidem qui *Carbi* apud *Agatarchidem* & *Diodorum*, atque *Cerbani* apud *Plinium*, à fortitudine bellica ſic dicti; quorſum ille etiam refert Οὐελα vel Ουαλα apud *Ptolomæum*, corrigendum juxta ipſum in Ἄυιλα, ſicuti juxta Joktanitas tantum non omnes etiam hunc Ophir in Arabia conſtituit, laudans textum Moſis de *Mesha* & *Sephar*. *Phaleg. Lib.* II. *Cap.* 30. Dum alii putant, ab hoc Havilah etiam eſſe dictos *Alilæos*, vicinos in Arabia *Debis* ſeu *Dedebis*, apud *Agatarchidem de Mari Rubro Cap.* XLIX. *& Diodorum Siculum Lib.* III. Media quædam ſententia eſt, hunc Havilah habitaſſe quidem trans Tigrin & Sinum Perſicum, ſed in Perſia vel Suſiana potius quam in India. Huc videntur referri poſſe illa *Ioſephi* & *Euſebii* de *Ieria* regione, ſiquidem vetus *Aria* Perſiæ regio nunc *Heri* & *Coraſan* dicitur, notante *Ferrario* ex *Iac. Caſtaldo*. Neque magis mirum, filium aliquem Joktanis extra Arabiam ultra fluvium ad orientem ſedes ſuas fix ſſe, quam alterum *Hobal per Arabici freti anguſtias in Africam proximam migraſſe & in Abalitem Sinum*, imo Cushitas ultra Tigrin moviſſe, quod ſtatuit ipſe *Cel. Bochartus*. Quo magis *Hebber* pater Joktanis cum altero filio Peleg videtur in Chaldæa quaſi media inter Arabiam & Perſiam vixiſſe; & fuerunt Semi poſteri communiter per orientem diffuſi, Arabiæ magna parte à Chamitis occupata; & fuerunt Arabes præ aliis populis vagi. Ut ad *Euſebium* revertamur, alterius ille *Evila* meminit ab Iſmaele habitatæ in deſerto Sur contra faciem Ægypti, cum reſpectu ad *Gen.* XXV. 18. ubi, haud parum aliter, Iiſmahelitæ dicuntur habitaſſe *ab Havilah, ad Shur quæ ſuper facie Ægypti, veniente te in Aſſhur*, collato 1. *Sam.* XV. 7. ubi Shaul fertur *percuſſiſſe Hamalek ab*

Havilah veniente te ad Sur quæ ſuper facie Ægypti, pro quo *Ioſephus* habet ἀπὸ πλησίον τῆς Αἰγύπτου ἴσως τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης *Lib.* VI. *Cap.* 8. Atque hoc nomen ſolet repeti, neſcio tamen an ſatis certo, ab altero homine ejus nominis inter poſteros Noachi ex Cham & filio ejus Cush *Gen.* X. 7. 1. *Chron.* 1. 9. quem *Euſebius* prætermiſit, cujuſque poſteritas cum terra illa tum conſtituitur in Arabia plurimum Deſerta; ſive in ejus parte maxime orientali Babyloniæque & Aſſyriæ proxima, uti urget *Bochartus* ex adductis illis Scripturæ locis, in quibus Havilah verſus Aſhur & Shur verſus Ægyptum ſunt termini Arabiæ inter ſe oppoſiti; ſive medio aliquo loco, uti inter *Nabathæos* & *Agræos* habet *Eratoſthenes* apud *Strabonem Lib.* XVI. χαυλοταίους, qui & dicti χαβλαίοι vel χαλβαίοι apud *Dion. Periegetem verſ.* 956. atque apud *Plinium Lib.* V. *Cap.* 11. *Canchlei* vel *Chanclei*, quod ex *Chavelei* corruptum eſſe judicat *Bochartus*; ſive in ſeptentrionali ejus extremitate non procul à Cœle-Syria & Libano, juxta id quod ex oppoſitis Aſſyriæ & Ægypti terminis, & ex Deſertæ Arabiæ inopia, non abſque ſpecie urget *Joh. Clericus*. Relinquunt tamen heic Arabiam alii, inter quos *Joſephus*, juxta quem filius iſte Cuſh ἐυίλας ἔκτισεν ἐυιλαίους, οἳ νῦν Γέτυλοι λέγονται, vel Γαίτυλοι, vel Γαιτοῦλοι; & *Hieronymus in Tradit. Hebr. Hevila, a quo Getuli in parte remotioris Aphricæ eremo cohærentes.* Et ab altera parte orientis ultra fluvium in Suſianam progrediuntur alii, inter quos *Fr. Junius*, qui ad *Chavila Gen.* X. 7. notavit, *i. e. foſſilis regio, ora maritima ac veluti frons Suſianes inferioris in Perſide, de qua ſupra Cap.* 11. 11. *& infra Cap.* XXV. 18. *Ab hac Chavila Plinius Lib.* VI. *N. H. Cap.* 27. *& Solinus Cap.* 68. *duxiſſe videntur corruptum Babylaces nomen &c.* Videtur autem ſic ille alludere ad notionem vocis חול / dum alii cogitant de חול *arena* in terra hac reperta; atque ita de nomine viri loquitur, ac ſi terræ nomen eſſet illo etiam in loco à Moſe adhibitum. Miſſâ vero perſonâ vel gente, à qua hæc Havilah noſtra nomen accepit, etiam *Joh. Hopkinſonus in Synopſi Parad. totam* heic intelligit *Suſianen, inde ferme ab Ara Herculis ad Sinum uſque Perſicum.* Atque *Epiphanius Ancorati Cap.* LVII. nominat τὴν ἐυιλὰτ τὴν μικρὰν καὶ τὴν μεγάλην τὰ μέρη τῆς ἐλυμαίων. Etiam heic qui occurrit fluvius *Eulæus*, is credi forte poſſet ab *Havilah* ſuum habere nomen; niſi alia iterum judicetur obſtare ſcriptio apud Danielem אוּלַי / *Ulai*,

Dan.

Dan. VIII. 2. 16. Sed ab altera rursus parte fluvii terram hanc ponit *Matt. Beroaldus*, ut quæ *finierit Arabiæ Petreæ & Desertæ incolas ad Arabiam Felicem juxta Sinum Persicum*; & Chavilam *Mesopotamiæ Arabiæque adjacere*, imo *esse inter Arabes*, dicit *Steuchus Eugubinus*, cum respectu ad *filium Iactan*; & communius Havilam *hic pro regione Persidi vicina sumi*, atque *tendere ad Susianam & Persidem*, scribit *Calvinus* noster. Non possum, quin post hæc omnia adjiciam conjecturas *Viri Clar. Stephani Morini*, totam forte Arabiam olim *Chavilam* fuisse appellatam; vel ab illo filio Joktanis, qui *præbuerit se fratribus ducem* in ea occupanda; vel à Cushi filio altero, qui exemplo Nimrodi fratris Arabiam armis subegerit à Joktanitis legitime possessam, quorsum spectent illa, quæ de Ἀελαίῳ βασιλεῖ τῆς Ἀραβίας, seu τῷ δυναστεύοντι τῶν Ἀράβων, leguntur apud *Diodorum Sic. Lib.* II. Sciendum autem, id neutiquam soli Jè posse demonstrari, quod hæc nostra Havilah ab alterutro illo apud Mosen nominato, vel terminus ille oppositus τῷ *Shur* à posteriori habeat appellationem; quando & nomen hoc aliquis ex posteris potest habuisse cum illis majoribus idem, & terræ etiam aliunde quam à primis habitatoribus nonnunquam nomen accipiunt.

IV. Non exiguam sed amplam fuisse hanc regionem Havilah, docet clare Moses, cum את כל ארץ *omnem* vel *totam terram* hanc nominavit, a fluvii vastitatem significandam; quæ phrasis exiguo alicui tractui in tali potissimum contextu minus conveniret. Sed magis attendere decet ad proventum terræ hujus, quem ante omnia *Aurum* dicit Moses, metallum illud præcipuum; idque *bonum* absolute, per quod *optimum* recte intellexit *Vulgatus*, respectu nempe puritatis soliditatis & pretii, quodque ad distinctam aliquam speciem auri, uno vel altero loco & modo natam, non possumus solide restringere. Neque dixit Moses, hoc in Fluvio circumeunte reperiri, quod ad ejus commendationem quam maxime feciisset, sed in *Terra* hac Havilah; unde non minus cogitare licet de *puteorum scrobibus*, & *ruina montium*, atque eorum *cavatis cuniculis*, & *fornicibus*, quam de *fluminum ramentis*, quos modos *auri inveniendi in nostro orbe* ponit *Plinius Lib.* XXXIII. *Cap.* 4. *omittens Indicum, atque à formicis aut gryphibus apud Scythas erutum*, atque addens, *nec ullum absolutius aurum esse* illis fluminum ramentis, *cursu ipso trituque perpolitum.* Id vero putamus

Terra tota hujus nominis una cum Auro bono, & Bedola ac Shoham illic reperiri, amplius illustratur.

ex hac phraſi debere conſtare, quod aurum præſtans illic fuerit ſatis inſigni copiâ inventum, non qualicunque demum modicâ portione; quodque illud non fuerit illuc delatum juxta alias merces in emporia atque armentaria, ſed illic natum, cum alias *aurum terræ illius* dici non poſſet, ſicuti ideoque *Vulgatus* vertit, *ubi naſcitur aurum*. Auro porrò jungitur alter terræ hujus, per adverbium שם *illic* notatæ, proventus, הבדולח *Bedolah* vel *Bdolah*, pro qua voce ſemel adhuc lecta *Num.* XI. 7. habet *Vulgatus*, cum *Aquila Symmacho & Theodotione*, ex ſoni vel etiam coloris ſimilitudine, *Bdelium* vel *Bdellium*, quod *ibi inveniri* ſcribit. Sic illi videntur ſpectaſſe vel *Arborem* ejus nominis, *nigram, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturaque*; vel *Gummi* inde proveniens, quod *alii brochon appellant, alii malachram, alii maldacon, nigrum vero & in offas convolutum hadrobolon, eſſe autem debet tranſlucidum, ſimile ceræ, odoratum, & cum fricatur pingue, guſtu amarum citra acorem, in ſacris vino perfuſum odoratius*; uti multis *Plinius Lib. XII. Cap.* 9. *Bdellium nominatiſſimum* ponens *in Bactriana*, ſed & *naſci* addens *in Arabia Indiaque & Media ac Babylone &c.* Eadem etiam eſt ſententia *Tremellii & Junii*; *Bedolach hebraice Arbor eſt, quam Dioſcorides Lib. I. propius ad vocem Hebræam accedens Bdolchon vocat, corruptè Bolchon &c.* Perinde *Ioh. Hopkinſonus*; *Bedolah hoc loco lignum ſignificare.* Dum poſt alios nuper *Ioh. Clericus Bdellium*, uti ille quoque vertit, dicit eſſe *Gummi odoratum arboris Arabicæ aut Syriacæ*, laudatque eam in rem *Cl. Salmaſium*, qui id aſſeruit *Cap. CIX. de Hom. Hyles Iatr. atque Exercc. Plin. Cap. LIII.* non modò βδέλλιον, ejuſque primitivum βδέλλα ſeu *bedella*, ſed & alterum ejus nomen μάδαλκον ex Hebræo *bedolah* repetens, & late *Plinii* adducta verba illuſtrans. Sequuntur hi omnes *Joſephum*, ubi Moſis verba de Manna illuſtrans, id dicit ὅμοιον τῇ τῶν ἀρωμάτων βδέλλῃ, *Antiq. Lib. III. Cap. I.* Alia tamen mens fuit Veterum multorum, & Judæorum. Sunt enim, qui cum LXX. *Num. XI.* 7. credunt eſſe *Cryſtallum*, quod ex lectione ברולח *berolach* ſeu *beryllı*, pro ברולח *bedolach*, derivat *Bochartus Hieroz. P. II. Lib. V. Cap.* 5. Sunt alii, qui cum LXX. in hoc loco & *Hieronymo in Quæſt. Hebr.* ſtatuunt eſſe ἄνθρακα *Carbunculum*, quod & *Euſebius de Loc. Hebr.* habet. Sunt alii adhuc, qui cum *Kimchio* exponunt per יהלום *Adamantem*, vel alterius nominis lapidem pretioſum. Sed communiſſima eſt ſen-

ten-

tentia, *Bedolah* ésse nomen *Unionis* vel *Margaritæ*, seu lapilli rotundi & albicantis, qui ex aquis extractus perforatus & simul colligatus in torques aptatur, juxta descriptionem Judaicam apud *AbenEzram* & *Kimchium*. Quo modo etiam *Moses BarCepha Lib. I. de Parad. Cap.* 21. ex interpretatione *Masii* scripsit, *vocem Hebraam Bedolah margaritas significare*; quamquam dein *Cap.* 28. præter nomen *candidorum unionum* etiam alterum *gemmarum* habeat. Atque hanc sententiam non modo firmat recte *Bochartus* autoritate *Talmudicorum*, qui *Bedolah* reddunt per מרגלית/ atque *Arabum* Interpretum, sed etiam ex comparatione Mannæ cum Bedolah *in oculo suo* seu *aspectu* & *specie* externa *Num.* XI. 7. quæ ad rotunditatem æque quam ad candorem videtur referenda, *coll. Exod.* XVI. 14. adeoque ad margaritam nos rectius ducit quam ad gummi aut aliud quidquam. Quin etiam magis in rerum solidarum & pretiosarum genere eodem progreditur hoc nostro loco Moses, si post aurum margaritam nominet ante gemmam, quam aliud quid. Si opponas, *Bedolah terræ* tribui; scis ipse, eo nomine contineri aquas percurrentes & adjacentes. Si nomen jungas singulare; animadvertis idem facile in aliis duobus nominibus, ubique collective intellectum. Si maxime putes obstare, quod nomen *Lapidis* heic neglectum ante sequens nomen *Shoham* ponatur, uti cum aliis urget *Fr. Junius*, & *Joh. Hopkinsonus*; considera primum, generis nomen æque ante posterius quam prius speciei posse poni, ut ad prius retrahatur ejusque naturam sic declaret; dein ob vocis posterioris sive ambiguitatem sive obscuritatem illic aliam potuisse addi, quæ in priori voce Mosis tempore non erat adeò necessaria; tandem posse à lapidibus in terra natis strictiusque dictis margaritam omnino distingui heic æque quam apud Jctos. Sicuti *Ulpianus* distincte dè *gemmis* & *margaritis* tractat, monens *Servium* distinguere *gemmas* à *lapillis*, & quod *Sabinus* doceat, *margaritas nec gemmis nec lapillis contineri satis constitisse. Leg.* 10. *ff. de Aur. Arg. Leg.* Quo modo rem hanc accepit *Bochartus*, inde argumentum petens adversus eos qui *Carbunculum*, *Crystallum*, aut *Adamantem*, heic reperiunt. Fervide hanc sententiam inter alios etiam urget *Steuchus Eugub. Ac Bdellium incunctanter asserendum esse unionem seu margaritam*, *crystallum nulla ratione*, *aut arborem aromaticen*, *in fluminibus non nascentia. Et hic de lapidibus sermo est*, *attestantur aliquot Hebræi*, *suffragatur Mannæ similitudo*,

do, quo exemplo vidi postea quosdam Hebræot uti. Quæ rationes omnes non sunt æque solidæ, quando hæc quæ memorantur *in fluminibus nasci* non dixit Moses, atque arbores Maris Persici *pleno æstu operiri totas* novit *Plinius* cum *Strabone* aliisque. Sed tertius præter Aurum & Bedolah est terræ Havilæ adhuc proventus, nempe *Shoham*; quem *lapidem* pretiosum seu *gemmam* dixit Moses, dum de specie gemmæ per hanc vocem expressa multiplex est dissensus, atque *Ioh. Clericus* conjicit nomen Hebræum fluxisse ab *Arabibus* sic appellantibus *sagittam* & *lineam* sive *striam*, *coll. Exod.* XXVIII. 20. sicuti *Arabicas Onychas nigras inveniri candidis zonis* autor est *Plinius*. LXX heic verterunt per τὸ πράσινον, seu *porraceum ac viridantem* lapidem; quemadmodum & *Prasinum* reperies apud *Eusebium de Loc. Heb. in Fison*, ubi nomen *lapidis* jungitur non huic nomini posteriori sed priori *carbunculi*, apud *Hieronymum in Quæst. Hebr. in Gen.* item apud *Augustinum Lib.* VIII. *de Gen. ad Lit. Cap.* 7. atque *Prasium* apud *Ambrosium*. Alias LXX. etiam ponunt nomen βηρύλλιος vel βηρυλλὶς *Exod.* XXVIII. 20. XXXIX. 13. quod respondet בורלא עד *Onkelosi*, & בורלין *Uzielidis*, & ܒܘܪܠܐ *Syri &c.* in hoc textu, quodque etiam est apud *Epiphanium de* XII. *Gemmis*, & apud *Iosephum* undecimo loco pectoralis *Lib.* VI. *de B. Iud. Cap.* 15. idem inculcante *Bocharto in Epist. ad Lud. Cappellum*; vel σμαραγδίτης *Exod.* XXVIII. 9. XXXV. 27. XXXIX. 6. quod etiam est apud *Philonem Lib.* III. *de Vit. Mos.* & *Eusebium de Loc. Hebr. in Euila*; vel σαπφείρου *Ezech.* XXVIII. 13. vel σαρδίου *Exod* XXXV. 9. vel denique ὄνυχος aut σαρδονυχίου *Iob.* XXVIII. 16. quemadmodum convenit apud *Vulgatum* nomen *Onychini*, & *Iosephus* utitur tam voce σαρδόνυχος quam ὄνυχος *Lib.* III. *Ant. Cap.* 8. atque *Hieronymus de Vest. Sacerd. ad Fabiolam* usurpat vocem *Onychini*, laudans consentientes *Aquilam Symmachum & Theodotionem*, quamquam mox addat, *Iosephum Sardonyces vocantem cum Hebræo Aquilaque consentire, ut vel colorem lapidum vel patriam demonstraret.* Creditur autem gemma hæc passim ὄνυξ dici, ob unguis humani candorem, ob quem & optimum Bdellium *Dioscorides* dixit ἐμφερὲς ὄνυχι, & *Damocrates* apud *Galenum* meminit βδέλλης vel βδελλίου ὄνυχος; & vel eadem vel cognata altera, *Sardonyx*, ob rubicundum *Sardii* colorem immixtum, uti *Plinius* dixit *Lib.* XXXVII. *Cap.* 6. *Sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in Sarda, hoc est, velut carnibus unguc*

gue hominis impoſito, & utroque tranſlucido. Taleſque eſſe Indicas tradunt &c. Nullo Sardarum veſtigio Arabicæ ſunt. Cœperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi, radice nigra, aut cæruleum imitante, & unguem, creditum enim candido pingi, nec ſine quadam ſpe purpuræ candore in minium tranſeunte &c. Quando autem de ſpecie gemmæ eſt adeo incertum judicium, ob nominum Hebræorum & Græcorum diverſitatem, hoc omnino relinqui debet tanquam certiſſimum, quod lapis heic notetur non vilis ſed pretioſus ſatis, uti ex ejus loco in ornatu ſacerdotali, & textibus *Job.* XXVIII. 16. *Ezech.* XXVIII. 13. *&c.* ſatis clarum eſt. Nec immerito hoc obſervari voluit *Doct. Morinus*, *lapillos illos in fodinis inter metalla ſaxaque eodem modo gigni atque inveniri*; *eſſe* porro *affines & ejuſdem fere ſpeciei*; *cum ſecundum plus aut minus ſoliditatis inditique coloris plures dumtaxat differant*, *imo quidam ex aliis fiunt teſte Plinio Lib.* XXXVII. 5. *ſcribente*, *in Cypro inventum ex dimidia parte Smaragdum*, *ex dimidia Jaſpidem*, *nondum humore in totum transfigurato*, *& quod mirabilius*, οἱ ἢ καὶ ἐν ἑτέροις διεῖσκονται λιθοτομήμασι, *nonnulli inveniuntur in aliis dum caduntur*, *inquit Theophraſtus Lib. de Lapid. &c* Quæ in hunc finem adducimus, ut liqueat nos in communi notione gemmarum pretioſarum heic poſſe acquieſcere ad inveniendum terram Havilah, quando illæ plures adeo inter ſe junctæ ſunt, & nonnullæ parum admodum differunt.

V. Non diffitemur iſtum triplicem terræ proventum convenire Indiæ, & multiplici forte ejus regioni, docente id præter Veterum teſtimonia etiam hujus temporis experientia. Sed indubie conveniunt eidem non minus, tum Arabiæ, tum regionibus ei vicinis circa Euphratem & Tigrin. De auro Arabiæ teſtatur ipſa Scriptura, non *Deut.* I. 1. ubi pro nomine proprio זהב *Dizahabh* habet *Vulgatus*, *ubi auri eſt plurimum*; ſed ubi *auri Shebhæ* meminit *Pſal.* LXXII. 15. *Ieſ.* LX. 6. *Ezech.* XXVII. 22. *coll.* 1. *Reg.* X. 2. 10. *&c.* Sed & loquuntur de eo magnificè ſcriptores alii. Inter quos *Dionyſius Periæget.* memorat ὀλβίων ἀρόων ἄιαν, *verſ.* 927. ubi λιβάνῳ κομόωσιν ἄρηρεν, ἔρια ἢ χρυσῷ. Et *Plinius* vocat *Sabæos ditiſſimos*, etiam *auri metallis*, poſtquam de *litore Hammæo ubi auri metalla* dixiſſet *Lib.* VI. *Cap.* 28. De gente *Debarum* ſeu *Dedebarum*, quos ipſos à דהב *auro* apud Arabas dictos conjiciunt, quorumque contermini ſunt *Alilæi*, cum aliis dixit *Agatharchides*

Iſte triplex proventus terræ omninoconvenit tum Arabiæ tum regionibus ei vicinis circa Euphraten & Tigrin.

apud *Photium Cap.* XLVII. ὧν κατὰ μέσην τὴν χώραν ποταμὸς διαφέρεται τετμημένης μὲν τῇ φύσει, ψῆγμα δὲ χρυσὸν καταγῶν, κάτω σύνδηλον τὴν δαψίλειαν ἔχων, ὥστε καὶ ἰλὺν, καὶ τοὺς ἐκβολαῖς συνηγμένους, πόρρωθεν ἀποσείλβειν. Atque ab his progreſſus *Cap.* XLIX. mira de auro *Alileorum & Caſandritarum* fert. Τὸν μὲν οὖν χρυσὸν ἐρύσσοντες ἐν τοῖς αἰολικώδεσι τῆς χώρας ὑπονόμοις εὑρίσκειν πολὺν, καὶ τὸ σωτηνόμενον μετ' ὀπισήμης καὶ πίχυος ἐκ τοῦ ψήγματος, ἀλλὰ τὸ αὐτόματον, καλούμενον δὲ διὰ τὸ συμβαῖνον παρ' ἕλλησιν ἄπυρον. Οὗ τὸ μὲν ἐλάχιστον ἔχει μέγεθος πυρῆνος, τὸ δὲ μέσον μεσσίλου, τὸ δὲ μέγιστον ὥστε βασιλικοῖς καταβάλλεσθαι καρύοις. ὃν περίσωπες ἐναλλὰξ διαφανέσι λίθοις αἰεί πως τὰς καρπὰς φορεῦσι τῶν χειρῶν καὶ αἰεὶ τὰς ἀγκύνας· αἰεί πως τὰς ἀσυχείτονας μεταίροντες, πωλοῦσιν εὐπλοῶς, τὸ μὲν δὴ χαλκοῦ αἰεὶ τὸ χρυσοῦ τρίσαθμον ἀλλάττονται, τὸ δὲ σίδηρον αἰεὶ διπλοῦν χρυσίου, ὁ δὲ ἄργυρος ἐκ χρυσοῦ δέκα δύνατται μοίρας, &c. Quibus ſimilia plane dixerunt *Diodorus Sic. Lib.* III. terram deſcribens Ἀραβῶν Ἀλιλαίων καὶ Γασανδῶν, atque *Strabo Lib.* XVI. Uſque adeò ut hos *Gaſandes*, *Caſandres*, vel etiam *Caſſanitas*, apud *Ptolomæum & Stephanum*, dictos judicet *Bochartus* à גזן vel גזז Arabum, ſeu *gazis* & theſauris quos *poſſidebant*. Sed quod de Arabia verum eſt, idem quoque de regionibus Arabiæ oppoſitis ultra Tigrin & Sinum Perſicum videtur aſſerendum; tum propter magnam auri copiam quam Suſitis & Perſis tribuit *Strabo Lib.* XV. tum propter ejuſdem *defoſſionem* quam ſeu *Suſianis* ſeu *Babytaces* incolis tribuit *Plinius Lib.* VI. *Cap.* 27. cum *Solino Cap.* LIV. qui hanc dicit fieri, *ne polluti uſu ejus avaritia corrumpant æquitatem.* Ad *Bedolah* ſi pergimus, ut de Bdellio celebratiſſimo Sarracenorum & Arabum aut aromatiferis eorum arboribus nihil dicam, eſt ſane margaritarum uberrimus in Arabia & Sinu Perſico proventus. Unde *Plinius* poſtquam dixiſſet *principium culmenque omnium rerum pretii margaritas tenere*, atque *Indicum has maximè mittere Oceanum &c.* ſubjicit, *præcipue laudari circa Arabiam in Perſico Sinu Maris Rubri Lib.* IX. *Cap* 35. Cui ſubſcribit *Origenes in Matth.* XIII. 45. Οἱ δὲ θαλάττιοι τῶν μαργαριτῶν οἱ μὲν διαφέροντες αὐτοῦ τοῖς αὐτοῖς Ἰνδοῖς εὑρίσκονται, οἵ τινές εἰσι καὶ ἄριστοι ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ γινόμενοι. Et ſimilia dixit non tantum *Theophraſtus* & *Chares Mitylenæus* ſed & *Iſidorus Characenus* apud *Athenæum Lib.* III. *Cap.* XIV. ἔστι τὸ περσικὸν πέλαγος νῆσοι εἶναί τινὰ, ἔνθα πλείστη μαργαρίτις εὑρίσκεσθαι, &c. Ut deſcribere non ha-

habeamus porrò opus ea quæ de *Tylo insula plurimis margaritis celeberrima* habet *Plinius Lib.* VI. *Cap.* 28. quæque de insula *Barhen* aut *Baharain* in Sinu Persico è regione portus Catiphæ, ac modo generationis ac piscationis margaritarum, ex *Benjamine Tudelensi*, *Alkazuimo*, & *Petro Teixeira* descripsit late *Bochartus in Hieroz.* quæque de Sinus istius Persici margaritis ferunt recentissimi testes in Itinerariis suis. Tandem gemmas si jungimus, & has Arabiæ terrisque adjacentibus tribuunt pariter Veteres. *Plinius* utique dixit *Lib.* XXXVII. *Cap.* 6. *Sardonychas Arabicas excellere candore circuli prelucido atque non gracili, neque in recessum gemmæ aut in dejectu renitente, sed in ipsis umbonibus nitente, præterea substrato nigerrimi coloris &c.* Et mox *Cap.* 7. plures Arabiæ gemmas enarrat, *Sardam laudatissimam circa Babyloniam repertam* scribens, *cum lapidicinæ quædam aperirentur, herentem in saxi corde.* Apud *Strabonem Lib.* XVI. videas *Nearchum* jungere margaritas & gemmas; λέγει ἢ ἐν ἀρχῇ ὃ περσικὸς κόλπος νῆσον, ἐν ᾗ μαργαρίτης πολὺς καὶ πολυτίμητός ἐστιν, ἐν ἄλλαις ἢ ψήφοι τ' ἄλλων καὶ λαμπρῶν. Atque notabilia admodum sunt illa *Solini Cap.* XXXVII. *Quacunque Euphraten bibunt gentes, diverso nitent lapide. Zmilantis ipso Euphratæ alveo legitur, gemma ad imaginem marmoris Proconnensis &c. Sagda à Chaldæis usque ad nos fluxit. Myrrhites Parthis familiaris est &c. In Perside lapidum tanta copia est, tantaque diversitas, ut longum pene sit ipsis vocabulis immorari &c.* Ut mittam alios, inter quos *Dionysius Perieg. vers.* 1012. sic Babyloniam describens;

Ναὶ μὴν καὶ χρυσοῖο φέρει χαλέπτερον ἄλλο,
Τυχῆς βηρύλλῳ γλαυκῇ λίθον, ἢ σφὶ χῶρον
Φύεται ἐν σφετέρῃς ἐφιπτόμενον ἔνδοθι πέτρης.

Ut nihil etiam dicam de textu *Ezechielis Cap.* XXVII. 22. in quo *mercatoribus Sheba & Rahmah* præter *caput omnis aromatis* tribuitur *omnis lapis pretiosus & aurum*; quem recte urgeri putamus. Ista vero de his terris vicinis Euphrati & Tigridi atque Sinui Persico si constent ex Veteribus, nemo jure opponet, forte quædam horum illic tanta copia hodie non reperiri; cum fodinæ diuturnitate temporis nonnunquam exhauriantur, sicut alibi metalla & gemmæ eruuntur rursus ubi olim sub terra latebant. Quapropter de his terris potius cogitandum est, quam de remotissimis Indiæ plagis; si spectemus etiam vestigia nominis *Havila*,

Digitized by Google

quæ circa eum tractum magis quam hunc deprehenduntur, ex anteà dictis; & ſedes primas tum Arphaxshadi & Heberi, à quibus Joctanitæ, tum etiam Chami & Cush, ex quibus fuit alter Havilah. Quod enim attinet ad *Ophir* fratrem Havilæ, tam incertum eſt, ab eo eſſe denominatam terram illam unde aurum & precioſæ merces adductæ tempore Salomonis, quam controverſus eſt ipſe iſtius terræ ſitus. Dum *Cl. Bochartus Phaleg. Lib.* II. *Cap.* 27. ſerio diſputat pro altera *Ophir* Arabica præter illam in Salomonis hiſtoria memoratam, nomine non niſi *opulentiſſimum* notante, atque apud *Euſebium Præp. Euang. Lib.* IX. *Cap.* 30. ex *Eupolemo* vitioſe lecto ὑρφῆ pro ὐφρῆ, ex *Iob.* XXII. 24. XXVIII. 16. 1. *Chron.* XXIX. 4. cujus tamen argumenti vim non omnino aſſequor, dum aurum remotioris Ophir notum eſſe atque inde adduci potuit ab iſtis ante Salomonem, qui id primus feciſſe non dicitur, uti ſupponit Vir Celebris. An vero Havilah debeat ab orientali an vero ab occidentali Tigridis & Sinus Perſici latere collocari, poſt luſtratam dein *terram Cush* rectius judicabitur.

Circumitio hujus terræ Havilah tributa Piſhoni.

VI. Connexio jam *Piſhonis* cum hac *terra Havilah* fit apud Moſen per vocabulum סבב / *circumeundi*, quod fluvio reſpectu *terræ totius* vel *omnis* tribuitur, quodque biſariam fere capitur. Sic primo, ut regionem ipſam mediam pertranſierit per varios flexus & mæandros; quod vult cum aliis *Fr. Junius*, in verſione adhibens verbum *alluendi*, ſed in notis exponens, *Hebraicè qui circuit, i. e. longo viarum flexu per totam regionis longitudinem delabitur*; atque ex Papiſtis *Corn. à Lapide*, *circuit*, *non ambiendo vel circulando*, *ſed perlabendo & peragrando*, *ſic ſumitur circuire pro peragrare Hebr.* XI. 37. *Matth.* XXIII. 15. præter quæ loca nominant alii *Joſ.* XV. 3. & XVI. 6. Atque eſt ea exegeſis nuper etiam adoptata à *Joh. Clerico*, vertente verbum liberiùs per *flexuoſo curſu alluere*, & rationem addente; quod *vix ullus fluvius poſſit circumdare totam aliquam regionem*, *niſi forte in ejus fluvii inſula ſita eſſet*. Sed fatendum, altero ſenſu magis proprio capi vocem ab iis, qui regionem Havilah ſtatuunt hoc fluvio fuiſſe concluſum, non neceſſario ab omni latere æqualiter, ut fuerit hæc inſula vel peninſula, ſed vel ab uno latere integro, quaſi ſemicirculi formam habente aut multum flexuoſo per longitudinem aut latitudinem, vel forte à duplici aut triplici latere; ut ſemper fluvius ponatur in extremo terræ ambitu, aliquo modo in circulum inflexus, nec exiguam aliquam

ter-

Digitized by Google

terræ hujus partem tangat. Atque hoc pacto tollitur vis objectionis modò motæ, & verba Moſis commodum ſatis accipiunt ſenſum, non nimium utique vexanda.

Alienæ quædam ſententiæ de Pishone recenſentur & examinantur, in primis quæ illum ſtatuit eſſe Gangen.

VII. Quis verò iſte ſic à nomine & curſu deſcriptus fluvius Pishon eſt? Ad hanc quæſtionem reſponſurus neſcio, an omnes recenſere opiniones ſit neceſſum, inter quas nonnullæ fluviorum & terrarum miris confuſionibus peccant. Quis profectò intelligat iſta *Cæſarii Dial.* III. *Reſp.* 144. Καὶ ὄνομα τῷ ἑνὶ Φισών. Οὗτος ὁ τὴν Αἰθιοπίαν φησὶ καὶ τὴν Ἰνδικὴν παροδεύων, Γάγγης παρ' αὐτῶν ὠνομασμένος, ὃς δὲ ὁ ἕλλησιν Ἴστρος καὶ Ἰνδὸς ποταμὸς, ὃς δὲ ὁ Ἰλλυριοῖς καὶ Ῥωμαίοις τοῖς παροίκοις ὁ Ἴστρος Δανούβης, ὃς δὲ ὁ Γότθοις Δανοῦπις. πᾶσαν ὁ τὴν γῆν ἑνιλαὶ κυκλῶν τὴν δευτέραν Αἰθιοπίαν καὶ τὰ μέρη τῶν ἰλλυριῶν, καὶ δεξιὸν τὴν πρώτην Αἰθιοπίαν, εἶθ' ὕστερον ἐκπίπτων τὰ νότια καὶ τὴν ἑσπέραν ἔσωθεν Γαδείρων, εἰς τὸν διαβόητον ἐκκρίνει Ὠκεανόν. Nec multum aliter tamen legas apud *Epiphanium Anchor.* Cap. LVIII. Ὄνομα τῷ ἑνὶ Φισών, καὶ ὁρῶμεν τὸν Φισὼν ἐν ἔθνεσιν ἡμῶν· καὶ Φισὼν μέν ἐστιν ὁ Γάγγης παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς καλούμενος καὶ Αἰθίοψιν, ἕλληνες δὲ τὸν καλοῦσιν Ἰνδὸν ποταμόν. πᾶσαν γὰρ τὴν ἑνιλὰτ περικυκλοῖ, τὴν μικρὰν καὶ τὴν μεγάλην, τὰ μέρη τῶν ἰλλυριῶν. διαπερᾷ δὲ τὴν μεγάλην Αἰθιοπίαν, καὶ πίπτει εἰς τὸν νότον, καὶ δύει ἔσωθεν Γαδείρων εἰς τὸ μέγαν Ὠκεανόν. Qualis ſeu confuſio ſeu conjunctio & terrarum & fluviorum per varias orbis partes diſſitorum ſi poſſet admitti, nihil ſane ex hoc fluvio Pishon de loco Paradiſi diſcere poſſemus. Diverſum quadantenus curſum & exitum fluvii hujus pingit *Moſes Bar-Cepha*; *Nomen unius horum quatuor fluviorum eſt Phiſon, ſive ut Græcus vocat Dijabis*, (alibi *Dijobis*,) *qui fluvius poſtquam avulſus ab illo majore & primario Paradiſum pelluente, in terramque demerſus eſt, ſub ipſis etiam Oceani vadis fluit, donec ebulliens prorumpat in Occidentem, unde verſus ſeptentrionem regyrans delabitur per univerſam regionem Indorum, quam vocat Moſes terram Havilæ, ac tandem deſinit in Mare Indicum.* In quibus verbis non poſſum prætermittere conjecturam haud infelicem *Joh. Hopkinſoni*, nomen *Dijobis* ex vitioſa lectione aut ſcriptione Syri textus videri poſitum pro *Danubis*, ſi quidem hoc Syriace pingitur ܕܢܘܒܝܣ atque illud ܕܝܓܘܒܝܣ quæ lineæ unius paulo altius protractæ vel depreſſæ eſt unica differentia. Ita vero illa opinio de *Danubio* notiſſimo Europæ fluvio per Pishon intellecto, quam etiam tribuunt *Severiano* Epiſcopo Gabalitano, deſtituitur omni munimento ex textu Moſis & Geographis quibuſvis, ut vix reperian-

riantur qui eam admittant plures, & ut sola fluvii magnitudine videatur niti. Idem fere dicendum de sententia alia, quæ Pishonem in Africa quærit, & in Nilo Ægyptiaco reperit, atque apud Judæos quosdam legitur quorum mentionem facit *Maimonides*, & inter quos *R. Sabadia Gaon* apud *AbenEzram*, ac *Iarchi* rationem addens *ab inundatione* Nili quam significet nomen, à פשה derivatum, vel à פשה *lino* quod crescere faciat, *coll. Iesa.* XIX. 9. cujus utriusque imbecillitatem nemo non videt. Indubiè ab Europa & Africa ad Asiam veniendum. Ubi aliqui ob nominis quandam similitudinem, fontisque viciniam cum fontibus Tigridis atque Euphratis, unionesque juxta aurum illic repertos, non potuere prætermittere *Phasin* Colchidis, qui septem ostiis in Pontum Euxinum exit, nec tantum ex vellere aureo magnopere celebratur, sed & proverbiis Græcorum locum fecit, *Phasin usque navigat, neque Phasis mala eluat &c.* de quo *Strabo Lib.* XI. *Ptolomeus Lib.* V. *Cap.* 10. *Plinius* pluribus locis, aliique. Longius in Orientem ad Mare Caspium progressus *Haitho* Armenus nominavit *flumen quod Persidem in duas partes discriminat*, si credere debeo *Nic. Abramo*, qui ipse nominat illic *Oroatem* & *Bactrum*; vel si *Huetius* vera narrat, *Oxum*, fluvium Sogdianæ maximum, in Mare Caspium à parte orientali cadentem, quem Arabes Gihonem appellare solent. Ulterius in oriente reperitur maximus fluvius *Indus*, & qui in hunc illabuntur *Hydaspes*, terminus Alexandri Magni, & *Hyphasis* ab aliis pro eodem habitus, ὃν ἡ γραφὴ Φησὼν vel Φεισὼν ὀνομάζει, inquit *Philostorgius Lib.* III. *Cap.* 10. forte soni convenientiam spectans, qui hujus proventus & virtutes magnopere laudat simul. Sed maxima longè pars Patrum non substitit in progressu orientem versus ante *Gangen*, secuta in eo *Iosephum*, qui sic de Pishone scripsit, Φὴν τὴν Ἰνδικὴν φερόμενον ἐκδίδωσιν εἰς τὸ πέλαγος ὑφ' ἑαυτῶν Γάγγης λεγόμενος. Idem antea asserentem audivimus *Eusebium in Esaiæ*, & repetiit ille in nomine *Fison*; *fluvius*, inquit, *quem nostri Gangen vocant, de Paradiso exiens, & pergens ad Indiæ regiones, post quas erumpit in pelagus.* Nec aliter *Hieronymus in Quæst. Hebr. Hunc esse Indiæ fluvium Gangen putant*; aut in *Epist. ad Rusticum Mon.* nominans *Gangen fluvium, quem Phison Sancta Scriptura commemorat, qui circumit totam terram Evilat, & multa genera pigmentorum de Paradisi dicitur fonte devehere, ubi nascitur Carbunculus & Smaragdus, & margarita candentia, & uniones quibus nobilium feminarum ardet ambitio, montesque aurei, quos adi-*

adire propter gryphas & dracones & immenſorum corporum monſtra hominibus impoſſibile eſt, ut oſtendatur nobis, quales cuſtodes habeat avaritia. Eadem mens *Ambroſii*, *Auguſtini*, atque aliorum, inter quos Cl. *Marius Victor*, & *Alcimus Avitus*, ſic canunt;

Quorum primo ordine Phiſon
Proſilit exultans, fontis pars quarta beati,
Edens naturæ quas dat prudentia dotes,
Gangetiſque replet populos, atque Indica regna
Diſtendit limo, terraſque & ſemina volvens
Quæ facit aura ſerit, undis quæ ſqualet arenis
Aurea fulgentis inter ramenta metalli.
Hic ubi fulmineæ rivulans carbunculus igne,
Ac viridi radiat fulgeſcens luce ſmaragdus &c.
Quartus dehinc Phiſon quem nominat India Gangen
Mox odorifero &c.

In quam laudari ſolet ipſius *Siracidis* conſenſus *Cap.* XXIV. 27. 28. quatenus *Phiſon* videtur omnibus aliis præpoſuiſſe cum Moſe, maxime orientalis ſitus & magnitudinis reſpectu. Sed & præterea huc ducit nominis *Phiſon* vis Gangi competens, quoad magnitudinem & exundationem; *Havilah* de India expoſita; *aurum inventum in fluminum ramentis, ut in Gange India*, & *Gemmiferi amnes Aceſines & Ganges, terrarum autem omnium maxime India*, apud *Plinium Lib.* XXXIII. *Cap.* 4. & XXXVII. *Cap.* 13. quin & ipſa *Gangis* appellatio, quam ſubtiliter derivat *Nic. Abramus* à ג *horto* & אן *valle*, collato nomine *vallium* quod Gangis alveis ab *Apulejo* datur, ut ſit Ganges *vallis* vel *alveus Paradiſi*. Quicquid vero ſuadeant autoritates, non perſuadent; quatenus ad Geographiam minus attendentes Patres ſæpe conjecturis aut communi famæ heic aliquid dederunt, & quidam inſcitiam ſuam nimis palam prodiderunt. Inter quos à *Steucho* poni video *Eucherium*, apud quem legitur equidem, *Phiſon eſt Ganges qui nunc dicitur Nilus*, ſed corrupte uti puto, cum *quatuor* agnoſcat ex Moſe fluvios, & nullam tamen mentionem faciat *Gihon*. Quidquid ſimiliter ſuadeant rationes iſtæ, non perſuadent; quando in Oriente juxta & ultra Tigrin ſunt alii fluvii magni, neque neceſſario à ſitu & magnitudine petitus eſt quatuor fluviorum ordo; quando notio *Phiſonis* hæc aut illa non eſt adeò certa, & ad plures fluvios poteſt applicari; quando Havilam in India quærendam eſſe minime conſtat, atque illa illic ob Gangis viciniam forte quæſita eſt; quando proventus auri & gemmarum etiam ſunt extra Indicam

Digitized by Google

diam; quando denique derivatio nominis *Gangis* eſt incertiſſima; & illa quæ heic adducitur, tum ineptior, ſiquidem ſic diceret *hortum vallis*, non *vallem horti*, tum nullum cum *Paradiſo* nexum habens, quando *horti* nomen eſt latius, nedum cum veritate rei, ſiquidem homines vicini nomen ex inani traditione aut conjectura dare poſſunt fluvio aut per ſimilitudinem quandam, quod illi revera non competebat. Obſtat verò adverſus hanc ſententiam de Gange potiſſimum ejus longiſſima ab Euphrate & Tigride diſtantia, cum quibus propius Pishonem Moſes jungit; dum ductus ſubterranei, per quos inter ſe communicent, fingi pro arbitrio ſed probari minime poſſunt, nec cum Moſis verbis ſatis conveniunt, uti antea viſum eſt.

Aliæ de Pishone ſententiæ rejiciuntur.

VIII. Propius ſine dubio hinc ad rem accedunt, qui Pishon quærunt in Syria. Quo modo *Joh. Clericus*, *quidquam quaſi compertum affirmari poſſe negans*, obſervat tamen, *ſi conjecturæ ſit locus, fluvii Phiſchon videri veſtigium aliquod in Chryſorroa inveniri poſſe. Is ἀρχόμενος ἀπὸ τῆς Δαμασκηνῶν πόλεως καὶ χώρας, εἰς τὰς ἐχεπείας ἀναλίσκεται σχεδόν τι, incipiens ab urbe & regione Damaſcenorum in rivis ferè conſumitur, ut de eo loquitur Strabo Lib.* XVI. *Plinius etiam Damaſcum ex epoto riguis amne Chryſorroa fertilem teſtatur Lib.* V. *Cap.* 18.. *Petrus Belonius Obſ. Lib.* II. *Cap.* 91. *tantam eſſe Damaſci è Chryſorroa flumine aquæ copiam, ut unicuique domui, cum intra ædificium, tum in horto ſuus ſit fons, narrat. Hæc autem optime conveniunt cum nomine Hebraico* פשן / *quod deducitur à radice* פשה / *diffuſus fuit, aut* פשא *phaſchaa, ut ſcribunt Arabes, apud quos dimanavit in publicum ſignificat. Græce dicitur Chryſorroas, quia ramenta auri, quod præſtantiſſimum in regione Hhavila fuiſſe nos docet Moſes, ſecum devehebat. Eadem de cauſa Pactolus, Lydiæ fluvius, idem nomen habuit.* Sed adverſus iſtum fluvium *Chryſorrhoam*, juxta alios plures ab auri ramentis ſic dictum, quem credunt *Parpar* vel *Pharphar* dici, ab aliis ad *Orontem* relato hoc nomine 2 *Reg.* V. 12. objici iterum poteſt; nec ejus obſervari tantam amplitudinem, quanta in primo fluvio ex Hedene orto meritò deſideretur, ſi cum Euphrate & Tigride ſit futura aliqua proportio; nec auro heic jungi margaritas & gemmas; nec tandem reperiri hujus fluvii nexum ullum cum Euphrate aut Tigride; quem dum non agnoſcit neceſſarium *Matth. Beroaldus*, fluvii hujus Arabici lapſum in Sinum Perſicum omnino tamen affirmat, cum

Schic-

Digitized by Google

Schickardo in Tarich. Postremum hoc incommodum evitant *Tremellius & Junius*, quando in Babyloniam progressi Pishon statuunt *alveum Euphratis, qui Basilius dicitur, & in Tigrin delapsu ei suum nomen adimebat, qua ex re factum est, ut hic Euphratis alveus sub Apamea cum Tigri junctus ab incolis Pasitigris vel potius Pisotigris appellaretur, non de nomine Pasinis vel Spasinis Sogdonaco nati ut plerique dixerunt, sed à Pischone Euphratis alveo, cujus nomen cum Tigri fuit compositum.* Sed in alia magnopere incidunt hi; quando iste βασίλειος ποταμὸς seu *Naharmalca* seu *flumen regium*, non nisi unus superior ramus Euphratis, industria hominum longe recentiorum Mose vel factus vel auctus, docente id nomine, & brevis admodum spatii cum Tigride mox finiatur & absorbeatur nec adeò regionem tam fertilem totam circumeat, quod Tigridi tum ipsi & Euphrati juncto potius tribuendum; ut taceam, tam exiguum ramum Euphratis nec cum hoc ipso nec cum Tigride posse comparari, nedum ordine ante hos ipsos fluvios poni. Quod vero ad nomen *Pasitigris* attinet, de eo dicetur mox latius; & potest illud censeri ex duobus illis nominibus *Pishon & Tigris* compositum, etiamsi non aliunde in Tigrin influat Pishon, & magis etiamsi iste fluvius in eum influens non sit Basilius Euphratis ductus.

IX. Hoc unum ergo supereſt, ut Pishon statuamus esse fluvium seu Tigridis seu Euphratis, ubi post utriusque conjunctionem hic exit in Sinum Persicum. Eo dudum tendit *Steuchus Eugubinus*, cum post longum satis discursum concludit; *Phison ergo est Hebraicum nomen, sonatque incrementum, exuberantiam, fecunditatem, nascens ex Euphrate, una quasi ex eo eruptio, unus alveus, versus Arabes Chavilaeos proficiscens.* Non tamen ille sic nominavit brachium principale Tigridis vel Euphratis, adeoque incertum fere reliquit, an alium alveum minorem Euphratis cogitaverit. Quod egit cum aliis *Ben. Pererius* Jesuita; *Ego facile patior mihi persuaderi, quod à doctis quibusdam viris proditum est, Phison & Gihon fuisse fluvios ex ipso Tigri vel Euphrate deductos & derivatos, qui diversum cursum agentes, alter Æthiopiam, alter vero terram Hevilath peragraverint. Etenim ex loco, ubi simul coeunt Tigris & Euphrates, & instar unius fluminis mistis aquis aliquantisper decurrunt, rursus facto aquarum divortio, existunt duo principales fluvii, priora romina Tigris & Euphratis retinentes. Praeter hos derivabantur*

Sententia maxime recepta & probabilis, de Ostio Orientali vel Occidentali Tigridis Euphratisque conjuncti per Pishonem notato, proponitur & illustratur.

tur duo alvei, quorum alterum Moſes appellat Phiſon, *alterum Gihon; quos recte appellaveris eruptiones quaſdam ſeu alveos, quos vulgus ramos vel brachia appellat, ſicut fit in Danubio, Nilo, & Pado ſeu Eridano.* Sed ipſum alveum Orientalem Tigridis verſus Perſicum littus clare nominavit *Scaliger de Emend. Temp. Lib.* v. *Sciunt enim omnes Tigrim & Euphraten commiſceri, & ingenti alveo in Mare Perſicum exonerari, ſed antequam excipiantur Sinu Perſico, iterum in duo ingentia fluenta ſcindi, inſtar Padi & Rhodani. Ipſa autem fluenta multas paludes efficiunt, ut non ſolum ſcribit Arianus, ſed etiam mercatores qui ante* x. *annos ea loca adierunt idem teſtantur. Fluentum igitur orientale Moſes vocat* פישון / *hoc eſt* πλημμύρεαν, *propter paludes ingentes quas efficit, cujuſmodi eſt Paduſa, quam Padus fluvius facit &c.* Nec diffitetur ille, ſe hanc ſententiam à *ſummo ſui temporis ſacrarum literarum Interprete*, Calvino ſcil. accepiſſe, quam *divinam doctiſſimi Viri ſententiam* appellat, & qua *nihil poſſe dici verius, nihil doctius*, addit; ſicuti & hujus *autorem primum* vocat *Calvinum* nuperrime *Ill. Huetius.* Ex adverſo alveum Euphratis Occidentalem verſus Arabicum littus nominant alii, à quibus etiam laudantur Arabes ipſi, qui flumen Baſſoræ verſus Arabiam fluens nomine Pishon appellent. Sic noſter *Bochartus*, cum monuiſſet, ſe *in accurata terreſtris Paradiſi deſcriptione* hoc, quod *terra Havilæ ſit ea pars Arabiæ ad Catipham & Baharen ex qua margaritæ eruuntur, tot aſſerere argumentis, ut vix quidquam deeſſe putet ad perfectam probationem*, ſubjicit; *Itaque hic monuiſſe ſufficiet, à nobis nomine Phiſon, à quo alluitur terra Havila, eum Euphratis ramum intelligi, quem locorum ἀνὴρ πᾶς Petrus Teixeira in Sinum Perſicum ferri ait ad Catipham prope Barhen vel Baharain verius. Hieroz. Parte II. Lib.* v. *Cap.* 5. Quemadmodum *in Epiſtola ad Lud. Cappellum*, præfixa noviſſimæ editioni *Phalegi*, poſtquam *Calvini* ſententiam late expoſuiſſet, diſſenſum ſuum ab eo profitetur in hoc, Havilam non ad Orientem in Suſiana ſed ad Occidentem jacere ad Babyloniam & Arabiam, docente id præter tripliceм loci proventum etiam nomine חוילה / à חול *arena* ſic dicto cum arenoſus ſit ille tractus; & conſequenter *Euphratis alveum qui eum alluebat Phiſon dici*, quod & firmat ex ſimili ſenſu vocis *Prath* & *Pishon*, ſiquidem verbum פוש / in Paraphraſi Chaldaica paſſim ponitur pro Hebræo פרה / ad notandum *abundantiam* vel *augmentum*, atque hinc Hebraicum vel Aramæum nomen hæſit fluvio in ſuperiori

ſed

ſed Chaldaicum in inferiori ejus parte. Latior multo eſt in hoc capite ſecundum *Bochartum* aſtruendo Vir Doctiſſimus *Stephanus Morinus*, qui argumentum ex nomine *Piſonis* aliter urget, quod ſcil. illud notet *diffuſum & longe lateque expanſum*, qualis non eſt Tigridis magis ad orientem exeuntis conditio ob terræ adjacentis altitudinem, ſed omnino Euphratis magis occidentalis, in paludes diſtracti & vicinos campos occupantis; juxta *Strabonem*, *Plinium*, *& Arrianum*. Placuit vero iſta theſis non modo *Athan. Kirchero* in charta Geographica *Turr. Babel. Lib.* 1. *Cap.* 5. ſed & aſtruitur multis ab *Ill. Huetio*, qui præter alia etiam urget vim nominis *Phiſon*, tanquam ad exundationes ſpectantem, quæ ob *violentos in extremitate Sinus Perſici æſtus* illic obtineant; ſed & ante hoc producit ordinem à Moſe ſervatum, qui cum ſcriberet in Arabia Petræa à Pishon tanquam exitu occidentali Euphratis ſibi maximè propinque fecerit initium eumerandi fluvios quatuor, inde orientem magis ad Gihon progreſſus, & mox ab oriente ad occidentem numerando Tigrin ante Euphratem reverſus. Iſthoc divortio ſententiarum dè Occidentali vel Orientali oſtio Euphratis & Tigris per Pishonem miſſo; id omnino obſervari debet, quod nominis hujus veſtigia in hoc tractu reperiantur. Etenim apud *Arrianum in Periplo Maris Erythræi* reperias in Perſico Sinu ἐν τῇς ἐχάτοις ἀπὸ μέσσων ἐμπέλιον νόμιον λεγόμενον τὸν Ἀπολέγυ, καμψίλιον καὶ Πασίνυ, juxta alios ϖασίνυ, χώραν, καὶ ποταμὸν Εὐφρήτην Neque eſt ferè qui ignorat *Paſi Tigris* nomen adductum §. *VIII.* quod tribuit *Plinius* Tigridi, poſtquam aquæ ejus diviſæ iterum confluxerunt, *Lib. VI. Cap.* 27. *Ubi remeavere aquæ, Paſi Tigris appellatur. Poſtea recipit ex Media Choaſpem, atque ut diximus inter Seleuciam & Cteſiphontem vectus in lacus Chaldaicos ſe fundit, eoſque LXX. m. p. amplitudine implet. Mox vaſto alveo profuſus, dextra Characis oppidi infertur Mari Perſico decumo ore &c.* Idem ille fluvii nomen repetiit *Cap. XXVIII. Deinde eſt oppidum quod Characenorum regi paret in Paſitigris ripa, Forath nomine, in quod à Petra conveniunt &c.* Legas idem *Paſitigris* nomen apud *Curtium Lib. V. Cap.* 3. *Rex quartis caſtris pervenit ad fluvium, Paſitigrim incolæ vocant, oritur in montibus Uxiorum, & per L. ſtadia ſylveſtribus ripis præceps inter ſaxa devolvitur. Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alveo præterit, jam navium patiens. DC. ſtadia ſunt mollioris ſoli, per quod leni tractu aquarum Perſico*

mari se insinuat &c. Quæ fere versa esse ex *Diodoro Sic. Lib. XVII.* notavit cum aliis *Salmasius*; nisi quod illic sit simplex nomen Τίγρις, & χίλιοι σταδίοι pro quinquaginta, mendose uti ille judicat. Sed & *Arrianus Lib. III. de Exped. Alex.* ita scripsit; ἄρχεται δὲ ἐκ Σούσων, καὶ διαβὰς τὸν Πασιτίγριν ποταμὸν, ἐκβάλλει εἰς τὴν Ὠυξίων &c. Minimè omittendus heic *Strabo*, qui ita habet *Lib. XV.* Ἄλλοι δέ φασι, τὸν διὰ Σούσων ποταμὸν εἰς ἓν ῥεῦμα τὸ τοῦ Τίγριος συμπίπτειν καὶ τὰς μεταξὺ διώρυχας τοῦ Εὐφράτου, διὰ ἣν τοῦτο τὰς ἐκβολὰς ὀνομάζεσθαι Πασίτιγριν. Νέαρχος δὴ τὸν παραπλεύσαντα τὸν Σκιρτὸν παραγωγὴν φησὶν, πέραν λέγει τὸν Εὐφράτην ποταμὸν, ὃς εἰς τὸν αὐτὸν κόλπον εἰκείσθαι τὸν ὑποδεχομένην τὰ ἐκ τῆς Ἀραβίας φορλία, συμπίπτειν γὰρ ἐφεξῆς τὸν τῶν Ἀράβων παράλιον τῷ τοῦ Εὐφράτου καὶ τοῦ Πασιτίγριος, τὸ δὲ μεταξὺ πᾶν ἐπέχειν λίμνην τὴν ὑποδεχομένην τὸν Τίγριν. ἀναπλεῦσαι τῷ Πασιτίγριδι σταδίους πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν τὴν χερσίαν εἶναι τὴν ἀγούσαν ἀπὸ Σούσων ἐπὶ τὸν Περσικὸν, ἀπέχουσαν Σούσων σταδίους ἑξήκοντα, τὸν δὲ Πασίτιγριν ὑπὸ τοῦ ὀρεινοῦ διέχειν ὡς χιλίους σταδίους &c. Et post pauca, multos ponens ultra Euphratem fluvios quos Alexander transiit, τοὺς διαῤῥέοντας τὴν χώραν, καὶ καταφερομένους εἰς τὸν Περσικὸν κόλπον, sic pergit; μεταξὺ γὰρ τοῦ Χοάσπου ὁ Κοπράτης ἐστὶ, καὶ ὁ Πασιτίγρις, ὃς ἐκ τῆς Ὠυξίας καὶ αὐτὸς ῥεῖ. Ex quibus inter se collatis locis liquet omnino, Tigridi exeunti in Sinum Persicum datum olim fuisse nomen *Pasitigridis*, voce ut videtur composita ex nomine duplici, quod superioribus hujus fluvii partibus & inferioribus erat alias proprium, quodque sic tam fluvii exeuntis ortum quam locum exitus determinaret, sive regio *Pasini* à fluvio sive fluvius à regione isthac sic denominaretur. Etiamsi simul videatur constare, fluvium ultra Tigrin, sive *Oroaten* sive alium, id nomen Pasitigridis quoque habuisse; quod ab Alexandri exercitu redeunte vel per errorem vel per industriam derivat *Huetius*, quod verò ex vicinia & conjunctione aut similitudine etiam potest derivari.

Conclusio & assertio brevis dictorum de Pishone.

X. Ut ad dissertationis hujus properemus modo finem, quis non videt, inferiorem inde à Babylonia Tigridis vel Euphratis alveum commodissime in *Pishone* intelligi? quando est hic conspicuus cum eis fluviis nexus; quando est heic in vicinia fluvii terra, quæ & nomen Havilæ fert, & proventus ejus præstantissimos profert, secundum ante dicta; quando quocunque modo expositum no-

nomen *Pishon* ei convenit, uti ex Euphratis & Tigridis natura ſuo loco expoſita diſcas, nec cedit ille adeo fluviis iſtis; quando denique hujus ipſius nominis veſtigium tam perſpicuum & in terra adjacente & in fluvio ſupereſt. Si hoc putas obſtare, quod fluvii pars inferior & ſuperior non poſſit aut debeat ut duplex fluvius ſortiri; obloqueris veteri atque etiamnum apud nos quotidianæ praxi, juxta quam fluvius idem in variis terris per quas labitur diverſiſſima accipit nomina, adeoque alius & alius dicitur, in primis ubi aliæ aquæ à latere illabuntur in eundem alveum uti heic fit. Si inſtes iterum, diviſionem fluvii unius Hedenici *in quatuor capita*, cum *progreſſu* Tigridis antea aſſerto, arguere quatuor diſtinctos prorſus fluvios, atque prioris illius alveum inferiorem; contrarium verum eſt quoad prius membrum, ſiquidem illa phraſi non determinatur diviſio ad partes fluvii inferiores, ſed tantum ponitur flumen ex uno quadruplex, & de vera notione verbi הלך ſeu *progrediendi* antea copioſe ſatis actum eſt. Si tandem roges, quodnam oſtium Tigridis & Euphratis, an Orientale an Occidentale, in Pishone debeat intelligi; ejus quidem rei determinationem differemus, uſquequo Gihon fluvium luſtraverimus ſimiliter, ne illic dicenda præoccupare modò cogamur. Hoc tamen jam dico, nihil prorſus eſſe, quod hunc alveum utrumque mittere, atque alium vel alios collaterales pro arbitrio cum *Pererio* fingere, poſtea ſublatos, ſeu ſuadeat ſeu cogat.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quo de Fluvio ſecundo Gihon, & de Terra Cush quam ille circumit, diſſeritur.

Nunc itaque ſupereſt, ut in unum adhuc inquiramus Fluvium, qui ex Hedenis Fluvio diviſo natus eſt, quemque ſecundo loco poſuit & numeravit Moſes, ſic ſcribens *Gen.* II. 13. ושם הנהר השני גיחון הוא הסובב את כל ארץ כוש / *Et nomen fluvii ſecundi Gihon, ipſe circumiens omnem terram Cush.* Ubi eundem quem ſervavimus antea ſervabimus ordinem etiamnum; ut *Fluvii* ſcilicet, quem pro arbitrio Spiritus ob rationem ſufficientem nobis tamen non ſatis perſpectam *ſecundum* dixit, videamus, tum nomen, tum cur-

Verba Moſis de Fluvio Gihon adducuntur.

curſum, hinc per varias de hoc Fluvio opiniones breviter ituri, donec in aliqua præ aliis acquieſcere nobis liceat.

Origo & notio vera nominis iſtius Gihon indagatur.

II. Nomen Moſes vocat *Gihon* vel *Gichon*, גיחון / apud LXX Γεών, apud *Syracidem* Γηών, apud *Vulgatum Gehon*, apud *Hieronymum de Nom. Hebr.* abſque aſpiratione *Geon.* Idem plane legitur in hiſtoria Salomonis 1. *Reg.* 1. 33. 38. 45. & Hizkiæ 2. *Chron.* XXXII. 30. & Manaſſæ 2 *Chron.* XXXIII. 14. eſtque illic nomen ſeu fontis ſeu rivi, apud ipſam urbem Jeruſalem, pro quo alias dici *Siloe* vel *Siloam* ſtatuunt Viri Doctiſſimi cum *Paraphraſte*, *Iarchio*, *Kimchio*, aliiſque Judæis. Notat ex origine ſua, ſi *Hieronymum* audimus, *pectus* ſive *præruptum*, dum *Philo* in hoc fluvio τὴν ἀνδρίαν ſeu *fortitudinem* reperiens exponit ϛηθος ἢ κερατίζοντα *pectus aut cornupetam*, quando reſpicitur ad radices גחן vel גאה vel גנח. Apud *Joſephum* legas; δηλοῖ δὲ τὸ ὄνομα τὴν ἀναπολὴν ἀναδιδόμενον ἡμῖν. Ad quam vocis interpretationem ſic ſcripſit *Huetius*; *Oſtendit hac in parte, quemadmodum in multis aliis, quod licet Judæus eſſet non eo tamen magis in Hebraicis eruditus fuerit. Nam vocem Gehon derivat à verbo* גנה / *quod ſignificat lucere, ſplendere, unde deſcendit* גנה / *lucifer, ſtella matutina, &* נגהי / *noghi, lumen diei,* & גיה *Giah, fulgur, ſplendor, ac Syriacum* כנהא *aurora, mane. Sic de* גיה *giah Joſephus credidit formari vocem* גיחון *Gihon, neſciens quod vox Hebræa ſit* גיחון *Gichon & non* גיהן *Gihon; aut ſi iſtud noverit, neſciens tamen, quod* גיחון *originem habeat naturalem magis & minus coactam.* Iſtæ autem non ſunt niſi conjecturæ incertæ, per varias dialectos ſparſæ; dum de *Joſephi* cogitatis ipſe nihil habeo certi, atque *Iſaacus Voſſius* ipſum τὸ ἀναδιδόμενον conveniens τῷ גח ſolum ſpectaſſe vult, attamen puto illum notionem τὴν ἀναπολὴν æque potuiſſe à גח Hebræo ſeu *eductione*, luminis nempe ſolaris matutini, quam à Chaldaico גיה ſeu *ſplendore*, derivare, quando cadit acris illa in *Joſephum* criſis. Regulariter verò ſatis Judæi & Chriſtiani vulgo vocem derivant ab iſthoc Hebræo verbo גח / ſive ſpectetur fluvii hujus *eruptio* vel *eductio* in mare, ſive ejus irrigans in terras *exundatio* & *diffuſio*, ſive ejus vehemens & longa *proruptio*, quorſum per verbum גנה *cornu petere* etiam reſpici credunt. Huc ſpectat, quod *Ill. Scaliger Lib.* v. *de Emend. Temp.* גיחון interpretatur *Emiſſarium*; *Eſt enim*, inquit, *fluentum porrectius altero, & propterea dictum emiſſarium, quod illud magnus ille alveus ex ſe emittat, ut Mincium Lacus Benacus,*

Ad-

Adduam Latius, Ticinum Verbanus, Rhodanum Lemanus. Quare ab eadem causa rivus, quem piscina Hierosolymitana emittebat, dicebatur גיחון *Hebraicè, quod idiotismo Hierosolymitano erat* שילוחא *i. e. emissarium.* Eandem radicem sed alio sensu spectavit *Moses Bar Cepha Lib. I. Cap. 28. Nomen Gihonis obtinuit à fluendo cum inundatione, hac enim ripa sua supergrediens irrigat terras sibi circumjacentes.*

III. In describendo Fluvii hujus cursu mentio sit כוש / *Cush*, pro qua voce Αἰθιοπίαν *Æthiopiam* habent Interpretes *Græci* & *Vulgatus*, sicut & *Hieronymus de Nom. Hebr. Chus* exponit *Æthiops.* Est verò illud primò & directe nomen filii Cham, nepotis Noachi, patrisque simul tum Sebha Havilah Sabhtah Rahemah (ex quo Shebha & Dedan) & Sabhtecha, tum Nimrod, *coll. Gen. X. 6. 7. 8. 1. Chron. 1. 8. 9. 10.* Legitur vero illud nomen præterea, aut proxime cognatum ei, frequenter in Scriptura. Ut enim nihil dicam de servo Davidis 2. *Sam.* XVIII. 21. 22. 23. 31. 32. aut de filio Jemini *Psal.* VII. 1. & Hebhed Melech *Jer.* XXXVIII. 7. 10. 12. XXXIX. 16. aliisve ex *Jer.* XXXVI. 14. *Tseph. 1. 1. &c.* vocatur uxor Mosis כשית *Cushitica Num.* XII. 2. quæ erat Madianitica *Exod.* II. 16. 21. dicitur Shishak Rex Ægypti venisse contra Jerushalem non modo cum Ægyptiorum magna multitudine sed & Lybum Succitharam & *Cushæorum* 2. *Chron.* XII. 3. fertur Zerah *Cushæus* cum maximo exercitu venisse adversus Asam *Cushæis* percussis 2. *Chron.* XIV. 9. 12. 13. una cum Lybibus 2. *Chron.* XVI. 8. leguntur contra Joramum suscitati *Philistæi atque Arabes qui super manum Cushæorum* 2. *Chron.* XXI. 16. sub Hizkia memoratur Tirhakah *rex Cush* 2. *Reg.* XIX. 9. *Ies.* XXXVII. 9. extenditur regnum Ahasueri *ab Hodi & usque ad Cush* per septem & viginti & centum provincias *Esth.* I. 1. *coll. Cap.* VIII. 9. commendatur *Pitdah*, seu topasius seu smaragdus seu alius lapis, *Cush Iob.* XXVIII. 19. tribuitur *Cushæo pellis* non mutanda *Ier.* XIII. 23. & proponuntur *Cushæi* passim tanquam populus olim hostilis & impurus, frequenter juncti Ægyptiis, *Psal.* LXVIII. 32. LXXXVII. 4. *Ies.* XI. 11. XVIII. 1. XX. 3. 4. 5. XLIII. 3. XLV. 14. *Ier.* XLVI. 9. *Ezech.* XXIX. 10. XXX. 4. 5. 9. XXXVIII. 5. *Dan.* XI, 43. *Ham.* IX. 7. *Nah.* III. 9. *Tseph.* I. 12. III. 10. Conferri etiam solet nomen *Cushan*, cujus *tentoria* junguntur *cortinis terræ Midjan Hab.* III. 7. & *Cushan Rishathajim* regis Mesopotamiæ *Iud.* III. 8. 10. & *Cush* vel *Cutha* regionis 2. *Reg.* XVII.

De nomine Cush & terra hinc appellata prolixius agitur.

Digitized by Google

24. 20. ob facilem & frequentem literarum ע & נ permutationem. Ex his inter se collatis locis debet nunc porrò judicari de situ terræ & sede gentis Cushææ; quam magnopere disputat cum *Steucho*, *Beroaldo*, aliisque plurimis, *Bochartus* esse in *Arabia* constituendam, laudata ex Veteribus sola *Paraphrasi Ionathanis ad Gen.* x. 6. quæ *Cusho* tribuit ערביא *Arabiam* sedem. Urget in hanc rem, *Chusan* diminutivum à Chus & *Madian* poni apud *Habakukum* tanquam ἰσοδύναμα, atque Tsipporam Madianitida vocari Chusitin. Urget præterea ex *Iobo*, non constare aut celebrari *topazium* Æthiopicam, sed *Arabicam*, in Chiti vel Topazo Maris Rubri insula apud *Plinium* altosque. Urget amplius; quod apud *Ezechielem* opponatur *turri Syenes*, termino Ægypti versus Æthiopiam apud *Strabonem*, *Plinium*, *Solinum*, *Iosephum*, *Stephanum*, ab altera extremitate *terminus Chus*, dum Arabia vere terminatur Ægypti pars, ab Æthiopia remotissima; quod apud eundem *naves* ex Ægypto ducantur in *Chus*, quæ per Mare Rubrum facilè veniant in Arabiam, non autem per Nilum in Æthiopiam ob cataractas prope Syenem; quod in historiis *Regum & Chronicorum* occurrat *Tirhaca Rex Chus* ex improviso adortus Sennacheribum, & *Zera Rex Chus* exercitum 1000000. hominum inducens in Asam, & *Chusæi* juncti Philistæis & Arabibus adversus Joramum, quæ omnia doceant Chusæos non esse quærendos in Africa longe ultra Ægyptum, sed in Arabia potius Judææ magis vicina; quod apud *Iesaiam* spectetur *Chus* juxta Ægyptum ut *exspectatio* Azoti & Philistæorum, ut debuerint iis adeò proxime adjacere; quod adhuc apud eundem & *Tsephanjam* describatur Ægyptus ut sita *trans flumina Chus*, quod de aquis Arabiæ verum, de illis Æthiopiæ minime. Post quæ omnia concludit; *Chusæos habitasse supra Ægyptum ad Rubri Maris Sinum intimum in parte Arabiæ Petræa & Felicis, & esse adeò eosdem cum Veterum Scenitis & Saracenis Recentiorum.* Et accedunt nomina filiorum sex, quorum *plerisque Veteres cum in Africa sedes quæsiverint, toto cælo aberrarunt ex Bocharti* judicio, qui eos in Arabia & adjacentibus Persiæ partibus fere, constituit per eruditas nec improbabiles conjecturas, dum Nimrodi primas & dein latius diffusas sedes ipse Moses satis prolixe descripsit *Gen.* x. 10. 11. 12. De Nimrodo quin etiam credit Vir Cel. ex collatis *Diodori* de Nino narrationibus, ipsum *Chusæum*, *i. e. Arabem*, *concivium suorum ope ad imperium evectum esse, proinde in præmium virtutis Chu-*

sæis

ſæis ſuis indulſiſſe regionem trans-Tigritanam, quæ ex illorum nomine Chus *Hebræis, & Chuth Chaldæis, &* Κίσσια Ciſſia *Græcis, &* Perſis חוזחאן *Chuzeſtan dicta eſt i. e. provincia* Chus. Sed alia videtur communis Hebræorum & Chriſtianorum Veterum ſententia fuiſſe, *Cush* notare Æthiopiam, & *Cushæos* eſſe Æthiopes, quemadmodum vulgo etiam ea vocabula verti ſolent. *Unum habent* hi, ſi *Bochartum* audimus, *quod opponant*, id nempe quod de *Chuſæi cute* non mutanda habet *Ieremias Cap.* XIII. 13. collatum cum Veterum adagiis, Αἰθίοπα σμήχειν, & Αἰθίοπα σμήχειν ἐπιχειρῶν, & Αἰθίοψ ἃ λευκαίνεται. Sed reſpondet ille, Saracenorum colorem eſſe quoque nigricantem & ſubfuſcum, adducta *Lud. Vartomani* αὐτόπτου autoritate, & convenientia nominum ערב *Arabis*, ערב *veſperæ*, & ערב *corvi*, & notione *nigredinis* quam habet etiam nomen קדר / Arabibus tributum, *coll. Cant.* I. 5. Verum *Huetius in Obſerv. ad Origenem* diſputat, Chus non quidem ſemper ſed tamen aliquando Æthiopiam eſſe; & nititur maxime limitibus quos Imperio Ahaſſueri tribuit Scriptura, cujus terminus Indiæ oppoſitus *Chus* cum ſtatuitur, neceſſum trit Æthiopiam, non autem Arabiam, intelligere, dum Perſarum Imperio paruit Ægyptus & Æthiopiæ pars finitima, ex *Herodoto*, *Xenophonte*, *Joſepho &c.* Addit etiam, quod *Tearco rex Æthiopum à Strabone* memoretur, qui idem ſit cum *Tharaca rege Cush*, dum *ſubleſtæ & leves rationes ea ſint, quibus Tharaca Arabibus imperaſſe probatur.* Hoc vero *unum & alterum argumentum de multis ſe proferre* monet, atque ſic concludit; *Probabile certe eſt, Arabes illos rubri maris accolas primum Chus fuiſſe dictos, & miſſos inde colonos trajecto mari alteram deinde inſedisſe ripam, & in Æthiopiam quoque penetraſſe, ibique fixis ſedibus nomen priſcum* Chus *retinuiſſe. Hinc utrimque Sabæi. Hinc locorum nonnullorum appellationes utrinque eædem. Hinc utrumque maris rubri littus Arabiæ, Troglodytæ Æthiopibus finitimi Arabibus contribuuntur &c.* Eadem hic Vir Celebris premit veſtigia *in Tractatu de Situ Parad.* obſervans *Æthiopiam & Arabiam inter ſe diviſiſſe nomen* Chus, *quod generale eſt complectens regiones à duobus lateribus Sinus Arabici exiſtentes &c.* ſed & addens, *partem illam provinciæ* Chus *quæ eſt ad latus Arabiæ non multum recedere à Sinu & Mari quod ultra oſtium Sinus eſt, & revera oram conſtituiſſe, eſſeque temeritatem, ſi eandem aliquis uſque ad latus Arabiæ orientale & ad oſtium Euphratis occidentale extendere*

velit &c. Post quæ ille tamen magnopere urget, *Susianam* esse tertiam regionem quæ hoc nomen gerat hodie & gesserit olim. Nempe illic est *Chuzestan*, seu *Chus* cum terminatione Persica, juxta *Benjaminem*, *Geographum Nubiensem*, & *Marium Nigrum*; idem revera nomen cum *Cutha* seu *Cuth* Chaldaice magis dicta, unde Salmanasar coloniam in Samariæ terras deduxit, non autem cum *Susa*. Vestigium nominis ejus ponit quoque manifestum in *Cossæis* Uxiensium vicinis, apud *Plinium*, *Ptolemæum*, & *Arrianum*; uti & in *Cissia* & *Cissianis* apud Susianos, qualis etiam dicta mater Memnonis Susiani, de cujus historia prolixe & erudite cum aliis disserit. Ego dum hoc sententiarum discrimen cum argumentis utrinque confero, id me observare puto, quod omnino in Scriptura frequenter *Cush* notet Arabiam aut insignem satis ejus partem, in qua hic Chami filius cum posteris suis primo sedem suam fixit, sed quod idem nomen per majorem gentis diffusionem in orientem & occidentem latius sit diffusum deinde, atque sic Æthiopibus Afris atque Susianis commune factum; sicut vides ab *Huetio* Chusitas ab Arabia in Africæ oppositum littus paulatim translatos dici, atque Nimrodum Chusæos in Susianam seu Trans-Tigritanam transtulisse censet *Bochartus*, & Sabthecæ posteros eodem modo ex Arabia in Carmaniam navigasse vult Idem. Nescio an male adeò scripserit *Junius*, *Cuschi appellatione tres Arabias, Æthiopiam utramque, & totum meridianum tractum contineri.* Utique mirum videri queat, quod *Huetius* trans Tigrin agnoscens regionem *Chus* illud nomen adeo sollicitè interdicit dari parti orientali Arabiæ, quæ Tigri præ Sinu Arabico multum est vicina, & ubi aliqui posteri Cushi sederunt. Enimverò non video quoque, cur tantopere ut *figmentum* explodat *Cel. Bochartus*, quod *Augustinus* & *Theodoretus* credunt latius usurpatum fuisse antiquitus nomen *Æthiopum.* Ille sic habet *Lib.* 1. *de Mirab. Scr. Cap.* 28. *Quod eque de Sephora dicatur quod Æthiopissa sit, quando ad aquilonem Maris Rubri, ubi prius Æthiopes fuerunt, Æthiopiam alteram esse in multis locis historiarum Scripturæ describunt, de qua in Ecclesiastica historia scribitur, quod ex parte Indiæ adhæret, & in Chronicis Canonicis Eusebii refertur quod Æthiopes ab Indo flumine consurgentes juxta Ægyptum consederunt. Ex quo intelligitur, quod terra illa, in qua primitus Æthiopes habitaverunt, Æthiopia dicta esse potuerit, ex qua Æthiopia si Moyses uxorem suam acce-*

acceperat, ideo Æthiopissa dicta fuerat. Atque eodem etiam tendit alter *Quæst.* XXII. *in Numer.* memoriâ, uti rectè notavit *Bochartus*, in eo lapsus tamen, quod apud *Lucam* pro βασιλίσσης Σαβά vel νότε legi tradit βασίλισσα Αἰθιόπων, confundens ut puto descriptionem Candaces ut βασιλίσσης Αἰθιόπων *Act.* VIII. 27. Utique qui ab eadem origine fluxerint, & idem nomen Hebræum genitoris *Cush* habuerint populi, cur non eandem appellationem *Æthiopum* ab *adusta facie* per tractus calorem habeant? Dum ipse Eupolemus apud *Eusebium Lib.* IX. *Prap. Euang. Cap.* 17. χὲμ vocat πατέρα Αἰθιόπων. Ita profecto sublata erit omnis difficultas, quæ ex Æthiopum & Æthiopiæ mentione apud Scripturæ Interpretes alias oritur. Et video in hanc sententiam prolixe facere; tum *Joh. Hopkinsonum*, adductis etiam *Homeri* versibus de Æthiopibus orientalibus & occidentalibus; tum *Carverum de Parad. Cap.* XI. qui pro communi usu Græci nominis habet autores plures, & Memnonis appellationem geminam Susiani & Æthiopis, præter alia. Quin & ipse *Huetius* agnoscit, apud *Homerum* & *Herodotum Orientales Æthiopes* dici qui ad orientale latus Sinus Arabici habitabant, quodque Stephanus Homeritas Arabiæ populos vocet ἔθνος Αἰθιόπων, quod corrigens *Holstenius* in Λεγάβων *insigniter hallucinatus sit.* Interim & hoc notari meretur, quod Cushæis ex Arabia tum in Sulianam tum in Africam translatis nomen hoc *Cush* originaliter Arabiæ videatur tribuendum, ex qua quia orti alii hinc nomen vetus modo retinuerunt. Utique de *Cushæa* vel si ita nos loqui pateris Æthiopia Africana heic ob longiorem ab Euphrate & Tigride distantiam longè minus videtur cogitandum, quam de Asiatica, seu jam in Arabia seu in Susiana quærenda; de quo postea verbum dicemus.

IV. Spectatur vero hæc terra *Cush*, æque quam antea Havilah, ut tractus satis magnus, quando non modo *terra omnis* seu *tota* dicitur, sed & ejus *circuitus* ad fluvii commendationem memoratur. Quod alia nulla accedat terræ descriptio, qualis ad Havilam accessit, id non tribuendnm ejus vilitati, sed potius satis obviæ notitiæ, ob quam neque Asshuris neque Euphratis fit aliqua commendatio. Connexio fluvii cum terra Cush fit quoque per idem verbum סבב *circumeundi*, quod de Pishone antea fuit usurpatum, atque illic à nobis expositum, non tam de flexuoso lapsu per illam terram, quam quidem dè ambitu ejus exteriore cum quadam

Terræ omnis Cush circuitus Fluvio Gihon tributus.

Digitized by Google

circuli ſpecie ſeu rotunda inflexione, ut non opus ſit totam terram per modum inſulæ aut peninſulæ includere fluvio.

An Gihon recte antiquitus pro Nilo ſit habitus, ample ſatis diſputatur.

V. Licet adeo jam pergere ad inquiſitionem fluvii hujus, in qua orbis parte is queat inveniri. Deprehenditur autem apud Veteres mirus conſenſus in nominanda Africa, ubi *Nilus* Ægyptiacus plane idem ſit cum *Gihon*. Ipſe ſic habet *Joſephus*; Γεὼν δὲ αὐτῆς Αἰγύπτου ῥεῖ, δηλοῖ δὲ τὸ ἀπὸ τῆς ἀναπλῆς ἀναδιδόμενον ἡμῖν, ὃν δὴ Νεῖλον Ἕλληνες προσαγορεύουσι. Apud *Euſebium de Loc. Hebr.* legas; *Geon fluvius, qui apud Ægyptios Nilus vocatur, in Paradiſo oritur, & univerſam Æthiopiam circumiens.* In hanc ſententiam ſcripſit *Theophilus Antioch. Lib.* II. *ad Autol.* Γέων ὁ κυκλῶν πᾶσαν γῆν Αἰθιοπίας, ὃν φασὶν ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἀναφαίνεσθαι τὸν καλούμενον Νεῖλον. Et perinde *Epiphanius* tum *in Epiſt. ad Ioh. Hieroſ.* tum *in Ancorato Cap.* LVIII. Δεύτερος ποταμὸς Γεών, καὶ αἰσθητὸν ἐρῶμεν τὸν ποταμὸν καὶ σὺν ἀλληγορούμενον. ἔστι γὰρ ὁ κύκλῳ τὴν Αἰθιοπίαν καταρχόμενος, καὶ διαπερῶν τὴν μικρὰν Αἰθιοπίαν, Ἀνατέλλων τε καὶ Βλεμμύαν καὶ Ἐζωμίτην, καὶ ὑπικλύζων τὰ μέρη Θηβαΐδος καὶ Αἰγύπτου, καὶ εἰς τὴν θάλασσαν ταύτην ἐκπίπτων. Plane idem *Cæſarius Dial.* III. *Quæſt.* 145. Δεύτερος Γεὼν ὑπάρχει, ὁ παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλος προσαγορευόμενος, πᾶσαν ὑπικλύζων πεδιάδα καὶ λιβύων κατ' ἔτος τὸν Αἴγυπτον. Ναυσὶ δὲ πρόμολος μεταξὺ τῶν ἀρμένων, τοῖς ἀρότροις ὑπηρετεῖται ἐργάζεσθαι καὶ τὰ ἔνυδρα τοῖς χερσαίοις συναγελάζεσθαι, τὰ μὲν ποιηβορῦντα, τὰ δὲ κρεηβορῦντα· ἢ ὃ μείζων ὑπηφέων Αἰθιοπίαν διαῤῥεῖ ἢ ἐλάσσονα, Ἀνατέλλων τε καὶ Βλεμμύαν, καὶ Αὐξωμίτην, καὶ τὰ μέρη τῆς Θηβαΐδος καὶ Αἰγύπτου, εἶθ' ὕστερος εἰς τὴν θάλασσαν ταύτην ἐκκρίνεται. Apud *Auguſtinum* quoque habemus *de Gen. ad lit. Lib.* VIII. *Cap.* 7. *Geon quippe ipſe eſt qui nunc dicitur Nilus*; atque apud *Ambroſium de Parad. Cap.* III. *Geon autem Nilus, qui circuit terram Ægypti vel Æthiopiam &c.* ſicut tranſlaturus hunc fluvium ad *temperantiam* deinde ſubjicit, *ſecundus eſt fluvius Geon, juxta quem Lex data eſt Iſraelitis cum eſſent in Ægypto conſtituti, ut ex Ægypto recederent &c.* Ad lam, ut innumeros alios mittam, adhuc *Cl. Marii Victoris & Alcimi Aviti* verſus;

Nec minor inde Geon, placidis ſed mitior undis,
Niliacas attollit aquas, arſuraque late
Diluvio tegit arva pio, cœloque repugnans
Temperat Æthiopum ſtagnis refluentibus undas &c.
Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus

Di-

Dicitur, ignoto cunctis illustrior ortu,
Cujus in Ægypto lenis perlabitur unda
Ditatura suam certo sub tempore terram &c.
At postquam larga fœcundans germina potu
Lympha maritavit sitientis viscera terræ,
Regreditur Nilus, sparsasque recolligit undas,
Fit fluvius pereunte lacu, coguntur in alveum
Ad ripam effrenes conclusis fluctibus undæ.
Donec dividuum spargens per devia finem,
Gurgite septeno patulum pertendit in æquor.

Fundamentum hujus adeo generalis opinionis primum & maximum est lapsus Nili per *Æthiopiam*, Ægypto superiorem ad meridiem, quam per Cush crediderunt designatam. Sed & accesserunt alia, inter quæ nomen *Geon* ob exundationem creditum Nilo optimè competere, notante dudum *Mose Bar Cepha*; atque illi datum, uti putatur, in textu Græco *Ier.* II. 18. ubi cum *in via Ægypti* Hebraice legantur *aquæ Sichor*, quas *Hieronymus* vertit *turbidas*, ipso *Hieronymo* notante *communis editio habet Geon.* Ita argumentatus dudum est *Epiphanius*, nomen proprium & appellativum jungens; εἰ δέ τις ἀπορεῖ, ἀκουέτω τῶν Ἱερεμίου λέγοντος, ἵνα τί ὑμῖν ἡ τῆς γῆς Αἰγύπτου, τὸ πιεῖν ὕδωρ Γεὼν τὸ πηλωμένον; Et perinde *Cæsarius*, appellativum solum nomen habens, sed per proprium idem exponens; Ἱερεμίας ὁ τῶν προφητῶν πολύαθλος, τὸ ἐπ' Αἰγύπτου παλινδρομίας ἔργον τὸ φερώνυμον Ἰησοῦ, διαῤῥήδην βοᾷ, τί σοι ἡ τῆς Αἰγύπτου τὸ πιεῖν ὕδωρ πηλωμένον; τὸ Νείλου ὕδωρ δηλονότι. Utique ipsos Abyssinos nomen *Guion* dare Nilo tradidit dudum *Franc. Alvarez in Hist. Æthiop.* & nuper *Job. Ludolfus* inculcavit, Nilum Æthiopica Lingua vocari *Gejon* vel *Gewon* ex Græco γεὼν & Hebræo *Gihon.* Nomini junge amplitudinem maximam, quam crediderunt fluvii Hedenis quatuor tanquam præcipuis debere tribui, quamque Nilo sciebant præ aliis plurimis competere. Junge & Nili incertam apud Veteres plurimos originem, quorsum non modo referunt epitheton *Homericum* διϊπετής, sed & alii nomina ejus alia, sc. Meroensium illud *Astapum*, q. è tenebris fluentem, & Græcorum Latinorumque *Melonem* seu Μέλανα, quin & ipsum Hebræorum שיחור *Shichor*, q. obscurum ex origine dixissent, quæ alii tamen cum Osiridis colore nigro & Nili ἀγάλμασι μέλανος λίθου derivant vel ex Æthiopica origine, vel ex nigro luto quod aqua Nili turbida

bida ſecum vehit & in agros inducit exundans. In incerta vero origine Nili recurrendum eſſe cogitarunt ad Paradiſum incerti & abſconditi etiam ſitus; eo ferè modo, quo de *capite amnis ſub ſolio Jovis* diſſeruit *Plautus Trin. Act.* IV. *Scen.* 2. Junge adhuc ſitum Geonis maxime occidentalem præ aliis fluviis, quem collegerunt non ex Moſe, ſed ex *Syracide Cap.* XXIV. 37. quatenus ille à maxime orientali *Phiſone* incipiens, poſt *Tigrin Euphraten* & *Iordanem* tanquam ſucceſſive medios nominavit *Geonem*, ut præ aliis omnibus occidentalem; qualis eſt Nilus. Sed iſtæ rationes omnes minimè probant opinionem illam ſolide. De *Cush* enim dictum eſt, quod illa neque vulgo notet neque hoc in loco Æthiopiam ſtrictius dictam, qua labitur Nilus. Nomen *Gihon* an ad exundationem ducat, incertum eſt, ob notionem magis generalem vocis; & ſunt in oriente etiam fluvii irrigantes vicinos agros dum inter littora ſe aliquando non continent aquæ multiplicatæ. Apud *Jeremiam* nulla mentio *Geonis*, niſi in una verſione Græca, cujus autores videntur iſthac de Nilo in Geone intellecto ſententia fuiſſe imbuti, vel nomen Geonis magis appellative uſurpaſſe, niſi ſcripſerit ὕδωρ χῖον *aquam cœnoſam*, juxta conjecturam *Huetii;* dum de ipſo *Shichor* adhuc magnopere controvertitur, an notet Nilum, an vero rivum ex deſertis Idumeæ in Mare Mediterraneum illabentem inter Canaanem & Ægyptum, *coll. Joſ.* XIII. 3. 1. *Chron.* XIII. 5. *Jeſ.* XXIII. 3. *Ham.* VI. 14. *&c.* De Abyſſinis porro non eſt dubium, quin nomen fluvio ſuo adaptaverint ex Scriptura, poſt introductam apud eos opinionem illam de Nilo in Gihone intellecto; ex quibus eo modo aſſumptis nominibus nihil legitimè de rei veritate concludas. Quod ad magnitudinem attinet, ea ſufficiens ſanè debet competere Geoni, ſed & eſt in plurimis per orientem fluminibus; neque neceſſum ut maximum omnium quæramus, & qui ab aliis potiſſimum ſit divulſus. Incerta porro origo Nili, ad quam tamen nomina illa plurima ſatis coacte trahuntur, potius à Gihone cogitata debebat abducere, cum hujus nexus cum Euphrate & Tigride atque fluxus circa Hedenem conſtent ex Moſe. Tandem quis docuit nos, *Syracidis* ordinem eſſe compoſitum ſecundum ſitum minus & magis orientalem tam in quinto quam in quatuor primis fluviis ab ipſo nominatis? quando tamen alii ſunt poſt Jardenem fluvii occidentales præter Nilum plures; atque ipſius ordinem præ illo Moſis

sis esse sequendum, qui Gihon proxime subjecit Pishoni, & ante Tigrin & Euphratem τέτρευς memoravit? Sed dudum est, quod huic de Nilo sententiæ gravia opposuerunt Viri Docti argumenta, potissimum duo. Quorum primum & maximum est, quod fluvius hic circa Orientem & Hedenem & fluvios Tigridis & Euphratis debeat quæri, juxta connexionem quam Moses fecit; dum Nilus est in alia parte orbis versus meridiem, unde ita descendit per Ægyptum in Mare Mediterraneum, *Adriaticum* dixit *Moses Bar Cepha*, ut & inde oriatur, nullam prorsus communionem cum locis & fluviis aliis nominatis habens. Hoc argumentum ita dudum proposuit *Aug. Steuchus Eugebinus*; *Regionem Paradisi clamant rationes & Theologia esse Orientalem, tria flumina deprehendimus Orientalia, Euphraten Tigrin Phisontem, liquido igitur Gehon non est Nilus meridionalis, nascens ad Montes Lunæ, & per cataractas delapsus, alluensque Ægyptum, Mare Ægyptium influens &c.* Sed & prævidentes idem alii, ductus posuerunt arcanos sub terra, per quos Nilus cum aliis fluviis communicaret. Ita enim *Moses Bar Cepha* dixit; *Nilum à magno flumine digressum, atque sub Maris fundum delapsum, prosilire tandem ebullireque in plaga meridionali &c.* Et latissime *Philostorgius Lib.* III. *Cap* 10. Καὶ γὰρ ὁ Νεῖλον ἐκεῖθεν ῥέειν ὁ Μωσέως ἐπίπνοιαν λέγει, Γηὼν αὐτὸν ὀνομάζεσθαι, ὃν μὲν παρ' Ἕλλησιν Αἰγύπτιον ἐκάλεν· ἔστι δὲ, ὡς ἐγὼ συμβαλεῖν, ἐξορμῶν ἐκ τοῦ Παραδείσου, πρὶν δὴ τὸ οἰκούμενον Φάσιν καταδύεται, ἔπειτα τὴν Ἰνδικὴν θάλατταν ὑπερελθὼν, ἔπ' ἐκείνῳ γε αὖθις ἀνελιχθεὶς, ὡς εἰκάσαι, τίς γὰρ ἀνθρώπων ἀκριβώσειε τοῦτο, ἢ ὑπὸ πᾶσαν τὴν ἐν μέσῳ γῆν ἐνεχθεὶς μέχρι τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἐς ταύτην ὑποδέχεται, δὴ θᾶττον αὐτῆς ἐκδίδοται μέρος, ὑπὸ τῆς σελήνης καλούμενον, ἐν ᾧ δύο πηγὰς λέγεται ποιεῖν μεγάλας, ἀλλήλων ὀλίγον διεστηκυίας κάτωθεν βιαίως ἀναρυβδουμένας, ἢ δὴ τὴν Αἰθιοπίαν ἐνεχθεὶς δὴ τὴν Αἴγυπτον χωρεῖ δὴ πετρῶν ὑψηλοτάτων καταφερόμενον. Ut non repetam modo, quæ antea de *Euphrate*, per ductus subterraneos Nilo mixto & in Nilum emergente super Æthiopiam, ex *Pausania* & *Philostrato* adduximus. Ista enim, ut *Philostorgio* sua reddam verba, meræ sunt *conjecturæ*, τίς γὰρ ἀνθρώπων ἀκριβώσοιτο τοῦτο; quæ rem probandam temerè supponunt; dum non dè arcanis divisionibus sed publica fluminis unius in quatuor differuit Moses, & Euphratis exitus alii in mare constant. Sed & alterum accedit argumentum, quod Nilum descripturus & com-

men-

mendaturus Moſes eum vel ſolum vel etiam à tranſitu Ægypti deſcripſiſſet, quæ terra erat notiſſima Jiſraëli & cui plurimum ille fluvius utilitatis adfert. Et illud habet *Eugubinus*: *Tum ſi Gihon eſt Nilus, cur quod maxime memorabile non dixit, eum circumire Ægyptum, quam non ſolum peragrat, ſed etiam inundat totam? Cur non dixit, iſte eſt qui circumit omnem terram Æthiopiæ & Ægypti, aut Ægypti tantum? Alius ergo Gehon quam Nilus &c.* Nec valet exceptio *Nic. Abrami. Quia Nilus erat, neceſſe non fuiſſe ut Moſes Ægypti mentionem faceret, quia Iudæi vel eo tacente, audito fluminis ſibi cogniti nomine, ſciverunt eum ipſum eſſe qui Ægyptum interſecat, an autem idem ille Æthiopiam alluat perinde ſcire non potuiſſe.* Etenim ſub iſto nomine *Gihon* Nilum notum fuiſſe, ſic extra Scripturam ſupponitur; nec minus notum fuit Jiſraëlitis, fluvium hunc ſupra Ægyptum Æthiopes tangere quam ipſam Ægyptum; præterquam quod Moſes ſcriberet in uſum poſteritatis, quæ curſum Nili per Ægyptum experientia non didicerat, quodque in Geographica deſcriptione pleniori tam nota quam minus nota ſint memoranda. Utique ſi tranſitum Ægypti memoraſſet Moſes, diſputatio *de Gihone* eſſet longe minor, & facilius ad Nilum ducti fuiſſemus, quam per mentionem factam terræ *Cush*.

Aliæ ſententiæ de Gihon minus probandæ.

VI. In aliis opinionibus de *Gihone* enumerandis aut diſcutiendis non erimus prolixi, utpote quæ tantum applauſus non reperierunt. Subſiſtunt hæ fere intra Aſiæ ambitum, ubi unus magis ad ſeptentrionem, vel in Cilicia, vel in Armenia, vel in Bactriana, vel in Sogdiana, eum quærit, ubi vel Pyramus prope Cydnum, vel Araxes, vel Oxus etiam dictus Gichon, prout nomen hoc ex origine & ſignificatione ſua fluviis pluribus facile poteſt tribui; alter vero, cum nulla harum terrarum cum Cushiride nexum habeat, in Syria eum inveſtigat, aut in Judæa ipſa ejuſve finibus; quin & tertius ad meridiem progreditur in Arabiam. De Syria ita diſſerit *Joh. Clericus*, ut *haud abſurde conjici poſſe exiſtimet alterum fuiſſe Chuſum, qui ſimile nomen alteri impoſuerit regioni; credit etiam nominis Chus veſtigia eſſe in duplici Caſſio monte, quorum unus in Madianitide ad Mare Rubrum, alter in Caſſiotide Syriæ regione fuit; atque hoc in loco non Chuſanitidem ad Mare Rubrum ſpectari, ſed Caſſiotidem Syriæ, & Orontem quidem, ut poſtea dictus eſt, deſignari cenſet. Caſſiotidem*, ſic ille porro, *totam alluit Oron-*

Orontes; *ut docet Strabo Lib.* XVI. *inſpectaque oſtendunt Ptolomæi tabulæ. Favet etiam conjecturæ priſcum nomen Orontis, qui prius ut Græci narrant vocabatur* ῥήξαρτος, *quod magno impetu erumpat, cum è fontibus, tum è terra, ſub qua aliquamdiu delapſus iterum emergit, quod optime exprimitur voce Gihhon &c.* Sed nihil in his eſt præter conjecturas leviſſimas, ex convenientia aliqua partim ſoni inter *Cush* & *Caſium*, partim ſenſus in nomine *Gihon* & antiquo Orontis ῥήξαρτος. De *Gihon*, rivo Jeroſolymitano ad quem ductus Salomon ungendus, videas ſomniare Judæos quoſdam, cum *Aben-Ezra*; quem tum etiam conantur ad fines orientales terræ Jiſrael contra contextum transferre. Quamquam hoc ſecutus ex parte ſit *Steuchus*, ſcribens inter alia; *Forte Gehon iſte eſt de quo Liber Regum loquitur, cum de Rege Salomone ungendo Pater præcipit &c. quod ſuſpicatus eſt etiam R. Abraham. Eſt inquam forte Gihon iſte ille Paradiſiacus. Nam Euphrates fluvius alter Paradiſi attingit Judæam, erat enim unus è terminis quibus terra ſancta claudebatur. Itaque & Gehon potuit ad aliquod aliud latus eam attingere, ibique tanquam in finibus regni Reges ungi &c.* Quam opinionem tam manifeſtè falſam dicit *Ioh. Hopkinſonus*, ut *nulla refutatione opus habeat*; ipſe hoc tamen cum *Pererio* argumentum adducens, quod Moſes fluvium declarans dixiſſet hoc caſu, *qui alluit terram Chanaan.* Ad Arabiæ vero latera ſed occidentalia progredi videas *Nic. Abramum*, ubi ille *de Geon probabiliorem ſententiam* exponet, nominantem *fluvium qui regnum Jiſraeliticum ab Ægypto diſterminat, ſeu Sihor Ægypti à minori Æthiopia* exeunti *ad Rhinocolyram* 1. *Chron.* XIII. 5. quem in via Ægypti conſtitutum etiam LXX. dixerint *Geon Jer. II.* 18. Sed & eam ſententiam ſatis late urſit *Matth. Beroaldus in Chronico*, multis *Sihor Nilum eſſe non poſſe* inculcans. Verum uti heic moveri poſſet objectio ab *Hopkinſono* modò audita, quod à Canaane potius quam à Cushæa fuerit fluvius hic deſcribendus; ita dubito an curſus brevis hujus rivi in Mare Mediterraneum poſſit ambitus totius terræ Cush appellari.

VII. Omnes vero iſtæ opiniones non attendunt ad nexum, quem cum Euphrate & Tigride manifeſtum habet ex narratione Moſis hic Gihon. Itaque veriſimiliora dixerunt, qui in Babyloniam progreſſi brachium aliquod Euphratis vel Tigris illic occurrens nomine Gihon crediderunt notatum. Sic apud *Tremellium & Fr. Iuni* Rectius alii credunt, Gihon eſſe aliquod brachium Euphratis vel Tigridis.

Digitized by Google

um legimus; *Gichon primus Euphratis alveus, qui accolarum ſermone dicitur Naharſares.* Ad quæ poſtea adjicitur; *Primus alveus,* nempe ad occidentem, *Euphratis eſt Nahar Sares, i. eſt, ductum flumen, ſive ut Ptolomæus vocat Baarſares, i. e. alveus foſſatumve deductum atque diſtractum, qui Straboni corrupte dicitur Maharſares, Ammiano corruptius Marſias, Abydeno apud Euſebium Lib. IX. Prep. Euang. ἀνεφάνη, quia in paludes abit exundantes ranis quas Akrukan Chaldæi vocant, Plinio denique Narragas, pro eo quod eſt Nahar Ragaz, i. e. dimotus & derivatus fluvius. Atque hoc flumen præterea diductum ſive divulſum appellatur, id enim ſonat Sares Chaldæorum lingua, quod in paludes Chaldaicas univerſum ducitur, derivatumque huc illuc in eis diſperit atque conſumitur.* Eandem ſententiam accipit *Ioh. Hopkinſonus,* & in tabella addita exhibet. Iterum *Doct. Schotanus* noſter nominat *ramum Euphratis qui Babylona ſecat,* qui dictus *Geon, i. e. emiſſarius, quia profundus & latus alveus non ſolum erat ſed & campos inundabat in modum maris &c.* quem ſub ipſo nomine *Perath* intelligunt *Tremellius & Iunius.* Rurſus *Grotius,* poſtquam dixiſſet, nomen ſignificare ἐκβολὴν, *eſſe* dicit *aut Armalca Plinio ſed corrupte nominatum, rectius Ammiano Marcellino Nahar-Malcha, Straboni ex Syriaco in Græcum tranſlato nomine βασίλειος ποταμὸς, & ſic eidem illi Marcellino Flumen Regium,* quem in Piſhone repererunt *Tremellius & Iunius; aut ſi id minus placet, quod à Regum aliquo factus is credatur alveus & inde nomen habere, Chaboras, quem enim Euphrate conjungi Ptolomæus teſtatur,* jubens porrò *videri Strabonem,* & obſervans ex *Teixera, flumen Gichon nomine cum Tigride nominare Perſicam hiſtoriam.* Quin tandem *Carverus* Gihon ſtatuit *alveum illum Tigridis, qui Aſſyriam ſive Adiabenem à ſeptentrione terminat, quique in ſe recipit Choaſpem & Eulæum fluvios ex Media & ex Suſiana alium Tigridis alveum teſte Strabone; quem Cydnum vocant Juſtinus & Diotimus in Strabone, ſed alium ab illo Cydno in Cilicia; alii Gyndem, quem Aſſyriorum fluvium maximum ſecundum Euphratem vocat; & Indum teſte Plutarcho & Dionyſio Periegete, quemadmodum Adiabenem Indicam regionem vocat Nicephorus, & Theophilus Indus dicitur qui Aſſyrius fuit; imo & Nilum vocarunt teſte Vadiano, de quo Pauſanias in Corinthiacis, quin & Nilum fama eſt Euphratem eſſe &c. quo nullus Theologus melius egit Moſis Interpretem, hic enim Nilus i. e. ſtylo antiquorum*

Gi-

Gihon, idem esse dicitur cum Euphrate, & alluit terram Æthiopum; præterea Geographus Nubiensis Cydnum fluvium expresse vocat Gihon, observante Scaligero. Illa singula, quæ plurima sunt admodum incertis conjecturis nixa, nec cum autoribus adductis nonnunquam magis quam inter se conveniunt, distinctè vix opus est ut inquiramus aut discutiamus, tædium sic nimium creaturi. Id verò generatim dixisse sufficerit; quod non exiguum aliquod Euphratis brachium, sed ampliorem potius fluvium, (*Gihon Corasan* inter sex maximos orbis fluvios etiam nominat *Geographus Arabs*,) eumque non in superiori aliqua Euphratis aut Tigris parte, sed in inferiori magis ejus exitu, cogitare nos in Gihone jusserit Moses, cum eum *circumire* dixit *omnem terram Cush.* Atque sic manifeste ducimur ad ostium aliquod Euphratis sive Tigridis, quod olim juxta illud Pishon longius credas merito fuisse protensum, ubi nunc mare in Sinum Persicum irrumpens hoc amplificato fluviorum distinctum cursum citius abrupit; quorsum ducere nos puto ambitum totius terræ Havilæ & Cush, præter illud quod de fluviis Susianis omnibus, qui nunc in Sinum Persicum illabuntur, tanquam in Tigrin delatis legis apud *Strabonem Lib.* xv. ἄλλοι δέ φασι τὰς ἀφ' ἑσπερίων πορείας εἰς ἓν ῥεῦμα τὸ τῆς Τίγριος συμπίπτειν ἐκ τῆς μεταξὺ διώρυχος τῆς Δφεσίτου. Nisi credas, Fluvios in maris Sinu sese secundum littora projicientes oppositæ Arabiæ & Persiæ eatenus etiamnum dici posse terras adjacentes circumire; quod fieri potest.

Dissensus Eruditorum notabilis, an Gihon sit Occidentalis magis an Orientalis præ Pishon alveus Euphratis Tigridi junctus.

VIII. Atque hactenus cum non malè conveniat *Bocharto* cum *Calvino & Scaligero*, dissensus supererat maximus, sitne Gihon occidentalis & Pishon orientalis, quod hi, an vero Gihon orientalis & Pishon occidentalis alveus Euphratis vel Tigris antea juncti, quod ille vult. Et urget ipse id aperte *in Epist. ad Lud. Cappellum*, atque cum extensione argumentorum ejus *Doct. Morinus*, secuto etiam id *Ill. Huetio.* Præcipuum quidem, præter illa quæ de Pishon & Havilah antea dicta sunt, hoc est, quod *Chus* sit *Susiana ultra Tigrim sita, quam vetustiores Græci* Κισσεία *appellabant, unde & Babylones portæ quæ Susianam versus ducebant apud Herodotum Cissiæ portæ vocantur, unde quoque in Æschylo Memnon nuncupatur Cissæus quod esset Susianus, eademque de causa regionis ejusdem pars quædam vocatur Cossæa, incolæque Cossæi vel Cossbæi.* Κοσσέα, *ait Stephanus*, μέρος περσίδος, οἱ οἰκοῦντες Κοσσαῖοι. *Hebræis dicebatur Chus, Chaldæis Chut, hodie vero Geographi Persæ & Arabes*

Digitized by Google

cum indigetibus vocant Chuſtan vel Chuſiſtan, h. e. Chuſi provinciam, ſiquidem Stan Perſice ſit provincia. Quæ omnia per partes eruditè illuſtrat *Cl. Morinus*; ſicuti *Memnonis* narrationem maxime perſequitur *Huetius*. Alterum verò argumentum addere videtur *Bochartus*, ex notione nominis Gihon; *Vocatus fuit Gihon, propter exundationes, quibus certis temporibus Characene tota obruebatur, uti teſtantur Authores cum veteres tum hodierni, quandoquidem* גח *vel* גיח *unde* גיחון *Gichon vel Gihon, ſit erumpere.* Idem nomen alio paululum modo urget fere *Steph. Morinus*, formari vocem à גח *erupit, quia uno alveo diutius coerceri cum Euphrate impatienter ferens, & propriæ velocitatis memor ſibi viam vi ſumma aperit &c. quod arguit, Moſis Gichonem non eſſe fluvium ſupra deſcriptum planum Babyloniæ latus lente alluentem, & nonnunquam etiam reſtagnantem, ſed Orientalem fluvium Suſianæ altioris & montoſæ obices violenter ſuperantem.* Ipſe tamen aliam etiam originem nominis cum oppoſita fere ſignificatione notavit à גחן *ventre, quo repunt ſerpentes & cetera animalia pedibus carentia, quoniam licet celeriter reptet, repit tamen, & à priſtina velocitate, quam è montibus decurrens & per abrupta præcipitanter erumpens oſtentabat, plurimum remittit.* Interim *Bochartum* ſequitur *Huetius*, ferens *exundationes occaſionem dediſſe, ut ipſi nomen Gehonis imponeretur à verbo* גח *quod erumpere, prodire, ſignificat*, quæ etiam fuerit ratio *amniculi Hieroſolymæ vicini* ſic dicti; dum admiſſa expoſitio *Joſephi* per τὸν ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς δεόμενον nos etiam ducere poteſt in Gihone ad orientalem alveum. Fatetur verò ſimul, Gihonem *non tam ingentibus incrementis atque exundationibus eſſe obnoxium* quam Phiſonem. Videtur etiam ab ipſo ſpectari ordo Moſaicus, qui à Phiſone Arabiæ propinquiori faciens fluviorum initium ad magis orientalem Gihon ſit progreſſus, hinc ab orientali Tigride regreſſurus ad Euphratem occidentalem.

Judicium Autoris de hoc poſtremo diſſenſu.

IX. Ego, ut paucis meum addam de hoc diſſenſu judicium, puto rem hanc poſſe cenſeri & reliqui incertam. Nomen certe *Gihon* tale eſt, ut tam uni quam alteri alveo poſſit applicari, nec in alterutrius ſeu Tigridis ſeu Euphratis nomine ſonus ſuperſit ſimilis. Etiamſi porrò nomen *Cush* & *Cuth* tributum ſit Suſianæ aut Trans-Tigritanæ, habuit tamen ex ipſius *Bocharti* judicio hoc nomen tanquam Cuſſitarum in Arabia præcipue hærentium colonia, à Nimrodo illuc tranſlata, qui ipſi licet diſtincta à filiis Cushi habuerint nomina, non tamen commune illud nomen Patris ami-

amiserunt, imo ob majorem propinquitatem cum Philistæis & Israelitis in Scriptura omnino videntur gerere, ne ab ultra Tigrin & Babylonem magis quam ab ultra Ægyptum eos deducere cogamur. Et quod ad ordinem Mosis attinet, potuit ille æque commodè ab oriente progredi ad occidentem in meridionalibus, quam in septentrionalibus fluviis, quo magis orientis dignitas id videbatur exigere. Atque hoc pro *Scaligero* & *Calvino* videtur facere, quod *Passigridis* nomen, illud *Pishonis* in se habens, non tam occidentali quam orientali alveo detur, uti antea visum; unde Gihon potius erit occidentalis alveus. Dum ab altera parte descriptio Havilæ in nonnullis credi queat forte magis Arabicæ quam Persicæ terræ convenire, sepositâ tamen derivatione nominis *Havila* ab *arena*, quæ probari nequit; sed nec Susianæ videntur mox neganda, quæ forte tam copiosè ab historicis non sunt notata, atque ideo tum notaverit Moses, ne crederetur iis esse destituta, cum Arabiæ qualitates satis constarent Judæis, hinc non descriptæ apud Cushitidem. Utique sive magis orientalis sive magis occidentalis fuerit Gihon, & perinde Pishon alveus, id ad inquirendam Paradisi sedem, qua de re nos agimus, nullum prorsus usum habet.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo declaratur, quid de Paradisi Situ speciali in Terræ nostræ superficie negandum atque asserendum videatur.

Visis cum attentione justa cunctis characteribus soli Paradisiaci, atque expositis omnibus quæ huc spectant Mosis verbis; conclusiones nostras de *Paradisi Situ* subjiciemus aliquot distinctas, ordine maximè naturali & facili; visuri quousque turò heic progredi liceat, atque ubi per incertiores conjecturas progressus ille abrumpatur. Quod institutum ante omnia monemus neutiquam debere culpari, tanquam indecens, aut inepte curiosum, aut plane frustraneum. Utique redire in terrestrem Paradisum homini peccanti fuit interdictum ext reo corporis gressu; non autem respicere ad eum, aut mente exteriorem ejus situm magis quam interiorem or-

Post Characteres Mosaicos expositos, in Situm Paradisi inquirere, nec indecens, nec frustraneum est.

natum contemplari, illicitum eſt. Et quamquam non ſit terreſtris Paradiſi ſitus inter ea, quæ ad cœleſtis Paradiſi ingreſſum cognoſci prorſus debent; habet tamen ejus cognitio præter alios uſus hunc fructum, ut Moſis hiſtoria rite à nobis intelligatur, & *Papiſtarum* fabulæ explodantur. Nec irritum per omnia fore noſtrum conatum eſt quod metuamus, ob notas complures loci à Moſe expreſſas; quæ ſimul adverſus nimiam curioſitatem, & indecentiam omnem hujus tractationis præſcribunt, ſiquidem non fruſtra ſunt ab ipſo hæ nobis relictæ, ſed ad piam earum meditationem.

Deſcriptio Loci Paradiſiaci ad Orbem etiam Poſt-Diluvianum eſt accommodata.

II. Prima ergo hæc eſto theſis; quod Moſes deſcriptionem Paradiſi talem dederit, quæ non modo ad conſtitutionem terræ prioris ante Diluvium fuit accomodata, ſed & ad alterius poſt Diluvium mundi faciem ſuam habet relationem, qualis ea fere erat ipſius Moſis ætate. Quod neceſſarium eſt obſervare adverſus multos, qui difficultatibus quibuſdam circa fluviorum curſum & nomina irretiti, de alia plane orbis ante Diluvium facie ſatis liberaliter mox differunt; quo modò præſcinditur ita omnis labor ulterior, ut ſimul prolixa Moſis deſcriptio videatur exigui admodum uſus eſſe. Utique de *Arboribus* quæ habet Moſes, ea ad tempus creationis quodammodò reſtringere licet; quatenus ad amœnitatem & abundantiam Paradiſi magis quam ad ejus ſitum hæ ſpectant, & fecerunt ad Adami inhabitantis uſum qui ipſo expulſo deſiit, & inſecuta Paradiſi vaſtatio eas earumque amœnitatem videtur imminuere debuiſſe. Ut tamen non mox omnem regionem vicinam Paradiſi omni fertilitate, amœnitate, atque arborum fronde vel fructu, privare idcircò debeamus, ſed prioris decoris reliquias potius notabiles illic agnoſcere. Perinde non negaverim in curſu fluvii, *ad irrigandum hortum* compoſito, & loco *diviſionis* ejus inſecutæ, magis ſpectari primum rerum ſtatum, quam durantem earum conditionem; unde heic etiam potuit obtinere tempore Moſis aliqua immutatio, ſicuti fluviorum brachia variis occaſionibus naturalibus diverſos flexus & anfractus accipiunt, quos ex Diluvio generali longe magis acceperint. Verum enim verò cum Moſes hortum collocat *ab oriente*, ſua non minus ſed magis quam Adami ſpectavit tempora; non minus, quia plagæ orbis noſtri variæ per Diluvium non fuerunt tranſpoſitæ ex oriente in occidentem aut ex occidente in orientem; magis verò, quia nomen Orientis ſuam relationem juxta ſtylum Scripturæ habet ad ſedem po-

pu-

Digitized by Google

pulî Iiſraëlitici in deſertis Arabiæ ſive in Canahane, non autem ad Adami tempus habere potuit, qui cum ſolus eſſet non magis in oriente quam in occidente conſtitui poteſt, nominibus iſtis ita ad ſe invicem relatis ſemper ut idem tractus ſimul occidentalis & orientalis ſit propter locorum ſibi invicem ſuccedentium conjunctionem. Cum porrò Moſes hortum conſtituit *in Heden*, quod nomen non appellativè ſed propriè capiendum eſſe antea aſtruximus, nemo ſomniet prudens regionem ejus nominis in primo mundo, diverſam ab illa cujus ſit apud *Jeſaiam* & *Ezechielem* mentio tanquam in oriente ſitæ, ſed intelligit quiſque attendens ſpectari regionem hanc eandem ſatis celebrem & notam Iiſraëli, nî ambiguitate nimiâ uſum dicamus Moſen, qui regionis notæ nomen de regione ignota abſque ullo textus indicio uſurpaverit. Cum tandem Moſes nobis dat *Fluviorum* nomina duo quidem nota ſatis, ſerioribus etiam temporibus, *Prath* & *Hiddekel*, tertiumque *Pishon* non plane abolitum, atque tres ex quatuor deſcribit à terris juxta quas fluunt, *Aſshur*, *Cush*, *Havilah*, additis hujus terræ optimis proventibus, *Auro*, *Bedolah*, & *lapide Shoham*; non putem ſane fore quemquam, qui non videat iſta ad Moſis ætatem nos ducere omnia, quando Adam in Paradiſo conſtitutus, nec luſtravit fluviorum remotos curſus & terrarum adjacentium proventus, nec nomina illis pariter impoſuit, poſtea aliis fluminibus & terris tribuenda eadem, nec iſta nonnulla quidem dare potuit utpote à Noachi poſteris orta palam. Ut adeo narratio Moſis *verſſ.* 11....14. non ſit capienda in tempore præterito, ſed præſenti; *Nomen unius*, vel *primi*, *Pishon*, non *erat*, ſed *eſt* hodieque, *ipſe* non *circumibat*, ſed *circumit* adhuc, *omnem terram Havilah &c.*

III. Altera ex hac ſequitur theſis, perinde generalis adhuc; quod locus terreſtris Paradiſi non ſit à cognitione humana plane remotus, quemadmodum variorum Patrum & Papiſtarum fert opinio. Etenim ſi ſcire poſſimus & ſciamus, quis tractus fuerit Iiſraëli & dicatur in Scripturis *Orientalis*, ubi fere fuerit regio *Heden* dicta, in qua orbis parte labatur & miſceatur *Euphrates* cum *Tigride* aliaque cohæreant flumina, quæ tandem regiones habuerint certò vel probabiliter nomina *Aſshur*, *Cush*, & *Havilah*, atque *auri margaritarum & gemmarum* proventum divitem; nequit amplius latere plane veteris Paradiſi locus. Quod qui volunt quo modo per alienas verſiones & interpretationes eorum quæ Moſes

Neque eſt Paradiſi locus ab humana cognitione omni plane remotus.

Digitized by Google

ſes de *Oriente* & *Hedene* habet, & per confictos fluviorum quatuor ex uno lapſus ſubterraneos, elabi cogentur, eſt antea ſuis locis viſum. Interim pro ſe non habent niſi alieniſſimas vel hypotheſes vel conjecturas. Qualis eſt v. g. credita Paradiſi ſupra terram reliquam altitudo ſtupenda, ad ipſum globum Lunarem utique pertingens. De qua altiſſime ſilet Moſes, & quam ex ipſo nos antea exploſam dedimus. Qualis eſt ſimiliter credita Paradiſi diviſio ab orbe noſtro per interpoſitum juxta montes altiſſimos Oceanum profundiſſimum. De qua perinde nihil habet Moſes, etiamſi Paradiſum diſtinguat à reliqua terra ex qua factus & in quam poſt peccatum expulſus eſt homo *Gen.* II. 7. III. 23. atque *fluvium ex Heden procedentem* minime de Oceano exponendum memoret *Gen.* II. 10. & ad quam defendendam excogitata porro temere eſt gigantea Adami magnitudo, quo Oceanum ſcil. abſque merſione poſſet expulſus ex Paradiſo tranſire, *coll. Joſ.* XIV. 15. Qualis eſt omnino quoque traditio de Henocho & Elia, tanquam in Paradiſo adhuc viventibus terreſtri procul ab omni hominum reliquorum acceſſu & communione donec redeant pugnaturi cum Anti-Chriſto. Quæ Scripturis ſanctos hoc viros in cœlo conſtituentibus palam adverſatur; atque poſtea latius à nobis tractabitur. Qualis eſt adhuc deſcriptio Paradiſi lætiſſima apud Patres, excludensque omnes aëris & cœli viciſſitudines, nec conveniens ulli terræ hodie cognitæ. Dum illa vel eſt præter Moſen adaucta & nimis hyperbolica nonnunquam; vel conveniens ſtatui integritatis, ex quo cum excidit homo, ſubiit commune cum Paradiſus cum reliqua terra maledictionem, nec fruitur amplius primæ creationis privilegiis. Quæ præterea jungitur diſputatio adverſus ſingulas de Paradiſi ſitu ſententias determinatas, inprimis ex fluminum nominibus & curſu; illa ſi per ſingulas partes procederet id tantum docere poſſet, quod locus Paradiſi hactenus non ſit ſatis feliciter detectus, non autem hoc, quod detegi amplius non queat unquam. Sed quam felix eſt hæc diſputatio adverſus opiniones plurimas, tam infelix adverſus unam veramque ſententiam; in qua tamen ſcrupuli ſupereſſe poſſunt, quibus ſi non ſatisfiat forte per omnia ex multorum veteris geographiæ ſubſidiorum defectu, non etiam mox tollitur ipſius ſententiæ veritas omnis. Ad hæc omnia ſi cum *Tirino* diſſerere lubet dè *pœna peccati*, ad quam ſpectet perpetua ignorantia loci veteris Paradiſi; dicam ego, ſic rem ipſam

ſup-

Digitized by Google

ſupponi cujus tantum quæritur ratio, nec pœnam gravem conſpici in ignorantia loci, cujus eſt inhabitatio felix utique interdicta, & cujus ornatus dudum periiſſe meritò creditur.

Paradiſus non eſt quærendus vel in Terra Auſtrali, vel in Oriente extremo, vel in Palæſtina ejusve proxima vicinia.

IV. Tertia theſis magis ſpecialis hæc erit ; quod Paradiſus minimè ſit conſtituendus, vel in continentis orbis parte Auſtrali ultra lineam æquinoctialem, vel in Oriente extremo apud Indos aut Sinenſes, vel apud Occidentalia Aſiæ littora in ipſa Palæſtina ſeu Cananæa aut proximè vicina terra. Adverſus primam ſententiam facit, præter *Orientis* & *Hedenis* mentionem Moſaicam, *Euphratis* & *Tigridis* ortus & exitus in ſeptentrionali orbe multum ab hac parte Æquatoris, ubi etiam *Aſſyria* & *Cusbitis*. Nec eſt ullum iſtius ſententiæ fundamentum, niſi antiqua Terræ in duas partes diviſio, & *flamme gladii* introitum Paradiſi claudentis expoſitio de Zona Torrida credita inhabitabili. Dum Paradiſum in altera terra aut terræ parte neutiquam conſtituit Moſes, licet terram omnem reliquam, etiam in cujus medio ſitus fuit Paradiſus, ab ipſo Paradiſo diſtinguat; dumque *flamma gladii* pro mero arbitrio exponitur de ſolis ardore ſub æquinoctiali linea, immixtis hypotheſibus quas experientia dudum confutavit de illo terræ tractu, nec fuiſſet ſic conſtituenda à Moſe *ab Oriente horti Hedenis*, cujus ulterior expoſitio ſuo loco in hac *Hiſtoria* à nobis non prætermittetur. Quæ vero in hanc opinionem de univerſæ Terræ per Diluvium diſruptæ longe alia ante illud ſtructura & forma adjecit *Doct. Burnetius*, Autor *Archæologiæ Philoſophicæ* & *Theoriæ Telluris Sacræ*, ut fuerit illa tum abſque montibus æquabilis, abſque maris hiatu ullo continua, & abſque viciſſitudine tempeſtatum anni & cœli ſemper eadem; ea pro ineptis ſomniis Moſi adverſiſſimis habenda eſſe, docuimus dudum *EXERC. TEXT. II. Part. II.* nec digna fane putamus in quæ modo digrediamur iterum præter neceſſitatem. Hoc interim dignum eſt de iſthoc Autore notari, quod ſuppoſito ſuo mundi primi ſyſtemate, in Auſtrali ejus parte Paradiſum ille collocat ex ſola *Patrum traditione*, quam per conſequentias multas adſtruere conatur tantum; *rationes* quidem jactitans *veriſimiles*, ſed tamen pluſquam ſemel inculcans, *à cauſarum intuitu demonſtrari non poſſe quæcunque fuerit hemiſphæriorum in antiqua terra differentia & ſingularis proprietas aut in eodem hemiſphærio regionum*, ac nos *orbis illius neque hiſtoriam naturalem neque ſacram noviſſe, quem quidem uti magna ex parte in communi clade Diluvii*

non minus noſtro abſorptum eſſe credibile eſt, ita eundem noſtri eſſe diſſimillimum aut olim fuiſſe quam maxime ſuſpicaretur &c. Adverſus alteram porro de *Oriente extremo* ſententiam facit, præter *Euphratis* & *Tigridis* curſum, & *Hedenis* cum *Aſſyria* & *Cushea* ſitum magis occidentalem, etiam *Orientis* indefinitum nomen, ejuſque uſus Scripturarius de regionibus longe magis Iſraeliticæ terræ ad Orientem vicinis, uti antea vidimus. Id verò ſi crediderint Patres, Orientis in cultu ſuo reſpectum magnum habentes, quamquam minimè ex hac una cauſa, non eſt tamen hæc ipſorum fides dicam an credulitas nobis certa credendi regula. Habuerunt illi quin etiam ſuas de *Pishone* & *Gihone* hypotheſes ſatis ludicras, quaſi ille *Hyphaſis* vel *Ganges* foret, & hic *Nilus*, atque Nilus *ab extremis orientis finibus flueret.* Nec merentur conſiderationem ullam, aut Sinenſium de Chamdan fluvio nugamenta apud *Geographum Nubienſem*, aut Indorum perſuaſio apud *Philoſtorgium* de Cariophyllo quod ad ripas fluminis reperitur à Paradiſi arbore nato, deque aquarum vi ad curandas febres quæ ſit ex Paradiſi commercio. Quod ſi non ante extremum Orientem ſe Paradiſum poſſe reperire cauſentur adhuc, ſpondeo neque illic eum reperiendum eſſe, qui ipſe olim occurrit & cujus notæ omnino etiamnum attendentibus occurrunt longe propius. Adverſus tertiam denique ſententiam, de Paradiſo in ipſa Palæſtina aut ejus vicinia conſtituendo, facit non tantum *Orientis*, *Hedenis*, *Euphratis*, *Tigridis*, *Aſſyriæ*, & *Cushæ* mentio, quæ omnis ad loca magis orientalia nos cogit; ſed & ſilentium totale Moſis, tum de terra Cananæa, Syria, Hammonitica, Moabitica, Idumæa, Philiſtæa, Tyria, Tſidonia, & vicina omni, tum de fluvio Jardene aliiſque circa terras illas repertis. Quando nemo prorſus rite attendens à quoquam perſuadebitur, Moſen in deſcriptione terræ, quam aut cum populo Iſraël tenebat jam, aut ab illo populo proxime poſſidendam in conſpectu ſuo habebat, plane ſilentio preſſurum fluviorum & locorum nomina tunc & paſſim in Scripturis obvia, per quæ abſque mora aut dubitatione ulla ſitus Paradiſi, quem depingere volebat, omnibus innotuiſſet. Quo magis hoc feciſſet ad inſignem terræ illius à Deo datæ vel dandæ ſuo populo commendationem, nec heic nec alibi toties negligendam, ſi fuiſſet in illa Paradiſus ipſe & felix Adami integri manſio. Ut mittam alia, juxta argumenta hujus opinionis, magno numero apud *Nic. Abramum* lecta, quorum diſcuſſionem ſequenti

ſer-

ſervamus Capiti, ne præſens noſtra tractatio fiat nimis inæquabilis.

V. Quartam theſin facio hanc; quod dubitari ferè nequeat, quin Paradiſus fuerit ſitus in aliqua ſeu Chaldeæ aut Babyloniæ ſeu adjacentis proxime Meſopotamiæ parte. Huic enim tractui conveniunt ſimul omnes Paradiſi Characteres ſpeciales à Moſe traditi. Sunt utique terræ illæ ſitæ omnino ad *Orientem* Canahanææ & deſertorum Arabiæ; nec ita procul diſſitæ, quin Judæi etiam inde otii earum habuerint cognitionem ſufficientem. Inde eſt, quod *Orientis* nomen in Scripturâ tribuitur manifeſtè ſatis Meſopotamiæ, tum in hiſtoria Bilhami qui accitus à Balako *ex Aram Naharajim* ſeu Meſopotamia ſimul adductus dicitur *de montibus Orientis Num.* XXIII. 7. *coll. Deut.* XXIII. 4. tum in hiſtoria Jacobi, qui profectus in *Paddan Aram* patriam Rebeccæ & Labanis ſedem, & ſpeciatim in *Haran* Meſopotamienſem, dicitur iviſſe *in terram filiorum Orientis Gen.* XXIX. 1. *coll. Cap.* X. 4. 5. *Cap.* XXV. 20. XXVIII. 2. 5. 6. 7. 10. Idem *Orientis* nomen applicatur *Chaldæa Hab.* 1. 6. 9. atque datur, potius quam opponitur ſecundum aliam interpretationem præpoſitionis מ / in מקדם / *coll. Gen.* XIII. 11. *&c. terræ Shinhar Gen.* XI. 2. quæ eſt aut ipſa βαβυλὼν ſeu βαβυλωνία, uti alias à LXX. vertitur *Jeſ.* XI. 11. *Zach.* V. 11. *coll. Dan.* 1. 2. aut circa illam, *coll. Gen.* X. 10. XI. 2. 9. non prorſus diſtincta aut diſſita à *Singara* Meſopotamiæ apud *Plinium* alioſque Autores. Neque objicere debes, quod Chaldæa magis ferat *Aquilonis* nomen *Jer.* 1. 13. 14. 15. VI. 1. 22. *&c.* ſiquinem, præter alias rationes, in Oriente ad Aquilonem vergebat Chaldæa cum Imperio ſuo, dum Meridionalis in Occidente erat Ægyptus. Ad orientalem ſitum Chaldææ & Meſopotamiæ adde *Hedenis* regionis nomen, in qua plantatus fuit Paradiſus, & quam extra illas terras quærere minime debes, ob conjunctionem ejus arctiſſimam cum *Haran*, *Gozan*, *& Rotſeph*, haud ignotis illius tractus locis, apud *Ieſaiam Cap.* XXXVII. 12. & *Ezechielem Cap.* XXVII. 23. ſicuti antea prolixius *Capite* VIII. diſputavimus. Ad terram Hedenis adde iterum *fluvios*, nominibus ſuis expreſſos æque quam à concurſu & curſu deſcriptos, qui aliqui ſunt & concurrunt in Chaldæa & Meſopotamia tantum & certiſſimè, nempe *Euphrates & Tigris*, qui alii illic ob mentionem *Cushæ* & *Havile* eſſe debent mutatis licet ut fit frequenter nominibus, atque facile

Fuit Paradiſus omnino in aliqua Chaldeæ ſeu vicinæ Meſopotamiæ parte.

cile etiam versus mare reperiuntur ibi lem. Ubi si dubium moveas, non ita ex uno fluvio juncto oriri quatuor distincta flumina; aberras vel à phrasios Mosaicæ genuino sensu quem antea dedimus, vel à geographiæ veritate; & præterea non cogitas decenter, quanta in fluviorum horum cursu determinato inde ab hac Mosis scriptione usque ad Geographorum veterum ætatem & magis ad nostra tempora potuerit fieri immutatio, per marium impulsus, aquarum exundationes, terrarum motus, humanam industriam, aliasque minus sæpe à coætaneis hominibus observatas causas, æque quam illam in Rheni nostri cursu notamus. Atque ad ista quidem tria, quæ simul apodictica credimus, addi ex abundanti possunt terræ Chaldææ & Mesopotamiæ, æque quam insularum in medio flumine, amœnitas & maxima fertilitas; quam sicuti ex fluviorum abundantia haud difficulter colligere licet, ita & ad legentium stuporem testantes vidimus cum ahis *Curtium Lib.* v. *& Plinium Lib.* XVIII. *Cap.* 17. *&c.* Luber adhuc exhibere. *Dionysii Perieg. Versus* 992. ... 1000. de Mesopotamia, quæ olim etiam sub Babyloniæ nomine comprehensa fuit docente id *Plinio.*

Ὅσση δ' ἐυφρήτῃ τε καὶ Τίγρι ἐνδοθι γαῖα,
Τήνδε περιχίονες μέσσην ποταμῶν ἐλίπουσιν.
Οὐ μὴν πιείρης γε νομὸς αἰνύσσατο βίστης
Οὐδ' ὅσσις σύριγγι κεραύνυχα πῶνα γεραίρων,
Μήλοις ἀγεφύλοισιν ἐφεσπέτῃ· οὐδὲ μὴν ὕλλῳ
Παντοίῳ φυτοεργὸς ἀνὴρ ἀφεείσατο καρπῶν.
Τόσση δὴ κείνης ἄρουρα πέλει, ἐν μὴν ἀέξων
Πόῳ ἐν ᾗ νομὸς ἐναυλίας, ἐν ᾗ καὶ ἀνδρῶν
Φύτλῃ, καλλίζῳο τε καὶ ἀθανάτοισιν ὁμοίῃ.

Istæ adeò laudabiles soli illius qualitates meritò habeantur pro reliquiis quibusdam terræ Paradisiacæ; cujus beatitas cum post peccatum variis modis perierit, non offendemur magnopere, si ea non superfuerit antiqua Geographorum ætate aut non supersit nostro tempore integra, magis quam in Cananæa terra vetus ejus præstantia hodie, inprimis si alicubi sublata sit arborum sive frondosarum sive frugiferarum copia, quo minus sic determinarum Paradisi locum cognoscerent & superstitione in eum peccarent homines. Et nescio an omni specie careat, si porrò dicamus ad primas Adami sedes repetendas contendisse secundi mundi in-

co-

colas; cum *Orientem* elegerunt & in eo *terram Shinhar* tanquam ſuæ habitationis locum *Gen.* xi. 2. quo magis circa has terras habitarunt ipſius Shemi ex Arphachshado poſteri, & in ipſarum circuitu fratres Helamitæ, Aſſyrii, Aramæi &c. *coll. Gen.* x. 22. *&c.* Ut adeo ex manſione Noachidarum non tantum amœnam loci ejus fertilitatem, ſed & Paradiſi ſedem probabili ſaltem conjectura diſcamus, quæ fuerit in Babylonia vel Meſopotamia. Atque hoc ego credo non minus ſane valere, quam quod *Annchtam Suſiana* apud *Ptolomæum* confert *Huetius* ſubtiliter cum *Hanoch* à Kajin exſtructa ad orientem Hedenis *Gen.* iv. 16. 17. quodque idem Arcam tempore Diluvii per irruentis Perſici Maris impetum in montes Gordianos ſpatio centum & quinquaginta dierum commodiſſime ex Babylonia propulſam fuiſſe, longe adhuc ſubtilius computat.

VI. Quinta denique & ultima theſis hæc erit; quod ſpecialis magis loci Paradiſi determinatio fruſtra fere tentetur. Quando eam Moſes prætermiſit; nec datur heic extra ipſum ſapere; quin & fluviorum quatuor ex uno procedentium curſum circa Babyloniam & Meſopotamiam inde ab Adamo ad Moſen imo & à Moſe ad ſeriora tempora abſque ulla leviori mutatione manſiſſe eundem minime conſtat, & contrarium verius præſumitur. Nemo itaque ſolide aſſeruerit, an ab occidentali an ab orientali fluvii Hedenici, & multò minus hodierni Euphratis, parte ſitus fuerit Paradiſus, an etiam ab utraque; ſi vel illud daretur, per *Orientem* apud Moſen notari orientalem Hedenis partem, quando limites ipſius Hedenis non cognoſcimus diſtincte. Quod enim nonnulli ex Cerubim *ab oriente* horti ad arcendum hominem conſtitutis *Gen.* iii. 24. concludunt, fluvium ab occidente horti à litum ſatis impediiſſe, ut fuerit illa adeo trans fluvium ab orientali ejus parte, id non eſt demonſtrativum prorſus, etiamſi ſpeciem habeat; potuit enim fluvius brachio ad orientem vel ſeptentrionem etiam inflexo à ſeptentrione aut ab occidente claudere hortum cis eum ſitum, atque illic Cerubim collocavit Deus ubi hominem ejecerat, eum territurus à regreſſu, quod an abſque tranſitu fluvii factum ſit ignoramus, dum alias fluvius etiam ab occidente denuo ab ipſo tranſiri forte potuiſſet, vel illic alia præter fluvium potuerunt eſſe ingreſſus impedimenta. Nemo ſimiliter certò dixerit, an ſitus Paradiſi fuerit ſupra Babylonem, quin & ſupra conjunctionem Euphratis & Tigris,

Specialis magis loci Paradiſiaci determinatio ſolida vix exſpectari poſſe videtur.

ſeu jam in Meſopotamia ſeu in Babylonia ſuprema apud *Ptolomæum* dicta *Auranitide*, an infra illam & hanc; quando conjunctio & diviſio fluviorum citius vel ſerius antiquiſſimo tempore fieri potuit, atque ubique unus fluvius in quatuor diviſus agnoſci poteſt, ubi idem ille in quatuor fluenta ampla diffunditur, etiamſi tria ab una & unum protendatur ab altera fluvii parte. Subſiſtimus ergo nos in iis quæ ex Moſe heic conſtant, & linquimus lubenter Viris Doctis, etiam recentiſſimis, ſuas conjecturas de his diverſiſſimas; quando eſt iſta ſpecialiſſima determinatio omnino inter ea, *in quibus ſalva fide qua Chriſtiani ſumus aut ignoratur quid verum ſit, & ſententia definitiva ſuſpenditur, aut aliter quam eſt humana & infirma ſuſpicione conjicitur.* Quæ verba leguntur apud *Auguſtinum Tom. VII. de Pecc. Orig. c. Pelag. & Cæleſt. Lib. II. Cap. 23.* atque ibidem ante omnia etiam applicantur ad ipſam quæſtionem, *qualis vel ubi ſit Paradiſus, ubi conſtituit Deus hominem quem formavit ex pulvere, cum tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet.* Atque hanc ſpecialiſſimam loci Paradiſi determinationem videntur omnino, magis quam generalem terræ tractum, ſpectaſſe multi ex noſtris, qui incertos ſe in hoc argumento ſunt profeſſi, atque alios profiteri juſſerunt parem ignorantiam; quamquam non putem plane incertum debere dici locum, quem circa Babyloniam & concurſum veterem Tigridis & Euphratis fuiſſe ſcimus. Uti vix dicetur aliquis in Italia aut Gallia ignorare ſitum Lugduni noſtri, qui ſciverit hanc eſſe Urbem Hollandiæ Rheno Inferiori adjacentem, etiamſi ignoret quot leucas ſeu Trajecto ſeu à Mari abſit; nec ignoramus nos perinde ſitum Jeroſolymæ, etiamſi limites ejus omnes veteres non habeamus exploratos; ut alia ſimilia mittam exempla. Quo magis non ſunt ſpecialiſſimi illi terræ Paradiſiacæ limites, qui uſum præbent ad Moſaicæ hiſtoriæ intelligentiam, aut errorum veterum & fabularum everſionem, ſed ad utrumque hoc ſufficit circa Babyloniam Euphratiſque & Tigridis nexum agnoſcere felicem Adami integri ſedem. Quod ex clara ſatis narratione Moſis in antiqua Eccleſia vix fuiſſe agnitum, ſed demum elapſo ſeculo inter Papiſtas & Proteſtantes palam tradi cœptum, atque inde tamen iterum impugnatum, eſt omnino quod mirari queamus & debeamus artendentes.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quo latius oſtenditur, male & abſque ullo juſto fundamento Paradiſi ſedem apud Jordanem conſtitui in Terra Cananæa.

Repetuntur argumenta contra ſententiam, quæ in Terra Cananæa ad Jordanem conſtituit Paradiſum.

Enimvero non eſt inter varias de Paradiſi Situ opiniones à nobis rejectas ulla, quæ tanto cum fervore & apparatu defenditur, quam quidem illa quæ eum conſtituit in orientali terræ Iiſraëliticæ tractu, quem *Jordanes à Genneſar ad Sodomiticam regionem perlabitur.* Adverſus illam dedimus nos *Cap. XIV.* §. 4. argumenta duplicis generis, ex iis ſc. quæ dixit, & ſimul ex iis quæ tacuit Moſes. Dixit nempe, ad *Orientem*, totius Iiſraëlis, fuiſſe Paradiſum; quæ phraſis ipſi Iiſraëliticæ terræ, etiam cis Jardenem, non competit. Dixit, in *Hedene* fuiſſe hortum Dei; quæ regio diſtincta & multum diſſita fuit à terra Iiſraëlitica. Dixit, *Fluvium* apud Adami ſedem fuiſſe unum irrigantem, ex quo diviſo fieret tam *Tigris* quam *Euphrates*, atque illi qui divitem *Havilam* & *Cushaam* circumirent; qualis fluvius in terra Iiſraëlitica nullus reperitur, dum longius diſtant, & terræ hæ juxta *Aſſyriam*, & fluvii nominati, alio loco etiam orti & exeuntes. Tacuit vero Moſes in deſcriptione Paradiſi prorſus de Terra Iiſraëlitica, nec ullum ejus alibi occurrens adhibuit nomen; ſicuti & tacuit de Paradiſo, ubi Terram eam multis aliis nominibus commendavit. Tacuit idem de terris proximè vicinis ab omni parte, per quas ſaltem fluvius potuiſſet dici procedere. Tacuit quin etiam de Jardene, cui Fluvii Hedenitici Moſaica deſcriptio minime convenit, qui tamen Iiſraeliticæ terræ præcipuus eſt. De his omnibus autem ad cognitionem Situs Paradiſi, quam Moſes dare voluit, tacere neutiquam potuiſſet, ſi apud hunc fluvium in ea terra ille fuiſſet. Sed nondum tetigimus, ſeu exceptiones, ſeu objectiones. Id nunc itaque agendum, poſtiſſimum ex Celebri Jeſuita *Nicolao Abramo*, qui in *Phæro Vet. Teſt.* ſententiam hanc præ aliis urſit, & ex quo alii complures heic ſapiunt. Noſtro tamen ordine ſecundum rerum naturam argumenta cuncta diſponere licebit.

II. Ar-

Digitized by Google

Rationes & autoritates, pro illa sententia adductæ, recensentur justo ordine.

II. Atque ita deprehendo, opinionem dictam firmari, partim rationibus, partim autoritatibus. I. *Rationes* petuntur. 1. Ex terræ illius *fertilitate amœna*, cum *arborum læta* copia, in primis circa Jardenem, quam uti in genere passim commendat Scriptura, ita & in specie Moses *Gen.* XIII. 10. testatur cum *Josepho* ac *Hegesippo* exotici plures, & comprobant recentiores. 2. Ex tractus hujus situ *Orientali*, quandoquidem Jardenes ita est ad Orientem Canahanis, sicuti Mare Mediterraneum seu Magnum ad occidentem, hinc etiam Trans-Jardenicis tribubus hæreditatem suam in oriente agnoscentibus *Num.* XXXIV. 19. & tractu Jardenis constituto *ab Oriente Gen.* XIII. 11. 3. Ex nomine *Heden*, vicinis terris dato, quando sic appellatur Tyri regnum *Ezech.* XXVIII. 3. & Libanus cum subjectis terris *Ezech.* XXXI. 16. atque Heden agnoscitur in Syria Damascena *Ham.* I. 5. imò *filii Heden* constituuntur *in Thalassar* q. e. apud Mare Mediterraneum *Jes.* XXXVII. 12. Debetque cum hoc nomine conferri, quod tractus ille *hortus Jehovæ* appelletur *Gen.* XIII. 10. & *Genesar* quasi quasi גן שר *hortus princeps*, vel *hortus principis*, notante dudum *Hieronymo de Nom. Hebr. in Matth.* apud quem vitiose legitur *ortus principium* vel *principum*; quodque illi tribuantur à *Brocardo* mira *poma Paradisi*, Malabatrum Syrium vocetur *herba Paradisi* apud *Isidorum*, quin & in Syria ponantur *Paradisus* vel *Paradisi balsami* apud *Strabonem* & *Theophrastum*, & fluvius ad radices Libani cum urbe in Cœle Syria nomine *Paradisus*, apud *Strabonem*, *Ptolomæum*, *Capellam*, *Plinium*. 4. Ex *fluvio* qui heic deprehenditur uno, plane eodem quem Moses descripsit. Siquidem primò appellatur ירדן *Jarden* q. יאר עדן / seu *fluvius Heden*. Dein restagnatione vicinas terras irrigat, *coll. Genes.* XIII. 10. *Jos.* III. 15. IV. 18. *Jerem.* XII. 5. XLIX. 19. L. 44. *&c.* cum in finem etiam flexuosus, seu *ambitiosus accolisque se præbens, velut invitus Asphaltiten Lacum petens*, uti est apud *Plinium Lib. V. Cap.* 15. Tum medius ipse est, inter fontes illinc septentrionales Tigridis & Euphratis, hinc Æthiopum & Havilam meridionales, quas regiones Pishon & Gihon circumire dicuntur. Labitur porro ita in lacum Genesar & Asphaltitem, ut mox terris absorbeatur, *nec pelago accipiatur* juxta *Tacitum*; unde omnino per occultos canales subterraneos videtur dividi in quatuor capita, seu scatebras Tigris, Euphratis, Pishon, & Gihon, nihil obstante magna locorum distantia aut altitudinis diversitate, quando & alia

alia longiſſime ſub terris labi flumina quæ deinde emergant univerſalis eſt conſenſus, nec conſtat fontium primorum Jardenis altitudo. Et accedit, tum *Syracidis* autoritas, qui *Jordanem* cum quatuor fluviis Moſis jungit *Eccleſ.* XXIV. 35. 36. tum qualitas aquarum Jardenis, quas *nunquam corrumpi vel toto terrarum orbe delatas* teſtetur *Villamontius Lib. II. Peregr. Cap.* 20. quæ adeo Paradiſum immortalitatis & incorruptionis locum meritò irrigent. 5. Junguntur cum his Moſaicis Characteribus quin etiam alia plura. Nempe terra Iiſraëlitica creditur totius terræ medium, etiam ex *Pſalm.* LXXIV. 12. longitudine computata ſc. à Gadibus ad Gangen; aſt in medio terræ credatur merito fuiſſe Paradiſus, tanquam gemma in annulo, cor in corpore, pupilla in oculo. Terra Iiſraëlitica fuit, ex conſenſu Judæorum & Chriſtianorum veterum, *locus creationis Adami*, & *habitationis ejus* poſt lapſum, juxta communiorem traditionem à *Baſilio* etiam inculcatam, ac ſedem gigantum quales ante diluvium ex Kajino orti in Moabitica Ammonitica & Baſanitica terra *Deut.* III. 13. *Bar.* III. 26. 27. *&c.* dum non longè à Libano eſt quoque Henochia à Kajino exſtructa *Gen.* IV. 16. 17. *&c.* & *ſepulturæ* ejuſdem, quæ Calvariæ monti paſſim tribuitur à Patribus; iſte vero locus proximus debuit eſſe Paradiſo, ob Adami in hunc introductionem, & ex eo expulſionem faciliorem, cum renovata quotidie lapſus memoria. Terra Iiſraëlitica amplius præ aliis omnibus celebratur in Sacris Literis, & in ſpecialem poſſeſſionem populo Dei eſt promiſſa, ac ſtatuto tempore poſteritati Abrahami ſimiliter tributa, & cœleſtes ſedes typice Iiſraëli repræſentavit; quorum uti alias vix conſtat ratio ulla, ita manifeſta eſt illa ſi fuerit Paradiſi olim ſedes. Maxime omnium obſervatur, hanc eſſe terram, in quam Chriſtus venit, in Jardene baptizatus, & circa eum prædicationem ſuam inchoans, & in qua eſt dein mortuus & ſuſcitatus; dum conveniens videtur, *ut inde ſecundus Adam humana ſalutis initium accerſeret, unde primus Adam mortem in orbem terrarum invexerat*, atque ut in loco Paradiſi Deus vellet *& naſci & mori & reſurgere unigenitum, qui indubie arbor eſt vitæ, indeque ſuam proficiſci legem, ad diſcernendum quod eſt bonum & malum, quam nulli fas eſt carpere, nulli mordere ſine interminatione mortis &c.* Iſta autem omnia argumenta ex *Abramo* Jeſuita ſumpſit fere & urſit ipſe *Cel. Heideggerus*, quem Virum Magnum nuper ſibi morte ereptum meritò luget Orbis Reformatus. II. *Autoritates* ac-

cedunt, & Judæorum, qui *portam Paradiſi* jungunt *monti Moriæ*, & Chriſtianorum, qui cum illis in Agro Damaſceno Adamum creatum ſtatuunt; porro Veterum apud *Athanaſium*, qui Jeroſolymis Paradiſum figebant, item *Jac. Naclanti Clugienſis Epiſc. Mariana*, *Circuelli Doracenſis*, *Alphonſi à Vera Cruce* &c. qui ſi non per omnia ſaltem ex parte huic opinioni de Paradiſo in terra Iſraëlitica ſubſcribere deprehendantur, adeoque à novitatis ſingularis vitio eandem liberent

Prima Ratio ex amœna fertilitate terræ illius ſolvitur.

III. Iſthæc objectionum tela, ſic pertexta, nunc retexenda venit breviter. Atque heic in primâ objectione negare nolim, vel univerſæ Jiſraëliticæ terræ præ aliis plurimis multiplicem præſtantiam, vel Jordanici tractus in illa ſpeciale decus; cujus imminutio magna per Sodomiticæ regionis everſionem facta quidem eſt, ſed ita ut hinc etiam ipſum præcedens decus conſtet. Ineptus enim ſit, qui propter ſecutum ad peccata Dei judicium, quod & *Tertullianus* heic obſervavit *de Pall. Cap.* 11. neget priorem terræ illius felicitatem; ſic utique judicium ipſum ſimul negaturus re ipſa. Præterquam quod vaſtatio illa ſpectet ad Meridionales Jardenis partes, ubi Lacus Aſphaltites ſeu Mare Mortuum; dum manſit diu poſt eam elegantia *Campi Magni* ſeu *Convallis Illuſtris*, & præcipuè *regionis Genneſar* magis ſeptentrionalis ad Lacum ejus nominis. Hanc enim deſcripſit *Joſephus* cum aliis, tanquam *optimam Galilææ Ant. Lib.* XVIII. *Cap.* 3. & tanquam φωμαςὴν φύσιν π καὶ κάλλ& *Lib.* III. *de B. Iud. Cap.* 25. Ubi ſic porrò dè ea legas; Οὔπ γὰρ ἀυτῶ τὶ φυτὸν ἀρνεῖτ δύα τ πιότητα, καὶ πᾶσαν πεφυτύκασιν οἱ νεμόμνοι· & ἦ ἀέρ& τὸ ἔυκρατον ἀρμόζει καὶ τοῖς διαφόροις, καρύαι μέν γε φυτῶν τὸ χειμερινώτατον ἄπειροι πεφύλασιν, ἔνθα φοίνικες, οἳ καύματι τρέφονται, συκέαι π καὶ ἐλαῖαι πλησίον τύτων, αἷς μαλθακώτερ& ἀὴρ ἀποδείκτ. Φιλοτιμίαν ἄν τις εἴποι τ φύσεως, βιασαμένης εἰς ἓν συναγαγεῖν τὰ μάχιμα, καὶ τ ὡρῶν ἀγαθὴν ἔριν, ἑκάστης ὥσπερ ἀντιποιμένης & χωρίου· ἡ γὰρ ὃ μόνον τρέφει πρὸς δόξαν τὰς διαφόρους ὀπώρας, ἀλλὰ διαφυλάσσει, τὰ μὲν γε βασιλικώτατα παφυλιῶ π ἡ σύνηθ δίκα μῆνιν ἀδιαλείπτως χωρηγεῖ, τὰς δὲ λοιπὰς καρπὰς δι' ἔτους ὅλ πρὸς ἀλλήλοις ἀποδιδόντας ἀυτοῖς &c. Ob iſtam porro terræ hujus præſtantiam nequaquam ego negaverim quod illic fuerit Paradiſus, ac ſi tanta in illo loco poſt peccatum ſemper requireretur vaſtitas, quanta ante illud fuit elegantia. Siquidem qui locus amiſit ſpeciales Paradiſi præ-

rogativas, & communem ſubiit cum terra reliqua ante & per diluvium maledictionem, ille non mox omnem amiſit præſtantiam ſundi, ſed potius hujus reliquias præ aliis minus beatis locis non immeritò putetur retinuiſſe. Verum ex adverſo quoque ex ſola terræ alicujus præſtantia non licet in illa Paradiſum conſtituere; quando Dei bonitas in longe plurimis & diſſitiſſimis orbis partibus per benignum cœli & ſolis influxum, terræque ipſius conditionem, & irrigationem lætam, ita moderata eſt communem maledictionem, ut fertilitatem, amœnitatem, & arborum plurimarum copiam illic reperias. Ut ex attributo hoc communiori nequeas ſpecialem locum unum diſcere.

Alteri Rationi ex nomine Orientis perinde ſatis fit.

IV. Secundum argumentum bifariam peccat. Primò eodem quo primum modo; dum ex nomine *Orientis*, quod communius eſt, ad ſingularem locum in oriente concludit, uti ad extrema Aſiæ continentis pari ratione alios progredi antea vidimus. Sed dein magis adhuc; dum non attenditur ſatis, quomodo nomen *Orientis* ſic abſolutè poſitum in Scripturis intelligatur. Nempe *Oriens* omnino diſtinguitur ab integra terra Iiſraëlitica; & dicit terras ab hujus vel etiam Deſerti Arabici oriente ſitas, paulo propius vel remotius, quæ Judæis potiſſimum cognitæ fuere & primis etiam temporibus habitatæ, quod ſuo loco demonſtratum dedimus. Alia vero eſt res, ubi oriens hujus aut illius urbis vel loci ſpecialis occurrit, aut limites terræ Canahan inter ſe conferuntur, uti fit apud *Joſuam* paſſim, atque eriam *Gen.* XIII. 11. Atque adeo extra controverſiam omnem equidem eſt, tractum Jardenis fuiſſe in terra Jiſraëlitica orientalem. Sed falſum omnino, illum ſolum mereri nomen *Orientis*, quando innumera alia loca ſunt in oriente; falſum præterea, id nomen abſolutè alias uſurpari de orientali Canahanææ parte, quod ex adverſo datur regionibus ab ea diſtinctiſſimis; falſum tandem, quod in textu hoc Moſis aliquid ſit adjectum ad hoc nomen, aut ſequatur, quod orientem hunc ad partem aliquam Jiſraëliticæ terræ referat aut reſtringat, ubi ex adverſo & Heden & Fluvii nos ad aliam ſolitam Orientis notionem pellunt.

Tertiæ Rationis ex nomine terræ Heden imbecillitas monſtratur.

V. Tertia objectio ex nomine *Heden* viciniæ dato, cum tot aliis appellationibus *horti Jehovæ*, *Geneſar*, *Paradiſi*, magis primo intuitu videtur eſſe metuenda. Verum & hæc ipſa magis minatur, quam ferit, ſi ad examen juſtum eam voces. Utique aliud longe eſt, terram aliquam hoc illudve nomen proprium habere quo vulgò appelletur;

Digitized by Google

aliud, metaphoricè aut ſynecdochicè ad eam alterius terræ nomen proprium accommodari, uti Roma ſic dicitur nonnunquam emblematice Babylon & Ægyptus, cum his urbibus idcirco non confundenda. Poſteriori hoc modo, non autem priori, Deus *Regem Tyri* dicit collocatum *in Heden*; uti clarum eſt ex eo quod ſimul in *horto Dei*, atque *in monte ſanctitatis Dei* conſtituatur, & *Cerubh unctus protegens* appelletur *Ezech.* XXVIII. 13. 14. notata ſic abundantia, potentia, & ſplendore Tyri ac Regis ejus. Talis vero metaphoricus vocis uſus, in Prophetica redargutione aptiſſimus, in ſimpliciſſima primæ antiquitatis hiſtoria Moſaica perperam cogitetur. In altero *Ezechielis* textu *Cap.* XXXI. 16. ne hoc quidem obtinet, ut *Libanus* accipiat metaphorice *Hedenis* nomen; ſiquidem diſtincte illic nominantur, primò *omnes arbores Hedenis*, tum *electio & bonum Libani*, tandem *omnes bibentes aquam*, ut per has omnes arbores, per quas emblematice repræſentantur reges terræ potentiſſimi cum thronis ſuis, ſimul adductas Aſſyrii & Ægyptii Regis lapſus tanto copioſius depingeretur. Quod ſi etiam *arbores Hedenis* eædem forent cum *bono Libani*, jam liceret ita ejuſdem ſpeciei arbores in Hedene & Libano agnoſcere potius quam loca illa confundere. Ipſe vero ille *Ezechielis* locus, Aſſyrium metaphoricè appellans *cedrum in Libano*, reliquoſque reges *cedris in horto Dei & arboribus Hedenis in horto Dei* deſignans, etiam oſtendit, Regis Tyrii deſcriptionem non minus metaphoricam fuiſſe. *Hamoſi* poſt hæc textus *Cap.* I. 5. latius in *Commentario noſtro* eſt expoſitus; ubi videbis LXX. non legiſſe בית ערן / ſed per mutationem unius literæ vulgò ἀνδεὲς χαῤῥὰν, & *Hieronymum* interpretatum eſſe appellativè *domum voluptatis*, & videri eo nomine *Beth-Heden* emblematice tantum formato juxta alterum *Bikhath-Aven* notari ipſam Dammaſcum, atque tandem aliud eſſe nomen ſimplex regionis *Heden*, de quo diſputamus heic, aliud compoſitum *Beth-Heden*, quod urbi alicui apud Syros antiquæ forte competierit ob amœnum ejus ſitum aut aliam multiplicem voluptatem. Denique *Telaſſar* תלאשר vel תלשר non eſſe à nomine Græco θαλάσσης *maris* derivandum, ſed potius ab orientali origine petitum notare *munimentum* vel *montem* vel *tumulum*, ſeu *Aſſuris*, ſeu *felicitatis*, ſeu *lucis*, ſeu *principis*, eſt ſuo loco viſum; qui locus alias ab alio *mari* æque quam à mediterraneo ſuam appellationem etiam potuiſſet habere, ſicuti & plures præter Syro-Phœniciam regiones Mari Mediterra-

terraneo adjacent; dum & hoc notari meretur, quod *Heden* non dicatur quædam *in Talaſſar*, ſed *filii Hedenis* illic ponantur, qui variis occaſionibus in regionem vel urbem peregrinam potuerunt eſſe tranſlati. Adeò nullus omnino ſupereſt locus, qui *Hedenis* nomen tribuat Syro-Phœniciæ, cujus ſc. orientem conſtituerit tractus Jardenis.

Quemadmodum & Inſtantiarum, quæ ex nominibus Horti Jehovæ, Geneſar, &c. petuntur.

VI. An ergo alia nomina collata plus faciunt ad ſententiæ propoſitæ firmamentum? Minime equidem, ut puto. Utique planities Jardenis, licet metaphoricè potuiſſet appellari *hortus Jehovæ*, non accipit tamen hoc nomen apud Moſen *Gen.* XIII. 13. ſed tantum ante divinam perditionem Sedomæ & Hamoræ dicitur fuiſſe כגן יהוה *ſicut hortus Jehovæ*, vel quicunque excellentiſſimus & Deo dignus, vel potius ille à Deo plantatus in Heden, cui adeo ob elegantiam aſſimilatur eadem phraſi qua mox additur fuiſſe eam כארץ מצרים *ſicut terra Ægypti*, in quam tractus Jardenis ſic tamen non transponitur vel commutatur. Per quam inſtantiam motus *Abramus* fatetur, *hoc Scripturæ teſtimonium vix ullius eſſe momenti*, poſtquam prius obſervaſſet, *dici poſſe, ſicut non eſſe merè συγκριτικὸν ut comparationi tantum inſerviat, ſed αἰτιατικὸν ut cauſam reddat cur illa regio fuerit irrigata, quia erat Paradiſus Dei*, *coll.* 2. *Cor.* III. 18. *Eph.* V. 1. *Joh.* I. 14. Sed debuiſſet agnoſcere, hoc teſtimonium conſequenter omnino facere contra ſe; non enim planities Jardenis ſibi ipſi ſed loco à ſe diſtincto comparatur, in uno & primo æque quam in altero terræ Ægyptiacæ nomine, quæ ſane non fuit in tractu Jardenis unquam. Unde & per modum objectionis adverſus ſe hunc locum adduxit *Cel. Heideggerus*; *Neque obſtat huic ſententiæ locus Gen.* XIII. 10. *&c.* Et cogitur hic duplex inane effugium quærere; primo illud *Abrami*, Caph eſſe *αἰτιατικὸν*, quod ex verbis *eodem tenore ſubnexis*, *& ſicut Ægyptus*, reſellit ipſe *Abramus*; tum, *neque neceſſario intelligi debere*, *Paradiſum potius quam hortum quemlibet amœniſſimum*, *quomodo Hebræorum more quicquid excellit in ſuo genere Deo tribuitur*, quod omnino etiam improbat *Abramus* ob Græcam verſionem cum *Articulo* ὁ παραδείσου, ſed quod magis improbandum eſt ob horti Adamici factam à Deo plantationem & celeberrimam amœnitatem, atque ob alterum determinatum terræ Ægyptiacæ ſimile. Quod porrò attinet ad *Geneſar*, Γεννησὰρ apud *Joſephum*, pro quo in N. T. legitur Γεννησαρέτ vel Γενησαρέτ *Matt.* XIV. 34. *Marc.* VI. 53. *Luc.* V. 1.

constat satis, Judæos illud scribentes גניסר vel גנסר vel גינסר / multos equidem derivare à גני vel גנות סרים / *hortis principum*, qui illic fuerint complures *coll.* 1. *Chron.* XII. 34. vel quibus terra illa fuerit similis per abundantiam & amœnitatem, nihil tamen cogitantes de Adami Paradiso vetere; sed & longe verisimilius est, hanc esse quandam allusionem in voce, per mutationem literæ unius & alterius derivata ex Hebræa כנרת / *Cinnereth*, & כנרות / qua tractus ille exprimitur *Num.* XXXIV. 11. *Deut.* III. 17. *Ios.* XI. 1. XII. 3. XIII. 27. 1. *Reg* XV. 20. & quam à dulcedine fructus comparata cum dulci sono כנור *citharæ* derivant *Talmudici*. Quod fere videtur velle *Ligtfootus*, monens, *transiisse nomen Chinnereth in Genesar ob regionis amœnitatem hortis ac Paradisis refertissimæ. Cent. Chor. Matth. Cap.* LXX. Dum alias de Græca origine à nomine γενέσιος vel γεννήσιος, à *Talmudicis* assumpto, etiam cogitari posset. Tandem ex nomine *Paradisi*, adhibito in appellatione pomorum, & herbæ, & locorum balsami, & fluvii, & urbis in Syria, nihil aliud concludas; quam vel celebrem Paradisi primi amœnitatem, unde cum locis fructus præstantissimi suam nacti sint idcircò appellationem, sicuti & à Genosar apud Judæos, vel latiorem vocis usum de hortis splendidis & majoribus, quem in ipsa Scriptura reperimus absque respectu ad Paradisum Adami, vel summùm nescio quam incertam hominum traditionem qui suam terram præ aliis commendare nomine veteris Paradisi fortè voluerunt, unde veritas rei minime patet.

Quartum Ratiocinum ex Jardene collato cum Fluvio Henenis discutitur.

VII. Quarta objectio, quam latè diducitur, tam invalida est, petita nempe ex *Fluvii* descriptione Mosaica ad *Jardenem* accommodata, sed præter speciem ullam. Quod de nomine *Jarden* præmittitur, ac si notaret ex origine sua *fluvium Hedenis* conquisitum est; quandoquidem non deberet in scriptione Hebræa præcipua & distinctiva litera vocis *Heden* omitti, si ista origo vera foret; quin etiam à voluptate fluvius sic appellari posset æque ac à regione Heden per quam laberetur. Sed longe verisimilius id nomen, vel simpliciter derivatur à ירד *descendendo* per additum *Nun Heemanticum* pro natura fluvii, vel à ירד *expandendo*, vel à ירה *dominando*, vel ex ירד & דן quasi *descendens ex Dan*, vel ex ירה & דן quasi *irrigans Dan*, vel ex יאר & דן quasi *fluvius Dan*, vel ex *Jor* & *Dan*, duobus fontibus ex quibus fluvius hic componitur. Quod habet *Suidas*; Ἰορδάνης ὁ ποταμὸς, ἐκλήθη ἤ ἔτω ἀφ' τὸ συμμίγνυσθαι δύο ἅμα ποταμὲς Ἰορ καὶ Δάνλω; & perinde *Hieronymus in Quæst. Hebr.*

Hebr. ad Gen. XIV. 14. *Dan unus è fontibus eſt Iordanis, nam & alter vocatur Ior, quod interpretatur ῥεῦθρον q. e. rivus. Duobus ergo fontibus, qui haud procul à ſe diſtant, in unum rivulum federatis Iordanis deinceps appellatur.* Interim apud *Euſebium de Loc. Hebr.* paulo aliter legimus; *Dan viculus eſt in quarto à Paneade miliario euntibus Tyrum &c. de quo & Iordanis flumen erumpens à loco ſortitus eſt nomen, Ior quippe ῥεῦθρον i. e. fluvium ſive rivum Hebræi vocant.* Quæ magis videntur convenire cum *Joſephi* narratione *Lib.* III. *de B. I. Cap.* 35. ubi ſolius *Panii* meminit, ex quo antro & fonte derivat φανιτὸν ῥεῦμα Jordanis, ita ut ſimul ponat tanquam compertum à Philippo Tetrarcha, quod ex *Phiale* lacu τραχωνιτιδῆ Trachonitidis per occultos ductus ad Panium ſeu Dan aqua Jardenis feratur. Quæ nomini Jardenis jungitur hujus fluvii *reſtagnatio*, eam plane negare nolim, etiamſi per loca adducta omnia haud æque feliciter probetur, uti antea vidimus dudum; ſed obſervo, fluvio Hedenis neutiquam à Moſe tribui reſtagnationem, ſed tantum *irrigationem horti*, dum irrigationem etiam lectam *Gen.* XIII. 10. aliis præter reſtagnationem modis fieri paſſim, & heic factam omnino eſſe, ibidem notavimus, ob Paradiſi inhabitationem perpetuo futuram quæ reſtagnatione fuiſſet impedita. Et eſt præterea neque reſtagnatio neque flexuoſus curſus Jardeni peculiaris, ſed pluribus fluviis communis. Qui reſtagnationi Jardenis jungitur *ſitus medius* inter fontes magis ſeptentrionales & fluvios magis meridionales, neſcio quid huc faciat multum; quando fluvium hunc fuiſſe medium inter duos ſeptentrionales & duos meridionales alios nuſquam dixit Moſes; nec Jardenes aquas diſtribuit verſus utrumque latus tam ſeptentrionale quam meridionale, ſed in meridiem modo tendens à fontibus ſeptentrionalibus Euphratis & Tigridis ſic magis recedit. Ut recurſum cogatur arcanum ponere ipſe *Abramus* plane ſeptentrionalem verſus fontes Euphratis & Tigridis, ex quibus fluviis ſecundum Patres miro recurſu & curſu oriantur iterum Pishon ſive Ganges & Gihon ſive Nilus; dum ipſe probabilius cenſet, Gihon eſſe *fluvium Sihor qui Æthiopiam orientalem inter Ægyptum & Paleſtinam alluit*, & Pishon *fluvium qui in terra Hevilat prope Amalecitidem arenas aureas in Arabicum ſinum evolvit.* Quæ ſitui Jardenis jungitur ejus per terram *conſumptio* ſeu *occultatio* infra Lacum Aſphaltitem, illa ejus diviſionem in Tigridem Euphratem Pishon & Gihon

hon neutiquam docet. Quando in mille alias cavernas ſubterraneas aut abyſſum ipſam per eas hæc æque aqua, quam aliorum marium & fluviorum, labi poteſt; ſcribente *Joſepho*, quod εἰς τὴν Ἀσφαλτῖτιν ἔξωσι λίμνην & ex recentioribus *Chriſt. Adrichomio*, quod *peſtiferum hoc mare præterlapſus brevique ſpatio egreſſus in horrenda quadam terra voragine atque abyſſo abſorbeatur.* Unde ſicut neutiquam demonſtrari poteſt illa aquarum Jardenis in fluvios quatuor Moſaicos diviſio; ita præter longiſſimam diſtantiam, & altitudinis diverſitatem, ubi erumpit fluitque Jardenes alias in altum aſcenſurus ibidem, obſtat quam maximè aquarum Jardenis inſufficientia ad tot tantoſque fluviosalios conſtituendos. Præterquam, quod longe aliam & conſpicuam diviſionem fluvii ſpectaſſe Moſen antea aſſeruimus. Poſt hæc omnia nullum robur habet *Syracidis* autoritas, qui nec uſquem *fluvium Hedenis* per *Iordanem* expoſuit, ſed hunc fluvium tanquam ex Moſe & aliis Scripturis celebrem ac Iiſraëlitis notiſſimum cum aliis quatuor junxit; & quidem penultimo tantum loco, quem ſi fluvium radicalem omnium aliorum credidiſſet omnibus cum Moſe debuiſſet potius præponere. Nedum quemquam movebit ſuperſtitioſa fabella de *incorruptis* prorſus *Jardenis aquis*, quam ſatis ridiculè probat *Villamontius*, ex eo quod eam talem *Ieroſolymis Venetias uſque mille & ſeptingentarum leucarum intervallo detulerit*; quaſi non aliquamdiu multiplex aqua conſervari poſſet à corruptione, quæ tamen idcirco non plane incorruptibilis conſtitueretur. Nihil vero de iſta virtute aquarum fluvii Hedenis habet Moſes; atque ineptiſſimè ſtatuat quiſquam, poſt peccatum omnia corrumpens per Dei judicium juſtiſſimum non modo manſiſſe eam fluvii ipſius virtutem; ſed & aquas ejus aliorſum delatas eam conſtanter ſervare, quando mirum eſt, nec omnia per aquam hanc irrigata conſtitui ſimiliter incorruptibilia etiamnum. Ita objectione hac per partes omnes ſoluta, retorſioni ampliſſimæ locus eſt; quando v. g. nec Jardenis nomen fluvio Hedenis nec illud fluvii Hedenis Jardeni dedit Moſes aut reliqua Scriptura; quando Jardenes non eſt in *Oriente* & Regione dicta *Heden*; quando Jardenes neutiquam dividitur in quatuor alios fluvios, nedum in Euphratem & Tigridem, cujus longe magis ſeptentrionales ſunt fontes &c.

VIII. Quinta objectio minime omnium nos detinere poteſt aut debet, quatenus vel meris ratiociniis vel incertis traditionibus niti-

Ulterior omnis ratiocinatio pro ea sententia examinatur.

situr; quæ neutiquam in re Geographico-Historica contra Mosen possunt valere. Utique Israëliticam terram nusquam Spiritus dixit *mediam* continentis omnis, quando בקרב הארץ in *Psalmo* notat simpliciter *intra terram*, vel omnem vel Canahanæam, *coll. vers.* 4. 11. & medium Canahanææ terræ non est simul necessario medium orbis; nec est illa media continentis, si terras ultra Gangen addas orienti, uti decet. Sed neque ab altera parte Paradisum in medio terræ constituit Moses; nec est cur ille illic constituatur à nobis, quandoquidem medium omne non est præstantissimum aut in regionibus aut in rebus aliis; nec ponderis alicujus est Hebræorum traditio apud *Origenem*, *φασὶν ἓν αὐτὸν μέσον εἶναι τῆς κόσμου ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ, διὸ καὶ τὸν ποταμὸν τὸν φησὶν ἐρεμβόθεν γύμνα κόρης*. quam adduxit *Eugubinus*. Perinde non ignoramus istas de *loco creationis*, *habitationis*, & *sepultura Adami*, traditiones, tum Judaicas tum Christianas; sed fundamenta earum sufficientia desideramus, quæ superstitione circa Judæam terram maxime niti videntur, & incertissimis præterea conjecturis. Qualis est v. g. illa de sede Kajinitarum in Trans-Jordanica terra, quia illic post Diluvium *gigantes* habitarunt, qui prius dicti ענקים / nomine paululum inflexo appellati fuerint ענקי. Cæteroquin non ita procul à Paradiso natum, ibidem etiam post lapsum vixisse, & sepultum esse Adamum, dici probabiliter, sed nec iterum monstrari potest; quandò possent rationes dari, cur etiam longius à Paradiso post peccatum depulsus crederetur Adamus. Porrò *celebritas*, *promissio* specialis, & vis *prefigurativa* Canahanææ terræ, vix quidquam ad rem præsentem videntur facere; quandò à fertilitate, non autem à situ Paradisi in ea, celebratur, & ob hanc simul & incolarum priorum maledictam impietatem promissa est Jisraëli, atque sic à Deo & populo ejus habitata recte etiam pro typo quodam cœli habeatur; & quandò Paradisus ipse, unde Adam à Deo satis severè expulsus, potius ad habitationem à Deo non videtur suis datus esse deinde, quam datus. Tandem quod Christus natus est, versatus, passus, mortuus, & suscitatus, in terra Jisraëlitica, id factum, non ex aliqua vetere loci illius dignitate, sed ex populi Deo fœderati inhabitatione in ea quo tempore res hæ gerebantur. Neque est ullo modo necessum, ut eodem loco exitium & salus oriantur; quod si necessum foret, jam vel Judæa integra, vel speciatim Bethlehem & Jerushalem, pro Paradiso foret habenda; dum illa quæ de Ar-

boribus Vitæ & Scientiæ dicuntur, cum reſpectu ad Chriſtum & Legem, tanquam plane allegorica, argumentum nullum ſolidum præbent.

Tandem Autoritates pro ea ſententia adductæ ponderantur.

IX. De Autoritatibus vix operæ pretium eſt verbum ullum addere. His enim non tam aſtruitur ſententia propoſita, quam quidem à novitatis objectione liberatur; quæ in hoc rerum genere non eſt magna aut gravis, ubi recepta magis ſententia non eſt inter fundamentalia fidei capita, atque ubi ſæpe laudem meretur ſcrutatio nova, poſtquam opinionem minus exploratam alter ab altero dudum accepit. Interim non habet opinio à nobis impugnata aſſentientes adeo multos aut magnos viros, ut hoc nomine admodum commendari queat. Utique traditio iſthæc Judæorum de *porta Paradiſi vicina monti Moriæ* concidit, ſi ſpectemus ejus fundamentum apud *Elieſerem*, quod eſt ſœda παρερμηνεία verborum Dei *Geneſ.* III. 23. quaſi *cultus terræ, ex qua ſumptus erat* Adam, intelligeretur non corporaliter ſed ſpiritualiter de Dei cultu in illa; unde & hoc *ex turbida traditionum colluvie* derivat *Guil. Henr. Voerſtius.* Nec aliquod in hiſtoria habent fundamentum, ſed majus in ſuperſtitione fabuloſa, quæ de *Agro Damaſceno* in tribu Judæ prope Hebron & de *Spelunca Adami* in eo feruntur plurima. Verum porro eſt, quod apud *Athanaſium* dicatur, οἱ μὲν γὰρ φασιν, ὅτι ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐστὶν ὁ παράδεισος; ſed qui aut quales fuerint hi, non expreſſit; atque addidit, οἱ δὲ ἐν Μεσοποταμίᾳ, imò utramque opinionem pariter refutavit, ἀδύνατον δὲ ἀμφότερα, ἢ ὅτι μὲν ἐστὶν ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐστὶν ὁ παράδεισος, μαρτυρεῖ ὁ Ἀδὰμ, ὁ ἐκ τοῦ Κυρίου χείμενος, ἐνόησεν ἢ ὅτι ἐστὶν ἐν τῷ παραδείσῳ ἐτάφη, ἀλλ' ἐξεβλήθη &c. Recentiores Scriptores Pontificios porro non eſt quod magnopere ſpectemus; quando in numero hominum horum maximo ſunt iſti pauciſſimi; hi partim de re ipſa tacent, nomen *Jarden* tantum derivantes à *Jaar Eden*; horum alii denique vel ratiocinia adducunt imbecillia, quæ antea habuimus, vel locum Moſis ex *Geneſ.* XIII. 10. uti de *Circuello* & *Alphonſo* refert *Corn. à Lapide*, quem omnino huic opinioni obſtare antea ſimiliter monſtravimus.

CA-

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Quo de Præſtantibus Paradiſi Arboribus generatim agitur.

Occaſione eorum, quæ de Situ Paradiſi ex Moſe expoſuimus, videre nobis dudum licuit amœnam ejus ſertilitatem quam ille ex Fluvii ſatis ampli & irrigantis lapſu habuit. Quin ibidem cœpimus agere de *Arboribus*, ad amœnitatem & fertilitatem hanc ſpectantibus, quibus Paradiſus inſtructus fuit; adeò ut hinc fluxerit nomen *Horti* non ſolum, ſed & alterum *Paradiſi*, quod hortos majores & ſplendidiores ad voluptatem factos notat, ſecundum illud Salomonis *Eccl.* II. 5. *feci mihi hortos & paradiſos, & plantavi in eis arborem omnis fructus.* Sed hoc caput modo latius tractari debet, atque exponi textus Moſis qui de eo agit *Gen.* II. 9. ita quidem ut præcedat generatim, ויצמח יהוה אלהים מן האדמה כל עץ נחמד למראה וטוב למאכל / *& germinare fecit Jehovah Deus ex terra omnem arborem deſiderabilem aſpectui & bonam eſui*; & ſequatur mox ſpeciatim, ועץ החיים בתוך הגן ועץ הדעת טוב ורע / *& arborem vitæ in medio horti & arborem ſcientiæ boni & mali.* Tranſitus à Situ Paradiſi ad ejus Arbores.

II. Agi heic cernas de *Arbore*, ſeu trunco duro & ligneo cum radicibus, ramis, & germinibus ſuis, abſque altitudinis diſcrimine; pro qua, ſecundum uſum vocis Hebraicæ frequenter obvium, & arboris ipſius naturam, habent LXX. & *Vulgatus*, ξύλον, *lignum*, ſed *Onkelos* אילן. Nomen illud ſingulare ſenſu indubie collectivo heic eſt poſitum, uti docet tum horti natura, tum ſyncategorema *omnis*. Quod neutiquam heic dicit ſingulas arbores quotquot fuerunt creatæ, ſiquidem reliqua præter Paradiſum tellus ſic maximo privaretur decore, quod tamen illi tribuit Moſes *Gen.* I. 11. 12. quodque poſt ſecutam ex peccato maledictionem adhuc in ea deprehenditur; ſed quaſvis arborum ſpecies. quo ſenſu de *omni morbo, omni homine, omnibus quadrupedibus &c.* alias legimus *Matt.* IV. 23. *Joh.* I. 9. *Act.* X. 12. *&c.* quæ nec ipſæ ſingulares in ſua ſpecie ſed multæ omnino heic cogitandæ ſunt. Accedit tamen ulterior deſcriptio; ſeu arborum communiter, quales hæ fuerunt in prima creatione, aut ſunt etiamnum præ aliis rebus creatis; ſeu Arbor deſiderabilis aſpectui & bona eſui quo ſenſu dicatur.

Digitized by Google

arborum quæ in Paradiſo fuerunt repertæ, ubi nempe locus non erat vilioribus ſed præſtantioribus tantum. Atque ita commendantur hæ, primò quoad viſum, tanquam *deſiderabiles aſpectui*, dein quoad guſtum, tanquam *bonæ eſui*. Ubi non eſt magnum in re diſcrimen, an nomina duo נאוה & טוב / volueris exponere ſubjective, de *forma* ſeu εἴδει ſe ingerente externè videntium oculis, *coll. Gen.* XXIX. 17. XXXIX. 6.. *Eſth* II. 7. *Jeſ.* LII. 24. LIII. 2. *&c.* ad quem poſtremum locum vide etiam noſtram *Analyſin Exeg.* §. XXI. & de *cibo* hominum palatum & corpus utiliter afficiente, *coll. Gen.* VI. 21. XL. 17. *Jud.* XIV. 14. 1. *Reg.* X. 5. *&c.* an potius illa interpretari objective, de *aſpectu*, ſeu intuitu humano, ὀφθεῖσα, prout ſubſtituitur dein לעינים *oculis Gen.* III. 6. & *eſu*, ſeu ſumptione ad cibum. Etenim quæ arbor eſt *aſpectui* humano *deſiderabilis*, ſeu *pulchra viſu*, ὡφθεῖα εἰς ὄψιν, נחמד למראה / juxta *Vulgatum*, LXX. & *Onkeloſum*, atque *eſui* hominum *bona*, ſeu *ad veſcendum ſuavis*, καλὴ εἰς βρῶσιν, וטב למיכל / juxta eoſdem; illa ſimul forma & ſapore delectante ac nutriente præſtabit, ut *deſiderabilis quoad aſpectum & bona quoad cibum* dici queat, expoſita præpoſitione ל ſic altero ſenſu. Iſta interim duplex arborum harum laus, ſeu communiter & poſitive ſeu ἐξόχως & ſuperlative intelligenda, quoad partem poſteriorem referri non poteſt ad ipſam arborem, cujus ſubſtantia durior vix apta eſt ad humanum eſum; ſed referri debet, per facilem & obviam metonymiam, ut de corticibus & foliis taceam, præcipue ad fruges in arbore naſcentes, ſicuti eas etiam nominatas deprehendimus *Gen.* I. 11. 12. III. 2. 3. *&c.* dum partem priorem intelligere poſſumus tam de fructu, quam de arboris ipſius trunco fronde & flore potiſſimum. Hoc enim adhuc meritò notetur, quod ita utramque laudem eidem arborum ſpeciei multiplici liceat tribuere, *coll. Gen* III. 6. ut tamen inter alias arborum ſpecies videatur ea ſimul dividenda, & fuerint adeò forte quædam arbores quæ non obſtante minori pulchritudine egregium præberent cibum, ſed certius quædam arbores, quæ oculum fere ſolum paſcerent abſque ventre, quemadmodum id arborum, in paradiſis principum quoque repertarum, præſens diſcrimen non demum à lapſu ſed ab ipſa creatione eſt repetendum, & *Joſephus* meminit heic παντοίᾳ πεφηλότῳ φυτῷ. Quam in rem ſcripſit *Corn. à Lapide*; *Et hic ponitur pro vel, ſignificat enim Moſes in Paradiſo fuiſſe tam arbores pulchras & amœnas, uti*

ſunt

ſunt cedri, cypreſſi, pini, alieque infrugiferæ, quam frugiferas & eſui aptas. Et adduxit etiam *Ben. Pererius*, tum *roſas* quæ *præcipua voluptate tam viſum quam odoratum hominis afficiunt*, tum *perfectam ſcientiam* arborum infrugiferarum in Adamo, *quæ per ſenſus multaque experimenta colligitur*, tum textum *Ezech.* xxxi. ubi *inter arbores Paradiſi numerantur quædam cibo hominis aliene & infructuoſæ velut cedri & abietes.* Videbis illic ſimul duplicem objectionem; primam, quod *infructuoſarum arborum nunc quidem humanæ vitæ fragili caducæ multorumque indigenti multiplex uſus ſit, ad caleſaciendum corpus, coquendos cibos, fabricandum, & ad remedia & medicinas corporum, in ſtatu verò innocentiæ nihil iſtis opus fuiſſet homini*, ſed quæ ſolvitur facile ſi ſpectemus hoc unum modò, oculos & nares tum etiam præter os paſci debuiſſe; alteram, quod *Deus dixerit Adamo, ex omni ligno Paradiſi comedes*, ſed quam ſolvit ipſe, dictum illud intelligendum eſſe, *ex omni ligno ad comedendum idoneo*, quemadmodum fere Paulus loquitur de *omni creatura* 1. *Tim.* iv. 4. nempe *haud dubie quæ ad cibum hominis pertinet.*

III. Hoc autem de Arbore hac omni fert Moſes, quod *Jehovah Deus* eam *fecerit germinare ex terra.* Ubi *terra*, ſeu *humus* juxta *Vulgatum*, neutiquam debet exponi generatim de omni orbis inferioris aridâ, ac ſi Arbor vitæ & ſcientiæ ſola diceretur in Paradiſo conſtituta; cœpta enim eſt *verſ.* 8. Paradiſi deſcriptio ſpecialis, quæ heic *verſ.* 9. continuatur à conſtitutione terræ, ita ut *verſ.* 10. tranſitus fiat ad aquas horti. Eſt ergo *terra* Paradiſi, de qua hæc fertur germinatio; quod clarius expreſſuri *Tremellius & Junius* inter alios verterunt מן האדמה / *è terra illa*, ſeu *illius horti, ut altera verſus parte innuitur.* Nec eſt, quod opponat quiſquam, ſic videri alias orbis partes hoc arborum proventu privari, quem tamen Moſes illis tribuit *Gen.* i. 11. 12. Siquidem quod dè terra Paradiſi narratur juxta ſpecialem Moſis ſcopum, id in rei ſubſtantia non mox aliis terris denegatur; quemadmodum nec fluvii irrigatio Paradiſo tributa omnem terram aliam conſtituit torridam. Et ſufficit cogitare ad hæc Moſis verba; quod arborum proventus in terra Paradiſi fuerit magis copioſus & præſtans ſimul quam alibi; quodque arborum ſpecies, quæ per varias orbis partes alioqui dividuntur, heic magis conjunctæ fuerint inter ſe. Id autem non eſt factum, vel humana induſtria, qua comportatæ & cultæ illic hæ arbores, vel

Quo ſenſu Jehovah Deus arborem talem germinare fecerit ex terra.

ſola fundi benignitate & ſolis influxu naturali, ſed ipſe *Iehovah Deus*, pro ſufficientia & potentia ſua ſupra naturam in omni creatione demonſtrata extra ordinem, & pro ſpeciali ſua in hominem ſibi ſpeciatim fœderatum cui hortum deſtinaverat cura, *fecit germinare* illic arbores omnes, ſeu ἐξανέτειλεν, *produxit*, juxta LXX. & *Vulgatum*; prout illud verbum ortum ſimul & incrementum viride notat, *coll. Pſal.* CIV. 14. CXLVII. 8. *Gen.* II. 5. III. 18. *&c.* Addunt alii, ſeu in verbo צמח ſeu in ejus forma *Hiphil*, majorem quandam ineſſe ſignificandi vim. Ita ſanè *Merſennus* ad hoc verbum ex *Nachmanide* notat, *arbores Paradiſi perpetuos fructus tuliſſe, ut nunquam ſterileſcerent, nec opus haberent hominum cultura.* Atque *Thomas Malvenda*; *Conjugatio Hiphil hic magnam vim & copiam ſuccreſcendi demonſtrat, vel quod in Paradiſo pulchriores & amæniores arbores poſuerit.* Dubitari tamen merito poteſt, an iſta ſatis ſolide ex verbo, quod eſt uſus communioris, aut ex ejus forma concludantur; quamquam quoad rem non magnopere omnia ſint improbanda. Uti omnino improbare debemus illa *Cl. Cocceji*, *ad h. l. In reliqua terra germina tardè proveniebant, ut nunc etiam fit, ideoque non erat locus aptus homini alendo; in Eden fecit Deus provenire arbores cum fructu ad alendum hominem.* Id ſane non poſſum decenter conciliare cum Moſe, qui *arborem ferentem fructum* narrat terram omnem die tertio *protuliſſe* ad Dei imperium, Deo ipſo opus hoc probante *Gen.* I. 11. 12. Quam arborum deſcriptionem non oportet referre ad id quod ſuo tempore futurum demum erat, ſed quod tum jam obtinebat, ut opus Dei ſuam haberet perfectionem, & animantia cum homine non diu in Paradiſo manſuro ſuum uſum, *coll. Gen.* I. 29. 30. Vel ſi iſta deſcriptio ad futurum modò ſpectet tempus, quid eſt, quod jubeat *arborem deſiderabilem aſpectui & bonam eſui* hoc ad præſens creationis momentum referre, & non potius ad futurum ſimiliter? ſiquidem *arbores cum fructu* hoc non magis quam antea occurrunt. Et unde tandem diſcitur, *in reliqua terra germina tarde proveniſſe*? quæ Dei nutu producta narrat Moſes, & ad alimentum animantium cito debuerunt eſſe producta. Quin etiam germina tunc proveniſſe *ut nunc*, non poteſt dici abſque confuſione creationis & providentiæ divinæ, ne dicam Dei & naturæ ab ipſo ordinatæ. Miramur itaque omnino, hæc non tam exciſiſſe Viro Cel. quam iterato & ſtudioſe ab ipſo inculcari, etiam

in

in *Summa Theologiæ Cap.* XV. §. 63. *Tertii diei opus est germinatio. Quæ distincta fuit. Nam Paradisus in Eden formatus fuit integer cum fructibus suis.*

IV. Conveniunt cum hac Mosis narratione, quæ extant apud *Ezechielem Cap.* XXXI. 8. 9. *Cedri non obscuraverunt eam in horto Dei, abietes non fuerunt similes ramis ejus, & castanea non fuerunt sicut rami ejus, omnis arbor in horto Dei non fuit similis ei in pulchritudine sua. Pulchram feci eam in multitudine propaginum ejus, & inviderunt ei omnes arbores Heden, quæ in horto Dei.* Ubi non modo nominantur *omnes arbores Heden, coll. verss.* 16. 18. quæ indubie in Paradiso seu illa Hedenis parte fuerint præcipuè; sed & illæ diserte constituuntur *in* isthoc *Dei Horto*; & nominantur aliquæ ex illis altitudine & fronde præstantiores, *cedri, abietes, castaneæ*; & hæ omnes spectantur ut excellentissimæ, quo per eas Assurus excellentia tanto magis commendaretur. Conveniunt & ratio, petita non modò ex nominibus *Horti & Paradisi*, quæ arborum copiam ponunt: sed & ex amœnitate voluptate atque usu multiplici, quem hominibus & animantibus arborum copia præstat; quin etiam ex *amœnissimorum lucorum* antiquissimo & latissimo abusu ad idololatriam, quam inter alia etiam fluxisse ex Dei cum Adamo conversatione in Paradisi nemore dudum est observatum. Convenit denique tam communis fides Christianorum, quam traditio Gentilium. Ex illis audias canentes *Cl. Marium Victorem, & Alcimum Avitum.*

Conferuntur cum illa Mosis narratione. quæ sunt. apud Ezechielem, quæque tum Christianitum Gentiles variè habent.

Eoos aperit felix quà terra recessus
Editiore globo, nemoris Paradisus amœni
Panditur, & teretis distinguitur ordine sylva &c.
Illic quaque suis dives stat fructibus arbor,
Pomaque succiduis pellunter mitia pomis,
Quæ jucunda epulis & miri plena vigoris
Membra animosque fovent pascunique sapore & odore &c.
Omnia certatim hunc congesta putabis in hortum,
Namque hic cuncta Deus pariter, quæ singula certis
Accepit natura locis, confertaque egessit.
Motaque dum leni vibrat nemus aura meatu,
Unum ex diverso nectar permiscet odore,
Fitque novum munus sibi nulla quod asserat arbor.
Quaque tremens blando sensim jactata fragore

Com-

Commotis trepidat foliis, ſonat arbore cuncta
Hymnum ſilva Deo, modulataque ſibilat aura
Carmine, nec vacuus vanum quatit aëre motus &c.
Ad gremium ſacri nemoris, quod ſylva coronat,
Fons ſcatet &c.
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permaneat, aterno concluſus limite &c.
Stant ſemper collibus herbæ,
Arboribuſque comæ, quæ cum ſe flore frequenti
Diffundunt, celeri ſolidant ſua germina ſucco &c.
Dives ſylva tremit foliis, & flore ſalubri
Qui ſparſus latè ſuaves diſpenſat odores &c.

Audias ſimiliter peroranten *Baſilium Homil.* xxx. Πρόπροι ἔν αὐτὸν ἐδημιούργησε τὸν τόπον ἄξιον τῆς ὑποδοχῆς τῶν ἐξ αὐτῆς φυτευμάτων, ἔπειτα ἐνεφύτευσεν ἐν αὐτῷ παντοδαπὰ κάλλη τῶν δένδρων, ὕψει τε καὶ εὐπαίτῳ καὶ ἀπόλαυσιν ἡδίστην δι' αὐτῶν χορηγούμενα. Πῶς σοι δοκεῖ θεωρεῖσθαι ὑπ' ὄψιν ἐναργῶς ἀγαγεῖν τὴν παρεῖδα, ἵνα σαφεστέραν ἐκ τῆς ἐξοχῆς ἀναπλάσῃ; &c. Τὰ δὲ τῶν φυτῶν κάλλη ἄξια καὶ αὐτὰ τῆς δημιουργίας καὶ τῆς φυτείας ἐξ ἀρχῆς θεοῦ, ὅσα φρυγανικὰ, καὶ ὅσα ἔνθαμνα, τὰ μονοστέλεχα, τὰ πολύκλαδα, τὰ ὑψίκομα, τὰ ἀμφιθαλῆ, τὰ φυλλοβόλα, τὰ ἀειφυλλα, τὰ γυμνόκλαδα, τὰ ἀειθαλῆ, τὰ καρπίμα, τὰ ἄκαρπα, τὰ μὲν τῆς χρείας ἐρώμενα, τὰ δὲ πρὸς ἀπόλαυσιν συμβαλλόμενα, πάντα μεγέθει καὶ κάλλει διαφέροντα, κατάσκια τοῖς κλάδοις, ἀμφιθαλῆ ταῖς κόμαις, βρύοντα τοῖς καρποῖς, ἄλλων ὁμοῦ καὶ ἄλλων χρείαν καὶ τέρψιν παρέχοντα· ἑκάστου γὰρ τῶν καρπῶν πολὺ μὲν τὸ χάρμα, πλέον δὲ πάλιν ἐκ πρώτης τὸ χαρτόν. Et ex Gentilibus conferre licet inter alia illa *Senecæ* de felici ætate, *Hippol. Act.* II.

Sylva nativas opes
Et opaca dederant antra nativas domos.

Atque *Homeri* de horto Alcinoi, *Odyſſ.* VII.

Ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκει τηλεθόωντα,
Ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ, καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι,
Συκαὶ τε γλυκερηὶ, καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι.
Τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται, οὐδ' ἀπολείπει
Χείματος οὐδὲ θέρεος ἐπετήσιος, ἀλλὰ μάλ' αἰεὶ

Σε-

Σαφυρὴ πνέουσα τὰ μὲν φύει ἄλλα ἢ πέσσει.
Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηθήσει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
Αὐταὶ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ &c.

Ista tamen & similia quando cum Mose conferimus humana dicta, nolimus omnia accipere quæ extra Mosen de Arboribus Paradisi homines vel ferunt vel fabulantur. Utique de perpetuis arborum omnium fructibus & floribus quæ feruntur, ea non possunt quidem falsitatis convinci, in illa integræ adhuc naturæ rerum præstantia, dum etiamnum in quibusdam arboribus post lapsum illa fertilitas deprehenditur; attamen, cum non omne tempestatum anni discrimen à Paradiso excludatur tanquam terræ parte, *coll. Gen.* 1. 14. & fructus singuli arborum suas ortus & consumptionis habuerint vices, & cibi sufficiens varietas semper queat tribui homini, aliis licet fructuum speciebus post alias sequentibus quodammodo, non scio unde tacente Mose illa perpetua fertilitas certo queat astrui. Perinde præstantiam arborum & fructuum Paradisi nonnunquam prolixè commendant. Quemadmodum *Basilius* dixit; πῶς οὐ θαυμάζω τὴν ἡδονὴν ἐκείνης τὸ ὑπερβάλλον; ἐὰν συγκρίνω τοῖς ὧδε, πολυθρύλλω μᾶλλον τῇ παραδείσῳ. Postquam antea inculcasset; εἰ ἐκ τῶν κοινῶν ξύλων ἦν ὁ παράδεισος, ἐμαρτυρεῖτο δηλονότι τῇ πεύκῃ ἢ τῇ φηγῷ τὰ φυτῶν, καὶ οὐδὲν ἐδεῖτο ἐξαιρέτου φυτείας ὁ Θεὸς τὰ νῦν ἐν τῷ παραδείσῳ ὑπ' αὐτοῦ ὁ Θεὸς φυτευθέντα δένδρα. Et latius *Bar Cepha Part.* I. *Cap.* 17. *Illud porro affirmamus quoque, neque arbores neque fructus Paradisi, etsi arbores fructusque appellentur, tales omnino fuisse, quales hic apud nos progignuntur, sed longe his præcellentiores, elegantiores, majores. Nam ut ita statuamus, hisce inducimur rationibus. Primum illi fructus non fuere execrationi divinæ obnoxii neque damnati, ut hi nostri; deinde si in hac nostra detestabili terra atque infelice alia loca aliis præstantiores arbores & fructus meliores ferunt, quanto magis existimandum fuerit, arbores fructusque Paradisi his nostris multò præcellentiores melioresque fuisse? Et vero hanc nostram sententiam approbat etiam Philoxenus ea Oratione quam de Arbore Vitæ scriptam reliquit &c.* Quæ hujus minimè προπαίσχα *Mosis* verba posteriora & geminam assertionis rationem complexa omnino probamus, tanquam Mosi προπαίσχῳ conformia; dum priora aut sunt rejicienda, aut culpanda tanquam nimis hyperbolica, quod *arbores* istæ & *fructus* nostris *omnino* fuerint dissimiles, & vix *arborum* & *fructuum* nomine ri-

te exprimantur, dum fuerunt omninò trunci ferentes fruges hominum usui, nec specie frugum nostris dissimiles usquam dicuntur, imò contrarium constat tam ex Mose agnoscente illic *ficum* Gen. III. 7. & Ezechiele jungente cedris & abietibus *castaneas* Cap. XXXI. 8. quam ex ratione, vix permittente ut dicamus vel novas arborum species à Deo post lapsum hominis esse productas, vel eas quæ creatæ à Deo fuerant per lapsum omnes esse sublatas. Agnoscimus ergo & nos in Paradiso Arbores & fructus præstantiores, quam in reliqua terra omni ante & in primis post lapsum, quas majori copia & simul illic plantavit Deus; sed gradu potius perfectionis multiplicis, quam specie integra. Quin etiam sic à prima arborum harum & fructuum productione oportet excludere omnem hominum industriam, ut tamen ab iis in temporis progressu non debeat arceri omnis ἀνθρωπίνη ἐπιτέχνησις, dum *cultus horti*, facilis tamen & gratus, homini mandatus Gen. II. 15. potius includit arborum curam aliquam, sicut & *Iosephus* exposuit ista Mosis, ἐκέλευσεν τ φυτῶν ἐπιμελεῖσθαι.

Arbores Paradisi apud Mosen non sunt ad sensum mere Allegoricum trahendæ.

V. Ista adeò quæ de Arboribus Paradisi habet Moses non oportet litera relicta ad sensus allegoricos trahere magis, quam reliqua quæ de Paradiso ipso & Fluvio quadripartito narrat ipse. Id tamen egit *Philo de Mundi Opificio*, obtrudens nobis ἔμψυχα καὶ λογικὰ φυτὰ, καρπὸν φέροντα τὰς ἀρετὰς &c. Et latius idem *Lib.* I. *Leg. Alleg.* textui Mosis hæc subjecit; ἃ φύει ἐν ψυχῇ δένδρα ἀρετῆς νοῦν ὑπογράφει. ἔστι δὲ ταῦτα αὖ τε κῆ μέρος ἀρετὴ, καὶ αἱ κῆ ταύτας ἐνέργειαι, καὶ τὰ κατορθώματα, καὶ τὰ λεγόμενα καθήκοντα τοῖς φιλοσόφοις καθήκοντα, ταῦτα ἐστι δ ἐπαδεί ε τὰ φυτά. Χαρακτηρίζει μήπιγε αὐτὰ ταῦτα, δηλῶν ὅτι τὸ ἀγαθὸν κῆ ὀφθῆναι κάλλιστόν ἐστι καὶ ἐπολαυσθῆναι· ἔνιαι γὰρ τῶν τεχνῶν θεωρητικαί μόνον εἰσιν, ἃ πρακτικαὶ δ', γεωμετρία, ἀστρονομία, ἔνιαι δὲ πρακτικαί μὲν, ἃ θεωρηματικαὶ δὲ, τεκτονικὴ, χαλκευτικὴ, καὶ ὅσαι βάναυσοι λέγονται· ἡ δὲ ἀρετὴ καὶ θεωρηματική ἐστιν κῆ πρακτική &c. Et paulo aliter *Origenes*, in arboribus *angelicas fortitudines* reperiens; quibus conveniunt allegoriæ *Basilii* istæ, ἐκεῖ ἐν ἐρίζωμίαις πνὲς καὶ παγίως ἐρηρεισμέναι αἱ ἀγαθαὶ δυνάμεις, λειτουργοὶ τ ἁγίων, οἷς ὁ ἄνθρωπος παρεδόθη ἀρχηγὸς ὢν καὶ πάλης δεύμου συγγυμνασίαις σοφὸς ἢ τελείωσιν. Cum *Philone* autem similia passim locutus *Ambrosius* de *opinionibus* & *virtutibus*, ad homines sanctos videtur tamen in his arboribus spectare Cap. I. *Ergo Paradisus est plurima ligna habens*,

Digitized by Google

bens, ſed ligna fructifera, ligna pleni ſucci, atque virtutis, de quibus dictum eſt, exultabunt omnia ligna ſylvarum, ligna ſemper florentia viriditate meritorum &c. Quin etiam apud *Ioh. Damaſcenum Lib. II. Cap. 12. omne lignum* Paradiſi video trahi ad Deum ipſum; αὐτὸς γὰρ ἐστὶ τὸ πᾶν, ἐν ᾧ καὶ δι' ὃν τὸ πᾶν συνέστηκεν. Utique ſi in Arboribus Paradiſi tantum quæreretur humana & allegorica quædam accommodatio ad virtutes, angelos, ſanctos, vel Deum ipſum, uti apud quoſdam forte fit Patres, id ferri poſſet ſatis: ſed ut loco literalis ſenſus iſte myſticus obtrudatur ut divinus, imo exſibiletur expoſitio literalis de *vitibus*, *& olearum*, *malorum punicarum*, *ſimiliumque arboribus*, tanquam πολλὴ καὶ ἀνυπερβλήτῳ εὐηθείᾳ, præeunte ſic *Philone de Plant. Noe*, id ipſum ineptiſſimæ allegoromaniæ certum eſt argumentum. Nec hujus refutatione nova opus eſt, poſtquam de Paradiſi Terreſtris veritate diſputavimus dudum κατασκευαστικῶς & ἀναστατικῶς ante omnem aliam tractationem, quæ alias foret fruſtranea & ridicula prorſus. *Arbor* autem *Vitæ* atque *Arbor Scientiæ boni & mali*, nominibus his ſuis à Moſe expreſſæ, diſtinctam merentur tractationem, & dabunt Caput peculiare mox hæ ſingulæ.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Quo de Arboris Vitæ Nomine, Specie, Situ Speciali, Uſuque, & Celebritate, latius diſputatur.

Specialis fit apud Moſen mentio Arboris Vitæ in medio horti.

Non acquieſcit Moſes in generali mentione & commendatione Arborum Paradiſi, ſed duas amplius nominibus ſuis expreſſit, iiſque locum tribuit in medio horti; quæ erant ſcilicet præ aliis notabiles, & in hiſtoria humani Lapſus iterum memorandæ. Sive placeat, hanc narrationis partem in nominativo per ſubintellectum verbum ſubſtantivum eſſe poſitam, *& Arbor Vitæ in medio horti* erat *&c.* ſive potius in accuſativo eandem eſſe referendam ad priora, *& Arborem Vitæ in medio horti* germinare fecit Jehovah Deus; quod ego puto præſtare, cum Ellipſis alterius verbi præter neceſſitatem non ſit ponenda, & clarius ſic exponatur harum etiam Arborum ortus à divina cura. Non licet itaque nobis tractationem Arborum Paradiſi finire, priuſquam de his ſingulis etiam dixerimus,

Digitized by Google

mus, pro earum præaliis celebritate & præſtantia, ac diſſenſu multiplici de iis. Et quia præcedit mentio *Arboris Vitæ*, hujus etiam præcedet tractatio, tam quoad nomen hoc. ex quo ejus qualitatem & uſum diſcere oportebit, quam quoad locum ei aſſignatum *in medio horti.*

Arboris nomen ſingulare an de una individua arbore, an de una ſpecie collective, ſit intelligendum, rationibus hinc inde collatis, inquiritur.

II. Nomen ex vocibus duabus compoſitum eſt, una generaſi *Arboris*, altera ſpeciali *Vitæ*, à qua hæc diſtinctive denominatur. Prior dicit truncum ligneum, uti antea; quemadmodum & heic ξύλον *lignum* ſubſtituerunt LXX & *Vulgatus*. An vero illa, ſingulari numero adhibita, ſingulari vel collectivo ſenſu debeat capi, non immerito inquiritur. Fatendum ſane, quod nomen hoc ſingularem ſenſum facile admittat, hinc alias plurali terminatione quoque lectum; quodque nullum ſyncategorema aut aliud expreſſum indicium univerſalitatis heic accedat. Præterea nec legimus de pluribus locis diſſitis per hortum ſparſis, ubi arbor hæc creverit, ſed eadem occurrit *in medio horti*; qua phraſi unus certus locus deſignari poteſt. Dubitari tandem minimè poteſt, quin & Deus unus ſit, & Mediator unus Dei & hominum, quem repræſentaſſe ſerius vel ocyus hæc Arbor vulgo creditur. Ne jam addam, uti ex *Pererio* aliiſque, ita ex *Ioh. Adamo Oſiandro*, quod pluribus non fuerit opus, cum duo tantum individua hominum fuerint condita, & Arbor hæc ad quotidianum uſum non ſpectaret; qui etiam illuc propendere videtur, hanc Arborem ſucceſſu temporis ne quidem fuiſſe multiplicandam, aliis hac in parte obloquentibus tamen cum *Pererio*. Cæterum iſta non obſtant argumenta, quo minus ſenſus collectivus placuerit ipſi nonnunquam *Luthero*, qui tamen ſibi forte hac in re non ſemper conſtat, & ex noſtris Viri Eruditiſſimi priorem ſenſum Chriſtianis & Judæis familiarem appellent *commune præjudicium*. Juvat hos, quod *Arboris* nomen collective paſſim ſumatur, atque etiam hoc ipſo verſu, imo & abſque ſyncategoremate univerſalitatis ullo, *Gen.* I. II. 12. III. 2. §. *&c.* nec epitheton *unius* aut ſimile aliud heic accedat. Præterea quod ita arboribus tribuatur multiplicativa virtus *Geneſ* I. II. 12. ut *Arbor Vitæ* myſtica fuerit repræſentata *in medio platea & fluvii hinc & inde Apocal.* XXII. 2. atque *arbor multa valde ad labium torrentis hinc & inde*, imo *ſuper torrentem ſuper labium ejus hinc & inde omnis arbor ejus Ezech.* XLVII. 7. 12. cum manifeſto quodam reſpectu ad veterem Paradiſum, cujus ex numero Arborum Vitæ augetur

Digitized by Google

etiam ornatus. Tandem non immeritò observatur, majorem fuisse Adamo ab hac Arbore usum, si eam juxta alias haberet multiplicatam pluribus horti locis, quos æque aptè quam unum notat *horti medium*. Qui porro essentialiter unus est Deus, & personaliter unus Mediator, idem per plures æque arbores, quam per alias creaturas innumeras, repræsentari potest, ob gratiæ suæ diffusionem? dum typi & antitypi convenientia omnem dissimilitudinem minimè excludit. Duobus ad hæc individuis hominibus cur unicam Arborem vitæ magis quam aliam quamcunque putas sufficere? dum supra necessitatem illi liberaliter prospexit Deus, dumque Arborem Vitæ à quotidiano usu temere forte excludis. Meam si post hæc omnia exigis epicrisin, puto nihil heic posse dici quod planè certum sit; uti cum aliis dixit *Calvinus*, esse hoc *incertum, utramque opinionem probabilem, rem vero minimè dignam pro qua contentio sumatur, quandoquidem vel parum vel nihil nostra interest, utrumvis asseratur.* Attamen in posteriorem sententiam magis propendeo, uti in *Commentario Apocalyptico* dudum ostendi, quem vide amplius si lubet. Si porrò rogas à me, an nomen hoc *Arboris* collective acceptum ad plura tantum individua, an vero & ad plures species pertineat, heic posterius negandum & prius affirmandum judico; cum nomen *Vitæ* videatur esse designativum speciei, nec *omnis* aut *multiplicis* epitheton aliquod jam accedat. Nisi volueris forte *Arborem Vitæ* dici omnem, quæ in Paradiso fuerit præter *Arborem Scientiæ*, & ex qua vivere homini datum tum est, adeò ut in hanc duplicem speciem divisérit jam Moses *omnem arborem desiderabilem aspectui & bonam esui*: sed adversus istam exegesin, quæ cæteroquin posset non prorsus displicere, obstat potissimum conjunctio copulativa, *Et*, apud *Vulgatum etiam*, qua *Arbor Vitæ* per modum sensus progredientis cum *omni arbore* nectitur.

III. Magis hærendum est in denominatione speciali hujus Arboris à *Vitæ*, pro qua Hebraice legitur חיים / terminatione plurali, sed quam uti alias solent adhibere Hebræi singulari sensu in aliis vocibus juxta hanc, ita & heic singulariter capiunt vulgò, cum LXX. & *Vulgato*, habentibus, τ ζωῆς, *vitæ*. Observavit tamen cum aliis *Bened. Pererius*, in hujus vocis *vitarum* numero plurali plura à curiosis quæri mysteria; nimirum vitam protractam longissime ad aliquot annorum millia, quæ esset instar multarum vitarum quas nunc

Nominis Vitæ numerus in Hebræo textu pluralis.

nunc homines agunt; vitam unius hominis triplicem, vegetativam ſenſitivam & intellectivam; vitam non unius Adami & Evæ, ſed ſimul poſterorum ex iis naſciturorum; vitæ humanæ conſervandæ geminum principium, humidum radicale & calidum innatum; vitæ denique appellationem nos ducentem, & ad τὸ eſſe vivum ſimpliciter, & ad τὸ valere ſeu eſſe bene & feliciter. *Hæc*, inquit ille, *ſi tam placuerint lectoribus quam auctoribus eorum placuerunt, non fuit fortaſſe nullum opere pretium ea prodidiſſe.* Utique rationes iſtæ omnes vix videntur pariter poſſe probari, in primis quod in nonnullis ſupponatur ad innatam arboris vim in hoc nomine potiſſimum reſpici; & cum alias paſſim in hac terminatione uſurpetur vox cum reſpectu ad ſolam vitæ durationem per ſucceſſiva tempora uti volunt, non erit fortè heic alia quædam emphaſis quam ut vita longiſſima h. e. æterna abſque morte ulla exprimatur. Quandò tamen ex ſequentibus conſtiterit, à quâ vitâ arbor hæc denominata ſit, ex natura rei ſubſtratæ cogitare in hac voce dabitur de vitæ hujus præſtantia & voluptate æque quam de ejus perpetuitate. Scilicet vel *Vita* heic conſideratur *arboris* ipſius, vel *Vita hominis* tanquam per arborem ejuſve fructum promovenda, ſeu jam naturalis ſeu ſpiritualis & æterna, ſeu per operationem phyſicam quandam ſeu per actionem tantum moralem; ex quibus ſententiis quænam ſit præferenda, eſt nunc inquirendum à nobis paulo diſtinctius.

An Arbor Vitæ dicat Vivam aut Vivificam Arborem, diiputatur.

IV. Ex opinionibus variis igitur præcedat illa, quæ ab inſita ipſius *Arboris Vitâ* nomen hoc repetit, ut *Arbor Vitæ* ſit *Viva*; quemadmodum ſolent Hebræi paſſim ſubſtantiva conſtruere cum ſubſtantivis loco adjectivorum paronymorum. Cum autem vita iſthæc vegetativa competat omnibus plantis & arboribus incorruptis, neceſſum fuerit ex iſta hypotheſi vivam conſiderare hanc arborem præ aliis, vel virore flore & fructu magis copioſo, vel vitæ duratione longa, vel ejus perpetuitate æquabili; ad quem gradum vitæ majorem reſpiciat hæc appellatio. Quod equidem eſt minus probabile; ubi comparationis apud hoc nomen abſolute uſurpatum nullum eſt indicium, adeoque ad aliquid arbori huic plane proprium in nomine potius reſpicitur, & nomen חיים ſubſtantivum non legitur alias ſenſu adjectivo *viventis* ſic cum nomine conſtructum, & altera *Arbor Scientiæ* nequaquam intelligitur ipſa *ſciens*, quod ob ſimilem nominis conſtructionem tum fere eſſet neceſſarium.

um. Ergo de *Vita hominis* cogitare decet potius, quam secundo loco volunt longe plures ab hac Arbore ejusve fructu fluxisse, ut *Arbor Vitæ* sit *Vivifica*; quemadmodum sic legimus de *spiritu vitæ*, Hebraicè non modo נשמת חיים *Gen.* II. 7. sed & רוח חיים *Gen.* VI. 17. VII. 15. de *Deo vitæ Psal* XLII. 9. de *fonte vitæ Psal* XXXVI. 10. de *via vitæ Prov.* VI. 23. XV. 24. *&c* de *pane vitæ Joh.* VI. 35. 48. *&c.* quin & de *Arbore vitæ Prov.* III. 18. XI. 30. XIII. 12. XV. 4. quibus locis dubitari nequit quin ad vivificam virtutem respiciatur. Cui thesi generali lubens ego subscribo, tanquem tot aliis locutionibus similibus & locis firmatæ; dum *Arborem Vitæ* appellari à mera vitæ præsentis aut futuræ repræsentatione aut significatione, videtur paribus exemplis haud adeò posse firmari, etiamsi in re ipsa ab iis qui ita loquuntur neutiquam nos dissideamus, sicut deinde apparebit.

V. Sed quænam est illa *Vita* hominis, quam promovebat hæc Arbor? & quomodo id præstitit hæc? Heic utique plurimi *naturalem* cogitant, quam *indita* naturaliter vel supernaturaliter *virtute* arboris hujus fructus ab homine usurpatus, semel vel sæpius, potuerit conservare, per modum seu cibi seu medicinæ, vel per longissimum spatium multorum millium annorum vel etiam absolutè in æternum, etiamsi forte homo per transgressionem fieret mortis reus; de quibus omnibus disjunctive propositis videas dissentientes & disputantes passim *Papistas*, & legas simul quæ ex iis atque ex aliis Scriptoribus in utramque partem collegit *Christ. Chemnitius* Jenensis Theologus *in Dispp. de Arbore Vitæ* insertis *Fasci* II. *Exerc. Phil. Hist. Th. Crenii.* In ista sententia videtur quodammodo præiisse, maxime si conferas quæ de Arbore Scientiæ dixit, *Flav. Josephus*; Arboris quidem Vitæ in hoc argumento specialem mentionem non faciens, sed Deum sic introducens ad Adamum loquentem, ὧν παρόντων γῆρας τε ἄπονον ἂν ἐπέλθοι, καὶ τὸ ζῆν εἰς μακρὸν ἂν ὑμῖν γένοιτο: sicuti ad longævitatem ab hac arbore datam respiciunt etiam Judæi recentiores. Utique sic cum aliis Patribus sæpissime differit *Augustinus*, ut *de Ligno Vitæ propterea gustatum* dicat, *ne mors eis undecunque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent, de Civ. D. Lib.* XIII. *Cap.* 20. utque asserat, *corpus ligno vitæ à mortis necessitate prohibitum, atque in juventutis flore retentum Cap.* 23. *adfuisse lignum vitæ ne illum senecta dissolveret Lib.* XIV. *Cap.* 26. hoc quod Adam potue-

Ad Vitam Naturalem, esu fructuum hujus Arboris seu continuandam in perpetuum seu admodum prolongandam, volunt multi nomen hoc Arboris spectare.

Digitized by Google

tuerit non mori *ei præſtitum eſſe de ligno vitæ Lib.* VI. *de Gen. ad Lit. Cap.* 25. *quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præſtitiſſe, quo corpus hominis ſanitate ſtabili firmaretur, non ſicut ex alio cibo, ſed nonnulla inſpiratione ſalubritatis occulta Lib.* VIII. *Cap.* 5. quibus ſimilia alibi paſſim apud eundem legas. Et notatur paſſim ex ejus Operibus locus alterius uti judicant Autoris *Quæſt.* V. *&* *N. T.* XIX. *Quamdiu in Creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitæ ut mori non poſſet. Nec enim corpus tale erat, quod diſſolvi impoſſibile videretur, ſed guſtus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat. Denique etiam poſt peccatum potuit indiſſolubilis manere, ſi modò permiſſum eſſet illi edere de arbore vitæ &c. Cibus enim vires præſtabat, vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem omnem prohibebat, ſic enim homini erat quaſi inexpugnabilis murus.* Qui autem iſtam ſequuntur *Auguſtini* ſententiam de prorſus immortali vita quam Arbor hæc edentibus eſſet datura, in eo iterum diſſident, quod vel ab unico fructus ejus eſu eam repetant, qui tum finito tantum obedientiæ curriculo ſimul cum immutabili & abſoluta immortalitate fuiſſet concedendus, uti poſtea videbimus latius; vel eſum hunc velint debuiſſe ſæpius in Paradiſo repeti æque quam aliorum ciborum uſum ad immortalitatem obtinendam. Horum ſententiam non melius expoſuero quam verbis *Jac. Tirini* Jeſuitæ Cel. Antverpiani; *Lignum vitæ, i. e. arborem excellenter viviſicam, cujus fructus vel ſemel deguſtatus vitam hominis ad plures centenos annos prorogaſſet, idque vi naturali ſibi à Deo inſita, & ſubinde repetitus prorogaſſet etiam in æternum, quoad nempe Deo placuiſſet hominem ſine morte in cœlum transferre. Neque ſolum reddidiſſet hominem longævum, ſed ſanum inſuper, valentem ac robuſtum, à morbis, à languore, à triſtitia & melancholia immunem. Habebat enim vim non modo nutritivam, ſed & medicam præ omnibus pharmacis, qua & ſubſtantia corporis, & vires nutritivæ, & calor naturalis integre reſtauratus fuiſſet.* Sciendum vero eſt, quod adverſus iſtam vim vitæ ſic in infinitum protrahendæ iterum diſputent Viri Doctiſſimi, credantque cum *Joſepho* potius, longiſſimam ſed finitam tamen vitam ab arboris hujus etiam repetito eſu eſſe repetendam; ſive quod iterum iterumque reſtitutæ corporis humani vires tandem frequenti mutatione fuerint debilitandæ, ſive quod ipſa arbor temporis tractu ſuam quoque virtutem amitteret. Atque huc redit tandem

etiam

Digitized by Google

etiam *Corn. à Lapide*, poſt quam prius diſputaverat, *ſi ſtatis temporibus licet raris ex hac arbore comediſſet homo, nec mortem nec ſenium fuiſſe incurſurum &c.* docens, *æternitatem quam attuliſſet eſus ligni vitæ* eſſe *reſtrictam, non abſolutam, quia vid. hoc liguum prorogaſſet homini vitam & vigorem ad aliquot annorum millia donec Deus eum tranſtuliſſet in cœlum, quæ æternitas quædam eſt &c.* Nec debet heic prætermitti curioſitas *Pererii*, qui poſt aſſertam hanc *Scoti* ſententiam inquirit, *quantum eſſet futurum illud tempus*, ad quod arbor hæc hominis vitam ſervaſſet? creditque, *futurum fuiſſe minimum ad octo vel decem millia annorum*, ex comparatione durationis vitæ noſtræ & patrum ante diluvium, qui ſcil. cum decuplo longius vixerint quam nos, debuit vita ante peccatum adhuc decuplo longior fuiſſe; quod *intelligi vult quantum pertinet ad vim & efficaciam arboris vitæ & vigorem naturæ humanæ in eo ſtatu, nam quamdiu Deus hominem vitam in terris agere vellet ne divinari quidem poteſt.* In iſtum vitæ naturalis per fructum arboris hujus conſervandæ ſenſum ſcripſit nuperrimè etiam *Joh. Clericus*; *Igitur* עץ חיים *arbor vitæ aut valetudinis verti poterit, eritque arbor qua vita ac valetudo conſervari poſſunt, & forte etiam cujus fructus ad tentatam alicujus noxii alimenti eſu valetudinem recuperandam conducunt &c. Hinc conjicere licet, in Paradiſo fuiſſe arbores, quibus erant fructus ἀλεξιτήριοι, ſi fortaſſe iis indigerent &c,*

VI. Ad iſta jam omnia hoc habe noſtrum judicium; minime quidem debere dubitari, quin Arbor Vitæ, uti viva fuit ipſa & forte ſupra alias arbores, ita etiam homini fuerit ad vitam naturalem fovendam proficua, & forte præ aliis arboribus omnibus; attamen hanc non videri peculiaris hujus appellationis rationem unicam vel præcipuam. Prius aſſertionis hujus membrum habet cum aliis Theologis noſtris *David Pareus*; *Sine dubio habitura erat hæc arbor, ſeu ut cibus, ſeu ut medicina, vim conſervandi hominis ſanitatem & vitam, ne corpora vergerent in ſenium, aut ſentirent defectum, do nec in cæleſtem immortalitatem tranſirent.* Sed quam adjicit ille probationem cum aliis, hanc meam neutiquam facio; *Hic effectus indicari videtur ab ipſo Deo ejiciente hominem ex Paradiſo, his verbis, nunc ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in æternum &c. Unde duo colliguntur, 1. hominem de Arbore Vitæ in Paradiſo numquam comediſſe. 2.*

Non videtur vis inſignis in uſum Vitæ Naturalis huic Arbori etiam præ aliis arboribus deneganda eſſe.

Digitized by Google

cibum eum homini, ſi non peccaſſet, ad perpetuam ſanitatem profuturum fuiſſe, licet modus ejus rei nunc ſit nobis incognitus. Ut enim nihil heic præoccupem de eſu hominis integri ex Arbore Vitæ, quem per iſta Moſis verba non everti ipſe dein agnoſcit ad *Gen.* III. 22. nequaquam admitti illud poteſt, quod arbor vitæ poſt lapſum & ſententiam mortis à Deo latam guſtata potuerit vitam hominis facere perpetuam, uti multi voluere, & in primis verbis adductis id videtur ſubinnui, licet in poſtremis id non compareat. Etenim Dei voluntatem juſtiſſimam nulla eludet arbor, cujus vires omnes per Dei ſolius concurſum id operantur quod operantur; nec eſt iſte Dei ſermo ad hominem lapſum in fine minus ironicus & illudens quam in ejus initio, *ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis &c.* ſignificans adeo, uti ſuo loco latius monſtrabitur, vaniſſimam hominis perſuaſionem, ex quâ ſi deduxeris uſum & effectum priorem arboris ante lapſum, exceptioni alicui eſſet forte obnoxium adhuc illud argumentum, præterquam quod de ſpecie *vitæ* heic intellectæ ſuperſit tum diſquiſitio juſta. Potius ego obſervabo naturam *arborum* communiter quæ ſunt *bonæ eſui*, & quidem tum in prima rerum omnium integritate, tum in Paradiſo præſtantiſſima terræ plaga; ex qua de hac arbore ſingulariter nominata fieri poteſt judicium, quo magis nec vis nutriens videtur Arbori Scientiæ defuiſſe, ex *Gen.* III. 6. Cogita deinde nomen *Vitæ*, unde hæc arbor præ aliis omnibus denominata fuit; quod cum ſit generale adeò ut vitam naturalem quoque complectatur, ſicuti mors tranſgreſſori denunciata non ſolum ſpiritualis & æterna ſed & temporalis eſt *Gen.* II. 17. videtur hinc conſequi vis arboris ad vitæ naturalis commoda ſe extendens. Adde adhuc quod ſpiritualis & æternæ vitæ vis nequeat commodè arbori huic tribui, niſi virtus illa corporalis ſupponatur; quandoquidem in rerum ſpiritualium emblematibus corporalibus requiritur aliqua cum iis externa ſimilitudo, per quam iſthæc animam afficiant ad ejus corrobationem ſalutarem. *Non fuit ergo* Arbor vitæ *nuda vita æterna figura, omni virtute deſtituta, ut quidam exiſtimant*, dixit non male prorſus *Steph. Curcellæus Inſtit. Lib.* III. *Cap.* 13. Cavendum verò, ne corporalis vitæ uſum ex hac arbore nimium aut elevemus aut commendemus. Elevari puto ſanè ab iis, qui cum *Calvino* differunt de ſola fere vi ſignificativa arboris hujus; *Arbori autem vita nomen indidit, non quod vitam homini conferret, qua jam ante præditus erat,*

erat, ſed & ſymbolum ac memoriale eſſet vitæ divinitus acceptæ. Scimus, minimè eſſe inſolens, ut virtutem ſuam Deus externis ſymbolis teſtatam nobis reddat. Non transfert quidem in ſigna externa ſuam virtutem, ſed nobis per ea manum porrigit, quia niſi adjuti conſcendere ad eum non poſſumus. Voluit igitur hominem, quoties fructum arboris illius guſtaret, in memoriam revocare unde vitam haberet, ut ſe agnoſceret non propria virtute, ſed Dei unius beneficio vivere, neque eſſe intrinſecum bonum, ut vulgo loquuntur, ſed à Deo provenire. Denique in arbore illa extabat viſibile hujus ſententiæ teſtimonium, quod in Deo ſumus & vivimus & movemur &c. Extolli ex adverſo vim eam crediderim ab aliis, qui loquuntur vel de vi medica adverſus morbos aliave corpori ſupervenientia incommoda, vel de eadem in hominem lapſum ac integrum virtute. Hanc ſane malè deduci ex ironicis Dei verbis, modò diximus; & concedet facile idem, qui conſideraverit ad vitæ felicem continuationem non ſufficere victus præſtantiam, ſed & corporis intrinſecam diſpoſitionem requiri aptam, abſque qua præſtantior victus præ viliori nocere poteſt, & quæ poſt peccatum non fuit eadem ac ante illud; ne jam addam, quod virtutem arboris fuiſſe *ſupernaturalem* credant multi cum *Auguſtino*, conferente *uſitatum panem cujus una collyride hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta ſpatio vendicavit*, item *farinam & oleum in fictilibus vaſculis*, quæ *deficientes reficerent nec deficerent*, & inculcante amplius *miracula in Paradiſo* æque quam *in terris noſtris* obtinuiſſe *Lib.* VIII. *de Gen. ad Lit. Cap.* 5. quando poſt peccatum maledictamque terram meritò credetur ea ſublata vel ſaltem imminuta. Quod autem ad morbos aut mala ulla corporis attinet, illa ante peccatum neutiquam obtinuerunt, uti contra *Pelagianas* hypotheſes tenendum eſt, adeoque nec per remedium ullum fuerunt ab homine tollenda poſt immiſſionem; attamen licet non poſſent obtinere abſque peccato, credimus Deum ea arcuiſſe per media ſalutaria, ſicut mortem per horum mandatum uſum, atque ſic nihil obſtare, quo minus fructum arboris hujus agnoſcamus ita fuiſſe cibum aptum, ut ſimul etiam qua talis fuerit inſtar prophylactici & ἀλεξιτηρίου cujuſdam. Nec difficulter probamus illa *Cel. Riveti Exerc.* XL. *in Gen. Fuit in arbore vitæ talis vis naturalis, quod concedimus & ſupponimus, ut poſita optima corporis conſtitutione, qualis erat ante peccatum, arboris illius fructus ſenii incommoda potuiſſet prævenire.*

Ea tamen vis neutiquam habenda est pro ratione unica vel præcipua istius appellationis Arboris Vitæ.

VII. Altera judicii nostri pars jungenda est; quod vis juvandi hominis integri vitam naturalem non videatur ratio unica vel præcipua appellationis *Arboris Vitæ*. Atque hoc discas facilè; si solummodò attenderis, istam vim fuisse *arboribus* omnibus *esui bonis* communem, siquidem harum fructus in nutrimentum commodum homipis faciebant, adeoque ad vitæ continuationem felicem; quæ tamen cum non habuerint idem nomen, ab alia vi magis propriâ hoc videtur magis repetendum quoque. Nec causari debes, gradum majorem vivificæ virtutis in hac arbore esse specialis appellationis rationem sufficientem: quandoquidem comparativi sensus indicium in textu comparet nullum, nec nomen hoc tum erit æque distinctivum ab aliis arboribus, etiam arboribus vitæ meritò dicendis, quam si plane peculiaris huic arbori vis in ea agnoscatur, uti neque *Arbor Scientiæ boni & mali* comparative sed absolute sic dicitur, cum qua respectu appellationis Arbor Vitæ quantum pote conferri debet. Unde nil mirum, adversus sententiam illam, ex *Numysio* Philosopho Christiano & *Jacobo Sarugensi* cum aliqua varietate descriptam, dudum cum aliis multis disputasse *Mosen Bar Cepha* Syrum Episcopum *Lib.* I. *de Parad. Cap.* 20. *Cæterum alii doctores, quos nos libentius sequimur, ajunt, haud ideo quod vitam ipsa conciliaret vescentibus vocatam esse vitæ arborem, perinde enim rudis ac stulti ingenii esse existimare arborem ullam boni malique cognitionem largiri posse iis à quibus ederetur, & esse arborem qua si vescare evadas immortalis &c.* Nec clarius quidquam est, quam complures cum *Augustino* Patres ac recentiores Scriptores, qui de vi vivifica Arbori physicè competente etiam amplius quam decebat nonnunquam disseruerunt, alterius Vitæ quam naturalis respectum ab hac appellatione minimè excluisse. Notus in hanc rem est textus *Augustini Lib.* XIII. *de Civ. D. Cap.* 20. *Tanquam cætera essent alimento, illud sacramento, ut sic fuisse accipiatur lignum vitæ in paradiso corporali, sicut in spirituali h. e. intelligibili paradiso Sapientia Dei, de qua scriptum est, lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam.* Atque alter ex *Lib.* VIII. *de Gen. ad Lit. Cap.* 4. *Erat ergo & lignum vitæ, quemadmodum petra Christus, nec sine mysteriis rerum spiritalium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem sacramentum, quid significans nisi Sapientiam de qua dictum est, lignum*

vitæ

Digitized by Google

vitæ eſt amplectentibus eam, quemadmodum de Chriſto diceretur, petra manans eſt ſitientibus eam. Recte quippe appellatur quod ad eum ſignificandum præceſſit &c. Quin & tertius ex Cap. 5. *An forte credere dubitamus per arboris cibum cujuſdam altioris ſignificationis gratiam homini Deum præſtitiſſe &c.* Cum cujus phraſi conferre licet alteram *Theodoreti*, *Quæſt.* XXVI. *in Gen.* dum *lignum vitæ* ſic appellatum dicit, quod οἷόν τι ἔπαθλον προῦκειτο τετρηκότι τὴν ἐντολήν, conferens tum præter alia ſimilis locutionis exempla aquam baptiſmalem, ἕτως ὕδωρ ζῶν καλεῖται τὸ βάπτισμα, οὐκ ἐπειδὴ φύσιν ἐπέρχειν ἔχει τὸ βαπτίσματος ὕδωρ, ἀλλ' ὅτι δι' ἐκείνου τὸ ὕδατος ἡ θεία χάρις τὸ αἰώνιον δωρεῖται ζωήν, ἕτω καὶ ξύλον ζωῆς λέγεται τὸ θεῖον ὄρος ἐκλήθη. Atque hanc ſententiam tenuit ante eum *Severianus Gabalit. Hom. V.* ἦκειτο τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου ὥσπερ βεβαιῶν: ſimiliter ſecutus eſt *Moſes Bar Cepha*, ſubjiciens ante citatis verbis; *Sed ob id hoc illi nomen à Deo datum eſſe, quo Adamus ad parendum præſcriptæ ſibi legi animaretur. Nam cum ſoleat quævis lex duabus fere muniri rebus, pœnæ ſcil. denunciatione & præmii pollicitatione &c. reliquum erat ut præmium etiam promitteretur obſervanti legem. Itaque Deus commonſtrata alia arbore quæ in meditullio Paradiſi ſata magno exſtabat inſignis decore, Vitæ eam appellavit, q. d. ſi ab illa arbore ſcientiæ boni & mali tete continueris, legique meæ obtemperaveris, en tibi arborem vitæ de qua edes viveſque in perpetuum. Pro cohortando igitur Adamo ad obſequendum legi vocata eſt arbor illa vitæ arbor, ut quantum mortis nomine à rebellando deterreretur, tantum vitæ vocabulo ad parendum impelleretur, eaque gratia præmium quoque plane ex adverſo pœnæ reſpondet, vita morti &c.* Quin & adducit ipſe conſenſum *Severi Orat.* XXXIII. *de Epithron. Altera vero illa, Vitæ Arborem dico, gloriam Adæ paritura erat, niſi ille intempeſtivi cupidine cibi victus non paruiſſet edicto &c.* Ut taceam omnes eos, qui Arborem vitæ habuerunt pro *typo Chriſti*, adeoque neceſſariò vel veriſimiliter de alia quam temporali vita cogitarunt. Licet autem in illa phraſi, ἔπαθλα, βεβαίᾳ, *præmii*, & magis in ejus expoſitione à poſterioribus data, ſit quædem ambiguitas, vel hypotheſis de arboris hujus fructu poſt præſtitam obdientiam demum concedendo, de qua necdum diſſerimus; id tamen conſtat, nomen *Arboris* ad aliam quam naturalem hanc vitam ab ipſis eſſe quoque relatam, quod heic volumus. Quodque obſervamus nec *Remonſtrantes* plane latuiſ-

fuiſſe, quando Arborem hanc *ſymbolum beatæ immortalitatis* dixerunt, tum *in Confeſſ. Cap.* VII. *Sect.* 3. tum in *Apol. Cap.* V. nec ipſam *Socinianorum* gentem peſſimam potuiſſe diffiteri *in Compend. Socin. Cap.* II. §. 5. *Fatentur, Arborem Vitæ Gen.* II. *ſymbolum quoddam vitæ æternæ fuiſſe, ſed obſcurum.*

Complurib. argumentis hinc oſtenditur, nomen Arboris Vitæ unicè vel præcipuè ſpectare ad Vitam ſpiritualem & æternam, cujus in hac Arbore ſignum & ſignaculum fuit.

VIII. Cogitamus itaque & nos in nomine *Arboris Vitæ* potiſſimum de Vita ſpirituali & Æterna, ſpiritualis iſtius complemento, quam poſt exploratam plene & laudabiliter obedientiam in cœlis ageret Adam; atque putamus ejus homini tribuendæ vim in Arbore eſſe agnoſcendam, non naturalem ſed moralem, Deo illius fructus dante in Vitæ iſtius partim continuandæ partim dandæ ſignum illuſtre & pignus lætiſſimum, quod ſic vivere hominem in Dei communione gratioſa & ſpe communionis glorioſæ faceret. Atque huc nos ducit, præter ea quæ adverſus ſolam vitam corporalem modò diximus §. VII. plus quam unum argumentum. Ante omnia oportet intelligere *vitam*, quando hæc generatim nominatur, qualis competebat homini, cui proficua futura erat, & cujus reſpectu arbor vitæ dicebatur. Iſta autem neutiquam erat naturalis ſola, ſed maxime ſpiritualis, quam per lætam cum Deo communionem & integritatem imaginis ejus poſſidebat, quamque plane conſummatam & prorſus immutabilem meritò deſiderabat, *coll. Pſal.* XVII. 11. *Prov.* VIII. 35. *Jeſ.* IV. 3. *&c.* Quod ſolum fere urſit *Calvinus*; *Scio, alios quoſdam ad vitam corporalem reſtringere, vim corporis vegetande in arbore fuiſſe putant, ut ætate nunquam langueſceret: ſed eos omittere dico quod præcipuum eſt in vita, nempe intelligentiæ gratiam, ſemper enim videndum quorſum conditus fuerit homo & quanam illi fuerit vivendi ratio, certe ejus vivere non fuit habere duntaxat corpus floridum ac vegetum, ſed animæ quoque dotibus excellere &c.* Secundo loco ſpectanda venit ipſius Dei exegeſis in ironico ad hominem ſermone *Gen.* III. 22. *ne mittat manum ſuam & ſumat etiam de Arbore Vitæ, edatque, & vivat in æternum.* In iſtis enim licet ad vanam perſuaſionem hominis faciat vitæ exſpectatio ex arboris uſu poſt transgreſſionem & Dei ſententiam adverſam, videtur tamen ad declarationem nominis Arboris Vitæ omninò facere quod *vitæ in æternum* ſeu æternæ, tanquam ab arboris uſu fluxuræ, fiat mentio; quæ ſpiritualem & cœleſtem gloriam cum in Scripturis notare ſoleat frequenter, & in maxima emphaſi notet *Pſal.* XXII. 27. *Dan.* XII. 2. *&c.* non

eſt

eſt ratio cur confugiamus ad leviorem ſenſum vitæ terreſtris prolongandæ vel perpetuandæ, alibi obvium forte *Job.* VII. 16. *Dan.* II. 4. *Zach.* I. 5. *&c.* inprimis ſi conferamus quæ modo de vita Adami dicta ſunt. Tertio attendere decet notionem *vitæ*, ubi hæc tanquam promiſſum divini fœderis occurrit, quæ non eſt mere temporalis, ſed maxime ſpiritualis & æterna, pro Dei promittentis & hominis indigentis conditione, *Lev.* XVIII. 5. *Deut.* XXX. 15. 19. *Prov.* IV. 4. *Matt.* XIX. 16. 17. *&c.* Unde non alia notio cogitanda eſt *vitæ*, ubi de arbore ad vitam proficua homini per fœdus juncto cum Deo agitur. Quarto neutiquam prætermitti debet conſideratio *mortis*, quam Deus minatus eſt homini comedenti de Arbore ſcientiæ boni & mali *Geneſ.* II. 17. hinc dicta τῷ ξύλῳ ᾧ θανάτῳ *à Chryſoſtomo Serm.* XVIII. *in Gen.* quæque non minus eſt ſpiritualis & æterna quam temporalis, pro Dei juſtitia & peccati demerito; unde, quæ cum oppoſita arbore jungitur, *vita* ſimilem neceſſario habet ſignificationis vim, ne bonum ſit minus quod Deus homini propoſuit quam malum. Quinto addi omnino debet notio *vitæ* frequentiſſima, ubi alias *Arboris Vitæ* nomen transfertur ad alia ſignificanda *Prov.* III. 18. XI. 30. XV. 4. *Apoc.* II. 7. XXII. 2. 14. quæ omnino amplior quam temporalis eſt, ad ſpiritum & æternitatem ſe extendens; dum dubitari nequit, quin illa tranſlatio ſit longe commodior, ſi ad eandem vitam, quam ſi ad longe viliorem reſpiciat in primo uſu ſuo hoc nomen. Accipiunt vero hæc omnia argumenta majus robur, ſi obſervaveris tanquam rem minime improbabilem, quod *Arbor* hæc *Vitæ* æque quam Arbor Scientiæ videatur nomen hoc ſuum ab ipſo Deo accepiſſe, *coll. Gen.* II. 17. III. 22. quemadmodum iterato hoc inculcat *Theodoretus*, Λέγε δὲ τὸν θεῖον ὅρον θάτερον αὐτῶν ξύλον ζωῆς ὠνομάσθη ἵνα τὸ ξύλον ζωῆς λέγε τὸν θεῖον ὅρον ἐκλήθη, & *Calvinus*, *epitheta utrique arbori ab effectu fuiſſe impoſita, neque id hominum ſed Dei placito*: inde enim diſcas gravem potius quam levem fuiſſe appellationis hujus rationem, & non debere omitti iſtam ſenſus plenitudinem, quam Dei bonitas atque Adami ſtatus fert. Quamquam nec pereat argumentorum vis, ſi ab Adamo hoc nomen velis arbori fuiſſe datum, quia ille imaginis divinæ integritate præditus, & Dei fœdus & ſuam neceſſitatem ſatis cognovit, atque adeo & ſapientiam ſuam ſermone ſuo teſtatus fuiſſe credi debet.

bet. Si porro conſtiterit hoc, vitam eſſe maxime ſpiritualem & æternam à qua Arbor hæc denominata fuit, ſponte ſequitur, non poſſe hujus reſpectu aliam efficientiam Arbori quam moralem tribui, qualis eſt tum in Verbo Dei auditum, tum in Sacramentis omnibus viſum ſimul afficientibus juxta ſenſus alios, *coll. Rom.* I. 16. 1. *Cor.* I. 18. *Jac.* I. 21. *Tit.* III. 5 *&c.* ſiquidem corporalis ſfructus per ſe nequit afficere animam, nedum ad Dei communionem eam ducere beatiſſimam. Atque adeo hærendum eſt in ſignificatione & obſignatione vitæ ſpiritualis continuandæ & æternæ conferendæ per optatiſſimam Dei communionem, quam arboris hujus fructus homini præter & per vitæ corporalis conſervationem ſalutarem dedit, uti maximi paſſim aſſerunt Theologi. De cujus rei modo omni, & ipſius Arboris re ſignificatâ, diſtinctius dicendum erit in expoſitione Fœderis cum Adamo à Deo erecti; dum heic de ratione denominationis à Vita ſolum differimus, & putamus ex iſta diſſertatione liquere, quod non ſit plane περιεργίας damnanda cum *Chryſoſtomo Hom.* XVIII. *in Gen.* εἰ δέ τις βούλοιτο περιέργως ὧν, ζητεῖν διὰ τί ξύλον ζωῆς ἐκαλεῖτο, μανθανέτω μὴ πάντα μᾶλλον ἀκριβείας τοῖς οἰκείοις λογισμοῖς ἀκολουθοῦντα δύναθαι τὸν ἄνθρωπον τὰ τοῦ θεοῦ ἔργα κατοπτεύειν. Quanquam ipſe pluſquam ſemel hoc nomen ſpectans adeoque ejus rationem dans dixerit, ξύλον δυνάμεως διηνεκῆ τῷ ζωὴν αὐτῷ παρέξειν, atque τὸ τὴν ζωὴν παρέχον τὴν διηνεκῆ.

De Arbore Vitæ, qualis illa porro fuerit, diſquiritur, oſtenditurque quænam heic certa magis, & quænam tantum probabilia, imo & prorſus fabuloſa ſint

IX. In iſto nomine *Arboris Vitæ* non ſubſiſtit poſt rationem ejus perſpectam humana curioſitas, ſed amplius inquirere ſolet, qualis & quæ hæc Arbor fuerit. Inde quæſtio *Moſis Bar-Cephæ*, *Lib. I Cap.* 20. *Quæ fuerit Arbor illa Vitæ in medio Paradiſo? cujus illa Arbor generis fuerit?* Sed ad quam optime reſpondit ipſe, ſe *neminem adhuc doctorum omnium legiſſe, qui qualis re ipſa atque adeo corporis habitu fuerit explicarit &c.* ſe *nondum didiciſſe qualiſnam arbor fuerit &c.* ſe *nondum diſcendo eſt aſſecutum ſpeciem ipſam & fructus quales fuerint, quibuſque comta fuerit frondibus* &c. Nec differt Judæorum illa traditio, quod *Arborem vitæ non revelavit Deus ulli homini neque etiam unquam revelabit*, quam *veriſſimam* dixit *Maimonides Mor. Neb. P. II. Cap.* 30. addens *hoc exigere naturam hujus univerſitatis.* Hoc conſtat tamen, quod fuerit vera corporalis *Arbor*, qualia erant & alia in Paradiſo Arboris nomen gerentia ligna; quod & cum aliis aſſerit *Bar Cephæ*, cor-

corporatam revera extuiſſe certò perſuaſus. Hoc conſtare debet amplius, quod fructus protulerit ad hominis eſum ac nutrimentum aptos; ſicuti tum ex ejus denominatione à *Vita* quocunque modo intellecta apparet, tum ex eſu interdicto homini lapſo, tum ex deſcriptione myſticæ Arboris, quæ hinc ſecundum externam formam videtur eſſe petita *Apoc.* II. 7 XXII. 2. 14. *coll. Ezech.* XLVII. 12. quæque frondem Arboris hujus ſatis lætam & utilem ſimul arguit, uti nec abſque hac fructus grati ferè provenire ſolent. Præter hæc, quæ ex nomine diſcimus, nihil certi de Arbore hac ſcimus, cum nihil de ea præter nomen habeat Moſes; & providè ſatis, ne pro innatâ nobis hodie ſtultitia cum Adamo in Arbore hac aut alia ei ſimili quæreremus mortales vitam, aut veneratione ejuſdem religioſa mortis judicium aggravaremus. Si vis opiniones ulterius probabiles & generales, has tibi non illubenter tamen dabo. Nempe credibile puto, quod uſu corporali & ſpirituali excellens tantopere Arbor etiam altitudine, craſſitie, eleganti forma, ac multiplici frugum præſtantia excelluerit. Dum inepta ſunt tamen prorſus illa Judæorum ſomnia *in Breshith Rabbah; Dixit R. Jehudah, Arbor Vitæ itineris eſt quingentorum annorum, non autem extremitas corporis ejus eſt itineris quingentorum annorum, ſed etiam* קורטו *ramus* vel *truncus ejus eſt itineris quingentorum annorum*; quæ allegoricè explicaſſe *Ephodæum* de notitia cœlorum & intelligentiarum ſeparatarum ad *Raymundi Martini Pugionem* obſervavit *Joſephus de Voiſin.* Quemadmodum & *Maimonides*, hanc traditionem narrans, & quidem auctius, quod *omnes aquæ creationis dividantur ſub Arbore vitæ*, atque eam referens *ad menſuram non altitudinis ſed denſitatis trunci*, addit, *hanc metaphoram vel allegoriam ab ipſis ad perfectiorem rei alicujus explicationem allatam eſſe*, *More Neboch. Part. II. Cap.* 30. Credibilius longe judico, quod in ſolo Paradiſo Arbor hæc initio fuerit à Deo plantata, nec uſquam extra eum tum reperta; quandoquidem Moſes in ſolo Paradiſo eam memorat, alludente huc etiam Johanne *Apoc.* II. 7. atque Paradiſo præcluſo ab Arboris hujus fructu excluſus fuit Adam *Gen.* III. 23. 24. uti & uſus ejus præcipuus à quo maxime habuit nomen in reliqua extra Paradiſum terra propter violatum Dei fœdus locum nullum reperit. Quæ neſcio annon ſimul argumentum pluſquam probabile nobis largiantur. Credibile hinc porro ſit tertio a modum, quod Arbor iſthæc ſpecie differat ab omnibus aliis deinde hodie-

Digitized by Google

que in terra universa repertis arboribus; quandoquidem quæ fuit in Paradiso constituta dudum seu longe ante seu per diluvium periit, quidquid dè Henocho & Elia in Paradiso instar Adami *de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem habentibus* etiamnum ex Veteribus nonnullis juxta *Augustinum Lib. 1. de Pecc. Mer. Cap. 3.* nugentur *Papista* varii, atque post prima Adami tempora alibi in terra renatam esse hanc Arborem divina vel humana curâ neutiquam fit verisimile, ob cessantem corporalem & spiritualem ejus usum in brevi peccatorum vita, atque ob parem posterorum ac Adami per peccatum ab arbore hac excluſi conditionem. Fabulæ utique ineptissimæ sunt, quas ex *Rabbenu Hakkadosh in Gale Razeja* tanquam ex R. *Simeonis filii Jochai Investigatione Secretorum* propinat Christianis *Galatinus Arc. Lib. VI. Cap. 17. Virga illa, quâ Moses & Aaron miracula faciebant in terra Ægypti, & postea in Deserto floruit gemmasque edidit, ab ea arbore excisa est, quam Deus Mosi ostendit in deserto ut aquæ amaræ dulces fierent. Et hæc Arbor excisa fuit ab Arbore Vitæ quæ in Paradiso sita erat, Angelorum manibus. Quam quidem miserunt Adæ, cum ille misisset Set filium suum ad Paradisum, misericordiam Dei imploraturum dè suo peccato. Dixeruntque Angeli ad Seth, ut plantaret hanc arborem. Quæ quam primum fructum faceret, misericordia Dei in eum descenderent, aperirenturque portæ cæli quæ obserata sunt. Hanc autem Arborem seu potius ramum accepit Seth, plantavitque in deserto, quam postea Moses invenit & ex ea Virgam suam excidit. Ideoque Virga Dei dicta est. Cum autem venisset Israel ad Marah, neque illius aquas, erant enim amaræ, bibere possent, Deus ostendit Mosi hanc Arborem, ut aquas illas redderet dulces. Et hæc est Arbor illa, in qua Moses ipse serpentem imposuit, per quam Deus universum orbem salvum facere instituit, & mittere misericordiam suam super Adam, cum venerit Rex Messias. Tunc enim hæc Arbor fructus gestabit, quibus secundo aquæ amaræ efficientur dulces, purgabuntque primum peccatum omniaque delicta quæ fecerunt facturique sunt homines. Et quoniam ex Arbore Vitæ hæc Arbor excisa fuerat, fructus ejus vitam afferent mundo. Hæc tamen Arbor abscondetur in terra cunctis mortalibus ignota. Cum autem dominabitur in terra sancta Regina Elena, omnis Israel in angustiis erit ac detrimento. Quippe quod ab ea perquiretur hæc Arbor, & nulla ipsius apud eos extabit notitia, neque ipsa invenietur, quousque Deus impleatur mi-*

se-

Digitized by Google

ſericordia, & ex terra eam prodire faciat. Et reperietur una de iis arboribus, de quibus dixit Iſaias, & dedit cum impiis ſepulturam ſuam &c. Ex quibus inter ſe collatis apparet, fabellas in fidem non tantum ſed & ſuperſtitionem Chriſtianam heic hiſtoriæ & allegoriæ eſſe mixtas; eaſque parum convenientes nugacibus traditionibus de Virga Moſis Sapphirina in crepuſculo Sabbathi creata, & à Patribus ſucceſſive poſſeſſa, quas ex *R. Elieſer & ex R. Gedaljah* nos alias adduximus *EXERC. TEXT.* VI. *Part.* II. §. 14. Nec ſanioris aut alterius commatis ſunt illa, quæ nugantur alii de *tribus granis pomi* paradiſiaci ab Angelo datis filio Adami, ut ea in ore Adami ſepeliendi poneret, cum promiſſo ſalutis ubi arbor ex granis nata fructus ferret, unde porro natæ tres arbores ex quibus crux Chriſti facta eſt, in qua Adamus & omnes homines liberantur. Quod ſi vero Arbor hæc ſpecie ab omnibus reliquis deinde & hodie in terra Arboribus fuit diſtincta, non eſt, ut vim vitæ conſervandæ in ea fuiſſe ſupernaturalem adeoque poſt peccatum ſublatam dicamus, quod alii voluere, Arbore ſuperſtite ipſa ſcilicet etiamnum ſed non cognita tamen; nedum ut de ſpecie arboris ineptas vel faciamus vel quæramus apud alios conjecturas, aut terras & maria percurramus ipſam hanc Arborem quæſituri, cujus nomen aliis Arboribus tributum eſſe ob vigorem aut vim norunt interim omnes.

De Medio Horti agitur in quo Arbor Vitæ iſthæc collocata fuit.

X. Locum huic Arbori Vitæ ex Dei ipſius ordinatione potentiſſima tribuit Moſes *in horti* Hedenici, ſeu *Paradiſi*, apud LXX. & *Vulgatum*, *medio*, בתוך הגן. Quæ phraſis diverſæ cuidam interpretationi obnoxia eſt. Siquidem multi ita vexant illud vocabulum *medii*, ut non tantum unum certum locum, verum & mathematicè medium horti ſeu ſpatium aliquod majus ſeu ſtrictius punctum notet; ita ut hæc Arbor loco digniſſimo, celſiſſimo, & forte fertiliſſimo, Paradiſi collocata, inſtar reginæ alias ex ordine circum ſe habuerit omnes quaſi miniſtras aut ſatellites. Atque id colligunt, tum ex propria *medii* notione, quod reſpectu circumferentiæ æquabilis ſic dicitur; tum ex loci deſignatione, quam per hanc vocem facere Moſes voluit, ſicut & deinde Eva *Cap.* III. 3. ſic magis diſtincta heic reperta; tum ex *via* ſpeciali *Arboris Vitæ* memorata *Cap.* III. 24. tum etiam, uti puto, ex Arboris ipſius dignitate, cui locus medius tanquam digniſſimus & tutiſſimus competierit. Sententiam iſtam optime expreſſit *Wolfg. Muſculus*; *Nec illud*

transgrediendum, quod dicit in medio Paradiſi. Primum plantata erat hac Arbor non temerè loco quolibet ſed certo, deinde non multis locis ac paſſim, ſed uno, tertio non in extremo quodam Paradiſi angulo, ſed in medio. Ita voluit Deus ut nec vileſceret, ſi paſſim extaret; nec obſcura eſſet & inventu difficilis, ſi loco eſſet incèrto; ſed & in pretio eſſet & cunctis acceſſibilis, modo ſtatus innocentiæ ſervaretur. Atque eſt iſta hypotheſis ſimul inter fundamenta opinionis illius, quæ unicam tantum individuam Vitæ Arborem in Paradiſo agnoſcit, ſicuti antea vidimus; quin etiam occaſio allegoriæ de mediocritate *regente vitam naturâ, acquirente vitam gratiæ, & merente vitam gloriæ*, quæ ex *Paulino* & *Aloyſio Novarino* ſolet laudari. Sed obloquuntur alii, quibus *in medio* vel refertur abſque ullo loci reſpectu ſimpliciter ad excellentiam arboris hujus præ aliis omnibus, *coll. Gen.* XXIII. 10. 1. *Act.* 1. *Ioh.* 1. 26. 15. *Apoc.* 1. 13. VII. 17. *&c.* vel exponitur per *in*, ut ſignificetur intra Paradiſi ambitum hanc germinaſſe Arborem, non perinde alibi terrarum, *coll. Gen.* III. 8. IX. 21. XXIII. 6. 9. XXXV. 2. XXXVII. 7. XLI. 48. *Exod.* II. 5. *&c.* vel ita explicatur, ut non modo in Paradiſo ſed & ſimul in partibus ejus interioribus atque reſpectu aliarum ad extremitates vergentium quaſi mediis Arbor hæc conſtituatur, ipſa ſepis rationem minime habens, *coll. Exod.* XIV. 22. 27. XXIV. 18. *&c.* Quæ poſtrema ſententia mihi maxime probatur, & tam vocis hujus ſatis emphatico & proprio uſui quam dignitati Arboris convenit; etiamſi multiplicata hæc credatur, cum *medium* multiplex hoc ſenſu in uno horto agnoſci queat, & ſic ἐν μέσῳ uſurpetur *Apoc.* XXII. 2. ne dicam de μέσῳ τῶν διδασκάλων ex *Luc.* II. 46. dè μέσῳ τῶν ἀκανθῶν ex *Luc.* VIII. 7. de μέσῳ λύκων ex *Luc.* X. 3. & ſimilibus phraſibus N. Teſt. æque quam Veteris. Utique id notari debet, & notatum dudum eſt à multis, *medium* horti præciſe Mathematicum heic cogitari non poſſe unum; cum illud ſimul referatur ad Arboborem Scientiæ, cui ſoli *medium* tribuit dein Eva pro Arbore Scientiæ dicens *Arborem quæ in medio horti Gen.* III. 3. Neque enim in eodem plane loci puncto duæ arbores ſurgere potuerunt. Quod ſi ergo *medium* cogites quoddam phyſicum, neſcio cur nimis anguſtum atque unum continuum ſpatium cogitare debeas. Sciendum præterea eſt, quod loci deſignatio fiat quidem in hac phraſi, non ideò tamen aut unius ſingularis, aut ſpecialiſſima quam nos diſcere non habebamus opus. Et quod ad *viam Arboris* hu-

Digitized by Google

hujus attinet, eam communiter ad ingreſſum horti Hedenici retulit ipſe Moſes, non in horto ad hoc aut ad illud ejus punctum. Neque cogitandum de Arboris dignitate ſolum, ſed ſimul dè horti præſtantia, & dè hominis frequentiſſimo uſu, quæ in interioribus horti partibus potius communiter quam in uno ejus meditullio Arborem Vitæ conſtituere vel agnoſcere ſuadent.

Fuiſſe Adamo poteſtatem edendi de fructu Arboris Vitæ in integritatis ſtatu, & ediſſe eum quoque de illo, prolixius aſſeriturl & contra diſſentientes defenditur.

XI. Cæterum ex ipſo hoc Arboris Vitæ loco colligi haud infeliciter poteſt, quod ad eſum præſentem frugum ejus ipſa Protoplaſtis fuerit data à Deo, adeoque & ab ipſis ſic uſurpata. Nempe quomodocunque *medium horti* interpreteris, non fuit ſepe vel altitudine terræ inde excluſus Adam, nec ignoravit ubi eſſet juxta quorundam cum *Ruperto* opinionem, ſed habuit illuc homo integer aditum liberrimum, qui & in iſt hoc medio de Arbore Scientiæ edit cum laberetur. Jam autem nullum ſimile interdictum abſtinendi ab Arbore Vitæ accepit homo, vel ſaltem accepiſſe à Moſe fertur, quale de Arbore Scientiæ dedit ei Deus *Gen.* II. 17. Imo vero ſicut abſque interdicto ſpeciali per dominium homini à Deo conceſſum in alias creaturas potuit ipſe his omnibus uti ad id ad quod utiles erant, ita generalem conceſſionem ad hanc Arborem extenſam narrat diſerte Moſes ex ore Dei ipſius, *de omni arbore horti edendo edes Gen.* II. 16. & dein ex ore Evæ, *de fructu arboris horti edemus Gen.* III. 2. quam pro lubitu aut conjectura noſtra neutiquam putamus reſtrigendam eſſe, ſeu rei ſeu temporis reſpectu. Neque illud prætermitti poteſt, quod ab Arboris hujus uſu per eſum Deus hominem demum arcuerit poſt lapſum, ubi interdicta arbore uſus erat, *nunc nè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de Arbore Vitæ &c. Gen.* III. 22. hinc etiam cuſtodiæ ſufficiente viam ad Arborem illam præcludens; unde Arboris utriuſque uſum non debuiſſe jungi conſtat, adeoque licitum fuiſſe eſum unius quamdiu ab altera abſtineret colligas, imò & obtinuiſſe eundem quamdiu aditus non erat præcluſus. Hoc addere debeo, quod vim nominis ſui nullo modo implere potuerit hæc Arbor, ſi ab eſu fructuum ejus debuerit homo abſtinere; quandoquidem ſic vim ejus nutrientem non potuit hic experiri ad vitam naturalem, fovendam adeoque nec obſignationem ſacramentalem vitæ ſpiritualis & æternæ hoc modo ex ea accipere, qua ſane poſt decurſum obedientiæ ſpatium in datione immortalitatis cœleſtis opus non haberet. Quod ſi vero permiſſus homini in-

Digitized by Google

tegro fuit esus de hac Arbore, nulla est ratio, cur eum optimo & bis salutari fructu hoc non esse usum dicamus. Et faciunt hac in re nobiscum Antiqui & Recentiores omnes, qui vim nutrientem vel etiam medicinalem Arboris inculcarunt. Ex Latinis lubet audire unum *Augustinum*, qui uti multis locis mentem suam exposuit, ita clarissime scripsit *Lib.* 11. *de Pecc. Mer. Cap.* 21. *Proinde quia utendi ad escam omni ligno quod in Paradiso erat acceperant potestatem, in quo etiam Lignum Vitæ plantaverat Deus, ab illo autem solo eos prohibuerat quod appellavit Scientiæ boni & mali &c. recte profecto intelliguntur ante malignam Diaboli persuasionem abstinuisse cibo vetito, atque usi fuisse concessis, ac per hoc & cæteris & præcipue Ligno Vitæ. Quid enim absurdius quam ut credantur ex aliis arboribus alimenta sumpsisse, non autem etiam ex illo, quod & similiter permissum fuerat, & utilitate præcipua per ætatum lapsum mutari quamvis animalia corpora in mortemque veterascere non sinebat, tribuens hoc corpori humano de suo corpore beneficium, & mystica significatione demonstrans, quod per sapientiam cujus figuram gustabat conferretur animæ rationali, ut alimento ejus vivificata nequaquam in labem mortemque nequitiæ verteretur &c.* Ex Græcis jungam *Chrysostomum*, qui tamen non æque valide loquitur *Serm.* XIII. *in Gen.* Προειδὼς γὰρ ὁ φιλάνθρωπος δεσπότης. ὡς δημιουργὸς, τῷ ἐκ τῆς πλήρης ἀφθαρσίας μέλλοντα ἢ χρόνῳ ποιοῦντος τιμᾶσθαι βλάβῃ, ἀνῆκε καὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐν μέσῳ τῷ Παραδείσῳ &c. Atque *Serm.* XVIII. Ἐπειδὴ γὰρ ὡς ἦν μὲν καὶ ἐστὶ συνιδεῖν, ἀθάνατον αὐτὸν ἐδημιούργησεν, ἐξὸν αἴτῳ, ὅπερ ἐβούλετο, μὴ τῶν ἄλλων καὶ ἐκεῖνα (ἢ τῆς ζωῆς ξύλα) μεταλαμβάνειν, δηνεκῆ τὴν ζωὴν αἴτῳ προσκτᾶσθαι, διόπερ ἀδεμίαν ἐντολὴν ἔθετο ἐκείνου ἅψασθαι. Ita etiam cum plurimis aliis Recentioribus *Dion. Petavius Lib.* 11. *de Oper. sex dier. Cap.* 5. adversus *Barcepham & Severianum* disputat; *Atque nobis hoc in opinione illa meritò non placet, quod inde sequitur non unam interdictam Adamo fuisse Arborem Scientiæ, sed alteram præterea &c. huic autem adversaria est Scriptura, quæ reliquas omnes arbores illorum usui concessas esse docet, una excepta Scientiæ boni & mali &c. non igitur Vitæ Arborem attingere vetitum illis fuit.* Quin etiam ratio nulla est solida, cur rariorem usum Arboris hujus homini tribuamus, uti cum *Tostato* aliisque agit *Pererius*, ex ista hypothesi, quod hæc Arbor *comparata fuerit in modum medicinæ adversus naturales defectus qui processu ætatis homini accidunt*,

&

& contra eorum defectuum terminum qui est mors, concludens, *fructum illius arboris bis aut ter in anno satis fuisse homini comedere*; atque postea asserens, Adamum, quamquam liceret, *dum fuit in Paradiso non comedisse* de hac Arbore, tum ex illa hypothesi, quod *fructus illius Arboris non* fuerit *cibus quotidianus*, *sed ad modum medicinæ per longa temporum intervalla sumendus*, dum Adam brevissimo tempore in Paradiso fuit, tum & his argumentis, *quod prius probanda fuerit aliquandiu obedientia Adami quam ut eum fructum comederet*, *quodque si ediisset Adam illum vitalem fructum*, *haud dubie longius quam ullus mortalium vitam produxisset*, *cum tamen brevioris vitæ fuerit quam Mathusalem Jared & Noe.* Utique illud, de medicinali tantum usu Arboris, postulatum est precarium; quamquam medicinis prophylacticis sæpissime nonnunquam sit utendum, nec ratio dari queat cur *bis aut ter in anno* potius quam in mense aut septimana arbore hac utendum fuerit, cujus forte fructus digestionem cibi omnis ad nutrimentum fecit aptissimam. Unde consequens illud sponte concidit, Adamum nunquam dè hac Arbore comedisse, cujus etiam vitæ in integritate spatium certum ignoramus; dum probandam fuisse obedientiam Adami ante esum Arboris hujus nusquam dicitur, & incurrit in thesin præcipuam à nobis modo assertam, atque efficacia Arboris Vitæ ante lapsum usurpatæ in Adamo post peccatum & sententiam mortis non valuit ad vitam ejus ultra nepotum vitam extendendam. Attamen constat, antiquam esse opinionem oppositam, quod ab Arbore Vitæ in Paradiso ante obedientiæ curriculum finitum Adamo edere licitum neutiquam fuerit. Ita profecto judicavit *Moses Bar Cepha loc. cit.* Deum introducens loquentem, *si ab illa Arbore Scientia boni & mali tete continueris*, *Legique meæ obtemperaveris*, *en tibi Arborem Vitæ de qua edes viveisque in perpetuum*; quin & præterea observans, Deum non gloriæ & regni cœlestis adeo, quam Arboris amœna specie appetibilis fructuque comptæ suo, promissionem homini morigero feciisse, propter ejus perfectæ disciplinæ mox in creatione minus capacis ruditatem, quam tenellorum nostrorum filiorum & Israelitici populi similitudine illustrat; ineptissime sane, propter sapientiam cum Dei imagine Adamo inditam, uti notavit etiam *Petavius.* In eandem sententiam trahitur vulgo illud *Theodoreti Quæst.* XXVI. *in Gen.* fuisse Arborem Vitæ Adamo propositam οὐχὶ τὴν ἐπιδλαβῆ πτῶσιν ἢ ἐντολὴν

λύσαι,

λίω, illudque *Severiani*, Arborem hanc instar βεμβέως positam in medio Paradisi. Quæ si fortè admittant sensum sacramentalem; utique non aliter statuere potuerunt, quotquot ex usu fructus hujus Arboris usu absolutam derivant vitæ æternitatem, quandoquidem hæc ante absolutum obedientiæ curriculum non poterat Adamo contingere. Tendit autem in eam sententiam cum aliis Papistis multis *Bellarminus de Grat. pr. hom. Cap.* XVIII. *&* XIX. laudato præter *Glossam Interlinearem* illam, *impleto electorum numero gustaturi erant de ligno vitæ & sic ad beatum statum migraturi*, consensu potissimum *Ruperti*, qui asserat amplius, *neque Adamum neque ipsum etiam Dæmonem scivisse ubi esset Lignum Vitæ.* Dum ipse concessionem illam, seu ut loquitur *præceptum illud, de omni ligno quod est in paradiso comede*, dicit quoad Arborem hanc *suo tempore* fuisse *implendum cum esset transferendus de statu gratiæ ad statum gloriæ*, ridicule causatus, *neque enim oportuisse eum uno die fructus omnium arborum degustare*, quasi non unus dies & totum obedientiæ curriculum itemque omnes plane arbores & una præ omnibus eximia plurimum differrent. Id verò me sæpius miratum esse non diffitebor, quod qui ex nostris Theologis illam de insita vi Arboris hypothesin non tenuerunt, sed Sacramentum fœderis divini in eo spectarunt, multi tamen usum præsentem Arboris per fructuum ejus esum Adamo denegarunt. Inter hos etiam video esse *Cel. Burmannum*, qui sic disputat adversus vim fovendæ vitæ corporalis per hanc Arborem *Synops. Lib.* II. *Cap.* 4. §. 12. *Et unde docerent, promiscue ejus arboris usum homini patuisse, cum vincenti solum datum sit edere de Arbore Vitæ Apoc.* II. 7. *unde nec Adamum ante lapsum eam attigisse constat, imo contrarium potius patet.* Sicuti idem latius inculcavit *ad Gen.* II. 9. *Homo autem de Arbore Vitæ edisset, si mansisset obediens & constans in tentatione, qua primum probandus erat; atque tunc in præmium obedientiæ & sacramentum justitiæ suæ ex operibus hæc Arbor ipsi data fuisset &c.* Sed debuisset attendere Vir Cel. appellationem *Arboris Vitæ* non fuisse futuram sed præsentem, quæ ergo præsentem exigit usum tam in spirituali quam in corporali sensu. Quod vero ex *Gen.* III. 22. objicitur ab aliis, ostendimus nos supra, posse omnino inverti, & diluit hanc objectionem satis solide *Doct. Pareus* ad locum; *Colligunt hinc nonnulli, hominem nunquam de Arbore Vitæ comedisse in Paradiso. Id vero non necessario sequitur;*

Po-

Potuit ante lapſum ex ea comedere, quia non erat prohibita, ſiquidem diutius uno die in Paradiſo fuit &c. & mulier videtur tale quid innuere, dicens ſerpenti, ex omni arbore horti comedimus, licet id tam de poteſtate, quam de actu comedendi, queat intelligi, Sequitur tamen, poſt lapſum ex ea non comediſſe. Inde ſimul concidit prior objectio *Cel. Burmanni*, ex promiſſione in *Apocalypſi* facta *vincenti*: ſi quidem & illic agitur de homine lapſo, quem ab Arbore vitæ corporali æque quam ſpirituali excluſum eſſe novimus, neutiquam autem de homine integro antequam è Paradiſo expulſus eſſet. Præterquam quod illic non agatur de Arbore corporali & ſacramentali, ſed potius de re per eam repræſentata; quæ nec ante obedientiam præſtitam plenè homini contigiſſet integro, uti nec ad eam abſque certamine nunc pervenitur. *Sacramentum* vero, quod tanquam pignus datur in via ut felicius curramus, neutiquam confundi debet cum *præmio* proprie dicto, quod in fine viæ porrigitur, & ſacramenta adeo ulteriora excludit; uti fit tamen in objectione ſecunda. Quod ſi porro urgeatur illud, *ſacramentum juſtitiæ* non potuiſſe dari ante juſtitiam acquiſitam; dicam ego, Arborem hanc potius appellandam eſſe ſacramentum *vitæ*, quod nomen adhibuit Moſes, quam *juſtitiæ*, quandoquidem in fœdere operum juſtitia non fuit promiſſa, ſed ab homine præſtanda, & ſacramenta ſunt ſigilla divinarum promiſſionum. Atque addam verba *Cl. Cocceji*, quæ ille *Doct. Anſtario* roganti, *an Arbor Vitæ Sacramenti uſum Adamo præſtiterit, an vero ipſi demum Sacramentum futurum fuiſſet, ſi perſeveraſſet & in tentatione non ſuccubuiſſet?* reſpondit *Epiſt.* CLIII. *Sigillum fuit juſtitiæ, non ejus quæ ex fide eſt, ſed ex Lege & operibus. Quemadmodum omnia Sacramenta vel ſigilla ſunt ἐπεροτήματα ἀγαθῆς συνειδήσεως εἰς θεόν, ita & illud. Fuit igitur ſigillum perſeveranti, ſive ſub conditione perſeverationis, at nobis ſigilla juſtitiæ ſunt ſigilla πεποιθήσεως, atque adeo perſeverationis.* Recte equidem non futurum ſed præſens ſacramentum ſic dixit hanc Arborem, aliquod merito diſcrimen agnoſcens tamen inter Arborem hanc & Sacramenta Fœderis gratiæ, quatenus hoc majora habet promiſſa. Quemadmodum & alibi ſemper inculcat; *Erat hæc Arbor Sacramentum verum inſtificationis ex operibus &c. fuit Arbor Vitæ Sacramentum ſive ſigillum non boni terreſtris ſed æterni & cœleſtis, veruntamen ſub conditione obedientiæ promiſſi &c. de Fœd. Cap.* II. §. 38. 40. *Arbor hæc illam nomenclaturam accepit, quod*

homini quamdiu in rectitudine ſua perſeveraret fuerit data pignori eam vitam præmium obedientiæ in Deo exſpectandam habere, quod forte intellexit Severianus dicens datum eſſe homini χαρακτῆρα τῆς βασιλείας, quod ab Eugubino refert Riveius. Summæ Cap. XXIII. §. 8. Quin & ipſe ſcripſit *Cel. Burmannus, beata vita hæc Arbor Sacramentum & pignus erat Lib. II. 4. §. 12.* Quod vero familiare eſt, jungitur etiam ab ipſo Viro Cel. Arbori huic *Paradiſiu* ipſe tanquam ſacramentum iſtius fœderis; cujus uſum in ipſo curriculo obedientiæ habuit Adam, non autem poſt præſtitam obedientiam habiturus erat. Imo vero *Capite eodem* §. I. Sacramenta ille deſcribit, ut *externa quædam Symbola & ſigna, quæ fœderatos de officio admoneant, ipſiſque promiſſa fœderis ante oculos ponant*, dicitque, *viſibili quodam ſigno Deum voluiſſe hominum fidem & ſpem firmare, ac bona fœderis obedientibus jam ante oſtentare, iſtoque præmio eos excitare*; quæ omnia, ni fallor, admodum evertunt illud de *ſacramento* Arboris hujus demum dando *in præmium* poſt juſtitiam præſtitam & obedientiæ conſtantiam. Sed nimis forte diu in re clara hæſimus, quæ mihi quidem videtur non pati attendentium contradictionem ullam.

Arboris Vitæ veſtigia apud Gentiles conferuntur breviter.

XII. Solent autem heic vulgo Interpretes cum *Aug. Steucho Eugubino* conferre fabuloſas Gentilium narrationes quas ex Moſis hac hiſtoria de Arbore Vitæ Protoplaſtis ad eſum conceſſa fluxiſſe exiſtimant; ſive id factum ſit heic & alias ex aliqua rerum antiquarum memoria per Dei providentiam ſingularem conſervata ſed admodum imperfecta, ſive etiam ex fallacia Satanæ qui per fabulas quadantenus ſimiles voluerit veris Scripturæ ſententiis fidem detrahere, uti ſic fere judicavit adductis multis exemplis *Juſtinus Martyr Apol. II.* παραδιδόντες δὲ τὰ μυθοποιηθέντα ὑπὸ τῶν ποιητῶν ἀδεμίαν ἀπόδειξιν φέρουσι τοῖς ἐκμαθάνουσι νέοις, οἱ δὲ καὶ ὅλη ἀπάτη καὶ ἀπαγωγὴ τῆ ἀνθρωπείᾳ γένει εἰρῆσθαι ἀποδείκνυμεν κατ' ἐνέργειαν τῶν φαύλων δαιμόνων. ἀκούσας γὰρ Μωσέως τῶν προφητῶν κηρυσσομένων &c. προσεβάλοντο &c νομίζοντες δυνήσεσθαι ἐρήσαι τερατολογίαν ἡμῶν ἀθῆσαι τοὺς ἀνθρώπους τὰ περὶ τὸν χριστὸν, καὶ ὁμοίως τοῖς ὑπὸ τῶν ποιητῶν λεχθεῖσι. Scilicet nominatur heic *Nepenthes*, ſeu Νηπενθὲς *Homericum* nobile, herba cujus ſuccus vino immixtus dolorem omnem abſtulit, hinc dicta ex νὴ privativo & πένθος *luctus*, quaſi ἄλυπον καὶ ἀπενθές. Nominatur heic perinde herbarum laudatiſſima *Moly* Μῶλυ, quam παρὰ τῶν μωλύων τὰς νόσους dici creditam *Homerus* ſcribit con-

tra veneficia Circes à Mercurio traditam Ulyſſi, & dè qua ille inter alia cecinit *Odyſſ. Lib.* x.

Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσπε, γάλακτι δὲ εἶχελον ἄνθος.
Μῶλυ δὲ μὲν καλέουσι θεοὶ, χαλεπὸν δὲ τ' ὀρύσσειν
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι· θεοὶ πάντα δύνανται.

Sed nominatur maxime *Nectar* & *Ambroſia*, *latices epuleque deorum* juxta phraſin *Naſonis*; quæque *ſapientiſſimi Poëtæ aſſeruerunt ab Hebe i. e. juventute Dus ad menſas immortales miniſtrari, quia ſemper omnis Deorum natura floreſcat, ſemper juvenes ſint*, juxta voces *Engubini*. Sive vero Νέκταρ fuerit Deorum *potus*, quod cum *Homero* volunt, ſive *cibus* dentibus atterendus, quod ex *Anaxandride* refert *Athenæus Lib.* 11. juxta *Suidam*, exponente hinc *Heſychio* πῶμα θεῖον ἢ βρῶμα, volunt utique paſſim dictum hoc nomen vel ex νὴ & κτείνω, quaſi *non ſinens mori*, vel cum *Suida* quaſi νεόκταρ τὸ νέους ποιῶν τοὺς πίνοντας: quamquam ſimul addat ipſe, ἡ δὲ χρῆσις τῶν κτήσεως τοῖς πολλοῖς: atque hoc etiam memoret *Phavorinus*, οἱονεῖ τὸ ἄκτητον ὑ ὑδενὸς κτητὸν γίνεται κτῆμα ἢ τὶ κτῆμα, quin & alii cum *Hornio in Hiſt. Phil.* nomen id repetant ab Hebræa origine נחקר / *perveſtigatum eſt.* Sive item *Ambroſia* Ἀμβροσία ſit Deorum immortalium *cibus* ſive *potus*, de quo idem obſervatur diſſenſus, derivari idem ſolet ex α privativo, cui μ euphoniæ cauſa additur ſicut in ἄμβροτος, atque βροτὸς *mortalis*; quamquam aliam originem junxerit *Suidas* in Νέκταρ huc ſimiliter facientem, ἔστω δὲ καὶ Ἀμβροσία, ἡ μόνον ἡ ὑπεραναβαίνουσα τὴν ῥοὴν ἤγουν τὴν καταφθοράν, ἀλλὰ καὶ ἣν οὐκ ἔχει βροτός, atque has duas etiam habeat *Phavorinus* ſed tranſpoſitas, ἡ δὲ ἀμβροσία ἡ ἀπὸ τοῦ α στερητικοῦ καὶ τοῦ βροτὸς, ἣν ὑδεὶς ἔχει βροτὸς, πλεονάζοντος τοῦ μ διὰ τοῦ β ἀπὸ ἔγκλισιν φωνῆς οἷς ἐν πολλοῖς γίνεται, ἢ μᾶλλον ἀπὸ τοῦ ὑπερβαίνειν ῥοὴν, ἤγουν ὑπὲρ ἄτω εἶναι φθοράς. Nec opus eſt, ut poſt iſta omnia, quæ ad nomen & vim Arboris *Vitæ* reſpiciunt, & de quibus μυθικῶς σοφιζομένοις judicavit *Ariſtoteles Metaph. Lib.* III. *Cap.* 4. οὐκ ἄξιον μετὰ πάσης σκοπεῖν, meritò tamen redargutus à Chriſtianis Scriptoribus quod ibidem nimis generaliter negaverit τοὺς δεσμοὺς τροφῆς εἶναι ἀϊδίους; ut inquam, poſt iſta omnia quidquam conjecturæ nos addamus de nemore aurifero *pomiſque aureis* in Heſperidum hortis à dracone pervigili ſervatis, per quæ ex ambiguitate vocis μῆλα alii cum *Varrone* oves intellexerunt lanam purpuream ferentes, aut de ſimilibus aliis. Hoc potius notari debet, quod per iſtas gentilium fabellas veritas divinæ narrationis minime debeat

nobis fieri dubia, ſed tantò certius credi, quatenus ejus veſtigia aliqua apud exoticos ſuperſunt; quod contra quoſdam *Antinomos* merito urſit *Cel. Rivetus*, laudans illud *Tertulliani*, *omne falſum poſthumat adnaſciturque veritati.*

Literalis Arboris hujus interpretatio contra Allegoricam tandem in culcatur.

XIII. Cæterum ex iis, quæ hactenus dicta ſunt de hac Arbore, id liquide ſatis conſtat, quod ſignificationem & uſum ſpiritualem habens Arbor Vitæ vere tamen ipſa corporea fuerit. Id enim docet inter alia; ejus conjunctio cum *omni arbore deſiderabili aſpectui & bona eſui*; locus ei tributus *in medio horti*; ejus per divinam virtutem *germinatio ex terra*; corporalis *eſus* de illa poſt peccatum interdictus; quin & ipſa ſpiritualis vitæ virtus arbori huic competens, quæ ex corporali re ſpiritualia adumbrante eſt repetenda; uti in aliis omnibus rebus ſacramentalibus id videmus. Recte adeo inter alios veteres *Theodoretus ad Quæſt. XXVI. in Gen.* Τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἢ τὸ ξύλον τὸ εἰδέναι γνωσὸν καλὸ ἢ πονηρὸ νοητὰ χρὴ λέγειν ἢ αἰσθητά; reſpondit, ἐκ τῆς γῆς ἢ ταῦτα βεβλαστηκέναι εἶπεν ἡ θεία γραφή. ὑ τοίνυν ἐπέσχεν τίνα φύσιν ἔχει παρὰ τὰ ἄλλα φυτά. Et perinde *Moſes Bar Cepha*, licet ingenue fateretur ſe nondum didiciſſe qualiſnam Arbor fuerit quæ Vitæ vocabatur, *interim corporatam revera extitiſſe certo perſuaſus fuit.* Aberrant adeo, quotquot ita allegoricè hanc Arborem interpretantur, ut ſenſum literalem excludant; inter quos *Galatinus Lib. VII. Cap.* 10. nominat *Talmudiſtas* tanquam *de rerum æternarum contemplatione & fruitione* Arborem Vitæ exponentes. Nec poſſunt aliter qui allegorica de univerſo Paradiſo ejuſque Arboribus cunctis & geſtis fovent cogitata, cum *Philone Judæo*, *Origene*, *Ambroſio &c.* Eſt ſcil. *Philoni de Mund. Opif.* Arbor Vitæ ἡ μεγίστη τῶν ἀρετῶν Θεοσέβεια, δι' ἧς ἀθανατίζεται ἡ ψυχή. Item *Allegor. Leg. Lib. I.* ἡ γενικωτάτη ἀρετὴ, ἣν τινες ἀγαθότητα καλοῦσιν, ἀφ' ἧς αἱ κατὰ μέρος ἀρεταὶ συνίστανται, τοῦτο χάεν καὶ μέσον ἱδρύεται τῷ παραδείσῳ τῷ συνεχεστάτῳ χώρον ἔχων, ἵνα ὥσπερ τῶν ἑκατέρωθεν βασιλέως τρόπον δορυφορῆται. οἱ δὲ λέγοντι τὴν καρδίαν ξύλον εἰρῆσθαι ζωῆς, ἐπειδὴ αἰτία ἐστὶ ζῆν καὶ τῷ μέσῳ τοῦ σώματος χώρον ἔλαχεν ὡς ἂν κατ' αὐτὸν ἡγεμονικὸν ὑπάρχοντα, ἀλλ' ὅτι μὴ ἰατρικὴν δόξαν ἐκτεθειμένοις μᾶλλον ἢ φυσικὴν μὴ λανθανέτωσαν, ἡμεῖς δι' ὡς καὶ πρότερον ἐλέχθη τὴν γενικωτάτην ἀρετῶν ξύλον εἰρῆσθαι ζωῆς λέγομεν. Eſt *Ambroſio de Parad. Cap. I.* ita Paradiſus *anima quæ multiplicat ſemen acceptum in qua virtus unaquæque plantatur &c.* ut ſit ipſi *lignum vitæ ſapientiæ, bonum di-*

xib

xit Salomon, quia ſapientia non de terra exorta eſt ſed de Patre, eſt enim ſplendor lucis æternæ & manatio omnipotentis gloriæ. Cæteroquin ut allegoricis luſibus ingenium ſuum atque aliorum piam meditationem exerceant in hac Arbore Theologi, patimur lubentes; dummodo ſupponatur literalis ſenſus, nec humana cogitata quæ ex aliis Scripturis queunt eſſe vera pro divino ſenſu obtrudantur, quin etiam agnoſcatur, unam accommodationem allegoricam præ alia magnopere eſſe commodam. Occurret autem ſic tibi inquirenti in hac Arbore Vitæ, præter innumera fere alia apud *Bar-Cepham* lecta *Lib. II. Cap. 6.* quæ deſcribere non lubet, & virtus ſpiritualis cum ſapientia cœleſti, & fœdus gratiæ, & Dominica crux, & præcipue Adam alter ipſe Chriſtus; qui an & quo modo ſit deſignatus per hanc Arborem, erit in expoſitione divini Fœderis latius dicendum, uti & antea monuimus.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Quo Arboris Scientiæ Boni & Mali Nomen, Species, Locus, Uſus, & Fama, plenius exponuntur.

De altera hac *Arbore*, dicta *Scientiæ Boni & Mali*, quæ præ aliis in Paradiſo notabilis erat, atque abuſu ſuo miſeriæ humanæ cauſa facta eſt, ſecundum ſacram Moſis narrationem nunc dicturi, vix quidquam habemus repetendum de communi nomine *Arboris*, γυ/ ſeu ξύλω *ligni*, quod illi datur juxta *Arborem omnem deſiderabilem*, & juxta *Arborem Vitæ*, à nobis antea declaratam. Quando etiam renovatur heic quæſtio, an nomen illud collectivo ſenſu poſitum plures ejuſdem ſpeciei Arbores notet, an vero ſingulare ipſum unam individuam Arborem deſignet, idem de hac quod de Arbore Vitæ videtur debere ferri judicium, ob proximam utriuſque conjunctionem abſque primi nominis *Arboris* diſcrimine ullo; etiamſi eædem quæ apud Arborem Vitæ hinc inde urgentur rationes forte omnes heic urgeri nequeant, nec alibi nos de Arbore Scientiæ perinde ut de Arbore vitæ legamus. Iſtam ergò quæſtionem credo ego non poſſe cum ſolido fundamento à nobis decidi, & ferri omnino debere paratiſſime qui unicam individuam *Arborem* hujus nominis ſolum agnoſcunt, *in medio horti* cum altera

De nomine Arboris Scientiæ, atque ea occaſione de Unitate ejus Numerica vel Specifica agitur, ſicuti & de ſententia quæ eam in Frumentum commutat.

tera natam, dum de pluribus neque heic neque alibi legimus, & unica consilio Dei sufficiebat, qui non ad esum ullum sed ad probationem unius Adami & Evæ hanc Arborem dederat, per quod argumentum sententia hæc *Ben. Pererio* juxta alios facta est *admodum verisimilis*. Attamen propendeo iterum magis in oppositam opinionem, & puto, per multas passim in interioribus horti partibus arbores hujus speciei ita adauctum fuisse externum horti decus, ut simul continua magis esset protoplastorum probatio, adeoque usus ejus à Deo spectatus major, quam si uno singulari loco horti unica illa extitisset, forte serius aut rarius videnda ab homine. Apud *Cl. Coccejum* sic lego *Summ. Theol. Cap.* XXVI. §. 3. *Quæ Arbor fueritne tota species, an una de specie, nobis non liquet. Postremum putavit Augustinus Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 31. *Tale pomum credendum est fuisse in illa Arbore, cujus generis poma jam in aliis arboribus innoxia senserant.* Isthæc Viri Cel. verba an exprimant hanc nostram quæstionem, nescio; possent enim sic etiam capi, ut *species* quædam *tota* arborum harum supponatur extitisse, sed quæstio fiat, habueritne illa integra species hanc appellationem & annexum Dei interdictum, an verò una individua Arbor tantum in illa Arborum specie selecta, quorsum videntur magis ducere adducta verba *Augustini*. Quæ tamen, non video, quid huc multum faciant, cum unitatem numericam aut specificam Arboris hujus per ea non determinaverit, nec alias arbores cum suis fructibus ejusdem plane speciei, sed ejusdem *generis* communiter, h. e. corporeas & qualitatibus variis similibus præstantes, agnoverit tantum. Hoc interim ad nomen *Arboris* probe teneatur, quod inepte fabulentur tam Christiani quam Judæi, qui eam seu ejus fructum in frumentum commutant. Id agit scil. *R. Meir in Breshith Rabba*; *Quænam fuit illa arbor de qua comederunt Adam & Eva? Dixit R. Meir*, חטים / *tritica*. Id agit quoque *R. Jehudah in Gemara Sanhedrin Cap.* VIII. nominans *triticum* חטה / rationemque miram addens, quod *infans non sciat vocare patrem & matrem, donec gustaverit gustum frumenti.* Id, ut de *Alkorano* taceam, de Christianis perinde refert *Moses Bar-Cepha de Parad. Lib. I. Cap.* 19. *Censent alii frumentum fuisse hanc Arborem, atque ideò Christum quoque suum corpus in pane dedisse, ut qua re contractum esset debitum, eadem & exsolveretur &c.* Verum adjecit ille merito; *sed nos hæc vera non esse putamus, frumentum enim Seges, non Ar-*

Digitized by Google

Arbor dicitur. Præterquam quod triticum, ut nihil de ejus poſt lapſum ſanè neceſſaria fere præparatione ante eſum dicam, videatur in præcipuum nutrimentum homini jam ante lapſum eſſe datum *Gen.* 1. 29. *coll. Pſal.* CIV. 14. nec dandum fuiſſe in illum finem poſt lapſum ſi in ejus uſu homo peccaſſet, ne ſic vel continuò peccare videretur homo, vel Deus illi exitium & arbitrium proprium indulgere, aut ipſe temere mandata ſua mutare.

Bonum & Malum illuſtratur à cujus Scientia Arbor hæc denominatur.

II. Ulterior Arboris hujus denominatio longius nos detinebit, & plus laboris faceſſet. Conſultum verò erit, tum de *Bono & Malo*, tum de ejus *Scientia*, dicere, priuſquam hujus cum *Arbore* nexum inquiramus. *Bonum* utique *& malum* טוב ורע heic non capi in genere maſculino, quo ſenſu ad Deum optimum boni & Diabolum peſſimum mali omnis autorem nos duceret, ſed in genere potius neutro, de eo quod tale non apparenter etiam ſed vere eſt & judicari debet, eſt fere extra controverſiam. Dum porrò conſtat, *bonum* in primis eſſe triplex, honeſtum jucundum & utile, cui triplex opponitur *malum*, turpe moleſtum & noxium; non videtur in vocibus generalibus, per contextum neutiquam reſtrictis, ſpecies boni & mali præcipua, quæ aliarum ejus ſpecierum eſt unum ſolidum fundamentum, poſſe aut debere excludi, ut miſſo honeſto & turpi cogitemus de ſolo jucundo & moleſto, vel utili & noxio, vel hoc utroque. Quò magis verſamur heic in hiſtoria hominis integri, qui per rectitudinem inditam de bono & malo potius ex Lege Dei, quam ex ſuo ſenſu & fructu qualicunque, judicaret. Quo magis etiam Arbor hæc de qua agimus nominatur in eo contextu, ubi Divini fœderis Lex quæ honeſti & turpis eſt norma deſcribitur, & ad illam palam refertur. Quo magis adhuc *boni & mali ſcientia* Deo tributa ipſi, cujus in ea ſimilitudinem affectabat homo indecenter ad ſerpentis ſuaſionem, primam illarum vocum notionem ante alias exigit *Gen.* III. 5. 22. Quo magis tandem hæc phraſis, alibi adhibita in deſcriptione parvulorum *non cognoſcentium bonum & malum*, oppoſitâ parentum tranſgreſſioni, *Deut.* I. 39. *coll. Jeſ.* VII. 15. *Rom.* IX. 11. *&c.* debet quam maxime referri ad honeſtum & turpe, dum alias boni & mali ſpecies citius illi cognoſcunt. Iſtæ hoc nobis perſuadent rationes, ut *bonum & malum* intelligamus præcipue de honeſto & turpi, quod etiam Græcæ voces τῶν LXX. καλὸν καὶ πονηρὸν maximè notant, nec niſi conſequenter & ſecundariò de jucundo & utili hinc

atque

atque moleſto & noxio illinc, quatenus illa ex priori bono & malo fluunt. Quod porro attinet ad ordinem harum duarum vocum, juxta quem *bonum* præcedit & *malum* ſequitur, is heic & alibi paſſim videtur niti præſtantia boni præ malo, quin & boni præitione tam in exiſtentia quam in cognitione ſua. Quod adhuc ſpectat ad copulam *Vau* inter has duas voces interpoſitam, poſſet illa quidem habere uti habet ſapiſſimè ſenſum disjunctivum, & exponi per *aut*, quatenus bonum & malum tanquam oppoſita ſimul vix conſiſtunt; ſed non eſt ratio ſufficiens, cur non primum ſuum copulandi uſum heic habeat, & vertatur adeo per *&*, quandoquidem poſſunt maxime oppoſita ſimul tamen cognoſci, quin & ipſum bonum & malum ſucceſſive vere obtinere in eodem ſubjecto.

Et perinde ejus boni malique Scientia.

III. Nunc etiam aliquid eſt de horum *Scientia* דעת dicendum, pro quo nomine uno LXX. habent ϛ εἰδέναι γνῶσιν, *Onkelos* autem *ſcire inter bonum & malum*, vel *medium* ſeu *diſcrimen*, *boni ad malum*. Dum præter phraſin eandem lectam in concreto *Gen.* III. 5. 22. *Deut.* I. 39. alibi legimus *audire bonum & malum* 2. *Sam.* XIV. 17. *ſcire inter bonum & malum* 2. *Sam.* XIX. 35. *intelligere* בין *inter bonum & malum* 1. *Reg.* III. 9. quin etiam *ſcire reprobare malum & eligere bonum Jeſ.* VII. 15. 16. & in N. Teſtam. Ἀφέκεσιν καλῦ τε κ) κακῦ *Hebr.* V. 24. Nemo autem ignorat, *ſciendi* verbum, atque hinc *ſcientiæ* nomen, varii admodum apud Hebræos eſſe uſus; prout inprimis dicit vel theoreticam mentis cognitionem, quæ ſita eſt in objecti perceptione & judicio recto de illo, vel practicè magis involvit voluntatis motus juxta cognitionem illam compoſitos, in primis amoris, & curæ ſingularis, vel profeſſionem iſtorum actuum mentis quæ fiat ore vel opere, vel etiam actualem experientiam rerum, quæ ſcientiam parit vulgò certiſſimam & maximam, unde eſt appellatio familiaris *ſcientiæ experimentalis*, quæ etiam in hoc argumento ſolet adhiberi. Ex quibus notionibus quæ eſt prima & ſimpliciſſima, ea heic etiam ubi nihil in contextu aliorſum ducit videtur eſſe præferenda aliis, inprimis ob objecti gemini atque adeò inter ſe oppoſiti conjunctionem; ut habeamus heic adeo non qualemcunque ſed juſtam & exploratam notitiam boni & mali. Quæ ubi poſitive alias proponitur, videtur magni quid dicere, imo maximi & divini etiam, utique in Satanæ deceptione & Dei exprobratione *Gen.* III. 5. 22. cum autem

tem negatur eadem, ex adverſo ad minimam ſpectare ſcientiam, ut ſynonyma fere ſint *non ſcire bonum & malum*, & *non cognoſcere inter dextram ſuam & ſiniſtram ſuam Jon.* IV. 11. ſicuti alias *non loqui bonum aut malum* quamvis fere loquelam negat *Gen.* XXIV. 50. *coll.* XXXI. 24. 29. 2. *Sam.* XIII. 22. Eſt autem ille adeo in ſpeciem oppoſitus ejuſdem phraſios ſenſus ex eo, quod *bonum & malum* utrobique intelligitur univerſaliter, ut ab una parte reperiamus *omnis*, ab altera parte *nullius*, boni & mali notitiam; quæ poſterior tam eſt miſera, quam prior eſt optabilis. Interim ipſa phraſis *ſcire bonum & malum* fere eſt indefinita, & tam particularem de hoc illoque bono & malo quam univerſalem de omni bono & malo ſenſum admittit. Quin & hoc notari meretur, quod *ſcientia boni & mali*, à qua in abſtracto hæc Arbor denominatur, nullam in ſe habeat determinationem ſubjecti cognoſcentis. Unde cogitari poteſt, non quidem de ipſa Arbore, utpote cognitionis neutiquam capace, uti prolixe docet *Moſes Bar-Cepha*, quo magis nec à Vita inſita verè illi competente altera dicta fuit *Arbor Vitæ*; ſed vel de Deo, qui verè ab æterno cognoſcens omnia authropopathicè tamen in tempore dicitur aliquid cognoſcere, quando ejus indicia manifeſta ab hominibus exhibentur aut Deus opere ſuo oſtendit ſe illud noſſe, *coll. Gen.* XVIII. 21. XXII. 12. 2. *Chron.* XXXII. 31. *Pſal.* CXXXIX. 23. *&c.* vel longe magis & potius de homine, cujus etiam vita in alterius Arboris nomine ſpectabatur, & in cujus uſum Arbor hæc juxta alias omnes facta erat, & qui Scientiæ novæ recipiendæ erat ſucceſſive capax, ut mittam alia plura huc facientia forte.

IV. Verum enim verò meretur diligentius adhuc examen, qualis & quanta boni malique notitia apud hominem in Arboris hujus nomine ſpectetur. Cujus rei determinatio magnoperè pendet à nominis hujus origine prima, atque à ſtatu Adami cujus uſui hæc Arbor erat deſtinata. Quoad prius caput, creditum dudum à multis fuit, Moſen Arborem hanc per Prolepſin quandam appellaſſe hoc nomine, quod non habuerit illa ſcil. in integritatis ſtatu, ſed quod acceperit demum poſt Satanæ tentationem & lapſum hominis, ex iis quæ tum vel Satanas dixit atque Deus cum reſpectu ad Satanæ promiſſa & hominis exſpectationem vanam ab hac Arbore prolocutus eſt, vel homo ſenſit. Nempe qui in ſtatu integritatis habebat theoreticam boni & mali notitiam ex Lege Dei cum an-

Proponitur eorum ſententia qui Arborem hanc per Prolepſin ſic dictam volunt, vel à triſti experientia mali per peccatum, vel à decipiente voce Satanæ.

nexis promiſſis & minis, idem ille homo per lapſum à bono ad malum tranſlatus, ſic practicè & per triſtem experientiam cognovit æquè malum omne, quam ante lapſum cognoverat bonum practicè & per lætum uſum, quin & boni amiſſi ſic magnitudinem didicit. Ad cujus expoſitionis firmamentum, præter eventum certum & narratam poſt eſum fructus *ſcientiam nuditatis Gen.* III. 7. laudantur nonnunquam illa Dei verba *Gen.* III. 22. *Ecce homo factus eſt ſicut unus ex nobis* לדעת טוב ורע / *ſciendo*, vel *ad ſciendum*, *bonum & malum*; atque additur, Satanam verbis ambiguis luſiſſe apud hominem, quæ viderentur magni aliquid promittere, ſed hunc peſſimum etiam admitterent ſenſum quem eventus demonſtravit, uti Oracula alia ambigua in hanc rem plura poſſunt conferri, qualia ipſi Apollini nomen Λοξίας tribuerunt. Non poteſt verò dubitari, quin illa nominis interpretatio ſit antiqua & communis admodum; etiamſi omnes hoc non adeò determinaverint, an Moſes poſt lapſum, an verò etiam Deus ante lapſum illiuſque futuri intuitu hoc nomen Arbori dederit. Ita ſane *Auguſtinus Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 17. *Aperti ſunt oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum in quod ceciderant. Unde & ipſum ſignum, eo quod faceret iſtam dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, ut appellaretur lignum Scientiæ boni & mali. Experta enim morbi moleſtia evidentior fit etiam jucunditas ſanitatis.* Quemadmodum idem *Lib.* VIII. *de Gen. ad Lit. Cap.* 6. dixit; *In qua homo per experimentum pœnæ diſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum.* Ita Scholaſticorum & Papiſtarum aliorum magnus numerus, docente id *Ben. Pererio* præ aliis; *Tertia ſententia eſt ferè Theologorum communis, & per omnes ſcholas pervagata, ſic dictam eſſe illam Arborem ab eventu, & ex eo quod uſum ipſius conſecutum eſt, accidit enim homini ut tum experiendo cognoſceret diſcrimen inter bonum quo ante peccatum fruebatur, & malum in quod peccando incurrit, ideoque ſcientiam haberet boni & mali, vid. ut vocant Theologi experimentalem. Nam licet antea ſpeculativè noſſet Adam diſcrimen boni & mali, poſt peccatum tamen practicè & per experientiam id magis cognovit &c. Quemadmodum igitur ab eventu appellatus eſt puteus jurgii ſeu calumniæ Gen.* XXVI. 20. *& puteus juramenti Gen.* XLVI. 1. 5. *& tumulus teſtis ſeu acervus teſtimonii Gen.* XXXI. 47.

ſca-

caſtra quoque Dei Gen. XXXII. 2. *& domus Dei Gen.* XXVIII. 19. *ſic ab eventu Arbor Scientiæ boni & mali appellata eſt.* Ita & ex noſtris Theologi quidam maximi, inter quos etiam *Cel. Burmannus Synopſ. Lib.* II. *Cap.* 5. *Ut rectius illi conjiciant, qui eam ita dictam volunt, vel ratione probationis, quia hominis obedientia &c. vel poſtea potius ab eventu, cum homo capto experimento quid bonum malumve eſſet uſu ipſo intelligeret, & tanto felicitatis faſtigio excuſſus jam tandem in quanto miſeriæ abyſſo verſaretur agnoſceret.* Quemadmodum idem, adductis aliis exemplis, in hoc nomine Moſis *Prolepſin* apertè inculcat *ad Gen.* II. 9. ibidem etiam in hanc rem citans textum *Gen.* III. 3. quatenus, ut juſticare ego debeo, illic Eva Arborem hanc non Scientiæ boni & mali ſed *quæ in medio horti* appellavit. Quin & laudatur nonnunquam in hanc rem *Maimonides*, quando ſcripſit; *Tunc demum agnovit pretium & æſtimationem ejus quod perdiderat & quo ſpoliatus erat, quamque miſerum in ſtatum prolapſus fuerit, hac de cauſa dicitur, & eritis ſicut Dei ſcientes bonum & malum &c. Moreh Neb. Part. I. Cap.* 2. Multum tamen ab hac nominis ratione recedit altera hujus exegeſis, quæ in Prolepſi convenit. Nempe juxta hanc reſpicitur deceptrix Satanæ vox *Gen.* III. 5. *Quoniam ſcit Deus quod in die eſus veſtri de illa, & aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum*; quam etiam ironica ſua voce ſpectavit deinde Deus *verſ.* 22. *Ecce homo factus eſt ſicut unus ex nobis ſciendo bonum & malum.* Et ſpectaverit adeo Moſes *cognitionem*, non triſtem illam de qua modo, ſed lætam & magnificam Dei ipſius, à qua Arbor fuerit denominata, ob fraudem Satanæ in illa exercitam, ſtultamque quæ hinc ſecuta eſt hominis perſuaſionem, per quandam catachreſin, vel ironiam, vel meram δέξαν. In qua ſententia præiit aliis *Rupertus de Trin. Lib.* II. *Cap.* 27. *Hoc lignum ironicè appellatum eſt ſcientiæ boni & mali, ut ipſo nomine ſuo monumentum legentibus repræſentet diabolici mendacii. Ex eo igitur quod illo falſo promiſſo decepiſſet primos homines, impoſitum eſt ei arbori nomen ſcientiæ boni & mali, vel ab ipſo Adamo, vel à Moſe. Ac licet in hiſtoria Moſis ante congreſſum ſerpentis cum Eva bis ea Arbor appelletur eo nomine, videlicet Scientiæ boni & mali, id facit tamen ſcriptor hiſtoriæ Moſes per anticipationem, revera enim antea non habuerat id nominis, ſed cum Deus dixit Adæ, ne ex arbore comederet, vel alio nomine eam appellavit, vel quaſi digito ſpeciem &*

Digitized by Google

locum ejus demonſtrando eam indicavit, Sequuntur hoc præter alios *Toſtatus*, *Pererius*, *Salianus*, *Torniellus &c.* quin & late *Jac. Tirinus*, qui *ſcientiam boni & mali* per Hebraiſmum exponit *omnium omnino rerum*, & diſcurſum ſuum ſic concludit, *unde etiam hic à Moſe Arbor hæc ironicè vocatur ſcientiæ boni & mali, q. d. Arbor illa egregia ſcilicet, quam mendax Damon promiſerat daturam ſcientiam quaſi divinam omnis boni.* Licet vero paſſim huic opinioni obloquantur Theologi noſtri, placet illa tamen nonnullis. Et ſunt, qui ſatis operoſè prò ea diſputant, tum aſtruendo communiter prolepſin, ex uſu Moſis familiari *Gen.* XII. 8. *coll.* XXVIII. 19. XXI. 14. 31. *Num.* XIII. 23. 24. *&c.* & ex nomine hoc omiſſo, tam à muliere in colloquio cum Serpente *Gen.* III. 3. quam in divina Adami accuſatione *Gen.* III. 10. & ex nulla nominis hujus conſideratione apud Evam ad lapſum inductam *Gen.* III. 6. *&c.* tum hanc originem nominis ſpeciatim firmando, ex eo, quod ſcientia boni & mali paſſim laudabilem habeat ſenſum ſeu ſapientiæ magnæ ſeu prudentiæ & rationalis inter bonum & malum diſcretionis, quod eadem in verbis ſerpentis & Dei cum reſpectu ad hanc arborem ſic uſurpétur, quodque tandem ſcientia talis ex vero arbori huic nequeat tribui, per ejus naturam & per eventum; tum amoliendo difficultates adductas, adverſus prolepſin pariter, & catachreſticam ſeu ironicam Arboris appellationem à Satanæ mendacio petitam.

Eadem rejicitur ob complures rationes, ſolvunturque addu-ctæ objectiones.

V. Meum ſi de his velis judicium, fateor omninò diſplicere ſeriorem originem nominis hujus Arboris poſt lapſum, quod per anticipationem adhibeat antea Moſes. Etenim non eſt ad prolepſes confugiendum, niſi aliqua ex contextu vel ex rei natura ſit neceſſitas, ne hiſtoriam prò arbitrio noſtro mutemus continuo; quæ heic nulla prorſus datur. Imò verò non uſurpat hoc nomen Moſes ſolus in ſua de Paradiſo narratione *Gen.* II. 9. ſed & à Deo idem narrat uſurpatum in dato interdicto *Gen.* II. 17. *de Arbore Scientiæ Boni & Mali non comedes*; ubi Moſen verbis à Deo adhibitis atque aliter Arborem hanc exprimentibus ſua ſubſtituiſſe, non debet facilè conjici, quemadmodum id in alio mandato ad Abrahamum abeundi ad terram Morijah *Gen.* XXII. 2. factum eſſe neutiquam poteſt demonſtrari. Non alia præterea hujus Arboris debet conſtituiratio, quam *Arboris Vitæ*, quæ hoc nomen ſuum certiſſimè habuit ante lapſum, præcipuè propter vitæ ſignificationem & obſigna-

ſignationem cum lapſu ceſſantem, neque accepit idem vel ab eventu vel ab aliqua diaboli voce aut hominis vanâ perſuaſione, ſed vel ab Adamo vel potius à Deo ipſo. Habuit amplius hæc Arbor, tam in ſtatu integritatis quam lapſus, opus nomine diſtinctivo, æquè quam aliæ omnes, ut de ea commodè poſſet fieri ſermo, quin & ſupra alias, ob excellentiam præ iis & ob ſingulare de hac mandatum jugiter obſervandum; unde ne aliud nomen fingere cogamur, hoc ei mox tribuendum eſt ex Moſe. Illud fortè non inutiliter etiam obſervetur, quod tantum ante lapſum, ſed nunquam poſt illum, hoc nomen adhibitum ſit apud Moſen; quod ad appellationem & appellationis rationem lapſu priorem potius quam poſteriorem nos ducere debet. Hoc vero minimè prætermittendum, quod promiſſio *Scientiæ Boni & Mali* à Serpente facta ad eſum fructus hujus Arboris, magis quam alterius alicujus boni, nullum probabile habeat fundamentum, ſi illud nomen non habuerit tum Arbor, ſed certum & liquidum prorſus, ſi idem illa geſſerit, abripiendum in hujus mendacii occaſionem. Quæ, & ſingula & magis omnia, tantò majus habent robur, quò ſunt leviora quæ ab aliis opponuntur. Alibi ſanè ſi nonnunquam cogamur admittere prolepſes, etiam in locorum nominibus, quod tamen temere aliquoties inculcatur, non idcò heic eſt eadem prolepſios neceſſitas. Et quidni mulier Arborem, quæ nomen ſuum ſpeciale dudum habebat, hoc prætermiſſo à ſitu ſuo deſcribere & coram Serpenti monſtrare potuerit? quando nos ipſi circa homines & res præſentes ſic agimus quotidiè, & interdictum forte abſque ejus ratione nomini incluſa voluit narrare Eva. Ineptum utique hoc queat videri, urgere, quod Moſes verba mulieris narraverit abſque ulla mutatione, aut abbreviatione, ſed Dei interdictum ad ſuum ſermonem compoſuerit, quodque ipſiſſima interdicti verba, in multis certa alia *Cap.* II. 17. *& Cap.* III. 3. potius debeant à muliere, poſt illius dationem veriſimiliter creata, & in lapſum jam prona ſatis, quam à Moſe προνόησω ex ipſius Dei ad Adamum ſermone diſci. Quo magis nomen illud Scientiæ boni & mali, ex priori narratione ſua jam notum, potuit ſummam muliebris dicti expreſſurus Moſes longè facilius prætermittere, quam idem antea extra ſuum locum intrudere; quin & talis prætermiſſio non inepte heic cogitatur, ubi mox Serpens reſpondens memorat *Scientiam boni & mali* ab hujus arboris eſu fluxuram, cujus mentio per nominis ejus uſum

proximum fit longè commodior, inprimis ubi interrogans acceſſerat Serpens. Utique hoc minimè erat opus, ut Deus apud Adamum lapſum rogans, *an de Arbore de qua præcepi tibi ne ederes de ea ediſti?* nomen Arboris denuo exprimeret, quandoquidem id ad ſubſtantiam interdicti non pertinebat, & interdicti modus ſatis erat Adamo notus, & ſceleris heic convicturus Deus Adamum non ab objecti præſtantia aut ejus nomine ſed à ſui interdicentis autoritate factum peſſimum meritò deſcripſit. Quo magis nomen *Arboris Scientiæ boni & mali* jam ſane competebat huic Arbori, ubi & hujus promiſſo homines erant ſeducti, & hujus uſurpatæ incommoda hi ſentiebant, debuiſſetque adeò Deus præire Moſi in iſta hac nova Arboris appellatione. Hoc minime omnium capio, quod mulier nomen hoc Arboris dicitur non conſideraſſe, cum à ſerpente ad peccatum pelliceretur, atque hinc nec Arbor illud nomen habuiſſe. Siquidem variis modis homines ad peccandum invitantur, nec quæcunque illuc ducere poſſunt ſemper æquè abiis ſpectantur; neque conſtat, per viſam à muliere Arboris præſtantiam excludi conſiderationem nominis ejus in muliere tranſgrediente Dei interdictum, ſiquidem plura ſimul eam commovere potuerunt; quin tandem, ubi non modò præceſſit Serpentis promiſſum de *Scientia boni & mali* per Arboris eſum ſed & mulier expreſſè dicitur vidiſſe Arborem tanquam *deſiderabilem* להשכיל / τῦ καταυοῆσαι, *ad intelligendum* vel *dandum intelligentiam*, proximè ante narratum fructus eſum *Gen.* III. 6. annon hæc omnia ad conſideratum etiam nomen hoc Arboris nos ducunt? Cæteroquin dici poſſet, ſolam viſibilem aut ſenſibilem fructus præſtantiam, procul etiam promiſſo ſcientiæ, impuliſſe mulierem ad peccandum, quia nulla verborum Satanæ præmiſſorum & creditorum, ſed ſolius viſus muliebris proximè ante mulieris factum meminit Moſes ℣ 6. quod utique quam maxime abſonum eſt.

Speciatum diſputatur contra eam ſententiam quæ ex Satanæ tentantis verbis nomen hoc Arboris deducit.

VI. Sic concidit ſponte utraque *Scientiæ* expoſitio, tam ſenſu læto ex Satanæ verbis petito, quam triſti altero ex eventu. Quamquam inter has duas magnum ſit diſcrimen, & prior poſteriori ſit longe minus probabilis. Liquet enim ex dictis, per eam nomen Arboris conſtitui aut mere *putativum*, aut *catachreſticum*, aut *ironicum*; ad quem ſeu ſingularium vocum, ſeu integrarum phraſium ſenſum, utique minus proprium, non eſt abſque neceſſitate iterum recurrendum. Non hoc tantum, ſed & omne fundamentum

tum appellationis ſic à Satana mendaciſſimo ejuſque fraude petetur; quo tamen in præcepto admodum ſerio nulla ratione ſubinnuit Moſes *Geneſ.* 11. 16. quodque eſt minus neceſſarium, ubi alia adſunt nominis fundamenta vera & realia, quodque tandem dubito an conveniens ſatis ſit Spiritui Moſis. Quod ſi à Satanæ ſeductione fluxiſſet Arboris appellatio, quidni etiam æque & potius Arbor, aut *apertorum oculorum*, aut *divinitatis*, ex connexis verbis, aut *Serpentis* qui apud eam ſe ſtiterat vere, aut *mendacii* & ſeductionis, quod de ea factum & quæ per eam facta eſt veriſſimè à ſerpente, dicetur? quam ut unica illa particula mendax verborum Satanæ, de *Scientia boni & mali*, quæ ne quidem præcipua omnium judicari queat, inde in nomen arboris decerperetur? Nec ſcio, an exemplum ſimile appellationis, à tali origine petitæ, ullum dari poſſit; dum nomina locorum à rebus inibi vere geſtis ſunt alterius plane generis, quemadmodum & nomina perſonis ſeu rebus tributa palam ſed temerè ab hominibus impiis, quæ aſſumantur nonnunquam in Scripturis ex vulgari uſu aut per conceſſionem aut forte per ironiam docente id tum ſatis contextu, uti ſic ἡ μωρία τ κηρύγματος & τὸ μωρὸν τ θεῦ habet Paulus 1. *Cor.* 1. 21. 25. dum nomine hoc Satanas aut homo ex ejus conſilio Arborem appellaſſe, atque ſic Moſi præiiſſe, nuſquam dicitur. Quod porrò attinet ad vulgarem ſenſum laudabilem hujus phraſios *cognoſcendi bonum & malum*, non debet ille tantopere jactitari, quando eadem plane nominaliter in abſtracto nuſquam deprehenditur niſi in nomine Arboris hujus, & verbaliter ſed negative prorſus eadem tantum eſt unico extra hoc argumentum loco *Deut.* 1. 39. & phraſis multiplex eâdem aut magnopere ſimilis in diverſo contextu diverſiſſimum ſæpe ſenſum admittere paſſim deprehenditur. Et videtur omnino nimium ſuſpendi ſenſus verborum Spiritus Sancti à ſpiritu infernali, vel non cogitari ſatis hujus fallacia tantum non perpetua in detorquendis etiam à vero ſenſu & à ſcopo Dei dictis, ſi credamus hoc, quod *Scientia boni & mali* nullatenus aliter queat à Moſe intelligi in nomine Arboris, quam Satanas eam in fallaci promiſſo ſuo voluit videri intelligere. Non poſſunt verò heic in ſubſidium venire verba Dei ironica, utpote quæ ad diaboli fraudem nunc palam ſatis ab hominibus deprehenſam tantum alludunt, non ad veram notionem nominis Arboris; præterquam quod in illis alludi etiam poſſit ſimul forte ad experimentalem mali ſcientiam,

quam

quam loco optabilis ſapientiæ homo jam erat conſecutus. Si adhuc inſtes, Arbor illa vere præſtantem ſcientiam non contulit, ergo ad vanam Satanæ & hominis perſuaſionem heic eſt recurrendum; ſupponis gratis iſtam *Scientiæ boni & mali* notionem, de cujus ſenſu controvertitur hactenus, & quam decenter in hoc loco non aſtruxiſti. Sufficienter ex iis quæ diximus porrò conſtabit, neque hoc poſſe credi, quod ante tentationem hominis intuitu futurorum verborum Satanæ hoc nomen Arbori dederit, vel homo qui eadem ignorabat, vel Deus, qui mirum ſic homini ænigma propoſuiſſet, atque Satanæ tentanti haud parum ipſe quoque præiiſſet.

Sicuti & contra alteram, quæ ad mali per peccatum experimentalem notitiam progreditur.

VII. Alterum tamen ſenſum ſcientiæ experimentalis mali illati & boni per illud ablati, à qua in eventu ſecutâ Arbor fuerit ſic ſerius dicta, nolim magnopere probare. Rejicit eam dudum inter alios *Ben. Pererius*, cujus tamen rationes meas neutiquam fecero. Dicit ille ſc. *Arborem* tum etiam *apertionis oculorum*, *vel cognitionis propriæ nuditatis*, *vel confectionis ſubligaculorum* potuiſſe vocari, quia hæc omnia *eſum illius Arboris ſunt conſecuta*; quod ſuo modo concedi poſſet, dum *cognitio boni & mali* eſt tamen aliquid longe ſignificantius, quam illæ ſeu phraſes ſeu actiones ſingulares ſunt. Adducit porrò, verba eadem à Satana atque à Deo ipſo in ironica hominis illuſione adhiberi longe alio ſenſu, quia Satanas aliquid magni voluit promittere, & mentitus eſt, & in ſcientia hac ſimilitudo cum Deo illic conſtituitur, quod omne ab experimentali mali ſcientia multum abeſt; ſed ſic ſupponitur perperam, nomen Arboris ſenſum alium non debere habere, quam qui Satanæ verbis prorſus conveniat, de quo modo ſatis dictum eſt. Miſſis ergò illis rationibus, id nos magis urget, quod licet *ſcientia* etiam acquiratur per experientiam, ipſa tamen ſcientia ab experientia diſtingatur & abſque ea poſſit haberi, & primò ac per ſe experientiam non noter. Deinde quod in *bono & malo* per hanc exegeſin magis ſpectetur jucundi & moleſti, vel utilis & noxii, quam honeſti & turpis notio, contra id quod obſervavimus §. II. Amplius, quod per eſum hujus Arboris homo non ſit nactus experimentalem ſcientiam boni & mali, ſed omninò ſolius mali, ad quod peccatum ducebat à bono eum excludens; etiamſi vere dicatur, quod inchoatam boni ſcientiam per experientiam ante lapſum arboris habuiſſet, quodque non cognitio experimentalis, aut inti-

me

Digitized by Google

me penetrans ſcientia boni, ſed æſtimatio ejus major ex eo per peccatum amiſſo fluxerit. Nec obſervo ego, Scripturam homini lapſo adſcribere *ſcientiam boni & mali* adeo magnifica phraſi, ad notandam mali experientiam, dum potius illum producit ut magnopere per peccatum factum inſcium, tum honeſti & turpis, tum vere jucundi & moleſti, quin etiam vere utilis & noxii, imò & ſæpe proprii ſtatus calamitoſſimi, *coll. Apoc.* III. 17. *&c.* Unde nihil juvat hanc exegeſin; vel veritas realis experientiæ mali in homine lapſo, quæ idcirco hoc loco ſub hac phraſi cognitionis boni & mali non venit; vel *ſcientia nuditatis* pudibunda ad transgreſſionem ſecuta *Gen.* III. 7. quæ à ſcientia boni & mali quoad phraſin plurimum differt; vel Dei exprobratio, quæ directe ad Dei quæſitam ſimilitudinem, & cognitionem adeò in homine lapſo minime repertam, manifeſtè ſpectat; vel ambiguitas verborum Satanæ, ſiquidem ille de ſcientia agens in qua Deum referrent minimè malum minatus ſed bonum pollicitus eſt per illa homini. Cæterum, ſi nomen Arboris hactenus ad eventum referas, ut Deus in anteceſſum hoc nomen ab eo quomodocunque caderet petitum Arbori dederit, tanquam per cujus uſum decentem ſciret jam & magis impoſterum bonum ſicuti per abuſum indecentem ſciturus erat malum, minus longè erit obloquendum, ſed potius id quadantenus approbari merebitur, ſicuti poſtea liquebit. Quod plane voluiſſe *Auguſtinus* videtur, tum aliis locis, tum *Lib.* VIII. *de Gen. ad Lit. Cap.* 15. *Fruſtra autem nonnulli acute obtuſi ſunt, cum requirunt quomodò potuerit appellari lignum dignoſcentiæ boni & mali, antequam in eo transgreſſus eſſet homo præceptum, atque ipſa experientia dignoſceret quid intereſſet inter bonum quod amiſit & malum quod admiſit. Lignum enim tale nomen accepit, ut eo ſecundum prohibitionem non tacto cavereetur, quod eo contra prohibitionem tacto ſentiretur. Neque enim, quia inde contra præceptum manducaverunt, ideò factum eſt illud Lignum dignoſcentiæ boni & mali, ſed utique etiam ſi obedientes eſſent, & nihil inde contra præceptum uſurpaſſent, id rectè vocaretur, quod ibi eis accideret ſi uſurpaſſent. Quemadmodum ſi vocaretur Arbor ſaturitatis, quod inde poſſent homines ſaturari, nunquid ſi nemo acceſſiſſet, ideò nomen illud eſſet incongruum, quandoquidem cum accederent & ſaturarentur tunc probarent quam recte Arbor illa vocaretur.* Quodque plures magni Theologi poſt eum voluerunt inter recentiores, eventum etiam

prævisum experientiæ mali post usum boni memorantes simul. Robur sanè exiguum admodum mihi habere videntur, quæ opponi video de *fine* hujus nominis sic nullo futuro apud hominem, vel integrum sive intelligeret sive ignoraret ejus vim, vel lapsum. Cur enim non æquè Deus in nomine Arboris hujus significaverit homini malum, quod transgrediens haberet metuendum, quam in nomine Arboris alterius bonum vitæ, quod obediens posset præstolari? imo cur non subinnuerit Deus per nomen Arboris, à qua sub pœna mortis volebat abstineri, hominem mala vere esse experturum, ut tanto diligentius præsentissimi periculi intuitu caveret? dum illud utique aptissime per nomen Arboris significavit Deus, quod ex illius usu vel abusu boni vel mali, vel boni & mali successive, experientiam esset habiturus. Adeò minime necessum est, ad defensionem hujus exegesios vim nominis Arboris hujus dicere ante lapsum fuisse ignoratam, atque post lapsum demum absque magno usu inquirendam.

Ante lapsum sic appellata Arbor an nomen hoc à vi ingenerandæ homini Scientiæ habuerit, investigatur.

VIII. Hoc ergò maneat ex Mosis narratione certum, quod ante lapsum nomen suum hæc Arbor acceperit, sive ab homine integro per divinum quendam impulsum, sive longe potius ab ipso Deo, qui Arborem hanc cum altera Arbore vitæ pro arbitrio suo præ aliis selegit, usus earum ex suo consilio præ homine novit, atque usum hujus juxta cum ipso nomine exposuit *Gen.* II. 17. sicuti utrobique ἡ ξύλον ὅρον inculcat *Theodoretus*. Ad hæc verò spectari debet hominis integri status, quem mirè deformarunt dudum Judæi, & Hæretici præcipue inter Christianos, ut de Scientia boni & mali rectius judicemus in ipsius historia. Nempe apud *Maimonidem Mor. Neb. Lib.* I. *Cap.* 2. introducitur *vir quidam sapiens & eruditus* ita statuens; *Videtur ex simplici sensu Scripturæ, intentionem primam in hominis creatione fuisse, ut esset similis reliquis animantibus, sine intellectu & cogitatione, nesciens discernere inter bonum & malum, quando autem rebellavit, tum demum rebellionem ipsius magnam istam perfectionem in illo produxisse quæ propria ipsi est, cognitionem scil. vel discretionem istam existentem in nobis, quæ omnibus aliis rebus quæ nobis insunt est nobilior, & per quam ipsam substantiamur & sumus id quod sumus &c.* Quam fædissimam thesin merito illic refellit *Maimonides* ex creatione hominis secundum Imaginem Dei, & ex Lege illi data, ad quæ alia addere potuisset; sed & ipse aberrat magnopere, cum *intellectum* homini in-

te-

tegro concedens *discernentem inter verum & falsum*, negat illi tamen *boni vel mali*, quod est secundum ipsum *pulchrum & turpe*, & quidem in genere rerum *sensibilium*, usum & apprehensionem, ex esu fructus demum secutam *coll. Gen.* II. 25. III. 7. quod quomodocunque explicetur, non potest cum Adami integri sapientia, & cum vera notione boni & mali, conciliari. Notavit verò latius *Pererius*, quo modo Judæi *hoc loco fingant, Adamum & Evam creatos esse simplicissimos sine usu rationis infantium similes. Quoniam autem Arbor illa vim haberet accelerandi usum rationis & liberi arbitrii, propterea inquiunt appellatam fuisse Arborem Scientiæ boni & mali, nam secundum phrasin Scripturæ scire bonum & malum idem sonat, atque usum habere rationis &c.* quod ille tum latius refutat. Istam tamen de Protoplastorum puerili insciția thesin Judaicam non tantum sequuntur *Sociniani* & *Socinianizantes* passim, sed & Veteres aliqui tenuerunt, cum *Theophilo Antioch. Lib.* II. *ad Autol.* τῇ ᾗ ὥσῃ ἡλικίᾳ ὁ Ἀδὰμ ἔτι νήπιος ἦν, διὸ ἔτι ἠδύνατο ἡ γνῶσιν κατ' ἀξίαν χωρεῖν &c. Ex ista quin etiam puerilis ignorantiæ Adamicæ, majoris jam vel minoris, hypothesi fluxerunt omnes istæ glossæ, quæ cognitionem boni & mali traxerunt ad ingenii vim, aut ad sapientiam, mediocrem vel magnam, aut ad prudentiam in agendis, quam arboris esus homini præstaret scilicet. Vix sane aliorsum referas, quod *Josephus* dixit *Antiq. Lib.* I. *Cap.* 2. Τὸ δὲ φυτὸν ὀξύτητος καὶ δριμύτητος ὑπῆρχεν. Item quod est apud *Onkelosum*, æque quam in *Paraphrasi Jonathanis* & *Hierosolymitana*; Arbor *cujus comedentes fructus sciant*, הכמין / aut ידעין / vel *discernat*, מפרש / *inter bonum & malum.* Item quod de *Ophitis* refert *Epiphanius Hæres.* XXXVII. eos serpenti *tribuere*, ὅτι ἀρχὴ γέγονε γνώσεως τοῖς ἀνθρώποις, concedens & ipse, ὅτι γνῶσιν ἐνεποίησε τὸ ξύλον ᾧ εἰδέναι ἀγαθόν τε καὶ φαῦλον. Ut mittam similia plura Veterum & Recentiorum dicta. Dum nescio an huc referre debeam quadantenus, quod *Grotius de J. B. & P. Lib.* II. *Cap.* 2. ponit in hac Arbore *Symbolum artium variarum*, dicens simul mira exegesi, vel πρεσβεύσει potius, *scientiam boni & mali i. e. earum rerum quibus tum bene tum male uti licet*, φρόνησιν μέσην juxta *Philonem*; siquidem an arborem veri nominis agnoscat, neque heic neque in *Commentario* satis determinavit. Item quod nuper *Joh. Clericus*, post non improbatam admodum appellationem ab eventu, & ignoran-

tiæ ſuæ profeſſionem, monuit *eſſe, qui poſt irritos tot eruditorum hominum conatus hancce arborem venenatos protuliſſe fructus exiſtimant, & dictam fuiſſe arborem ſcientiæ boni & mali, quaſi arborem qua deguſtata prudentior homo futurus erat, quippe qui fructus quoſdam eſſe noxios beneque ſe à Deo monitum cogniturus erat, hinc recte a Joſepho φυτὸν φρονήσεως plantam prudentiæ dictam fuiſſe exiſtimant &c. Ut arbor vitæ poteſt eſſe arbor, cujus fructus eſſent ἀλεξιτήριοι ſeu medicati, ita arbor prudentiæ erit arbor venenata, quam vitare prudentium eſt, & cujus guſtato fructu imprudens ſit prudentior. Hujus generis plures Arbores eſſe potuerunt, quemadmodum plures ſunt medicatarum ſpecies. Plinius Lib.* XII. *Cap.* 6. *meminit cujuſdam Indicæ ficus, quam ita deſcribit; eſt & alia ſimilis huic, dulcior pomo, ſed interaneorum valetudini infeſta. Subjicit; edixerat Alexander, ne quis agminis ſui id pomum attingeret. Qua circumſtantia hæc illuſtrari poteſt hiſtoria.* Iſthoc enim ſatis ludicro & infra hiſtoriæ ſacræ dignitatem hærente modo, prudentia ex arboris fructu guſtato moraliter magis quam phyſice repetitur, ſed & ea Protoplaſtis ante eſum fructus denegatur. Utique pertinet huc quod *Steph. Curcellæus Inſtit. Lib.* III. *Cap.* 13. poſt rejectum merito iſtum ſenſum nominis ironicum, quod *comeſta arbor tenebras ignorantiæ menti hominis offuſura eſſet*, ipſe exiſtimat illud nomen ſortitam eam eſſe, *quod revera aliquam boni & mali cognitionem afferre apta foret, non tamen honeſti & turpis, de ea enim ſana ratio, qua homo præditus erat, ſufficienter edocere poterat &c.* ſed *decori & indecori. nempe decorum eſſe homini nuditatem ſuam tegere, indecorum contra nudum incedere, quod Adamus & Eva infantibus ſimiles ignorabant &c.* quaſi decorum tale & indecorum ſub honeſto & turpi non comprehenderetur, & de virtutibus & vitiis probe edocti externam decentiam tamen ignoraſſent. Adverſus iſta & ſimilia omnia cogitata notari debet, quod non quidem Protoplaſtis in illo ſtatu ſit denegandus omnis omnino ſapientiæ divinæ ſimul & humanæ progreſſus, ſeu in Paradiſo ſeu in tranſlatione cœleſti promiſſâ, attamen quod per imaginem Dei quæ ſapientiam complectitur ſatis perfectam procul adeo abfuerint à puerili quacunque ignorantia, ut vis intellectus cum cognitione omnis boni faciendi & mali evitandi iis fuerit maxima, non minus quam corpori vigor incomparabilis; uti hæc alias latiùs oſtenduntur, atque in hanc rem ipſe *Moſes Bar-*

Cepha

Digitized by Google

Cepha urſit, tum naturam Adami integri, cum Dei imagine, tum legem illi à Deo latam, tum animalium nominationem, tum agnitionem Evæ, tum ipſum quoque divinitatis deſiderium. Et ſi Arbor hæc vere per ſe quacunque ratione poſſet hominis ingenium ſapientiam aut prudentiam augere, ut inde denominaretur, non fuiſſet divinæ bonitati conveniens ab illius uſu adeo ſalutari homini & glorioſo Deo hominem arcere. Ut latè non dicam de vi inſita fructus arborei in hominis ingenium, quam omnem non poſſe omni cibo negari in præſenti arctiſſima mentis & corporis unione, adverſus *Lyranum* meritò diſputavit *Pererius*, & quam docet quotidiana experientia omnes. Quod ſi vero illam ſcientiæ, ejuſque latiſſimæ, ingenerandæ vim habuerit hæc Arbor, jam ſanè quoad ſcientiam promiſſam edenti neutiquam mentitus fuerit Satanas, uti & nugantur quandoque Judæi, cum *Exploratoribus* & *Doëg* jungentes *Serpentem* tanquam tres qui *vera dicentes* tamen ſint *damnati*; atque aut Deus derepente nimis vim arboris cum ſe exſertura eſſet ei abſtulit, aut ex infante rudi per eſum factus homo fuerit Vir ſapientiſſimus, qui *Telemachi* ex *Homero* citata à *Grotio* verba adhiberet,

Καὶ οἶδα ἕκαστα

Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια, πάρος δέ τε νήπιος ἦα.

Quæ quantum à veritate abſint, triſtis omnes Adami poſteros experientia dudum docuit.

IX. Hoc reliquum eſt modo, quando homines primos deprehendimus ſatis inſtructos per Dei imaginem, quin & per fœdus cum illis à Deo initum de quo ſuo loco agemus, & ſapientia & boni faciendi ac mali vitandi diſtincta cognitione, ut *bonum & malum* heic intelligamus, non faciendum & vitandum, ſeu præſcriptum, ſed factum ab ipſis per obedientiam vel inobedientiam adverſus Dei fœdus, cum ſequente ſimul bonum voluptate & commodo ex Dei promiſſis, ſed malum moleſtia & damno ex Dei juſtiſſimis minis. Nec aliud eſt hujus boni & mali *ſcientia*, quam certa & explorata & diſtincta ejus conſcientia, non tam apud Deum omniſcium, quam apud hominem ipſum, ſimul & apud poſteros ejus quos repræſentabat in iſthoc fœdere. Qualem utique ſcientiam boni & mali peracti cum ejus fructibus hocce nomen mereri pleniſſimè, nemo attendens dubitabit; & ſub illo nomine optime etiam intelligi, ubi parvuli inſcii quid agant dicuntur *non*

Scientia boni & mali dicit heic rectius conſcientiam obedientiæ præſtitæ cum præmio exſpectando, vel inobedientiæ commiſſæ cum pœna metuenda.

ſcire bonum & malum Deut. 1. 39. quin ubi Davidi tribuitur *audire bonum & malum* 2. *Sam.* XIV. 17. atque ubi Salomoh petiit à Deo *cor audiens ad judicandum populum, & intelligendum inter bonum & malum* 1. *Reg.* III. 9. poſſet ab attendentibus non immeritò ſtatui. Sed & quantâ eſſet Adamus per Dei imaginem ſapientiâ inſtructus, non poterat hanc boni & mali ſcientiam actualem habere, niſi cum idem à ſe fieret; atque licet ex obedientia vel inobedientia interna poſſet ſolâ apud ipſum oriri iſta conſcientia, nihil tamen obſtabat, quo minus ſcientiæ hujus haberet aliud ſubſidium externum, quin & utile id erat ad ipſius, in primis labentis, & excæcandi tum atque reluctaturi, majorem & irrefragibilem convictionem cum omni ſimul poſteritate, & ad Dei hinc fluxuram gloriam in opere ejus ſecundum bonum vel malum hominis compoſito. Neque dubium eſt, quin hanc eandem ſcientiam intellexerint multi, qui cognitionis experimentalis heic meminerunt.

A qua Arbor eſt hæc denominata, quod ejus fructus omiſſus vel ſumptus manifeſtum obedientiæ vel inobedientiæ argumentum præberet.

X. Ex dictis porrò per ſe conſtat, quare *Arbor* hæc ab illa *Scientia* boni & mali ſit denominata; quod nempe ſcientiam illam in homine operaretur, non inſita aliqua fructuum ejus ubi ſumerentur efficacia, ſed per interveniens Dei de illa Arbore non ſumenda verbum, per quod obſervatum vel neglectum conſtituebatur certiſſimum obedientiæ & inobedientiæ ſignum, objectivè & moraliter ſcientiam eam operans, unam vel aliam, imò unam & aliam ſucceſſive; quo fere modo Arbor altera Vitam quoque operabatur per Dei verbum de ea, non ſuâ natura & efficacia inſita. Narrat itaque Moſes, Deum in Paradiſo præter alias Arbores germinare feciſſe, tum Arborem quæ ſuo eſu ipſum de vita ſpirituali æterna & vera omni planè certum reddebat, tum Arborem quæ abſtinentia à fructu ſuo de obedientia ejuſque præmio omni, aſt eſu fructus ſui de inobedientia ejuſque pœna ipſum daret convictiſſimum. Et verba ipſius divini interdicti hunc habent ſenſum; en præter alias arbores omnes, de quibus liberrimè comedes, unam adhuc, arborem ſcientiæ qua certam præſtiti vel neglecti adverſus me obſequii & beneficii à me exſpectandi vel ſecus notitiam habebis, quandoquidem ejus eſum tibi ſub mortis pœna ſeveriſſimè interdico. Quo modo nè minimus ſupereſt ſcrupulus, cur Arborem à Scientia denominatam Deus homini interdixerit, quaſi ſic ſcientiam ipſam videretur homini invidere, juxta Ser-

Digitized by Google

Serpentis calumniam maligne ex hoc nomine petitam. Etenim scientiam boni sic Deus concedebat homini, imo & urgebat apud eum per abstinentiam ab Arboris fructu; nec erat invidiæ sed benignitatis divinæ opus scientiam mali quoad radicem suam seu malum ipsum ita arcere ab homine per edendi interdictum, ut malo perpetrato illam ipsam notitiam tanquam ad novam salutem prorsus necessariam per esum ejusdem omnino non negaret sed daret.

Consensus Veterum plurimorum cum recentioribus in eam appellationis rationem.

XI. Atque hæc verè in re ipsa est mens omnium Theologorum, qui *ratione probationis*, atque *à fine* suo, sic Arborem appellaram voluerunt, ipsi eam quoque appellantes *Arborem Probationis*, quin & *Sacramentum Explorationis*. Quemadmodum præierunt variis in eam rem phrasibus Veteres plurimi. Prolixè *Chrysostomus Orat. VI. & VII. Tom. V.* in nominis Arboris rationem inquirens, hoc omnino inculcat; πῶς ἐν τούτῳ πρῶτον, ὅτι καλὸν ἡ ὑπακοὴ, καὶ πονηρὸν ἡ παρακοὴ, καὶ ὅτως εἰσόμεθα καὶ ἐκεῖνο, καὶ διὰ τοῦτο γνωστὸν καλῶ καὶ πονηρὸν καλεῖται τὸ ξύλον, ἐπειδὴ ἡ ἐντολὴ ἡμῖν ἄζυμα † ὑπακοὴν καὶ τὴν παρακοὴν περὶ τὸ ξύλον ἐγένετο; ἤδει μὲν γὰρ καὶ πρὸ τούτου ὁ Ἀδὰμ ὅτι καλὸν μὲν ἡ ὑπακοὴ, πονηρὸν δὲ ἡ παρακοὴ, ἔμαθε δὲ ὕστερον σαφέστερον δι' αὐτῆς † πραγμάτων τὴν πεῖραν &c. Huc tendunt *Severiani Gabal. Orat. VI. de Mund. Op.* similia verba apud *Chrysostomum Tom. VII.* Item illa *Basilii Seleuc. Orat. II. de Adam.* καὶ καθάπερ ἐν θέλτῳ τῷ φυτῷ διαγεγράψας † ἐντολὴν, † ἔνδον κρυπτομένην διάγνωσιν ἀνεκίνησεν, ὑπακοῆς καὶ παρακοῆς διαφορὰν ἐπὶ τῷ ξύλῳ προσγεγραψὼς, ὥστε γνωστὸν καλῶ καὶ πονηρὸν τὸ ξύλον ἐπονομάζεται, ἀφ' ὧν γὰρ ἔστιν ἐδιδάχθη, διὰ τούτων τὸ ξύλον ἐκλήθη, ἡ δὲ τούτου διδασκαλία τῷ φυτῷ προσηρμόκει. Etiam *Theodoretus Quæst. XXVI. in Gen.* dixit τὸ ἕτερον ξύλον διὰ τὸ μὴ αὐτὸ γενέσθαι τῆς ἁμαρτίας † ἄθησιν ξύλον ἐκλήθη γνωστὸν καλῶ καὶ πονηρῶ, καὶ περὶ τούτου μὲν προτέθη ὁ λόγος τῷ Ἀδὰμ &c. καὶ ξύλον γνώστως ἐκλήθη, διὰ † περὶ τοῦτο γεγενημένου ἄθησιν τῆς ἁμαρτίας, ἔδεπτο γὰρ πεῖραν εἰληφότες τῆς ἁμαρτίας. εἶτα δὲ ἀπειρημένων μετειληχότες καρπῶν, ὡς παραβεβηκότες † ἐντολὴν, τὰς δὲ συνειδότος ἀκίδας ἐδέξαντο. Mox etiam argumentum hoc latius persequitur idem *Quæst. XXVII.* inculcans, homines tanquam ad imaginem Dei factos habuisse quidem διάκρισιν ἀγαθῆς καὶ κακῆς, atque † γνῶσιν, sed † πεῖραν postea accepisse. Non dissentit fere *Cyrillus Lib. III. c. Julian.* prolixe retundens illusionem illiam

Mo-

Digitized by Google

Moſis, quod ſummæ abſurditatis ſit, τὸν θεὸν ἀπαγορεύειν ἢ διδόναι γνῶσιν καλοῦ τε καὶ φαύλου, κεφάλαιον τῆς φρενήσεως, τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πλασθεῖσιν ἀνθρώποις, atque hoc maxime reponens, quod ſit ἔθος τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ ἢ διὰ πείρας αὐτῆς ἴδησιν ἢ ἐφ' ὅτῳ ἂν ἢ πρακτέων ἐφ' ὅτε τῷ τῆς γνώσεως ὀνόματι δηλοῦν, de Deo ipſo ſubjiciens, οὐκ ἠγνόησε δὲ τὸ κακόν, πλὴν οἶδεν ὑ πρακτικῶς. Bene convenit illud *Eucherii Lib.* I. *in Gen. Cap.* 16. *Non quod ipſum lignum in ſua natura rationale eſſet, vel ſcientiam boni & mali habuiſſet, ſed quod in eo experiri & ſcire potuit, quid eſſet inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum &c.* Multis idem monſtrat *Moſes Bar Cepha*; *Jam vero dicimus, Arborem ſcientiæ boni & mali illam eſſe appellatam, quia per eam re ipſa facto periculo Adamus agnovit bonum & malum &c. Arbor illa cognominata eſt ſcientiæ boni & mali, non quod ipſa vel in ſe talem ſcientiam habuerit, aut eam in Adamo effecerit, qua hic jam ante pollebat, ſed quia per eam arborem eſt ille re ipſa expertus, atque ut ita dicam efficienter edoctus, quid eſſet bonum & quid malum, quippe in ea arbore poſitum erat periculum & obedientiæ & rebellionis Adami, atque per eam clare agnovit ille boni malique rationem ipſo rei effectu, didicitque quantum eſſet boni in obſervando Dei mandato poſitum, & quantum contra mali in prævaricando. Parere enim præcepto bonum, non parere malum appellavit Scriptura &c.* Quin & *Joh. Damaſcenus Orth. Fid. Lib.* II. *Cap.* 11. plantatum dixit τὸ μὲν ξύλον τῆς γνώσεως, ἐπιπειρᾶν τινα, καὶ δοκιμὴν, ἢ γυμνάσιον τῆς ἐξ ἀνθρώπου ὑπακοῆς ἢ ἀπειθοῦς, διὸ ἢ ξύλον ἐξ γινώσκειν καλὸν ἢ πονηρὸν κέκληται; quamvis tum addat, ἢ ὅτι δύναμιν ἰδίαν γνωστικὴν τῆς μεταλαμβάνουσι τῆς οἰκείας φύσεως &c. Et videtur in hac ſerie etiam omninò nominandus *Auguſtinus*; ſi loca antea ex eò adducta conferamus, præter alia plura, qualis etiam eſt *Lib.* VIII. *de Geneſ. ad lit. Cap.* 14. *Hoc expertus eſt homo, contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit, quid intereſt inter bonum & malum, bonum ſcil. obedientiæ, malum autem inobedientiæ, i. e. ſuperbiæ & contumaciæ, perverſæ imitationis Dei, & noxiæ libertatis. Hoc autem in quo ligno accidere potuit, ex ipſa re, ut jam ſupra dictum eſt, nomen accepit.* Quamquam in iſtis & ſimilibus Patrum dictis multis hoc fere notandum ſit, quod ipſi magis bonum & malum ex obedientia aut inobedientia fluens, quam illam ipſam directè ſpectant. Dum melius nobiscum *Aug. Steuchus Eugubinus* primo ur-

Digitized by Google

urget, *vocatam esse arborem sciendi bonum & malum, i. e. virtutis & vitii, sapientiæ & insipientiæ, dignoscendæ; una Arbore potuisse intelligi, quæ constantia, quæ continentia, quanta suo Creatori, cui summum est jus mundanaque autoritas, esset apud hominem obsequendi voluntas, rursum an inconstantia, incontinentia, contemptus, negligentiaque parendi &c.* laudato dein in hanc rem præter *Theodorum & Severum* ipso *Eusebio*, ἀπὸ τ γυμνάσιον τ πειρασμ αὐτὸ διὰ τοῦτο ἐκλήθη; sed & secundo addit, sic dictam eam arborem, *quia qui fructus ejus comedisset, quantum inter bonum atque malum interesset facile dignosceret, damnatus enim homo per illam arborem cognovit quam beatitudinem amisisset &c.* quin & postea tertio loco adjicit *cognitionem nuditatis amissa puritate, & quadam syncéritate à Deo largita à peccato sublata.* Clausulæ loco addam adhuc curatissima de nominis hujus Arboris ratione *Cl. Cocceji* verba quæ habet *Summ. Cap.* XXVI. §. 9. *Et Arbor cognitionis boni ac mali dicitur.* 1. *Quia erat* πειρασικὴ *sive* δοκιμασικὴ *hominis, bonus ne an malus futurus esset. Bonitas enim hominis conservatione similitudinis Dei constabat, qua amissa malus & Deo inimicus ac odiosus ipsiusque communione indignus erat extiturus. Chrysost.* περὶ τὸ ξύλον τοῦτο ἡ γυμνασία ἦν τ ὑπακοῆς καὶ παρακοῆς, *in hac arbore erat exercitium obedientiæ & inobedientiæ.* 2. *Quia per hanc explorationem, si obediret, perventurus erat ad cognitionem & sensum boni sui, ad quod vocabatur & naturali appetitu trahebatur, nempe vitam æternam & beatitudinem consummatam, tanquam justus; contra, si inobediens esset, in malum ruiturus erat, nempe mortem, ut injustus.*

XII. Sed præter nomen *Arboris Scientiæ Boni & Mali* plura reperimus ad ejus descriptionem facientia, quæ annotavit Moses in Tentationis & Lapsus humani historia *Gen.* III. 6. *Viditque mulier, quod bona Arbor ad esum, & quod desiderium ipsa oculis, & desiderabilis Arbor ad intelligendum, & accepit de fructu ejus & comedit &c.* Duo priora dè Arbore hac prædicata haud habent multum difficultatis; etiam si contuleris quæ de Arboribus Paradisi generatim antea diximus *Gen.* II. 9. Etenim intelligitur facilè *bonitas ad esum*, vel *cibum*, למאכל / *ad vescendum* εἰς βρῶσιν apud *Vulgatum* & LXX. non modò de aptitudine ad edendum qualicunque, sed & de dulcedinis quoad gustum atque virtutis quoad nutritionem præstantia, excellenti forte utraque in hac Arbore

Ulterior Arboris hujus descriptio, quod fuerit bona ad esum, desiderium oculis, & desiderabilis ad intelligendum, una cum Visu Mulieris, exponitur.

Digitized by Google

præ aliis *Arboribus* Paradiſi, communiter antea *bonis eſui* dictis. Quando id ſponte pateſcit, non debere hanc de Arbore prædicatam bonitatem ipſi trunco ſed ejus fructui metonymicè tribui, cujus ſcil. eſus erat interdictus *Gen.* III. 3. *coll. Cap.* II. 17. & de quo mulier accepiſſe diſertè fertur heic. Quod vix eſſet adeò ut notaretur, niſi ita inſaniiſſet inter Judæos R. *Abba in Breshith Rabbah*; *Pomum citreum fuit, id eſt quod dicitur, viditque mulier quod bona Arbor ad eſum, exi & vide quænam ſit arbor cujus lignum comedatur uti fructus ejus, & non invenies niſi citrum.* Dum debuiſſet homo hic cogitare, de alia multiplici arbore hanc bonitatem ad eſum perinde aſſeri *Gen.* II. 9. dumque alias ex ea gente alii fructum arboris datum viro à muliere *Gen.* III. 6. 12. in lignum durum ad verberandum aptum ludicrè convertunt. Intelligitur non minus facilè, *deſiderium oculis*, vel *oculorum*, תאוה לעינים / denotare ſummam molis, figuræ, coloriſque, præſtantiam ad intuentium oculos, per ſpeciem viſibilem allectos atque ſic animum ad eſum allicientes, etiam præ aliis *arboribus aſpectui deſiderabilibus*; quod uſus nominis abſtracti pro concreto videtur velle, & notatur per verſiones plures. Eſt enim apud *Vulgatum*, *pulchrum oculis*, apud LXX. ἀρεσὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, apud *Onkeloſum*, *medicina* vel *ſanatio* vel *ſanitas* אסו / *oculis*, apud *Jonathanem* quoque *medicina ad lumen oculorum*; ad quam phraſin notavit *Doct. Fagius*, *ſanare oculos eſſe Chaldaicum adagium*, *pro paſcere oculos*, dum *ſunt* tamen, *qui inde colligant, arborem iſtam habuiſſe vim medicam* nempe *medendi oculis & auferendi cæcitatem*, ſentientes ſimul *Adam & Evam cæcos fuiſſe.* Quæ ſunt figmenta ineptiſſima, ipſi textui viſum mulieris memoranti, æque quam ſtatui Protoplaſtorum adverſiſſima; nec convenientia phraſi huic, non *bonitatis ad oculos*, ſed *deſiderii oculorum* vel *ad* eos, quale abſque conſpectu cogitari nequit. Refer autem hanc viſibilem præſtantiam ſeu pulchritudinem rurſus heic directè ad Arboris fructum, dè quo mulier per eam invitata accepit; quamquam heic non ſit ratio eandem ad fructum reſtringendi, quin potius trunci frondis floriſque pulchritudo non diſſimilis conditioni pulcherrimæ fructus rectè cogitetur. Tertium prædicatum *Arbori* huic tributum, cum nominis iſtius repetitione dum in ſecundo membro tantum erat pronomen הוא *ipſius*, habet aliquid amplius difficultatis; dicitur enim *deſiderabilis ad intelligen-*

Digitized by Google

gendum, seu *dandum intelligentiam*, נחמד להשכיל / uti verbum illud *in Hiphil* passim intransitive & transitivè usurpatur. Apud *Vulgatum* prò eo est, *aspectu delectabile*, apud *Onkelosum* atque *Jonathanem*, כרנג לאיסתכלא ביה / *appetibile*, sive *delectabile*, seu *ad intelligendum in eo*, seu *ad intuendum in eam*, apud LXX denique, ὡραῖον & κατανοῆσαι, quod reddi commodè potest, *pulchrum contemplatu*, vel *intellectu*. Videntur scil. multi verbum, quod proprie ad mentis actum refertur, transtulisse ad actionem corporis per quam mentis actio in rebus sensibilibus exercetur & augetur; sicuti alias sensuum corporeorum nomina frequentissime ad animum transferuntur quoque. Idque ideo factum puto, quod alias posset videri in Arbore quædam vis dandæ intelligentiæ constitui, quæ quomodo videri posset à muliere, nova iterum oboriebatur difficultas. Notum cæteroquin est, *prosperitatis obtinendæ* notionem illi verbo etiam alias competere, quæ ex intellectu & prudentia justa passim consequitur effective & meritoriè: sed ea licet non excludatur heic consequenter, directè tamen non spectatur adeò, ob *Arboris* à *Scientia* denominationem. Alterutrum puto optime dici; aut quod Arbor fuerit *desiderabilis* admodum, *ad*, & *ob*, *dandam* ab ipsa, *accipiendam* verò *ab homine intelligentiam*, & quidem boni & mali, non secundum primum sensum in nomine Arboris à Deo spectatum intelligendi illud tanquam ab homine factum, quia scientia hæc mali respectu minime erat desiderabilis, sed juxta sensum alterum à Satana nomini isti pessimè affictum parilis cum Deo sapientiæ, quæ utique desiderio omni digna; aut quod Arbor illa fuerit *desiderabilis* potius *ad intelligendum* propius & per usum actualem illam, ejusque qualitatem & virtutem, quid dè ea tandem esset juxta speciem ejus externam, & nomen, & Serpentis maximè promissionem, ad quod intelligendum Arboris istius usus aptus erat, atque invitabant tantum non omnia præter Dei interdictum appetibilia in ea, quali fere sensu priora illa למאכל *ad esum* & לעינים *oculis* ad hominis circa hanc Arborem actionem nos ducunt. Est autem illa ad intelligendum desiderabilitas ad Arboris fructum iterum manifeste referenda. Interim sciendum est, quod tria illa, vel duo saltem, non à Mose dicantur adeo de hac Arbore, quam quidem asserantur à muliere in ea esse animadversa, *viditque mulier*, *quod* bona Arbor &c. *& quod* desiderium &c.

dnm in tertio membro non eſt illud כי / *quod*, repetitum, ſive ſubintelligatur כמו ס ראוי, ſive per ſe fundat ſenſum ſubintellecto tantum verbo ſubſtantivo, *eratque deſiderabilis Arbor ad intelligendum*, ſive vere in ſe ſive apud mulierem intuentem maximè. Quamquam ita alias etiam forte capi poſſet illud duplex כי *quod*, ut non determinet id quod mulier in hac Arbore vidit, ſed exponat rationem viſus attenti & circumſpecti; *vidit* ſcil. ita *mulier* arborem à Serpente prædicatam, *quia* vel, *quoniam*, vel *quandoquidem* erat *bona ad eſum, & quia deſiderium ipſa erat oculis.* Ad quæ cogitata viam ſternunt fortè, qui in ipſo *viſu* mulieris conſtituunt haud levem ejus culpam, nempe *curioſitatem* indecentem, dum viſum hunc arboris, æque quam auditum ſedulum verborum ſerpentis, à vitio neutiquam puto fuiſſe immunem, ſed vere indicium averſionis indecentis à Deo, inclinationemque & gradum ad lapſum conſummatum, alias viſu arboris per ſe minimè illicito aut damnato. Attamen non exiſtimem id adeo heic ſignificare velle Moſen, quid mulierem ad viſum Arboris moverit, quorſum facit ſerpentis ſermo omnis; quam quidem, quid videns ipſa in Arbore obſervaverit, quod ad eſum eandem permoverit poſt Serpentis voces; quo magis nullum aliud viſionis muliebris objectum heic ad verbum eſt additum, præter illa quæ per duplex כי *quod* ſubjiciuntur. Aſt quomodo, inquies, *videre* potuit iſta duo in Arbore mulier, quæ heic memorantur præter *deſiderium* ejus ad *oculos?* nempe *bonitatem ad eſum*, & *deſiderabilitatem ad intelligendum?* Erras ſi putas cum Judæis quibuſdam aliiſque, heic eſſe confugiendum illuc, ut *videre* metonymicè ponatur pro cognoſcere, ex auditis nempe Satanæ verbis, *coll. Gen.* XLII. 1. *&c.* quo magis de bonitate ad eſum nihil dixiſſe legitur ille, & deſiderium ad oculos mulier omnino oculis ſuis vidit. Sed ex colore aliiſque quæ externè vidit in Arboris fructibus mulier, & collatione facta frugum aliarum quas ederat deprehenderatque ſuaves & utiles ſibi, collegit illa talem omnino eſſe fructum hujus Arboris, juxta & præ aliis aliarum Arborum quadantenus ſimilium frugibus, ut aliquid viderit, & aliquid ex viſis collegerit ipſa. In qua ipſa frugum variarum diſcretione ad humanos uſus ex externo conſpectu potuerunt primi homines per ſapiens in creaturas alias dominium aliquid habere peculiare, præ nobis lapſis atque experientia longa uſus creaturarum diſcere coactis; quemadmodum in

eam.

Digitized by Google

eam rem nominatio animantium ab Adamo promptiſſime & dexterrime facta conferri meretur. Et quamquam jam in lapſu eſſet mulier, ſic ſubjici cœpta ſpiritualibus tenebris, potuit tamen iſta naturalis ſapientia ipſi adhuc fuiſſe relicta; quemadmodum nec alios peccati fructus ſenſit ante Adami ſecum transgreſſionem. Si porrò nunc roges, an viſus iſte mulieris labentis ſuerit veritati rei conformis, an vero minus verus & certus? cum diſtinctione puto eſſe reſpondendum. Nempe externam frugum formam & colorem recte vidit illa indubiè, minime cæca aut vilibus frugibus aſſuefacta, nec male præſtantiam ejus ad eſum inde collegit, unde poſt guſtum ſuaſit etiam viro ut ederet; & fuit hac in parte demonſtrata Dei ſapientia quoque, quod homines probaturus externo aliquo facto juſſerit abſtinere à fructu, non ingrato præ aliis quem ſic ſpontè magis evitarent etiam homines lapſi, ſed potius omnium gratiſſimo & qui invitaret ad ſui uſum intuentes. Sed quod *ad intelligendum* attinet, ſic videbatur illa magis, quam erat deſiderabilis; ſive ſpectes intelligentiam ex ejus eſu hauriendam juxta Satanæ promiſſa, quæ ipſa quidem erat deſiderabilis, & fructum deſiderabilem faciebat mulieri, ſed cujus communicandæ virtus ei minime inerat; ſive conſideres intelligentiam interiorem naturæ & virtutis Arboris hujus cum ſuis fructibus, ad quam videri poterat, ſed non erat vere ejus eſus deſiderabilis, propter mortem ex Dei minis certiſſime inſecuturam, & ab hominibus metuendam.

XIII. Lubet nunc audire conjecturas humanas de Arboris hujus ſpecie, quando dudum multi cum *Moſe BarCepha Lib.* 1. *Cap.* 19. rogarunt, *cujuſcemodi fuerit Arbor Scientiæ Boni & Mali?* Ipſe vero iſte Autor cum ſententia quæ hanc *Arborem* cenſet fuiſſe *Frumentum*, de qua tanquam non conveniente nomini *Arboris* diximus nos *initio* §. I. proxime hanc nectit; *Rurſus alii Vitem fuiſſe contendunt, & idcirco Sanguinem ſuum dediſſe Chriſtum in vino pro expianda primorum parentum noxa.* Atque illuc tendit R. *Elhai in Breshith Rabbah; Uvæ fuerunt, ſicut dicitur Deut.* XXXII. 32. *Uvæ eorum uvæ fellis, botri amari eis, iſti botri adduxerunt amaritudines mundo.* Nec minus *Talmudici* plures *in Gemara Sanhedrin Cap.* VIII. ubi traditio de *Tritico* antea exhibita R. *Jehudæ* tribuitur, atque ubi ferunt Deum *Noacho* dixiſſe, *annon debuiſſet diſcere ab Adamo primo, quod nihil præter vinum ipſi*

Sententiæ variæ de hujus Arboris ſpecie recenſentur, juxta quas fuit illa vel Vitis, vel Malus, vel Ficus; de quibus ſingulis plenius diſputatur.

cauſa mali, ſecundum illos qui dicunt, Arborem illam de qua edit Adam primus fuiſſe Vitem, quod docuit R. Meir, docens Vitem fuiſſe, quia non eſt tibi verbum, vel *res, adducens ejulatum homini, niſi vinum*; notante ad hunc textum *Cl. Coccejo*, quod היין *vinum in numeris tantum efficiat quantum* יללה *i. e. lamentum, utrumque enim valere 75.* ut ſit argumentum hoc prorſus Cabbaliſticum, non abludente tamen re ipſa, quatenus ex vino plurima hominibus mala eveniunt. Sic ergo habes ſententiam unam cum ejus variis ſed levibus admodum argumentis. Altera eſt opinio, quæ à pictoribus vulgo adoptata, ſtatuit Arborem hanc fuiſſe *Malum*; quando de ſpecie ejus novus eſt diſſenſus, an *Citrea, Perſica, Medica, Limonia*, ſeu *Aurantia*, à quibus *Aurea* adeoque gratiſſima proveniunt *Poma* antiquitus merito celebrata, an altera aliqua fuerit, uti *Pyri Prunique* nonnunquam etiam meminerunt recentiores. Utique jam ſupra *R. Abba* adduximus verba ex *Breshith Rabbah*, quibus אתרוג *Citrum* vel *Citreum* ille nominavit. Et producitur pro hac opinione ipſe *Auguſtinus Lib. XI. de Gen. ad lit. Cap. 31. Tale quippe pomum credendum eſt fuiſſe in illa Arbore cujus generis poma jam in aliis Arboribus innoxia ſenſerat.* Sed fructus arborum eſui aptos omnes, qui molliore corio teguntur, vel etiam nuces ipſas, ſub *pomorum* communi nomine venire obſervant Philologi, & eſt hinc nomen idem paſſim à Patribus recentioribus cum *Bernardo* adhibitum abſque ulla fructus determinatione. Scilicet præter præſtantiſſimam formam malorum in hanc opinionem conferunt textum *Cant. VIII. 5.* docente id cum aliis *Ben. Pererio*; *Non defuerunt, qui opinati ſint eam Arborem fuiſſe Malum, propter id quod ſcriptum eſt in Canticis Cap. VIII. Sub arbore Malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua &c.* ſed & addente eodem illo Autore, quod *doctrina illius Libri tota ſit parabolica, quare propriæ verborum ſignificationi nequaquam inſiſtendum eſt &c.* quodque *nomen mali* (Hebraice מאן à flatu excitato forte, aut ab odore latè ſpirante) *generale ſit, multas arborum ſpecies complectens.* Tertia autem opinio omnium eſt vulgatiſſima, quod Arbor hæc fuerit *Ficus.* Iſtam tradit *R. Joſe in Breshith Rabbah*, & cum parabola filii regi atque ancillæ ab eo corruptæ, atque per fabellam, ſeu illuſtrat ſeu confirmat, quod expulſum a Deo Adamum nulla arbor voluerit recipere præter *ficum, quæ quod*

de

Digitized by Google

de ea comedisset aperuit fores suas & recepit eum, juxta *Gen.* III. 7. Istam similiter referri videas *in Gemara Sanhedrin* Cap. VIII. nomine *R. Nehemia*; asserentis, quod *in quo deliquerint, ex eo correctionem sumpserint.* Istam apud Judæos commentatores quoque communiorem Christiani perinde sunt secuti. Exhibet nobis eandem *Moses Bar-Cepha* nomine *Philoxeni Mabugensis*, ei ut *vero similiori quoque subscribens*, eamque latius firmans; *Credibile enim est, simul atque de ea arbore edissent, pudore correptos ex eo quod proxime ad manum erat subligacula sibi comparavisse, quibus sua obvelarent pudenda. Ea vero ex ficulneis fuisse foliis facta, testatur ipsa Scriptura. Neque enim simile veri potest existimari, ipsos praetermissa ea Arbore quae proxima erat ad aliam longiuscule dissitam festinasse, ex cujus foliis concinnatis subligaculis suam contegerent nuditatem.* Erat ergo Ficus Arbor illa Scientiae Boni & mali. Legitur apud *Theodoretum Interr.* XXVIII. sub nomine *Theodori* eadem opinio tanquam irrefragabilis; Ἐπειδὴ ῥάπτοντες ἐπὶ τὰ φύλλα, ἤκουσαν τῆς φωνῆς τοῦ θεοῦ περιπατοῦντος, ὑπὸ τὸ ξύλον ἐκρύβησαν, οὐκ ἄλλο δηλονότι, ἀλλ' ἢ ὅπερ ἔφαγον τὰ φύλλα· τοῦτο δὲ ἦν ἐφ' ᾧ ἡ ἐντολὴν ἐλήφεισαν, ὡς ὁ προφήτης φησὶν ἐκρύβησαν ἐν μέσῳ τοῦ ξύλου τοῦ παραδείσου· ἀπ' αὐτοῦ δὲ τοῦ βεβρωκότες τὰ φύλλα ἔφαγον, δῆλοι γενομένου αὐτοῖς αἰσχύνην ἐπὶ τῇ γυμνώσει· ταῦτα ἦν ἰῶν φύλλα συκῆς· ἀναπρήτως ἔφερε συκῆ τὸ δένδρον ἰῶν, ἐφ' ᾧ παρελήφεισαν ἡ ἐντολήν· ἀλλ' ὁ προσέταττε τοῦτο πιεῖν δηλονότι ἐνήθησαν &c. Quin & opinionem eam ex Euangelica Ficus maledictione firmavit *Isidorus Pelusiota Lib.* I. *Epist.* LI. *ad Theopompum Tribunum*; Ἅμα δέ τις τάχα καὶ ἀπόρρητον συμπέπλεκται λόγον, ἀφ' ἱερόντων εἰς ἡμᾶς σοφῶν διαφοιτήσας, ὅτι τὸ ξύλον τοῦ προβάτου τοῦτο, ὃ καὶ τοῖς φύλλοις εἰς σκέπην οἱ προβάντες ἐχρήσαντο. καὶ πατρικῆς προδὲ χειρὸς φιλανθρώπως, μηκέτι παρὸν ἐνεγκεῖν ἄπονον ἁμαρτίας, ἐπειδὴ δευτέρα θεοῦ παρουσία προς ἀνθρώποις μὴ οὐκ ἔστι, προς δέ τίσιν τῶν πεπραγμένων ἐκάστῳ. Sed quis ex istis omnibus non videt, esse singulas has opiniones non nisi conjecturas incertissimas, solidoque fundamento prorsus destituras? Utique quod ad primam attinet de *Vite*, debet illa arbor cum *nuce* distingui à *vino*, quod non editur sed bibitur, quodque Servator noster cum in Cœna adhibuit, ad ejus præstantiam & utilitatem cum sanguine suo conferendam respexit, non ad damnum olim a Vite illatum; cujus intuitu potius ab hoc fructu ille abstinuisset, ubi

ubi gratiam ſuam peccato oppoſitam homini volebat obſignare. In *Deuteronomio* non de fructu à primis hominibus guſtato, ſed de operibus malis Iſraëlitarum agitur, ſub ſimilitudine *uvarum & botrorum amarorum*, qualis in *vite Sedomæ & campis Gomorræ* naſcerentur. Fabuloſa porro *Talmudiſtarum* colloquia nihil probant; in quibus etiam non uva ſed vinum memoratur, à quo ſi abſtinere prorſus debuiſſet Noach, nobis quoque abſtinendum adhuc foret ſimiliter. Uti autem vinum per abuſum multa homini parit mala, turpia noxia & moleſta, quod cum alio potu & victu commune habet; ita idem debito modo adhibitum non eſum ſed potum utiliſſimum præbet humano generi, *coll. Iud.* IX. 13. *Pſal.* CIV. 15. *Prov.* XXXI. 6. 7. *Eccl.* IX. 7. X. 10. 1. *Tim.* V. 23. *&c.* Et quod ad ſimilem numerum literarum vocis חיין & ילה ſpectat, ſciendum eſt illam in aliis multis vocibus, caſualiter paſſim ortum, poſſe non minus reperiri; dum heic eſt illud ſatis conquiſitum, quod *He* uni nomini præponatur magis quam alteri ad numeri paritatem inveniendam. Interim non ſatis fateor me capere, qua ratione *Vitem neget Moſes Bar-Cepha* dici alias *Arborem*, quod tamen ex eo repetit *Ben. Pererius*, *cum Scriptura nominet Arborem ubicunque de ea agit ſatis apparet neque frumentum neque Vitem eſſe potuiſſe;* neque enim Hebræum nomen *Arboris* aliud quid dicit quam ligneam duritiem abſque diſcrimine trunci, an ille per ſe in altum ſurgat, an repat, vieaturve. Secunda opinio de *Malo* procederet magis, quandò ejus fructus comeditur; ſi conſtaret, nullum fructum præterquam hujus Arboris vel eſſe nunc vel fuiſſe olim oculorum aſpectui deſiderabilem; & ſi præterea tanta eſſet hujus ad eſum bonitas, quanta ad viſum deſiderabilitas. Et quod ad textum *Cantici* ſpectat, is nec ſatis feliciter à *Vulgato* eſt expreſſus, nec quidquam nexus habet cum lapſus Adamici hiſtoria; dum doctrinam libri iſtius parabolicam eſſe, rectè obſervavit *Pererius*. Merito autem prorſus *Aug. Torniellus* invehitur *in vanam & futilitatis plenam conjecturam, ob quam imperitum vulgus, quæ ab Hetruſcis Lomia dicuntur, Poma Adami nuncupare maluit, quod ſcil. in eorum cortice ſatis inæquali etiam fixuræ quædam appareant perinde acſi dentibus demorſa eſſent.* Tertia tandem de *Ficu* ſententia non poteſt firmari per parabolam & fabellam à Judæis adductam, quando arbores omnes utpote irrationales facilè admiſerunt ad ſui qualemcunque uſum peccantes & accedentes homines; neque per ratio-

tiones additas. Raro enim quæritur correctio in eo in quo peccatum eſt, & rarius adhuc illa illic iuvenitur; dum notante *Cl. Coccejo*, etiam *Toſiphta repudiat ut alienum* illud *R. Salomonis*, *Deo in more eſſe ut eadem novacula qua laſerat ſanet.* Nec erat vel Arborum in Paradiſo illa inter ſe diſtantia, vel adeò feſtinatus & impellens hominum lapſorum pudor, vel adeò feſtinatiſſima tegumenti paratio, ut non ab alia aliqua arbore quam cujus fructus ederant frondem ſibi ſumere potuerint in velamentum; quod Ficus etiam ob latius ſuum folium melius potuit præbere, quam Arbor Scientiæ forte minora folia habens. Quod ſi dicas, primo loco omiſſam ſpeciem Arboris ipſum per ὑστερολογίαν quandam expreſſiſſe Moſen *verſ.* 7. uti ſæpe in progreſſu hiſtoriæ aliquid ponitur ad priora quoque pertinens & referendum; jam ſupponis, non probas, eandem fuiſſe Arborem, quod nullo modo ſignificat Moſes. Et fuiſſe adhuc homines in conſuendis foliis, cum audirent Dei vocem, atque ſub Ficu unde illa acceperant eos latitaſſe, nuſquam dicit Moſes, hoc factum narrans *in medio arboris horti* collectivè *verſ.* 8. quod tamen utrumque ſi concedatur, nullatenus inde conſtat, hujus ipſius Arboris fructum contra Dei interdictum fuiſſe ad eſum ſumptum; in qua aſſertione & collectione poſſit forte rectius quam in ejus negatione culpari à *Theodoreto* vel *Theodoro* aliis tributa πλάνη ἰουδαϊκὴ. Tandem exſecrandæ ficus *Marc.* XI. 14. rationem aliam habuit Chriſtus & narravit Euangeliſta, quin & adduxit ipſe *Iſidorus*, quam *arcanus* ille *ſenum ſermo* prætulit de peccato in ficus fructu à protoplaſtis commiſſo. Quæ ratio ſi vera foret, ne poſthac iſthæc *peccati cauſa* ferretur, jam ficus omnis dudum antea maledici atque adhuc infrugifera eſſe debuiſſet; vel individua fuerit tempore Chriſti ſcilicet poſt tot annorum chiliades ſuperſtes & frugifera illa ficus, in qua peccaverant primi parentes; quod amplius mirari decet, quatenus φιλανθρωπίαν ſuam in ea perdenda non prius tum exſeruit Chriſtus. Quin etiam ſunt quæ adverſus Ficum heic objiciuntur plura ab aliis. Nempe Ficus negant tantam eſſe præſtantiam, quoad externum præcipuè aſpectum; aliis in adverſum obſervantibus ficuum varietatem, & commendationem miram quarundam, *Indicæ*, *Ægyptiæ*, *Cypriæ &c.* apud *Plinium* atque alios, vel etiam nominantibus *Ficum Albam.* Tum præſumi debere monent Adami abſtinentiam ab Arbore vetita, quando mulier cui ſoli cum ſerpente res fuit fructum ejus dedit vi-

ro, ipſi non accipienti de Arbore, adeoque ad eum alibi hærentem eum detulit; unde ergo ab alia arbore quam vetita illa fuerint ſumpta folia, quæ tum erat vicina magis. Porrò *ficum* memorans Moſes תאנה / nec aliquid addidit, quod ad Arborem vetitam reſpicere nos jubeat, nec *He* quidem deſignativum præfixit. Ee quis rite attendens non cogitet, poſt intellectum cum pudore Arboris guſtatæ damnum, ab ea porro abhorruiſſe potius cum odio & metu gravioris mali homines, quam ut amplius quidquam ſibi cum illa Arbore noxia vellent eſſe rei? Quin tandem qui ſceleris convicti apud ſe homines latibula quærebant in horto, an veriſimile eſt, eos vel apud Arborem vetitam hæſiſſe, vel ejus frondem in corporis tegumentum voluiſſe circumgeſtare, per quod ſibi memoriam triſtem Arboris iſtius continuo renovarent, atque Deo tranſgreſſionis ſuæ indicium objicerent? Ex quibus rationibus aliquas tam validas judicavit *Toſtatus*, ut dixerit, nos *de quacunque ſpecie arborum incertos eſſe, an Lignum Scientiæ Boni & Mali eſſet in illa ſpecie, niſi de Arbore Ficulnea, quia certum eſt quod non fuit ficulnea &c.* Quod *Torniellus* cum aliis ferè ſequitur.

Quid de ea re vere & probabiliter dici poſſit & debeat, monſtratur.

XIV. Noſtras nunc etiam de hujus Arboris ſpecie ſi lubet determinationes accipe; qui generatim putamus, illam communiori prorſus modo à Moſe deſcriptam, nunquam diſtinctius à nobis cognoſcendam eſſe, quemadmodum & hoc *adhuc eſſe incompertum ac inexplicabile, nec ſciri poſſe*, dixit *Ben. Pererius.* Atque prudentiſſime Deus quidem ulteriorem Arboris hujus deſcriptionem nobis non reliquit; ne ſcil. fructum magis quam nos ipſos accuſaremus, aut fructum eundem vel ei ſimiliorem averſando bonam Dei creaturam ſperneremus, appetendove imitaremur vere vel apparenter Protoplaſtorum ſcelus. Attamen hæc certa ex Moſe manere debent; quod fuerit hæc Arbor juxta alias quibus annumeratur corporea; quod fructum aptum ad hominis eſum æquè quam ad oculos ejus paſcendos protulerit; quodque ab Arbore Vitæ, non obſtante communi de ejus loco phraſi, omnino fuerit diſtinctiſſima, tanquam à qua prorſus aliud habet nomen, poſt quam diſtinctè nominatur *Gen.* 11. 9. & de qua licitum decenſque fuit homini edere qui ab hac debebat abſtinere. Et ſunt porro alia aliqua de hac Arbore admodum probabilia. Quod nempe præ aliis arboribus eadem juxtà Arborem Vitæ, tam altitudine, craſſitie, &

Digitized by Google

& eleganti forma, quam fructuum ſuorum præſtantia excelluerit; ut tanto gravius eſſet experimentum obedientiæ Adami, & omnia in hac Arbore ſibi invicem magis reſponderent. Quod dein illa creverit in ſolo Paradiſo; quandoquidem immediate cum Arbore Vitæ jungitur, nec alibi eam quam in horto conſtituit Moſes, nec alibi eadem uſum peculiarem probandi hominis cui deſtinabatur habebat, dum homo in Paradiſo ſuam habuit ſedem, atque extra eum detruſus non eſt niſi poſt explorationem obedientiæ infeliciter finitam. Quod illa conſequenter, æquè quam Arbor Vitæ, ſpecie fuerit diverſa ab Arboribus omnibus quæ hodie ſuperſunt in orbe; ſi quidem Paradiſus eſt vaſtatus dudum, & homo poſt ejectionem ſuam non amplius tentandus fuit quoad fœderis operum obedientiam, nec quidquam impoſterum vel mandatum vel factum legimus in reliqua terra adverſus illam Arborem, nec commodè ſatis videtur homini tribui Arboris iſtius vel interdictum, ob ceſſantem ejus veterem rationem, vel uſus, ne per peccatum crederetur dominium hominis auctum, ut id per & propter factum unum liceret impoſterum quod antea prima vice ſub mortis pœna erat interdictum. Facile hinc aſſentior iis, de quorum πλήρῃ ἰνηθείᾳ differitur apud *Theodoretum*, διομένων χρῆναι καινόν τε εἶναι τὸ ξύλον, & de quibus perinde ſcripſit *Moſes Bar-Cepha*, *qui velint haudquaquam ficum fuiſſe, ſed potius arborem quampiam novi generis atque inuſitati, longe reliquis præſtantiorem, cujus fructibus interdictum fuerit Adamo.* Quamquam eorum rationem additam minime putem validam, *quia peccarit Adam edendo & multatus ſit; nam vulgari, inquiunt, fructu veſcendo neque peccaviſſet ille, neque pœnam commeruiſſet.* Ad hanc enim *Bar Cepha* non malè reſpondit; *cum res aliqua lege prohibita eſt, non rei vel præſtantiam dignitatemque vel vilitatem atque indignitatem, dum aut editur aut omittitur, quidquam referre aut ad peccatum aut ad juſtitiam, vel ad pœnam præmiumve, ſed ipſam ſolam ſpectari hic obedientiam & rebellionem;* uti id aliis tum exemplis illuſtrat. Et ſimiliter notavit *Theodoretus*, ita ſentientes ὑ λογίζοθαι, ὅτι μὴ τῇ πιότητι ξ ξύλε, μηδὲ τῇ καινότητι ᵹ βρώσεως, τὰ ἁμαρτήματα κείνεσθαι, ἀλλὰ τῇ δόσει ᵹ ἐντολῆς, ὧ ἐφ' ὅτε δήποτε ὠθεῖσθαι ἴσον ἔχει τὸν μέμψιν. Atque addi poteſt, quod Deo integrum ſanè fuerit non modo à peculiaris & eximiæ ſed omnino etiam communis & vilis arboris uſu hominem per mandatum ſuum arcere.

Neſcio etiam, an recte cum aliis ſcripſerit *Cel. Burmannus ad Gen.* III. 6. *Arborum hanc fuiſſe ſignum beatitatis & gloriæ Dei cum nulla creatura communicabilis*, dum *Arbor Vitæ* fuerit tantum *ſignum beatitatis Dei, cum creatura communicabilis.* Quæ theſis de Arbore Scientiæ non comparens apud Moſem ſi ſit ſequenda, jam
5 Arborem Scientiæ quidem prorſus peculiarem & ſupra ipſam Arborem Vitæ multum excellentem oportebit cogitare; ſed & mendacium Satanæ de illa Arbore non fuerit tantum, nec actu fructum illius edere potuerit homo quod tamen egit, nec poſſunt conſiſtere aliæ veteres gloſſæ, ab ipſo etiam Viro Cel. eodem halitu inſinuatæ, de Arbore hac tanquam per memoratas ſuas qualitates repræſentante objectum omne triplicis concupiſcentiæ mundanæ, de qua dicitur 1 *Joh.* II. 16. ὅτι πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ κόσμου ἐστί, & quæ adeo plurimum à *beatitate & gloria Dei incommunicabili* differt. Habere nos autem prorſus pro fabella Judaico-Chriſtiana illa quæ feruntur de *tribus granis Pomi* Paradiſiaci, in ore Adami ſepeliendi ex Angeli juſſu poſitis, unde nata & facta ſit Chriſti Crux, apud Arborem Vitæ antea monuimus, neque opus habemus eadem modò repetere.

Locus ejus in medio Paradiſi agnoſcendus eſt.

XV. Locum hæc *Scientiæ Arbor* cum Arbore Vitæ habuit communem *in horti*, ſeu *Paradiſi* apud LXX. & *Vulgatum*, *medio*; quod implicitè deprehendimus illi tributum *Gen.* II. 9. ſed explicite *Gen.* III. 3. ſicuti de ejus phraſios ſenſu apud Arborem Vitæ ſatis eſt dictum, quam ad interiorem horti complexum nos putamus referri. Quod ſi verò non modò ob phraſin eandem adhibitam de utriuſque Arboris hujus loco, ſed & ob Arboris utriuſque conjunctam mentionem, conjeceris, fuiſſe eas vel uno vel pluribus horti ſpatiis ſibi invicem proximè junctas, non refragabor ego multum; & licebit hoc caſu agnoſcere Dei ſapientiam & bonitatem parem, qua fructui uni præſtanti quem interdixerat alterum præſtantem junxit liberrime ſumendum, ut prætextus transgreſſionis omnis abeſſet, atque ut unius uſus ab alterius uſu abduceret, quin etiam communiter harum duarum Arborum aliam eſſe rationem quam aliarum omnium homo agnoſceret. Ineptit utique *Philo Lib.* I. *Alleg. Lib.* cum allegoriis ſuis indulgens, ex hujus Arboris oppoſitione contra conceſſas ad eſum arbores Paradiſi eam vi-

de-

Digitized by Google

detur extra Paradiſum relegare ; ἀκοὺν οὐκ ἔστιν ἐν τῷ παραδείσῳ τὸ ξύλον τοῦτο , εἰπερ ἀπὸ παντὸς ἐδίειν παρηγέλλετο τὸ ἐν τῷ παραδείσῳ· ᾗ φυσικῶς ἔστι γὰρ ὑσία , ὡς ἔφιμεν , καὶ οὐκ ἔστι δυνάμει &c. Dum paulo ante ipſe ſcripſerat ; τὸ δὲ ἕτερον ξύλον ἔφαγεν καλὸν καὶ πονηρὸν ἐδηλωκεν , ἔτ' εἰ ἐντὸς , ἔτ' εἰ ἐκτὸς τοῦ παραδείσου &c. Τί οὖν χρὴ λέγειν ; ἔστι τοῦτο καὶ ἐν τῷ παραδείσῳ ἐστὶ , ᾗ ἐκτὸς αὐτοῦ , ὑσίᾳ μὲν ἐν αὐτῷ , δυνάμει δὲ ἐκτός &c. Eſt autem hoc ex eo , quod verba *Gen.* III. 3. aliter citet quam in Hebræo ſunt, ἀπὸ δὲ τοῦ ξύλου τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρὸν οὐ φάγεσθε ἐξ αὐτοῦ.

XVI. Enimverò quamquam in intimo horti & prope Arborem Vitæ nata fuerit hæc Arbor Scientiæ, ut eam intueri in præſtantia omni ſua poſſet homo ibi verſans, quod & abſque perverſo deſiderio debebat agere , eſum tamen de ea homini ſeverè interdixit Deus , & contrectationem in eum finem. Ita enim *præcepiſſe Jehovam Deum Adamo* narrat Moſes *Gen.* II. 16. 17. *De omni arbore horti edendo edes. Et de Arbore Scientiæ Boni & Mali non edes de ea , quandoquidem in die eſus tui dè ea moriendo morieris.* Et Evam idem introducit narrantem apud Serpentem *Gen.* III. 2. *De fructu arboris horti edemus ; & de fructu Arboris quæ in medio horti dixit Deus , non edetis de ea , & non tangetis eam ne moriamini.* Atque exhibet dein Moſes nobis Deum ita inquirentem in eſum de hac Arbore factum *Gen.* III. 11. *an de Arbore de qua præcepi tibi ut non ederes de ea ediſti ?* ut ſimul conſcientiam Adami pudibundam de hoc facto , atque irati Dei ſententiam gravem licet gratiâ temperatam addat. Ut uſus Arboris hujus , non obſtantibus ejus præſtantibus fructibus , præcipue conſtiterit in abſtinentia ab ea, ne quidquam *de ea* מנו etiam minimum ſumeretur; nugantibus nonnunquam Judæis cum *R. Iſaac Caro* , guſtationem ejus non fuiſſe cum eſu interdictam. Sed de hoc interdicto Arboris hujus , quod *primordialem legem , matricem omnium præceptorum Dei, in qua omnia præcepta condita recognoſcimus , quæ poſtea pullulaverunt data per Moyſem &c.* dixit *Tertullianus c. Jud. Cap.* II. quodque *tam leve ad obſervandum* quam *breve ad memoria retinendum* fuiſſe monuit *Auguſtinus Lib.* XIV. *de Civ. Dei Cap.* 12. deque ejus æquitate & ratione multiplici eſſet modo late agendum , niſi hæc res ſpeciale Caput conſtituere deberet in Fœderis Dei cum Adamo Legiſque ejus exegeſi , quæ ſuo loco ſequetur.

Uſus hujus Arboris ex Dei præcepto annectitur.

Digitized by Google

Arboris hujus Memoria quaſcunque apud Gentiles.

XVII. Hoc impræſentiarum non inutiliter adhuc annectatur, quod nec hujus Arboris Scientiæ qualiacunque apud Gentiles veſtigia deſint, quæ poſſint facere firmandæ ad hominem hiſtoriæ ſacræ. Forte enim ad hanc Arborem ex parte ſpectant, æquè quam ad Arborem Vitæ, *Poma Aurea* à Dracone in Heſperidum hortis ſervata. Utique quæ de malorum origine in mundo habent, ad hanc Arborem & factam in ea transgreſſionem nos ſatis facile ducunt. Legantur in hanc rem, quæ ſunt apud *Heſiodum*, de *Prometheo* Jovem decipiente, ignemque ei ſurripiente in cava ferula, deque muliere *Pandora* dicta, ὅπ πάντες ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες Δῶρον ἐδώρησαν, πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῆσιν, quæque à Jove dimiſſa & accepta ab Epimetheo contra præceptum Promethei, μήποτε δῶρον Δέξασθαι παρὰ Ζηνὸς ὀλυμπίου, ἀλλ' ἀποπέμπειν Ἔξοπίσω, μήτε τι κακὸν θνητοῖσι γένηται, fuerit hominibus omnis mali cauſa;

Ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι, πίθον μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα
Ἐσκέδασ' ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά &c.

Quæ ex *Heſiodo* adverſus *Celſum* ipſe allegoriis adeò deditus adduxit dudum *Origenes Lib.* IV. ſubjiciens *Platonis* de Cupidine narrationem, & *Jovis Hortum*, atque incertum relinquens, annon in Ægypto peregrinatus è ſapientum Judæorum colloquiis iſta didicerit, & partim ita ut acceperat reddiderit, partim mutaverit, ne Græcos offenderet ſi nihil diſcederet à ſapientia Judæorum ob leges à cæterarum gentium inſtitutis diverſas vulgo infamium. Lege etiam, ſi placet, quæ ex recentiori *Itinerario* de Sacerdote Peguano prædicante non temerandum olim ab Adaa & uxore Baragone fructum arboris *Hilafaran* habet Vir Doct. *Tobias Pfannerus in Syſtemate Theol. Gent. Pur. Cap.* VII.

Quam fuiſſe omnino corpoream nec myſtice eſſe exponendam, clauſulæ loco obſervatur.

XVIII. Clauſulæ loco iterum notamus, quod Arbor hæc Scientiæ, tanquam aliis arboribus veris propriequè dictis & Arbori Vitæ juncta, in horti medio collocata, educta ex terra, fructu præſtanti inſtructa, quem ad eſum ſumere ſub pœna mortis interdixit Deus, ſumpſit tamen & viro dedit mulier, hinc cum viro pudore & metu correpta, ſceleris palam convicta, miſeriis omne genus ſubjecta, & ex Paradiſo expulſa, per iſthæc omnia & plura argumenta deprehendatur corporea & propriiſſime dicta Arbor. Ut concidant omnes ejus interpretationes allegoricæ, & merè ſymbolicæ, apud Judæos vel Chriſtianos, vel veteres vel recen-

Digitized by Google

centiores, etiam lectæ, merito dudum à *Theodoreto & Moſe Bar-Cepha* inter alios rejectæ. Eſt ſcil. *Philoni de Mundi Opif.* Arbor hæc Scientiæ φρόνησις ἡ μίση, ἣν Δημιέργητος τάναντία φύσει, cujus loco proximè πανουργίαν nominat. Et *Talmudiſtis* conſtituunt Arborem hanc *vitia mundana atque concupiſcentiæ carnales*, quæ in ægritudines & mortem inducunt, quæque in *quatuor genera* dividantur, *primum in cibo & potu conſiſtens, ſecundum in coitu, tertium in rerum gubernatione, quartum in divitiarum augmento &c.* juxta narrationem *Galatini Lib.* VII. *Cap.* 10. Quin & memorat *Moſes Bar-Cepha, qui exiſtiment non fuiſſe Arborem id de quo guſtavit Adam, ſed venereum amplexum, quo cum uxore ille corpus miſcuit, eamque ob rem ajunt partum mulieris eſſe per Dei ſententiam doloribus factum obnoxium, neque aliud ſibi voluiſſe illud preceptum, ne edatis de illa Arbore, quam non ceëatis, ſed ſancte & abſque omni venere vivatis &c.* Quemadmodum *Eckbertus Schonaugienſis Serm. V. adv. Catharos*, hoc eis imputat, ſed tanquam *ex ſuſurris, & verbum occulta ſapientiæ* ipſorum ſecum per reſipiſcentes communicatum, quod *fructum* vetitum dicerent *nihil aliud fuiſſe niſi mulierem quam creaverat* Deus, nolens tamen *ut commiſceretur ei &c.* Iſtam autem perverſiſſimam ſententiam, cum qua conferre quadantenus potes, quod *AbenHezra* cognitionem in nomine Arboris trahit ad commixtionem illam, למשגל / non eſt ut confutemus cum *BarCepha* ex eo, quod *integra virginitate pulſi ſint Paradiſo* Protoplaſti; ſiquidem conſtat ſatis, conjugium eſſe honeſtum & minime unquam interdictum, atque multiplicationem mox in creatione mandatam etiam fuiſſe, Eva ad Adamum adducta, *Hebr.* XIII. 4. *Gen.* I. 28. II. 18. *&c.* Præter quæ argumenta videas apud *Eckbertum* urgeri, creationem Arboris ante Evam, interdictum ſimiliter eâ prius, Evæ ipſius priorem eſum ante maritum, cujus eſus diſtincte inſecutus fertur, adjumentum Adami ad quod Eva creata eſt &c. quæ cuncta non eſt ut deſcribamus *ex Biblioth. Patr. Tom.* IV. *Part.* 2. Quod ſi vero ſuppoſito literali Moſis in hac Arbore ſenſu, allegoriâ humanâ eam ad alia transferre vel accommodare volueris, quod cum *BarCepha* egerunt dudum plurimi, non obloquemur multum, ſed patienter & utiliter nonnunquam audiemus diſſerentes, de πανουργίᾳ & arbitrio hominis in malum prono, dè voluptate aut concupiſcentia omni mundana, de Lege & Operum Fœdere, quin & de

de Adamo primo, in cujus peccantis imitatione adhuc eſt mors &c. ut mittam alia plura.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Quo reliqua Paradiſi Copia & Ornatus illuſtratur.

Tranſitur ad aliam Paradiſi Copiam, quam Moſes non adeò explicite memoravit.

Atque ſic *Horti Hedenici* ſeu *Paradiſi* præcipuum vidimus decus, quod cum *Fluvio* irrigante conſtituerunt, tum *Arbores* ad aſpectum & eſum præcellentes communiter, tum ſpeciatim duæ illæ, *Arbor Vitæ* atque *Arbor Scientiæ Boni & Mali.* Et hoc omne fere eſt, quod explicite Moſes de hoc Horto ad ejus commendationem retulit. Sed licebit & decebit, ut puto, pauca adhuc addere, quæ ex Moſis narratione colligimus non infeliciter, quæque Horti hujus felicitatem ita augent, ut non indigna etiam ſint brevi quadam illuſtratione.

Atque ita in Paradiſo agnoſcendæ ſunt Herbæ quævis præſtantiſſimæ, ad viſum olfactum & eſum hominis & brutorum aptæ.

II. Nempe in irrigata terra quando Moſes ponit Arbores prorſus eximias, non excluſit ſic ille ſed potius à majori ſignificavit *Herbas*, ſeu quaſvis, ſeu potius ad Arborum exemplum præſtantiſſimas, tum ad viſum & ſimul olfactum, tum etiam ad eſum, tam hominis ipſius quam animantium brutorum. Iſtas Arboribus conjunctas deprehendimus in terræ ſuperficie, juxta Moſis narrationem *Gen.* 1. 11. 12. *Et dixit Deus, germinet terra germen viride, herbam proferentem ſemen juxta ſpeciem ſuam, arborem fructus facientem fructum juxta ſpeciem ſuam, in quo ſemen ejus ſuper terra; & fuit ita. Et protulit terra germen viride, herbam proferentem ſemen juxta ſpeciem ſuam, & arborem facientem fructum in quo ſemen ejus juxta ſpeciem ſuam; viditque Deus quod bonum.* Quemadmodum & deinde in verbis Dei ad homines *Gen.* 1. 29. 30. *Ecce dedi vobis omnem herbam proferentem ſemen quæ ſuper facie omnis terræ, & omnem arborem in qua fructus arboris proferentem ſemen; vobis erit in eſcam. Et omni beſtiæ terræ, & omni volatili cœlorum, & omni reptili ſuper terra, in quo anima vivens, omne olus herbæ in eſcam; & fuit ita.* De quo poſtremo textu, quatenus ad hominum victum facit, diximus nos alias latius *EXERC. MISC. DISP. VII.* ſicuti & eundem paucis tangimus deinde in expoſitione Divinæ Imaginis *Lib. II. Cap. 5.* Scilicet *herba proferens*

Digitized by Google

rem ſemen juxta ſpeciem ſuam, עשב מזריע זרע למינהו / maxime cum *arbore fructum faciente* connexa, & homini in eſcam data, indubie dicit frumenta varii admodum generis, quæ in panem ex terra educuntur *Pſal.* CIV. 14. *&c.* Atque *germen viride*, רשא / quod præmittitur, ex adverſo notat, non tam omnem herbam generatim, vel etiam *principium & herbæ & arboris*, uti vult *Clar. Coccejus*, quam quidem gramina & forte frondes, in quibus ſemen vel ullum vel craſſius ad humanum eſum non reperitur; ut reſpondeat ſic ירק עשב תֶּ֫ / *oleri* ſeu *virori herbæ*, in altero textu, quod illic animantibus reliquis præter hominem in eſcam adſcribitur. Iſtum proventum omnem terræ quando adeo generatim tribuit tertio diei Moſes, de ipſis *ſpinis* & *tribulis* atque *venenatis* herbis non eſt dubitandum quin & tum provenerint; cum novas herbarum ſpecies poſt lapſum enatas eſſe nuſquam doceamur, ipſæque illæ plantæ uſum ſuum habeant etiamnum apud hominem qui integer ab omni abuſu ſibi cavere poterat, quin & ſuo loco nec nimia copia illæ prodeuntes moleſtiam Adamo aut detrimentum adferre non poſſent, ob qualia incommoda aliqui de iſtis dubitare nonnunquam voluerunt in illo ſtatu moleſtiarum & ærumnarum experte. Ex iſtis ergo herbis, tum frumentum ferentibus, tum aliis, nos ſeligimus maxime gratas & utiles, tanquam in Paradiſo quoque enatas, cum virore & flore omni qui nares ſimul & oculos paſcat mirabili artificio Creatoris. Cujus rei ſi vis fundamenta, cogita; tum ipſum nomen Horti & Paradiſi à Deo plantati, qui copia omni & ornatu hortis vulgaribus & reliquæ terræ cedere non debet; tum terræ fertilitatem ex irrigatione ab anteriori, & ex arboribus præſtantiſſimis à poſteriori liquentem, quæ, ſi nimis prope aut ſub umbra ſua non admittant herbarum incrementum, illud tamen in vicinia ſua juvant & promovent admodum; tum denique & maximè neceſſitatem, & hominis, qui ex ſolo arborum proventu victum non habuit ſed in hunc herbas ſemen ferentes etiam accepit, quique ad hunc acquirendum non videtur reliquæ præter Paradiſum terræ ſubſidio mox quærendo opus habuiſſe, & animantium brutorum, quæ ex Paradiſo neutiquam ſunt excludenda, nec ad eſcam ſuam conquirendam emittenda quaſi ex ſtabulo ſterili.

III. Et hæc ipſa *Animalia* ſunt *terreſtria*, quæ nos ad Paradiſi copiam putamus referenda eſſe. De eorum creatione, & diſcrimi- De Animalibus Terreſtribus.

Digitized by Google

agitur, quæ in Paradiſo agnoſcenda omnino eſſe monſtratur.

ne ſimul præcipuo, Moſes agit *Gen.* 1. 24. 25. *Et dixit Deus, proferat terra animam viventem juxta ſpeciem ſuam, jumentum & reptile & feram terræ juxta ſpeciem ſuam; & fuit ita. Et fecit Deus feram terræ juxta ſpeciem ſuam, & jumentum juxta ſpeciem ſuam, & omne reptile terræ juxta ſpeciem ſuam; viditque Deus quod bonum.* Nomen primum נפש חיה / ψυχὴν ζώσης, *animæ viventis*, non eſt ſpecificum, unde nec ſecunda vice in divini juſſus exſecutione repetitur, & quod heic accedit למינה / vertit *Vulgatus, in genere ſuo*; ſed genericum, quod tamen non complectitur, vel piſces maris, ad quos idem nomen in aquarum productione applicatur *verſ.* 21. vel homines, quos ad Dei juſſum non produxit terra, ſed poſt peractam hanc terræ prolationem Deus ipſe prævia excitatione ἐγκελδυσικῇ fecit ſeu creavit ad ſuam imaginem. Sed quod, deſignans Animantia omnia bruta terreſtria, quæ ſpirant ac ſenſitivam ſic produnt veri nominis vitam, ſub ſe complectitur triplex iterum genus. Scilicet eſt heic בהמה / τετράποδα & dein τὰ κτήνη apud LXX. *jumenta* apud *Vulgatum*, pluraliter apud utrosque ob ſenſum vocis ſingularis collectivum, quo nomine aliis duobus heic manifeſte oppoſito, & dein ſecundum obtinente locum, heic exprimuntur *animalia domeſtica quæ ratione carent & hominum arbitrio reguntur, illisque in multiplices uſus inſerviunt, nec tamen ſunt aut volatilia cæli aut reptilia terræ*, uti loquitur *Johannes Forſterus in Dictionario*, in quam rem conferas *Exod.* xx. 8. *Prov.* xi. 10. *&c.* adeo ut magnitudinis ſpeciei & uſus eorum variantis nulla fiat heic diſtinctio vel exceptio. Eſt heic dein רמש / *reptilia*, ἑρπετὰ, pluraliter iterum apud LXX. & *Vulgatum*, quod dein ultimum obtinet locum, & cum duplici additamento legitur כל רמש הארמה / πάντα τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς, *omne reptile terræ*, ad latiorem ejus extenſionem hinc & neceſſariam reſtrictionem inde cum etiam נפש חיה הרמשת in aquis antea fuiſſet memorata *verſ.* 21. & quo deſignatur omne animal terreſtre quod in motu ſuo locali pedibus nullis aut brevioribus & communem fere viſum effugientibus utitur; quale multiplex adeo etiam ante hominis lapſum & Serpentis pœnam fuit. Eſt heic tertiò חיתו ארץ / θηρία τῆς γῆς, *beſtiæ terræ*, pluraliter etiam apud LXX. & *Vulgatum*, dum in repetitione חית הארץ primum tenet locum; quo nomine, ſic ab aliis duobus prioribus diſtincto, indubie exprimitur *beſtia* quævis *fera*, in *terræ* ſuperficie extra hominis familiarem conſuetudinem & curam degens, *coll.*

Gen.

Digitized by Google

Gen. XXXVII. 33. *Deut.* VII. 22. *Pſal.* LXVIII. 31. *&c.* quæ hinc etiam in integritatis ſtatu deprehenditur, etiamſi feritas quarundam quin & rapacitas, quæ omnis iſti ſtatui non prorſus adverſatur, poſt lapſum videatur eſſe aucta cum dominii humani agnitione minori. Hanc vero Animam Viventem omnem cum juxta ſpeciem ſuam Deus ex terra dicatur feciſſe per ſuum imperium poſt finitum diem quartum ipſo illo ſexto die quo factus eſt Homo, ineptæ nimiæque audaciæ rei ſunt habendi, qui cum *Petro Picherello*, Doctore Sorbonico, ejus creationem in diem quintum rejiciunt; quia ſcilicet tunc Deus reliqua Animantia aërea & aque produxit, ſicuti tertio die omnia vegetativa produxerat, & quia ad honorem hominum creatorum videtur dies ſpecialis requiri, & quia tandem benedictio, non illa ad ſolos homines directa *verſ.* 28. ſed ad piſces & aves *verſ.* 22. etiam ad animalia terræ debet referri. Quæ omnes rationes neutiquam valent ad πρωϑύστερον heic Moſi tribuendum, per quod omnis de Creationis Ordine quem Moſes nobis exhibere voluit certitudo tollitur; ſicuti ob hanc aliaſque rationes illud etiam non eſſe admittendum in primo opere diei tertii *verſſ.* 9. 10. oſtendimus adverſus hunc *Picherellum* & plures cum eo facientes *EXERC. TEXT. I. Part. I.* Iſthæc autem Animantia triplicis generis, ſive omnia ſive potius præcipua, non dubitamus in Paradiſo tanquam ſplendido quodam Vivario manſionem ſuam quoque habuiſſe. Quam in rem rurſus cogitare decet; tum de uſu amplorum & regiorum hortorum, quibus Paradiſus Adami Divinus non debet ſtatui inferior; tum de fertilitate & aptitudine fundi Paradiſiaci ad animantia hæc per proventum ſuum alenda & fovenda; tum de præſentiſſimo ipſius Adami in ea dominio ad eos uſus oculorum aliorumque membrorum ad quos ante non minus quam poſt lapſum illa apta erant. In quibus ſolis non eſt ut heic hæreamus, quando certiora etiam argumenta Moſes nobis ſuppeditat. Tale eſt illud, quod *Terra* univerſa *proferre* juſſa ſit *animam viventem Gen.* I. 24. ubi præcipua Terræ pars, Paradiſiaca nempe, non magis excludenda eſt, quam antea in juſſu germinationis ſimili *Gen.* I. 11. Tale eſt etiam iſtud, quod Moſes refert, *omnem beſtiam agri*, à Deo ex terra formatam, ab ipſo *ad Adamum* fuiſſe *adductam* ut omnis anima vivens hæc nomen ab eo acciperet, quemadmodum & *omne jumentum* & *omnis fera agri* idem poſt adductionem ab eo accepit *Gen.* II. 19. 20. Factum au-

Digitized by Google

tem hoc omnino, niſi ordinem Moſaicæ narrationis præter rationem juſtam turbare lubeat, poſt Adami in Paradiſo collocationem *verſ.* 8. adeoque in ipſo Paradiſo, ubi ergo Animantia fuerunt, & unde illa mox omnia dilapſa eſſe prorſus temere affirmes. Tale eſt tandem maxime hoc, quod in hiſtoria humani lapſus occurrat *Serpens*, commendatus præ *omni beſtia agri*, cum Eva colloquium illud infeliciſſimum habens, qui adeò & ipſe in Paradiſo adfuit. Ut nihil modo dicam amplius de *Tunicis Pellis*, quibus Deus homines induiſſe fertur, ante ironicam irriſionem eorum & emiſſionem ex horto *Gen.* III. 21. 22. 23. 24.

Objectionibus quibuſdam breviter ſatis fit, & commentum de Animalium Locutione in Paradiſo exploditur.

IV. Nec ſcio, quid ſolidi adverſus Animalia iſthæc in Paradiſo collocanda adduci queat; ſiquidem per Paradiſi amplitudinem & fertilitatem, ipſorumque divinam ſubjectionem, nihil ab iis incommodi homo metuendum aut perferendum habebat, ſed omnem ex adverſo uſum; atque Paradiſus non debet ita homini recto ſoli cum Deo tribui, per neſcio quam ejus ſanctitatem, ut Animantia magis irrationalia, quam Plantæ & Arbores ſenſu quoque omni carentes, imo & corpora abſque ſenſu ullo plura, ab eo excludantur prorſus; dum vel Paradiſus animantium diverſiſſimorum naturæ in prima rerum omnium felicitate fuit admirabili quodam modo præ hodiernæ terræ plagis omnibus attemperatus, vel Animalium licet facere ſelectum quæ in Paradiſo ob convenientem ejus conſtitutionem præ aliis aliorſum ſpargendis hærerent. Neque vero etiam in iſtud oportet concedere paradoxon, quod paſſim, obloquentibus tamen aliis, tribuitur *Baſilio Magno*, quod ſcil. Animalia in Paradiſo intelligibili ſermone ſeu loquela fuerint uſa. Quod ex occaſione Tentationis per Serpentem natum eſt commentum, & forte ad commendationem majorem Paradiſi facilius crevit; ſed eſt omni ſolido fundamento deſtitutum, dum Serpentis ad Evam loquentis obſeſſionem Satanicam ſuo loco aſtruemus, & ſolide ex adverſo confutatur per Rationis uſum, in Loquela intelligibili & accommodata ſuppoſitum, quem in & cum Imagine Dei Moſes & Scriptura reliqua ſoli inter res corporeas homini vindicat. Interim omnino *Baſilius Hom.* xxx. *de Parad.* poſuit, in eo καὶ ζώων ποικίλων θεάματα, πάντων ἡμέρων, καὶ πάντων ὁμοηθῶν ἀπλήκτους, καὶ ἀκινήτους, καὶ φθεγξομένων διενέξεις. Quæ non adeo male conveniunt cum iis quæ *Plato* habet in *Politico* ſub nomine *Hoſpitis*, de Aurea Saturni Ætate, qua homines potuerint μὴ μόνον ἀνθρώπους ἀλλὰ

ἀπὰ ϗ θηρίοις δϗ λόγων συζυγνεσθω, iiſque omnibus uti ad philoſophiam, μετά τε θηρίων ϗ μετ' ἀλλήλων ὁμιλοῦντες, ϗ πυθομένους ἀπὸ πάσης φύσεως &c. quæque ex eo excerpſit & cum hiſtoria Humanæ Tentationis Moſaica contulit *Euſebius Prap. Euang. Lib.* XII. *Cap.* 14. Ut de *Joſepho* taceam, qui *Antiq. Lib.* 1. *Cap.* 2. divinam Serpentis pœnam hanc primo loco porens, ἀφείλετο ἦ ϗ τὴν ἔφιν τ φωνῆς, ἐργισθεὶς ὅτι κακηγοεῖ τῇ θεῷ τ Ἄδαμον &c. videtur huic ſaltem Animali in primo illo ſtatu Loquelæ uſum adſcripſiſſe; ſicuti *Hebræis* pluribus ſententiam eam cum aliis connexis tribuens *Simeon de Muis in Var. Sacris*, ip'e opponit, *ſi ita eſſet, cur iſtorum in Serpentis execrationibus nulla mentio, cum illis quæ illic dicuntur longe graviora ſint, deinde hanc ſententiam rerum naturas palam eſt evertere.* Quin & *Joſephi* ſententiam, quam cum illa *Baſilii* & *Platonis* contulit, ita exagitat *Ben. Pererius*, ut aſſerat, *nihil ea profecto dici cogitarive poſſe incredibilius & abſurdius &c.*

In Paradiſo quoque agnoſcendæ ſint Aves, de quarum creatione ſimul differitur, an illa ex Aqua an ex Terra facta ſit.

V. Longe facilius ſubſcribimus *Baſilio*, quando, in eadem *Homilia de Paradiſo*, præter Animalia Terreſtria in eo agnoſcit Aërea, ſeu *Aves* cœli; Ἐκεῖ ϗ ὀρνίθων παντοδαπῶν χώρη, τῷ τε τῆς πτερῶν ἄνθει ϗ τῇ ἐκ φύσεως μουσικῇ ἀπάλαυσίν τινα θαυμασίως ἑαυτῶν παρεστιθεῖ τοῖς ὁρωμένοις, ὥστε δϗ παθῶν τ αἰσθήτων διωχεῖσθαι τ ἄνθρωπον, τὰ μὲν ἐρῶντα, τὰ δ ἀκούοντα, ἄλλων ἀπλήμνον, ἄλλων ἐσφραινόμνον, ἑτέρων ἁπτομένων &c. De iis nempe creatis die quinto dicit Moſes *Gen.* 1. 20. 21. *Et dixit Deus &c. & volatile volet ſuper terra ſuper facie expanſi cœlorum &c. & creavit Deus omne volatile ale juxta ſpeciem ſuam; & vidit Deus quod bonum &c.* Ad quæ verba de ſingulis Avium ſpeciebus, quæ apud Phyſiologos vere vel fabuloſe recenſentur, aut de Inſectis quæ alas habent vel acquirunt per naturalem tranſmutationem, an ſub hoc Volatili comprehendantur, ſpeciatim dicere nequaquam opus erit. Sed hoc monere non inutile puto, quod in allegato textu ſenſus ſatis peregrinus apud LXX. & *Vulgatum* ingeratur per omiſſionem vel malam interpretationem verbi futuri ac imperative poſiti יעופף: Habent enim illi, continuato cum præcedentibus ſermone; Ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ ψυχῶν ζώσων, ϗ πετεινὰ πετόμενα ὅτι τ γῆς ϗ τὸ στερέωμα τ οὐρανῦ &c. *producant aquæ reptile anime viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli &c.* Cum tamen in Hebræo abſque ullo ad aquas reſpectu ſit novum verbum יעוף

יעיפף ועף / temere *Ellipſin* pronominis relativi heic fingente ipſo *Petavio in Theol. Dogm.* & res ipſa oſtendat ſubſtantiam Avium eſſe ſolidiorem quam ut ex prædominante Aquæ elemento ea deduci debeat, atque terreſtrem hinc etiam magis quam aquatilem eſſe manſionem & victum earum; quin & *Gen.* II. 19. expreſſiſſimè legatur, quod *Iehovah Deus formaverit è terra*, מן האדמה / non tantum *omnem beſtiam agri*, ſed etiam *omne volatile cœlorum*. Ubi ita quoque legunt LXX. & *Vulgatus*; nec ullam habet ſpeciem, *formandi* verbum una cum nomine *Iehovæ Dei* formatoris ad *volatile* velle extendere, ſed materiam *terræ* ad ſolam *beſtiam agri* velle reſtringere, quod tamen probat ipſe *Petavius*, etiam præ altera ſolutione *Auguſtini Lib.* IX. *de Gen. ad lit. Cap.* I. juxta quam *terra* ſic poſſit univerſaliter appellari ut etiam aquam contineat. Quod ſi roges rationem, quare ergo Avium creationem magis cum Piſcibus ſeu aquarum proventu junxerit eodem die quinto Deus, quam cum Animantibus terreſtribus ex terra formatis die ſexto; ſufficere heic quidem nobis debet Dei beneplacitum, ſed & hujus ſapientia paſſim obſervari ſolet in proxima convenientia, quæ non ſolum eſt in manſione Aëris & Aquæ, ſed etiam in pinnarum pennarumque conſtitutione natatuſque & volatus modo, quam & *Baſilius* obſervavit *Homil.* VIII. *in Hexaem.* ut de Avium multarum natatione ſuper aquam nihil præterea addam. Quam ſpectans *Chiz-Kuni* voluit duo Moſis loca ſic conciliare inter ſe, ut aves aquaticas quidem ex aquis ſed reliquas è terra produxerit Deus, quaſi non utrobique de omni avium genere mentio eſſet; dum alii Judæorum in uno loco reſpectu Avium intelligunt Aquam craſſam, & in altero Lutum molle, ſicuti alibi Ranæ Ægyptiacæ & è fluvio & è terra videntur educi *Exod.* VIII. 3. *Pſal.* CV. 30. qualis Aquæ & Terræ compoſitio rurſus aliena eſt, ubi de iis Aquis agit Moſes quæ Piſces produxerunt quæ ſatis ſunt fluidæ, & de illa Terra ex qua Beſtia agri formata eſt. Utique ubi erroris ratio apud Patres Latinos & Græcos heic in ipſorum verſione eſt manifeſta, fruſtra eorum autoritatem heic nobis adverſus Moſis Hebræum textum objici putamus. Et laudamus *Cajetani* inter alios ingenuitatem, qui per Hebræum textum heic meliorem *excludi* dicit *ſenſum Vulgatæ Editionis, ſonantis quod aquis datum eſt etiam producere volatile &c.* ipſe de conjunctione Avium cum Piſcibus judicans eam à Deo factam, *quia tam piſces quam volatilia ex univer-*

ſo

ſe ſuo genere ſunt animalia imperfecta, quod ex eo manifeſte pateat, quod nec piſcis aliquis (nimis liberaliter uti adductis exemplis monſtrant alii,) *nec volatile aliquod animalificat in ſe ipſo ſed tantum ovificat &c.* Ad noſtrum nunc ut redeamus inſtitutum, Aves vel omnes vel ſaltem præſtantiſſimas, quæ ſuper terra in expanſo volare ſolent, non dubitamus etiam ſatis magna copia Paradiſo tribuere; tum propter Arborum & Herbarum præſtantium copioſiſſimum in eo proventum, qui Avibus recipiendis alendis & tegendis erat aptiſſimus; tum propter Horti grati per Avium conſpectum & auditum adauctam ſic præſtantiam; tum propter uſum Adami, quem tanquam dominium in Aves ſpeciatim quoque nactus *Gen.* 1.28. hinc ille haberet majorem, viſu & auditu non tantum continuo ſed & eſu ubi liberet faciliore. Sed præ iſtis & ſimilibus ratiociniis omnibus valet heic expreſſa conjunctio *omnis volatilis cœlorum* cum *omni beſtia agri*, in adductione ad Adamum Paradiſi factum incolam, & in appellatione ſingulis ſua ab Adamo tributa *Gen.* 11.19.20. Nec mirum ſane, Aves fuiſſe Animantibus terreſtribus in Paradiſo conjunctas, abſque concluſione ut videtur ulla, quæ dein in eandem quoque Arcam cum Beſtiis & Hominibus tempore Diluvii fuerunt receptæ divino juſſu ut illic ad tempus adeo notabile concluderentur.

VI. De Piſcibus, quæ in Aquis degunt, major eſt forte dubitandi ratio, an etiam his Paradiſus fuerit inſtructus. Ad eorum creationem, factam die quinto ſimul cum Avibus, ſpectant verba Moſis *Gen.* 1.20.21. *Et dixit Deus, reptilificent aquæ reptile anima viventis &c. Et creavit Deus cetos magnos, omnem animam viventem repentem, quam reptilificarunt aquæ juxta ſpeciem ſuam &c.* ſicuti dein in benedictione hæc reptilia jubentur *implere aquas in maribus verſ.* 22. Etenim quando heic memoratur שרץ / ἑρπετὰ, *reptile*, apud LXX & *Vulgatum*, clarum eſt ex contextu, non heic ſpectari in eo nomine motum animalium ſed ipſa animalia, non jam volatilia aut terreſtria, aut amphibia ſolum vel præcipue, ſed omnino aquatilia, quæ ſeu in aquarum fundo ſeu in mediis aquis vivunt, ac ſeſe variè movent, & abſque conſpicuis vel ullis pedibus promovent quaſi rependo; quemadmodum deinde in exſecutione etiam poſt התנינם הגדולים / τὰ κήτη τὰ μεγάλα, *cete grandia*, de quibus hic non eſt dicendi locus, pro שרץ נפש חיה occurrit כל נפש החיה הרמשת / πᾶσα ψυχὴ ζώων ἑρπετῶν, *omnis anima vivens atque motabilis*.

Piſces etiam, die quinto ex Aqua creati, non videntur plane à Paradiſo removendi.

Digitized by Google

bilis. Enimvero id à *Clar. Gouſſetio* video negari, quod aquis tribuatur hujus reptilis productio, quoniam piſces *in pulverem ſuum reverti* dicuntur *Pſal.* CIV. 25. 29. ex quo ergo conflati videntur; ad quæ ille amplius interrogat, *an aquis inſit vis plaſtica qua efficiant ex terra piſces, vel an initio Deus uſus ſit mediatione aquæ ad eos ex limo formandos.* Sed præcipuum eſt, quod verbi שרץ *ſignificatio activa aut effectiva videatur ipſi aliena & carens fundamento;* dum *intranſitiva certa eſt* ex *Pſal.* CV. 30. aliiſque locis per eam *actio* notatur *immanens ſeu agitatio animalium Gen.* VII. 21. *Lev.* XI. 29. 41. 42. 43. *Ezech.* XLVII. 9. ſicuti *nomen* שרץ *quibuſdam animalibus inditum non ſpectat eorum productionem, ſed ſtatum ſeu habitum ipſorum dum exiſtunt, quia ſunt & mobilia & turmatim collecta, unde fit ut agitatio eorum præ aliis & inſignis ac peculiaris & communicetur vehementer aquis terriſve in quibus ſunt, tum re ipſa tum ad oculorum aſpectum, quos agitatio illa adeo commovet ut terra iis motitans ac contremiſcens appareat.* Senſus hinc juxta *Virum Clar.* erit, *Aquæ*, non producant reptile, ſed *commoveantur* dicto modo *à reptili*; ut ſit heic non modo Ellipſis quædam præpoſitionis ante ultimum nomen, ſed etiam ſimul quædam Metonymiæ ſpecies. *Nam & de terra*, inquit, *& de aqua dici poteſt* שרץ *concurrente metonymia adjuncti, cum participatione agitationis animalium, prout Gallicè non modo de animalibus ſed etiam de terra & de aqua ubi ſunt dicimus, elle fourmille de vers, elle eſt grouillante d'animaux, de poiſſons, d'inſectes &c.* Quæ ſane ſunt ſatis ſubtiliter & erudite dicta, ſecundum *Viri Clar.* morem laudatiſſimum. Uti & eodem fere modo præiit *Cel. Coccejus in Lexico*; ubi verbum שרץ exponit, *verminare, ſe movere*, monetque, *id dici de terra & aqua, in quibus fit motus quum animalia quæ ex eis ſunt in eis vivere incipiunt, item de animalibus ſe moventibus, vel ubertim propagantibus*, atque Moſis verba etiam vertit, *moveant ſe aquæ motione animæ viventis*, ſeu *verminent verminatione.* Nec refragabor ego multum, ſi cui eum lubeat ſenſum ſequi, juxta quem juſſu ad aquas directo videtur tamen piſcium non tantum motio in aquis ſed & productio ex prædominante iſthoc elemento ſic inſinuari. Non videtur tamen activa & tranſitiva Verbi notio, quæ juxta alteram intranſitivam in Forma *Kal* iisdem verbis paſſim competit apud Hebræos, prorſus eſſe repudianda, juxta quam productio copioſa animantium ſe moventium & cum motu illo dicto

cto conjuncta per illud designatur, si spectemus loca *Gen.* VIII. 17. IX. 7. *Exod.* I. 7. & *Psal.* CV. 30. Nec malè adeo puto *Joh. Forsterum* verbi hujus usum distinxisse, ubi absolute ponitur extra regimen, atque ubi *regit post se accusativum*, quando *sit transitivum & significet vel aquas seu terram gignere & producere in copia motabilia seu reptilia sive volatilia &c.* Uti addit ille, *quorundam Rabinorum sententia verbum esse compositum ex pronomine relativo ש & verbo* רוץ. Reddiderunt utique LXX heic transitive, ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα, atque alibi etiam per πληρόω, ἐρεύγομαι, ἐξερεύγομαι, ἐξίπτω, uti & *Vulgatus* habet, *producant aquæ.* Dum verbum *reptilificandi* nos sumpsimus majoris emphasios causa à *Cajetano*, qui sic de eo differit; *Diximus reptilificare, quemadmodum dicimus, animalificare & ovificare. Oportuit autem novum verbum effingere, ut Hebraum verbum exprimeretur. Nec significat purum efficere reptile, sed significat efficere in multitudine. Et apte productionem piscium appellavit reptilificare, eo quod in magna multitudine piscis producitur, ut innumerabilitas ovorum piscis testatur. Et significatur, per reptilificabunt, decreta ab æterno virtus danda in initio temporis aquis ad producendum piscem in multitudine.* Sed ad Paradisum nostrum redeamus, qui cum fuerit non aquarum sed aridæ pars, arboribus herbis & terrestribus animalibus plena, videtur Piscibus, qui in aqua degunt, recipiendis minus esse aptus. Nec quidquam nos legimus hinc etiam apud Mosen, vel de eorum adductione ad Adamum, vel de nominibus quæ hic illis imposuerit perinde ut animantibus terrestribus & avibus *Gen.* II. 19. 20. quamquam non desint qui posterius hoc ex analogia aliorum animantium colligant. Ex adverso autem hominis in Paradiso constituti Dominium fuit etiam in Pisces extensum, qui primo nominantur heic loco ante aves & bestias terræ *Gen.* I. 28. idque, ut *Pererio* cum aliis videtur, *quod ei omnium animantium minime dociles, minimeque humani imperii capaces, & nostræ consuetudinis atque disciplinæ participes esse videantur, quod si eis tamen præest homo, quanto magis eum cæteris animalibus præesse credendum est?* Et cum Horti ab hominibus plantati soleant etiam Piscinis copiosis esse instructi, ad majorem abundantiam victus & voluptatem conspectus, nec per Fluvium insignem irrigantem defuerit Paradiso nostro aquæ aptissimæ copia; plusquam probabile nobis est, Piscium quoque præstantissima genera in Paradiso vel apud eum adfuisse

fuiſſe ad Adami delectationem & uſum. Quo magis Piſcium in integro adhuc hominis dominio, æquè quam avium multarum & beſtiarum, minor videtur fuiſſe feritas quam nunc eſt, ut tantopere conſortium & uſum Adami non effugerent aut tanta vi vel fraude attrahi deberent.

Ornata Paradiſi Ordinatio ad omnem hanc Copiam annectitur.

VII. Sic ad copiam Paradiſo nihil plane deprehendimus defuiſſe. Sed nec hæc ipſa indigeſta & confuſa præſumi debet, verum elegantiſſime ordinata. Quorſum nos ducit, præter communem totius mundi & terræ ornatum in integritatis felici ſtatu præ hodierno qui adhuc ſatis eſt magnus apud rite attendentes, ſpeciale nomen גן *Horti*, & *Paradiſi*, quod juxta externam clauſuram dicit internam ordinationem & curam ſingularem. Quapropter & Adamo tum *cultus* tum *cuſtodia* ejus Horti à Deo eſt demandata *Gen.* II. 15. de quibus deinde apud Divina præcepta nos agemus. Sed accedunt plura ex *Gen.* II. 8. & quod Hortus hic fuerit ſitus in terra quæ à ſingulari voluptate habuit *Hedenis* nomen; & quod *Jehovah Deus* ipſe ſingulari ſapientia potentia & bonitate ſua eum formaverit, unde & *Horti Dei* ſeu *Jehova* nomen alias gerit; & quod de Deo eum formante heic adhibeatur verbum emphaticum, ויטע / ὡ ἐφύτευσεν, *plantaverat autem*, apud LXX. & *Vulgatum*, quod tam ad ordinis nitorem, quam ad plantarum firmitatem nos ducit; & quod denique factus feratur hic Hortus ad inhabitationem *Adami* ad imaginem Dei facti & in communi terræ totius dominio eandem quoque gerentis, qui illic familiari Dei ipſius conſortio uſurus & ſimilitudine quadam Cœli ſupremi gaviſurus erat. Quæ cuncta faciunt, ut de maximo, & pluſquam humano aut hodierno ullo Paradiſi, Ornatu debeamus omninò cogitare. In quem ideoque optime excurrit inter alios *Baſilius Hom.* XXX. *de Paradiſo*, iteratis inter partium ejus deſcriptiones exclamationibus uſus; Νοήσωμεν ἀξίαν θεοῦ φυτείαν, καὶ ἀφόδοις πείσωμεν τὴν φιλοκαλίαν καὶ τοιαύτην καὶ τηλικαύτην δημιουργῶ &c. πῶς σοι δυνηθῶ ὑπ' ἐμοῦ εὐαρεστῶς ἀγαγεῖν ἡ παρεῖδα, ἵνα σαυτὸν ἐκ τῆς ἐξορίας ἀναπαλέσῃ; &c. πῶς σοι ἀφράσω τὴν ἡδονῆς ἐκείνης τὸ ὑπερβάλλον; ἐὰν συγκρίνω πῖς ὕδωρ, καθυφίζω μᾶλλον τῇ ἀφθόνῳ ἢ τινά σοι ἐπέρχαν ἐκ τῆς εἰρήνης παρίσημι; &c. tandem poſt ſpiritualium quoque factam collationem concludens, πάντα ταῦτα τῇ ἀγγοίᾳ καταμαθὼν, δόξαζε τὸν θεὸν, ὅτι αὐτῷ πρέπει πᾶσα δόξα τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM.

Quo de ſpeciali Tempore Plantationis Paradiſi agitur.

Occaſio inquiſitionis de tempore plantati Paradiſi proponitur.

QUandoquidem Moſes, ubi per Dies Sex, poſt primum creationis initium proxime inſecutos, illudque in ſenſu latiori etiam conſtituentes, diſtribuit ſingula Opera, nullam prorſus Paradiſi fecit mentionem *Gen.* 1. ſed poſt deſcriptum modum creati Adami, & ex hujus incolæ occaſione, ſimpliciter dixit *Gen.* 11. 8. *& plantavit Jehovah Deus Hortum Heden ab Oriente, & poſuit illic hominem*, vel *Adamum*, *quem formavit*, *& germinare fecit &c.* non expreſſo ſic tempore plantationis hujus ullo certo; fuit de hoc dudum multa controverſia, quam plane intactam relinquere modò non decet.

Non debet Paradiſus credi plantatus ante Moſaicum rerum omnium Principium; quorſum male trahitur מקדם / quod heic non ad tempus ſed ad locum ſpectat.

II. Nempe aliqui nimis alte heic aſcendunt, abuſi in eam rem voce מקדם quam Moſes in citatis habet verbis. Eandem non ad locum *Orientis* ſed ad tempus aliquod præcedens ab ævo à multis tractam eſſe, antea etiam monuimus *Cap.* VII. Utique memoravit *Hieronymus in Quæſt. ſeu Tradit. Hebr. in Gen.* pro מקדם *Aquilam* poſuiſſe ἀπὸ ἀρχῆς, *Symmachum verò* ἐν πρώτῃ, & *Theodotionem* ἐν πρώτοις, *quod & ipſum non orientem ſed principium ſignificat*; ipſeque dixit, ſed incertum an cum reſpectu majori ad Hebræum מקדם / an ad Græcum ἀπὸ ἀρχῆς, *& nos ab exordio poſſumus dicere*, dum in *Vulgato* tranſfertur, *à principio.* Atque uti paulo incertior eſt ſenſus *Onkeloſi* in ſuo מלקדמין / ita in *Targum Jonathanis Uzielidis* plenius legitur קדם בריית עולם / *ante creationem mundi.* In quem ipſum ſenſum ſcripſit ipſe *Hieronymus l. c. Ex quo manifeſtiſſime comprobatur, quod priusquam cœlum & terram Deus faceret Paradiſum ante condiderat; ſicut & legitur in Hebræo, plantaverat autem Deus Paradiſum in Eden à principio.* De quo audi *Ben. Pererii* inter alios judicium; *Quod Hieronymi dictum ſi ut verum tueri volumus, neceſſum eſt fateri, vel ipſum non eſſe locutum de Paradiſo corporeo, ſed ſpirituali quæ eſt vita æterna, quam electis præparavit Deus ante mundi conſtitutionem, vel illud ante cœlum & terram idem ſonare, quod ante perfectam*

cœli & terræ exornationem atque conſummationem. Idem autem *Pererius* voluit, illud *à principio referri debere ad tempus primorum ſex dierum, præſertim autem ad tertium diem, quo Paradiſum eſſe conſitum communis & pervagata eſt ſententia.* Atque in eam rem præmittit; *Nec vero, quia Paradiſus factus fuit à principio, continuo ſequitur, eum vel primo die vel etiam ante factum eſſe. Etenim apud Johannem Cap.* VIII. *Dominus noſter ait, diabolum fuiſſe homicidam ab initio, quem tamen conſtat mortis hominis, tam ſpiritualis quam corporalis, non ante ſextum diem quo creatus eſt homo auctorem eſſe potuiſſe.* Scilicet obſervatur paſſim, מקדם / ubi non ad locum anteriorem & orientalem ſed ad durationem antevertentem refertur; vel notare ipſam Dei æternitatem, quæ eſt ante omnia, *coll. Deut.* XXXIII. 27. *&c.* vel primam antiquitatem & rerum omnium originem, quæ omnia inſequentia tempora antecedit, *coll. Pſal.* LXVIII. 34. *Prov.* VIII. 34. *&c.* quæque tum iterum vel ſtrictus de primo momento vel in aliqua majori latitudine capitur; vel denique quodcunque longius aut forte etiam propius antegreſſum tempus, *coll. Pſal.* LXXIV. 2. 12. LXXVII. 6. 12. CXLIII. 5. *&c.* Sicuti præpoſitio מ / in מקדם / non tantum exponi poteſt per *à* vel *ab*, ut terminum dicat initialem, ſed etiam per *verſus*, ut partem temporis ſpectatam exprimat, vel per *ante*, ut denotet comparationem; quem ſenſum & מקדם nos ut commodiſſimum prætulimus *Mich.* v. 1. in *Commentario* noſtro, & aſtruximus etiam latius *EXERC. TEXT. XIII. Part. I.* §. 11. Neque dubium, quin Judæi ab ævo multi hoc in loco phraſin retulerint ad æternitatem vel ſaltem anterius aliquod Moſaico Principio durationis ſpatium. Quemadmodum id etiam liquet ex *Pirke R. Eliezer Cap.* III. ubi dicuntur *ſeptem condita eſſe antequam creatus erat mundus*, & quidem ante octo illa quæ dein die primo creata feruntur, quæ ſint *Lex*, *Gehenna*, *Paradiſus*, *Thronus gloriæ*, *Domus ſanctuarii*, *Reſipiſcentia*, *& Nomen Meſſiæ*, tractis ad ſingula illa alienis Scripturæ locis, & ad Paradiſum adducto hoc מקדם Moſaico. Ad quæ tamen *Guil. Henr. Vorſtius* animadvertit, eos *hæc ſeptem producta velle divino decreto ante conditum mundum, ſicuti paſſim apud Commentatores obſervare licet, referentes hæc ad propoſitum vel intentionem Dei. Vid. Peſachim Cap.* IV. *& Nederim Cap.* VI. Sicuti multis inculcat *Paulus Fagius*, hoc de Paradiſo Cœleſti intelligendum eſſe; *Quod non ita craſſe juxta literam,*

ram, ut recentiores Judæi ſtulte putant, intelligi voluerunt, ſed quod æterna vita ac beatitudo, cujus Paradiſus ille terrenus quodammodo typus fuit, ab æterno ante conditum mundum pro electis exſtiterit, juxta illud dictum Apoſtoli Eph. I. quod Deus Pater cæleſtis nos in dilecto Filio ſuo elegerit antequam jacerentur fundamenta mundi &c. dein ſe etiam conferens *Matt.* xxv. 34. *Sic recte*, pergit, *multa dixerunt veteres Hebræi, quæ juniores Judæi ridicule & inepte juxta literam accipiunt &c.* Unde & *Seb. Munſterus* dixit, *tam portentoſa ſomnia confinxiſſe Hebræos de Gan Eden, quæ etiam Luciani figmenta ſuperant.* Enimvero uti de literali Paradiſo, tanquam terræ noſtræ parte, non poteſt hoc dici quod actu plantatus ſit ante mundi creationem, quando etiam nihil plane fuit præter Deum æternum, quod ipſe *Eliezer* paulo ante dixerat; ita non eſt heic apud Moſen locus cogitandi, vel de Paradiſo cœleſti beatorum, vel de Divino Decreto, ubi de Paradiſo manifeſtum eſt agi in quo Adam integer conſtitutus & dein lapſus fuit, atque de ejus actuali plantatione, neceſſaria utique prorſus ad hoc ut ipſe in eo collocaretur. Quod ſi ergo notio illa מקדם / qua dicit *à principio*, eſſet omnino tenenda, jam præſtaret multum ſententia altera apud *Fagium*, quæ ad *exordium*, non primum mundi totius quando terra univerſa aquis adhuc fuit tecta, ſed inſecutum *orbis* hujus inferioris, referendum ad ejus ex aquis ſurgentis exornationem factam die tertio, heic reſpicit; niſi placuerit in nomine *principii* latius intelligere vel Hexaëmeron integrum, vel tempus aliquod ante hominem ſeu in Paradiſum introductum ſeu etiam formatum. Quemadmodum *Fagius* dixit; *Simpliciſſima ſententia eſt, ſi ad hominem referas, hoc ſenſu quod Deus antequam hominem fingeret hunc hortum paraverit.* Et dein addit; *Sive igitur juxta quorundam Hebræorum ſententiam præſentem locum ſic accipias, ut hortus Paradiſi ante mundum, ſive ab exordio mundi hoc eſt tertio die, exſtiterit, de hoc tamen non dubium eſt, quin ante conditum hominem exſtiterit. Quo certe citra omnem controverſiam adumbratum fuit, ſummam illam futuri ſeculi felicitatem, cujus hortus Paradiſi typus fuit, non ex merito operum ſed ex electione & gratia homini contingere.* Sed omnis hæc ad vocem מקדם diſquiſitio de tempore plantati Paradiſi vana eſt, quando nos dudum rationibus juſtis adſtruximus *Cap. VII.* vocabulum illud longe rectius tranſlatum eſſe à LXX. κατὰ ἀνατολὰς, *ab oriente*, non diſſentientibus Magiſtris variis cum *AbenEzra*, aut *Græcis* Patribus, aut

etiam *Latinis* anterioribus, quando ipſe *Hieronymus* ex iis habet, *contra orientem*, aut ipſis denique *Pontificiis* quibuſdam Scriptoribus doctiſſimis cum *Pererio*, qui ea occaſione in Orientis hujus inquiſitionem excurrit, ſimul & in morem antiquum orandi verſus orientem hinc ortum. Inter quos eſt etiam *Auguſt. Steuchus Eugubinus*; *Omnino igitur ad locum ſpectat, ſicut & LXX verterunt, & ut admonent Hebræi, præſertim vocum Interpres apud eos &c. quare non ad tempus ſed ad locum referenda eſt.*

Sed nec Paradiſus plantatus eſt aut poſt ſex dies Creationis aut poſt Adamum formatum.

III. Alii ex adverſo videntur plantationem Paradiſi nimium differre, poſt hominis ipſius formationem, imo & poſt creationis ſex dierum opus plane abſolutum. In eam ſententiam *Pererius* adducit ipſum *Baſilium*; *Paradiſum ait conditum eſſe à Deo poſt creationem hominis, propterea fortaſſe id opinatus, quod cerneret Paradiſi à Deo facti non niſi poſt creationem hominis mentionem fieri à Moſe.* Attamen id ita explicite apud ipſum in citata *Oratione de Parad.* vix reperio; Ἐν τοῖς κατόπιν, inquit illic, εἴρηται, ἐξαγαγέτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου καὶ ξύλον κάρπιμον ποιοῦν καρπόν. Εἰ ἐκ τῶν καινῶν ξύλων ἦν ὁ παράδεισος, ἐμαθελείχετο δηλονότι τῇ πρώτῃ γλυφῇ τῶν φυτῶν, καὶ οὐδὲν ἐδεῖτο ἐξαιρέτου φυτείας ἔργου θεοῦ τὰ νῦν ἐν τῷ παραδείσῳ ὑπ' αὐτοῦ ἔργου θεοῦ φυτευθέντα δένδρα. Νῦν μὲν γοῦν ὡς διαφόρων παρὰ τὰ ἄλλα ὑπαρχόντων γῆν φυτῶν τὰ ἐν τῷ παραδείσῳ ὑπ' αὐτοῦ ἔργου θεοῦ φιλοτεχνηθέντα συγκέκραται δένδρων ὑπὸ λόγου δείκνυται. Ὥσπερ γὰρ τὸν ἄνθρωπον ἐξαιρέτου τῆς πλάσεως παρὰ τὰ λοιπὰ ζῶα ἠξίωσεν, οὕτω καὶ τὸ ἐπιτήδειον τοῦ ἀνθρώπου τῆς ἰδίας αὐτοῦ χειρὸς ἔργον ἐποίησε &c. Quibus verbis hoc certiſſime innuit *Baſilius*, quod excellentioris hujus horti plantatio divina non fuerit comprehenſa in prima terræ germinatione communi quam Moſes ad tertium diem retulit; quod ſi conceſſum fuerit, vix tamen certo inde ſequetur, alio etiam die plantatum eſſe Paradiſum, dum ſub animalibus non comprehenſus Adam eodem tamen die ſexto cum illis creatus fuit. Quodcunque autem heic ſenſerit *Baſilius*, id certum eſſe debet, quod quemadmodum terra univerſa cum germinibus ſuis, quæ habitaculum erat futura animantium, ante hæc ipſa animantia facta eſt, ita etiam Paradiſus ab homine potiſſimum habitandus ante hunc formatum fuerit plantatus, adeoque & ante ſex dierum finem, poſt quem ab opere non quidem Providentiæ ſed tamen Creationis quieviſſe etiam dicitur Deus *Gen.* II. 2. Nec *perfecti* plane videntur dici poſſe *cœli & terra & omnis exercitus illorum*, uti

Digitized by Google

uti in fine *ſexti* & initio ſeptimi diei refert Moſes *Gen.* 11. 2. ſi non & tum extitiſſet præcipuum hoc terræ ornamentum quod Paradiſus conſtituit. Quo magis ad illam terræ perfectionem retulit etiam Moſes *verſ.* 5. *omnem fruticem agri & omnem herbam agri.* Ut non urgeam modo latius ſequentem ordinem Moſaicæ narrationis, non temere convellendum; quando ille poſt Adami conſtitutionem in Paradiſo, & factum interdictum edendi de fructu Arboris Scientiæ, & nomina Animantibus ab Adamo impoſita, mulierem demum ponit creatam ex coſta viri dormientis; quæ ſane die ſexto formata fuit *Gen.* 1. 27. 31. Nec ſpeciem tandem ullam habet, aliquod notabile temporis ſpatium inter hominis creationem & Paradiſi plantationem intercurriſſe, quo ille quaſi abſque Lege & Fœdere cum Deo vixerit. Eſt verò illud, quod *Pererius* adduxit, pro contraria opinione argumentum prorſus infirmum. Etenim *Capite II.* plura diſtinctius exſequi Moſen, quæ in generalioribus *Capite I.* continebantur aut ſubintelligebantur, atque *Capite II.* narrari quæ ad priores dies ſex reſpectu temporis pertinent, eſt ex mentione *Cœlorum & Terræ*, & *Fruticis Herbæque agri*, atque ipſius dein *Adami* cum *Uxore* ſua, liquidiſſimum. Heic vero quando præmittitur Adami formatio, & ſubjicitur Paradiſi plantatio, cum uberiori ejus deſcriptione, in quo Adam à Deo conſtitutus fuit; nimis profecto inhærebis vocum ordini, ſi etiam Adami formationem velis tempore præceſſiſſe. Siquidem clarum eſt, cum de Adamo in Paradiſum poſt creationem ſuam introducto & conſequenti ad illum ſpectante mandato dicere vellet Moſes, nec de Paradiſo ipſo hactenus quidquam dixiſſet, eum heic ejus quandocunque antea plantati & egregie inſtructi debuiſſe tandem aliquam facere mentionem, ſive verbum יטע in perfecto per *plantavit*, ſive in plusquam perfecto cum *Vulgato* reddatur per *plantaverat.* Ad quod verbum idcirco *Pererius* ſcripſit inter alios; *Illud plantaverat, licet Hebraice ſit plantavit, quia tamen Hebræi ſæpe numero abutuntur præteritis perfectis pro plusquam perfectis, denotat plantationem Paradiſi non eſſe factam poſt hominis creationem ſed ante, ut ea ſit verborum Moſis ſententia, jam prius plantaverat Deus Paradiſum, cum formavit hominem, ideoque ſtatim ut conditus homo eſt in Paradiſum à Deo eſt introductus.* Et dein ad objectionem ex Paradiſi mentione facta non niſi poſt creationem hominis; *Verum id factum eſt per recapitulationem, qua figura*

prius

prius dicta posterius narrantur, sicut contra per anticipationem memorantur prius quæ posterius gesta sunt, & est utraque figura in divinis literis non infrequens. Sed queret aliquis, sicut Paradisus ortu prior fuit homine, cur etiam non fuit à Mose priore loco memoratus? an quo manifestum fieret, eum præcipue hominis gratia esse à Deo conditum? an potius quò magis continente & continuata serie tota Paradisi historia pertexeretur? Quæ ratio utraque suam meretur considerationem; dum nec rationem ullam video cur una ab altera separari debeat. Vide & quæ de integra hac re adversus *Franc. Georgium* præmisimus *Cap. I. §. VI. & XII.*

Non videtur autem dubitandum, quin Die Tertio plantatus fuerit Paradisus.

IV. Media ergo sententia heic extremis est præferenda cum longe plurimis Interpretibus, juxta quam intra Hexaëmeron Mosaicum Paradisus plantatus fuit. Ita quidem, ut illa terræ moles, quæ Paradisum dein constituit, cum reliqua omni materia inhabili sit ex nihilo producta Die Primo, & à parte aquarum superiori liberata Die Secundo, (ad quem à *Genebrardo* Paradisi plantationem referri, malè scripsit *Torniellus*, idem ergo frustra refutans,) & amœno solis splendore collustrata Die Quarto, & Avium Pisciumque copia instructa Die Quinto, & Animalibus præstantissimis ditata Die Sexto, (quæ pessimè cum *Thoma* & variis Scholasticis hinc excluſit prorsus *Joh. Damascenus Orthod. Fid. Lib.* II. *Cap.* II. ἐν ᾧ ἑδλὲν ἓν ἀλόγων ἠυλίζετο, μόνῳ ἢ ὁ ἄνθρωπος ἓν θείων χερῶν τὸ πλασθέγμα &c. licet pro ea sententia in *Commentario* illic late disputetur,) sed tamen prorsus ex aquis emerserit & præcipuè in Hortum facta sit à Deo per Arborum aliorumque Germinum lætum & ordinatissimum proventum Die Tertio, quo exsiccatio & germinatio reliquæ terræ simul contigit. Sive credas, verba illa generalia *Gen.* I. II. 12. de Germinum & Arborum ortu ex terra, sub se complecti insignem hunc certæ partis terræ proventum per quem Paradisus constitutus fuit, quod ego quidem multum prætulerim; sive etiam cum *Basilio* volueris illa ad reliquam præter Paradisum terram restringere potius, quando tamen ex rerum analogia ad illum potius quam ad alterum aliquem diem referre Paradisi plantationem oportebit. Quod & feciſſe hinc Interpretes plures, qui מקדם non ad locum sed ad tempus referunt, atque *Vulgati* illud *à principio* tenent, supra vidimus. Ita inter alios *Ben. Pererius*; *Constitus autem fuerat à Deo Paradisus tertia die, qua die jussa est terra omnium herbarum &*

stir-

Digitized by Google

ſtirpium genera proferre. Et dein; *Illud igitur, à principio, referri debet ad tempus primorum ſex dierum, præſertim autem ad tertium diem, quo Paradiſum eſſe conſitum, communis & pervagata eſt ſententia.* Quod ſi denuò roges, cur non ergo Paradiſi plantati mentionem fecerit Moſes Die Tertio; eam nos quidem illic dicemus factam implicitè, nec in generali deſcriptione terræ totius exornatæ tam commodum fuiſſe locum excurrendi in ſpecialem Paradiſi conſtitutionem, quam in Adami inhabitantis ac ſua cùlpa illic contracta elapſi hiſtoria pleniori. Præterquam quod per Solis influxum, Aviumque Piſcium & Animantium aliorum introductionem, Paradiſi decus diebus poſt tertium inſecutis ſatis notabiliter ſit adauctum; unde tum potius quam antea locum hunc voluptuoſiſſimum nobis memorare potuit Moſes.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Quo de Paradiſi Duratione tandem diligentius diſputatur.

Hunc autem, quem in omni ſic decore ſuo & ortu etiam luſtravimus, Paradiſum non tantum ante Diluvium manſiſſe ſuperſtitem, ſed adhuc hodie ſupereſſe, multorum fert opinio. Quod quidem intelligunt non de loco ſolum, qui olim eam copiam & appellationem habuit, ſed etiam de ipſa ejus diſtinctione copia & amœnitate, per quam ipſe proprie Hortus hic conſtituitur. Quæ ſententia ſatis antiqua eſſe judicatur ex *Queſt. & Reſp. ad Orthodoxos* ſub nomine *Juſtini Mart.* in quibus *Reſp.* LXXV. dicitur de animabus juſtorum; Ἄγοντες γὰρ ἐκεῖ τ ἀγγέλων &c. αἱ μὲν τ δικαίων ψυχαὶ εἰς τ παράδεισον, ἔνθα σωτυχία τε καὶ θέα ἀγγέλων τε καὶ ἀρχαγγέλων, κατ' ὁπασίαν ἣν καὶ ἔ σωτῆρ& χριςῦ &c. Et *Reſp.* LXXVI. Ὄφελ& γένοτ τῷ λησῇ εἰς τ παράδεισον εἰσελθόντι, τὰ ἔργοις μαθεῖν τ πίςεως τὸ ὠφέλιμον, δι' ἧς ἠξιώθη ἔ σωαθροίσματ& τ ἁγίων, ἐν ᾧ φυλάτεται ἕως τ ἡμέρας τ ἀναςάσεώς τε καὶ ἀνταποδόσεως· ἔχει τε ἔ Παραδείσ& τ ἄιδιον ζῆ τ ἐνυμνλικλῶ λεγομένῳ αἴθηζιν &c. Et *Reſp.* LXXXV. Δι' ἣν αἰτίαν ἐδὲ ἐτελώτησαν πάλιν, ἀλλὰ μένυζιν ἐν ἀθανασίᾳ, καθάπερ ὁ Ἐνὼχ καὶ ὁ Ἠλίας, οἳ εἰσὶ σὺν αὐτοῖς ἐν τῷ παραδείσῳ ἀναμένοντες τ ἤδη αἰωνίαν

Paradiſum adhuc hodie ſupereſſe, multorum Veterum eſt ſententia, in quam rem quorundam ex ipſis adducuntur verba.

νίαν τ᾽ ἐξ Χριστοῦ ἀναστάσεως γινομένην τῇ ἐπαγγελίᾳ καθ᾽ ἣν, ὡς φησὶν θεῖος Ἀπόστολος, πάντες ἁρπαγησόμεθα &c. Nec minus ex *Ireneo Lib. V. adv. Hæreſ. Cap.* 5. Ποῦ δὲ ἐτέθη ὁ πρῶτος ἄνθρωπος; ἐν τῷ παραδείσῳ δηλονότι, καθὼς γέγραπται &c. Διὸ καὶ λέγουσιν οἱ πρεσβύτεροι, τῆς ἀποστόλων μαθητῆς, τοὺς μετατεθέντας (Enochum & Eliam) ἐκεῖσε μετατεθῆναι, δικαίους γὰρ ἀνθρώπους καὶ πνευματοφόρους ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος Ἀπόστολος εἰσκομισθεὶς ἤκουσεν ἀῤῥήτα ῥήματα, ὡς πρὸς ἡμᾶς ἐν τῷ παρόντι, καὶ ἐκεῖ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας, προοιμιαζομένους τὴν ἀφθαρσίαν &c. Quibus jungere licet *Tertullianum de Anima Cap.* LV. *Sed in æthere dormitio noſtra, cum puerariis Platonis, aut in aëre cum Ario, aut circa Lunam cum Endymionibus Stoicorum. Immo, inquis, in Paradiſo, quo jam tunc & Patriarchæ & Prophetæ, appendices Dominicæ reſurrectionis, ab inferis migraverint. Et quomodo Joanni in ſpiritu Paradiſi regio revelata, quæ ſubjicitur altari, nullas alias animas apud ſe præter martyrum oſtendit? quomodo Perpetua fortiſſima martyr ſub die paſſionis in revelatione Paradiſi ſolos illic Commartyres ſuos vidit, niſi quia nullis romphæa Paradiſi janitrix cedit niſi qui in Chriſto deceſſerint, non in Adam? &c. Si crucem tuam tollas, & ſequaris Dominum ut ipſe præcepit, tota Paradiſi clavis tuus ſanguis eſt. Habes etiam de Paradiſo à nobis libellum, quo conſtituimus omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem Domini.* Quibus non diſſimilia ſunt illa in *Apolog. Cap.* XLVII. *Et ſi Paradiſum nominemus, locum divinæ amœnitatis, recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum, maceria quadam ignea illius zona à notitia orbis communis ſegregatum, Elyſii campi fidem occupaverunt.* Imo viſus eſt multis dudum *Auguſtinus* hodiernam Paradiſi conſervationem pro fidei Chriſtianæ articulo habuiſſe, quando ſcripſit *Lib.* II. *de Pecc. Orig. c. Pelag. & Celeſt. Cap.* 23. *Longe aliter ſe habent quæſtiones iſtæ, quas eſſe præter fidem arbitratur, quam ſunt illæ in quibus ſalva fide quæ Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quid verum ſit & ſententia definitiva ſuſpenditur, aut aliter quam eſt humana & infirma ſuſpicione conjicitur. Veluti cum quæritur, qualis aut ubi ſit Paradiſus, ubi conſtituit Deus hominem quem formavit ex pulvere, cum tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet. Vel cum quæritur, ubi ſit nunc Helias vel Enoch, an ibi an alicubi alibi, quos tamen non dubitamus in quibus nati ſunt corporibus vivere &c.* Ad quem

Au-

Auguſtini locum obſervat inter alios *Pererius*; illum *iſtis verbis non aliud ſignificare voluiſſe, niſi Paradiſum quem deſcripſit Moſes intelligendum eſſe locum quendam corporatum aſpectabilem & terreſtrem, non autem ut Origeni & aliis placuit tantummodo ſpiritualiter & myſticè eſſe accipiendum. Nam quod ſecundum fidem catholicam ſentiendum ſit Paradiſum nunc exſtare, non voluit dicere Auguſtinus.* Sed in adverſum cum aliis diſputavit rurſum *Bellarminus de Grat. Primi Hom. Cap.* XIV. *Nam in primis quæſtiones illæ, quæ ſalva fide diſputari poſſunt, qualis ſit & ubi ſit Paradiſus, præſupponunt, Paradiſum eſſe etiam nunc in rerum natura; alioqui poſſet etiam vel potius deberet quæri, ſitne Paradiſus, antequam quæratur, qualis ſit vel ubi ſit. Deinde id cognoſci poteſt ex alia quæſtione, quam ibidem continuo ſubjungit Auguſtinus &c. Quo loco ſicut dixerat, Paradiſum eſſe fides Chriſtiana non dubitat, ita dicit, Henoch & Eliam non dubitamus in ſuis corporibus vivere. At certum eſt, non ſolum Henoch & Heliam non eſſe res fictas, ſed etiam reipſa hoc tempore extare & vivere: igitur eodem modo certum eſt apud Auguſtinum, Paradiſum ſolum non eſſe rem fictam, ſed etiam nunc re ipſa extare &c.*

II. Qualecunque autem fuerit *Auguſtini* de Paradiſi duratione & hujus Catholica Fide judicium, liquet, *Veteres* ſucceſſive plurimos in eam ſententiam fuiſſe abreptos, per alienam ſuam hypotheſin, de Paradiſi loco extra aut ſupra orbem noſtrum, notum utique, quærendo, quam antea ſuo loco excuſſimus, & per confuſionem quandam manifeſtam *Paradiſi* nobis poſthac promiſſi, qui per Metaphoram ſic appellatur & de ipſo Cœlo prorſus intelligi debet, cum Adami priſtina manſione. Nec minus conſtat, *Papiſtas* plurimos in eandem Paradiſi durationem eſſe pronos, ut commodam ſic habeant manſionem quam Henocho & Eliæ aſſignent uſque ad tempus ultimum Anti-Chriſti quo redeant in hanc terram cum ipſo pugnaturi. Quod inter alios plurimos *Bellarminus* non diſſimulavit *l. c. Accedit etiam ratio probabilis, cur Paradiſus conſervari debuerit, videlicet ut Henoch & Helias, quos certum eſt in ſuis corporibus vivere, congruentem ſuo ſtatui ſedem haberent, donec tempus eſſet ut cum Anti-Chriſto congredientes vitam cum morte commutarent. Hos enim duos adhuc vivere, & venturos ut diximus ad mundi finem ut ſe Anti-Chriſto opponant, probavimus ex Scripturis, & communi Patrum Græcorum Latinorumque conſenſu*

Occaſio ejus ſententiæ apud Patres & conſentientes paſſim Papiſtas, additur, juxta Traditionem vanam Judaicam.

Lib. III. *de Sum. Pont. Cap.* 6. Quin etiam ab illa duratione Paradisi non videntur Judæi ipsi alieni esse, quando in *Bereschith Rabbah* inter varias sententias, unde Columba tempore cessantis Diluvii folium oleæ decerpserit, & hæc sub nomine *R. Bibi* memoratur, esse Columbæ illi apertas portas *Horti Heden*, ex quo aquis minime vastato folium olivæ decerptum sit.

Sententiæ ejus Argumenta proponuntur complura.

III. Gloriatur equidem *Thomas Malvenda Lib.* X. *de Antichristo Cap.* 4. *se longo Auctorum & rationum agmine demonstrasse in Paradiso suo Cap.* LXXXIV. *nunc adhuc extare Paradisum illum terrestrem, à Deo initio rerum conditum, in quo primi parentes primum positi, deinde pulsi fuerunt.* Sed, dum non est mihi illud Viri hujus opus ad manum, aliunde colligam ipse ea quæ hanc sententiam stabilire videntur. Atque sic indubie ad eam ante omnia duxit Mosis & reliquæ Scripturæ silentium de hujus Horti interitu; cujus cum plantationem tam explicite memorasset, ejusdem vastationem non tacuisset quoque, si hæc vera foret, potissimum cum in Diluvio hujus per orbem omnem reliquum diffusionem, ad altissimos usque montes, non tacuerit. Utique in re hac satis magna non videtur extra Mosen & Scripturam sapiendum. Sed & adversari deprehenditur secundo Moses & Scriptura reliqua isti vastationi Paradisi; quando tempore lapsus fert Adamum ex eo manente reliquo expulsum esse, & reditum in eundem per Cerubim præclusum *Gen.* III. 24. & quando in Paradisum introitus promissus fuit Latroni *Luc.* XXIII. 43. qui & contigit ipsi Paulo 2. *Cor.* XII. 4. & quando maximè de Henocho legitur *Eccles.* XLIV. 17. *Henoch placuit Deo & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*, vel *sapientiam. Non est hic quidem*, fatente etiam *Bellarmino*, *in Codice Græco* (habente, ἐνώχ ἐυηρέσησε κυρίῳ θεῷ καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας τῇ γενεᾷ) *vox illa, in Paradisum*; *tamen est in omnibus Codicibus Vulgatæ Editionis Latinæ, quam rejicere non possumus, si Concilio Generali Tridentino Sess.* III. *ut debemus obtemperare volumus.* Multiplex porro in hanc sententiam concurrit etiam ratio. Qualis petitur apud *Torniellum*, ex Diluvio immisso *propter peccata hominum, unde videtur non debuisse destruere nisi terram habitationi hominum post lapsum destinatam, non autem Paradisum terrestrem qui tantummodo pro hominibus in statu innocentiæ permanentibus à Deo fuerit præparatus &c.* Qualis passim legitur atque apud *Torniellum* etiam accedit, ex nulla com-

Digitized by Google

commodiori ſede tribuenda vel Henocho tempore Diluvii ne ex Arca excluſus per hoc periret, quæ ergo ab aquarum incurſu debuit eſſe immunis, vel etiam Eliæ à Deo ablato ut aliquando mortem adhuc ſubiturus redeat tempore Anti-Chriſti. Qualis amplius jungitur, ex Paradiſi diſtinctione à Terra noſtra habitabili *Gen.* III. 23. & credita ejus ſupra eam altitudine ſtupenda, ad quam aquæ Diluvii non pertigerint. Qualis denique annectitur, etiam apud *Torniellum*, ex *quatuor fluminum egreſſu de Paradiſo Terreſtri, de quibus non ſemel fit mentio in ſacris libris tanquam de fluminibus quæ etiam poſt Diluvium reperiantur; ergo videtur, etiam ipſum Paradiſum unde illa exeunt exſtare.* Poſt Scripturam & rationes iſtas non oportet negligere Autoritatem Veterum ſatis generalem, qua primo ſi non unice heic nititur *Bellarminus* cum aliis; *Quia nullum unquam ex Veteribus legi, qui Paradiſum terreſtrem vel aquis Diluvii vel alia de cauſa periiſſe ſcripſerit, & contra legi plurimos qui illum extare affirmant &c. non facile auderem à tam communi celebrique opinione recedere.* Sicuti *Malvenda*, poſtquam monuiſſet *de hac re apud Veteres nullam quæſtionem* eſſe, & *recentiores aliquos* diſſentire, ſubjecit de his; *Fatentur quidem ſe hic Antiquitatis conſenſu obrui, ſed ſuam opinionem magnis ſuffultam rationibus, fidem & auctoritatem pluribus in eam concedentibus adepturam ſucceſſu temporis. Sed falſi augures deprehenſi fuerunt: nam novitatem opinionis plerique exhorrentes repudiarunt, maluerunt veteri receptæ ac certæ aſſertioni, Paradiſum adhuc ſupereſſe, inhæreſcere.* Quales nominat tum *Ambr. Catharinum*, *Sixtum Senenſem &c.* ac ultimo loco *Mart. Becanum.*

IV. Enimvero non ſupereſſe amplius Paradiſum, eo quo antea diximus ſenſu, ſed dudum per aquas præcipue Diluvii vaſtatum eſſe, non pauci nec obſcuri ſtatuunt Viri inter *Pontificios*, qui de ſitu Paradiſi præ Veteribus ſapiunt, & juxta hos *Proteſtantes* paſſim, quibus fabula de Henochi & Eliæ pugna cum Anti-Chriſto fœtet. Inter *Pontificios* celebratur hoc nomine *Auguſt. Stenchus Eugubinus*, qui ſic latius habet ad *Gen.* II. 8. *Erat ergo Paradiſus Heden locus quidem amœnus atque odorus, his tamen caſibus obnoxius quibus & cætera mortalia noxia ſunt. Atque hanc eſſe cauſam puto, quod hic Paradiſus non inveniatur nunc, inculto enim fortaſſe redditus eſt, neque illam amœnitatis formam ſervat. Eodemque forte modo is Dei hortus deformatus eſt, quo Hieruſalem civitas Dei*

Adverſæ ſententiæ Autores, qui Paradiſum non amplius ſupereſſe, ſed dudum vaſtatum eſſe ſtatuunt.

Digitized by Google

eversa est, & Sion mons Dei. Arca quoque Dei vetustate contabuit. Omnia denique ea temporis diuturnitate abolita sunt, in quibus longe diviniora opera perpetrata à Deo sunt, quam in Heden creatio Adæ. Ut ergo illa obliterata sunt, ita incultum & informem nunc esse Paradisum necesse est. Placetque vehementer quod ait Chrysostomus, ante Diluvium & Paradisum & viam quæ duceret ad ipsum notam hominibus fuisse, post Diluvium penitus ignoratam, his verbis; ὡς γὰρ καλαλυσμὸν εἶδεσαν καὶ τοῦ τόπου καὶ ἡ ὁδὸς, ἡ ἀπάγουσα εἰς τὸ παράδεισον, ἣ ἦ καλαλυσμὸν γεγονὼς ἔξω ἐγένετο τῆς παραδείσου, καὶ μήτε Νῶε λοιπὸν ἐγνώρισεν μήτε οἱ ἐξ αὐτοῦ *&c. Inuenes ut puto aquarum eluvie arbores amœnissimas esse eversas, terram autem quæ suaves herbas pareret vorticibus rapidissimis dissipatam fuisse, atque ita locum delicatum concidisse, eque oculis mortalium evanuisse, ut post Diluvium ne vestigium quidem appareret, facta divini & cœlestis loci misera immutatione propter hominum scelera, quod aliis etiam locis & rebus accidit &c. Quanquam igitur inveniatur regio Heden in qua erat Paradisus, ipse tamen Paradisus non invenitur; idque in causa, quod ab illo tempore is locus squallidus & incultus est effectus. Erat enim Hortus, atque ea est hortorum natura, ut facile possint squallescere &c.* Cui Autori ex suis jungit *Malvenda* complures, *Jac. Naclantum*, *Oleastrum*, *Jansenium*, *Genebrardum*, *Galesinum*, *Maldonatum*, *Pererium*, *Suarezium*, *Viegam*, *Hamerum*, *à Lapide*, *Marianum*, & *Estium*; quos omnes evolvere nec licet nec libet. Utique *Pererius* inter hos nominatus id satis clare & late inculcat, simul tamen adversus novitatis præjudicium prudenter se muniens; *Est rationi ac divinis literis satis consentaneum, nullum esse nunc Paradisum illum terrestrem in quo Adam ad breve tempus fuit. Hoc autem in præsentia nonnullis, nec opinor invalidis, rationibus probare constitui. Quod si forte visum fuerit doctis & piis viris, licet satis hac opinio probabilis sit, & in eo rerum genere versetur quæ ad fidem minime pertinent, tutius fore tamen antiquam & communem sequi Doctorum sententiam, saltem quoad hac opinio, magis cognita ejus probabilitate, paulatim in scholas recipiatur, & à Theologis probata pervulgetur, sicque suam ipsa exuens novitatem, propter quam nonnullis forte displicere posset, majorem in dies veterascens fidem & auctoritatem acquirat; equidem prudens istorum consilium vehementer laudo proboque, meque ipsorum sententiæ adscribi volo, illud etiam*

Digitized by Google

etiam monens lectorem, quæ pro hac opinione hic disputantur eò prodita esse literis & publicata, non tam quidem ut eam sequerentur alii, quum ut ex his cognoscerent, quid hac opinio haberet probabilitatis, quibusque argumentis contraria sententia oppugnaretur, ut ea, quibus à veteri opinione non discedere satius videretur, fortiter profligarent &c. Etiam *Gilb. Genebrardus in Chronol.* ad Diem Tertium mundi habet; *Recte autem Chrysostomus illum Diluvio ita obscuratum tradidit, ut in hominum ignorationem venerit.* Quin & ipse *Doct. Petavius Lib. 11. de Opif. Sex Dier. Cap. 5.* haud obscure mentem suam prodidit, quando post propositam hanc *percontationem de Paradiso, an hodieque supersit, an vel paullo post ejectos inde primos parentes vel Diluvio ipso sublatus è medio fuerit,* & subjectam Patrum sententiam, *omni propemodum Christianæ vetustati persuasum illud fuisse, etiamnum manere pristinum illud in terra fortunatorum hominum domicilium, quod illi præsertim amplexi sunt qui hanc esse post obitum sedem sanctorum arbitrati sunt &c.* ipse addit; *Nos, quatenus de Paradiso dubitatur an hodieque supersit, ut incerta in re, neque Scripturarum auctoritate comperta, assensionem sustinere & à divinationibus abstinere satius ducimus.* Protestantium vero Theologorum quando heic communis est fere consensus, nomina aut verba eorum ulla adducere minus necessum est.

V. Sed audiri debent argumenta, quibus hæc firmatur de Paradisi vastatione sententia. Quorum *primum* est merito, quod de Paradisi hujus conservatione, seu omni tempore primi mundi seu etiam post Diluvium ad seriora tempora, nihil usquam apud Mosen aut Scriptores alios sacros legatur. Quæ cum foret singulare divinæ virtutis opus, non fuisset magis tacenda quam ejus plantatio prima, de qua sine Mosis narratione nihil utique nos sciremus vel credendum haberemus. Unde in positiva Paradisi durantis assertione merito exigatur heic probatio, præ eo quod in ejus negatione hæc desideratur. Tum *secundo* dicitur rectè, quod illa Paradisi conservatio sit contra Scripturam; quando hæc Hortum hunc describit plantatum eo loco Orientis & Hedenis & viciniæ Euphratis Tigridisque ubi ab omni hominum memoria nullus talis hortus amplius comparet; quando hæc amplius *maledictionem* Dei ad omnem extendit *Terram*, qua & cujus proventu homo per peccatum tam fœde erat abusus, *Gen. 111. 17.* & à qua adeò Paradisum tanquam suam servaturum elegantiam eximere non licet; quando

Argumenta hujus sententiæ adducuntur & urgentur complura.

Digitized by Google

quando hæc denique integra cum altissimis etiam montibus suis per Diluvii aquas deinde tecta earum impetu adeo deformata fuit, ut Noah nova plantatione opus haberet, *coll. Gen.* VII. 19. 20. IX. 20. uti de Diluvii illius extensione & modo nos alias latius disseruimus adversus alienas *Is. Vossii* & *T. Burnetii* hypotheses *EXERC. TEXT. II. Part. II.* Ubi ad miraculum in Paradiso servando ab aquis aut in aquis confingendum confugere absque vanitate magna non licet. *Tertio* complures adhuc obstant rationes aliæ. Qualis est illa, quod cum in usum Adami, & quidem integri, Paradisus iste fuerit plantatus, post hujus expulsionem & reditum impeditum, singularis ejus usus plane cessaverit; dum memoria ejus æque præsens manet, quando perditus est, quam quando superest absque ullo conspectu. Qualis est dein illa, quæ petitur ex mandato *colendi & custodiendi* hortum illum, quod Adam integer accepit *Gen.* II. 15. unde cessante hominis expulsi cura illa, inprimis post peccatum & maledictionem communem, horti illius decus sponte perire debuit. Qualis est amplius illa, quæ deducitur ex peccato primo in Paradiso perpetrato, & loco adeo illo per illud præ aliis omnibus fœdato, quare & ille in majorem sceleris detestationem merito perdendus erat. Qualis est etiam illa, quæ sumitur à Dei sapientia, qua inanes hominum conatus revertendi in amœnissimum locum optime per ejus vastationem avertit, ut ad cœlestem eos magis attolleret Paradisum omni industriâ quærendum. Qualis denique & illa forte addi non male potest, quod per Paradisi illam in Diluvio conservationem minor fuisset Arcæ necessitas ad Hominum & Animantium salutem, quibus extra ordinem utique inservire ille potuisset. Nec esse denique hanc sententiam destitutam Virorum Magnorum, apud ipsos Pontificios, *Autoritate*, ex citatis constat nominibus, quos vidimus etiam *Chrysostomi* nomen & verba laudare.

Ad oppositæ sententiæ Argumenta antea adducta etiam respondetur.

VI. Id in argumentis illis, si non singulis utique multis & omnibus simul, robur ego deprehendo, ut de Paradisi vastatione antiquissima nullus dubitem, nec à quoquam rite attendente dubitari posse putem. Quo magis facilis est etiam Objectionum antea auditarum solutio. Est enim *prima*, quæ à *silentio* Scripturæ petitur, admodum ridicula; quando non neganti sed affirmanti incumbit probatio, atque illi qui superesse etiamnum & à Deo miraculose servatum volunt Paradisum sunt heic omnino affirmantes

præ

præ iis qui superesse negant, quæ heic reapse est controversia, etiamsi modus loquendi affirmativus aut negativus varier. Imo si affirmare nos putes, annon etiam damus argumenta ex Mo'se plura, ex quibus nonnisi per conficta absque teste ullo miracula te expedire potes, iterum sic affirmans absque probatione. *Secunda* objectionum classis propius accedit, sed nec solida satis deprehenditur tamen. Nempe *expulsus* & redire *impeditus* Adam cum legitur, apparet, in primo transgressionis & punitionis Adamicæ tempore adhuc superfuisse horti hujus elegantiam, quod nemo negat; sed si ab eo tempore ad omnem mundi durationem volueris progredi, jam potentissimarum urbium & regionum quæ olim erant eversio ante complura secula te redarguet palam. Et si omnino non solum Adamum sed & omnes ejus posteros ab Horti hujus ingressu arcere voluit Deus, jam nihil ad illud supra decoris pristini ablationem aptius certius tutiusque. Præterquam quod & illa ipsa *flamma gladii vibrantis* non incommode sic exponitur, ut ad Paradisi perditionem haud parum etiam fecerit. Quod porrò ad *Paradisum* Latroni promissum & à Paulo coram lustratum attinet, hunc constat non de terrestri Adami mansione, sed de Cœlo ipso supremo, in quod omnes congregantur justi ad Christum caput suum, per metaphoram esse capiendum, etiam ex gemini istius loci contextu omni. Tandem ad illud quod de *Henocho* dicitur ex *Siracide* multa admodum dicuntur. Nobis post Veteres ipse *Autor* ille minime Canonicus sed *Apocryphus* est; atque insuper nec ejus *Versio Latina*, quæ sola *Paradisi* nomen heic habet, *Authentica* præ Græco textu. Respondent præterea *Papistæ*; nec ex translatione Henochi in *Paradisum* Adamicum pluribus ante Diluvium seculis sequi, quod Hortus ille & ipse in illo semper hucusque manserit; nec ex nomine *Paradisi*, quod juxta *Pererium* est *generale, universe significans quemvis locum ad oblectandum hominem amœnissimum atque jucundissimum, quin etiam non semel dicatur de Paradiso spirituali & cœlesti*, sequi quod Adamicus ille designetur præ aliis. Quæ *tertio* adduntur rationes, illis haud difficulter etiam satisfacimus. De Diluvio immisso *propter peccata hominum* non est dubitandum, sed nec dubitari potest, quin primum omnium peccatum in Paradiso sit commissum, ut hactenus illum perdendi Deus omnino causam justissimam habuerit; nec quidquam certius est, quam judicia & beneficia Dei sæpe ad vicinos & immix-

Digitized by Google

tos etiam homines alios diffundi quam propter quos præcipue exferuntur, ſicuti terra omnis inundata fuit, in cujus partibus quibuſcunque minimis non fuerunt tamen idcirco homines, atque inundari debuit, propter partes diſſitas ab hominibus habitatas, & propter locum omnem refugii perdendis peccatoribus auferendum. De *commoda manſione Henochi* tempore Diluvii, & dein *Eliæ*, non eſt ut nos ſimus hac ratione ſolliciti ut Paradiſum ipſis propterea determinate aſſignemus. Non dubitamus enim nos, quin uterque ſit in Cœlum ſupremum vere tranſlatus, tanquam Dei aſſumentis ſedem & felicitatis veræ communem locum; unde nec ad miſerias hujus terræ unquam redibunt, quæ ex παρεμφάσεις manifeſta *Apocalypſios* & inani traditione fluxit fabella, uti de hac videre potes noſtrum *Commentarium*, & *EXERCIT. JUVEN. DISP. XVI.* Ipſe in hanc rem *Stenchus Eugubinus*; *Quod autem Enoch & Elias & Joannes Apoſtolus* (de hoc tertio vide dicta à nobis *EXERC. TEXT. XXXV. Part. II.*) *in eum locum translati feruntur, id eadem facilitate rejicitur qua aſſeritur. Quo quæſo ex idoneo loco Scripturarum id colligitur? Elias, fateor, aſſumptus eſt: ſed num in Paradiſum? quis tam audax eſt qui hoc audeat aſſerere? cum id nuſquam memoriæ proditum inveniatur. Eodem modo Enoch aſſumptus: ſed quem in locum, Scriptura non refert. Eadem de Joanne dici poſſunt. Quod ſi hi cum corpore aſſumpti ſunt, arbitror eos ibi poſitos, ubi & Jeſus cum corpore verſatur &c.* Sed & *Pontificii* alii, qui in cœlum non admittunt Henochum & Eliam, Deo relinquunt determinationem ſedis ipſorum; poſtquam ex Paradiſo terreſtri ita expulſus eſt homo ut reditus in eum nulli videatur unquam conceſſus vel tribuendus. Et reſpondet *Pererius*; *potuiſſe Henoch, ſublatum in aëris oras Diluvii aquis ſuperiores, conſervari à Deo, & ab illo exitio liberari, quoad videlicet duravit Diluvium*, dum inter ſervatos octo homines 1. *Pet.* III. 20. non numeratur ille, quia non erat antea in hominum conſortio neque tum fuit in Arca. De *Diſtinctione Paradiſi* à Terra noſtra, ejusque *Altitudine* præ ea, hoc habe; quod prior ſit tanquam partis unius ſingularis à reliqua mole annexa omni, non tanquam loci unius ab altero planè ſeparati. Contra qualem diſtinctionem facit, præter omnia quæ de loco & ſitu Paradiſi antea à nobis diſputata ſunt, ipſa Adami *Emiſſio* & *Expulſio* ex Horto Heden in Terram noſtram, & *collocatio Cerubim* cum flamma gladii vibran-

vibrantis ad regressum ejus, alias possibilem, impediendum *Gen.* III. 23. 24. Unde & *Altitudo* Paradisi stupenda præ omnibus terræ hujus montibus concidit; ob quam Paradisum quoque ab inundatis alias eximunt, Mosis verba ex mero somnio suo temere restringentes. De *Fluminum* porro *egressu* vel *processu* ex Hedene legimus apud Mosen, non ex Paradiso; præterquam quod ille egressus antiquus docet tum locum quidem adhuc extitisse, sed non ejus ornatum & decus Paradisiacum superfuisse.

VII. Tandem ad Argumentum ab *Autoritate* Veterum & Recentiorum Doctorum petitum non potest rectius pleniusque responderi, quam dudum egit inter alios *Pererius*; *Videtur de hoc genere argumentandi, quod ex Doctorum multorum consensione ducitur, illud in universum vere dici posse, licet plurimi Doctores in unam aliquam vere conveniant sententiam, si ea non pertineat ad fidem catholicam, sed versetur in eo genere rerum quæ salva fide catholica utramque in partem tractari possunt, non ideo tamen eam opinionem argumentum facere in Theologia firmum certumque, nec unius aut paucorum contrariam sententiam hoc ipso quod multitudini scriptorum adversetur abjudicandam & damnandam esse.* Quod postquam illustrasset exemplo Creationis momentaneæ, quam pro sextiduana à plurimis Patribus ex Mose credita substituit unus fere primum *Augustinus*, subjicit; *Scitum & verum esse illud Vincentii Lyrinensis, antiqua sanctorum Patrum consensio non in omnibus Divinæ Legis quæstiunculis sed solum in Fidei Regula magno nobis studio & investiganda est & sequenda.* Deinde etiam speciatim respondet ad *Justinum* & *Irenæum*, quod ipsi simul doceant de terrestri Paradiso; *quæ partim incerta sunt*, ut est Henochi & Eliæ mora in eo, ex ipsis antea productis *Augustini* vocibus, atque ex clarissima negatione *Ruperti* & *Gregorii* ipsius; *partim damnata jam ab Ecclesia*, ut est animarum justarum mansio in eo usque ad diem judicii, quæ *ab omnibus Catholicis Theologis reprobatur & jam pridem damnata est ab Ecclesia in Concilio Florentino*; tandem *quædam etiam Divinæ Scripturæ contraria*, ut est Latronis in illum translatio & Pauli raptus. Nec obstare judicat traditionem *Presbyterorum* qui Apostolorum fuerint discipuli, quoniam hi *quædam & falsa & divinis literis contraria*, ut sunt Chiliasmus & Ætas Domini Quinquagenaria, *docuisse* ex ipso Irenæo cognoscuntur. Tandem ad cæteros doctores respondendum esse putat; *primo quidem, eos superiorum auctoritatem secutos ab illis prodita bona fide*

Objectio ab Autoritate Veterum latius expenditur.

Digitized by Google

prodidisse; tum eos non aliam ob causam putasse Paradisum nunc extare, nisi quia credebant Henoch & Eliam in illo Paradiso versari, id autem obscurum & dubium esse, nec sive affirmetur sive negetur spectare ad fidem catholicam, paulo supra ex Augustini sententia ostendit; addens adhuc, *quod nullius istorum doctorum opinionem illam suam texet tanquam certam, & quæ secundum fidem catholicam omnino teneri debeat, nec quisquam eorum contrariam sententiam ceu hæreticam vel suspectam in fide vel temerariam damnavit.* Tandem quod de recentioribus Interpretibus adjecit *Malvenda*, omnino vana est gloriatio, quandò verissime & heic scripsit *Pererius*; *Hanc sententiam Doctissimi quique hujus nostri sæculi maxime approbarunt, atque inter eos, ut unius & scriptoris & jam mortui sane Viri admodum Catholici & Docti nomen mensorem, Cornelius Janscnius Episcopus Gandavensis in suis Comment. super Cap.* CXLIII. *Concordiæ Euangelicæ eam prodidit atque defendit.* Et si ille nomina nobis aliqua recentiora ex suis dedit, quæ veteri malucrint traditioni inhærere, propter connexas suas de Anti-Christo hypotheses alienas & ineptas, complura utique etiam alia ex adverso nominavit, hoc quoque adjiciens; *Ex Protestantibus verò à Romana Ecclesia alienis plerique in explanatione Geneseos docent, Paradisum Diluvio interisse, uti Pellicanus, Munsterus, Fagius, Mercerus, Immanuel, Junius, & alii.* Qualia nomina plus apud nos valent merito quam *Papistica.*

Modus perditi Paradisi annectitur.

VIII. Si nunc ultra roges de modo perditi Paradisi, heic ego plures rectius credo jungi, quam unum adversus alterum opponi. Atque sic per Diluvium universale magis consummata quam inchoata videtur esse istius vastatio. Quæ nempe cœpit mox à peccato & expulsione hominis; quandò terra tota communem subiit maledictionem, à qua nusquam pars terræ Paradisiaca eximitur; & quando Paradisus non habuit amplius incolam qui eum coleret & custodiret, per cujus defectum splendidissima brevissimo temporis spatio prorsus sordescunt viridaria. Et fuit hæc etiam vastatio horti hujus tanto celerior, si *vibrantis gladii flammam*, de qua ex professo agemus dein *Libro III.* lubeat intelligere de igne erumpente in Arboris Vitæ & Paradisi aditu, qui ulterius facilè serpsit, & tam solum quam frutices deformavit. Sed quidquid heic supercsse adhuc potuit extraordinarii decoris, id omne Diluvium magnum & diuturnum facillime absumpsit, per aquarum erumpentium, descendentium, & cum limo variè agitatarum, impetum immanem; à quo vel cujus damno Paradisum eximere, somnium est inanissimum.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ PARADISI *ILLUSTRATÆ*

LIBER SECUNDUS.

Qui Hominis Integri historiam complectitur.

CAPUT PRIMUM.

Quo de Hominis Nominibus & Creatione generatim agitur.

Introitus ad hoc argumentum ex Jes. XLV. 18.

Quod de terra universa videtur pronunciasse Deus, se illam creasse תהו לא / id est, ut reddunt LXX & *Vulgatus*, οὐκ εἰς κενὸν, *non in vanum*, seu *non incassum*, *frustra*, vel ut haud minus probabile videtur, *non vastam & informem*, sed eleganter *formasse* eandem, לשבת / καλοικεῖσθαι, *ut habitaretur*, seu *ad inhabitandum*, *Jes.* XLV. 18. id speciali jure ad *Paradisum* applicari posse apparet. Hunc certe, uti solidè demonstravit inter alios *Theodoretus Quæst.* XXIV. *in Gen.* eum frustra non esse conditum, ita omni ornatu & abundantia instruxit præ reliquis etiam orbis partibus Creator Optimus, ut ipsa operis magnificentia Regale argueret Palatium, in quo constituendus creaturarum reliquarum Dominus læta Dei communione frueretur, ac cœlestis etiam mansionis splendidum haberet typum. Quod proinde eventus comprobavit, mox post plantatum & voluptatibus omnibus instructum Paradisum formato homine, qui esset loci felicis incola, & cui facta Cœli, si

obediret, promissio per Paradisi habitationem etiam obsignata fuit. Quamquam suâ hic se culpa paulò post in eam præcipitaverit misseriam, ut non tantum spe omni superioris Paradisi, sed & possessione inferioris istius exciderit: non ejectus tamen, nisi cùm jam Seminis sanctificantis, & clausam Paradisi januam rursus aperturi, lætum promissum per singularem Dei gratiam accepisset.

Rationes per quas Homini commendatur sui ipsius cognitio.

II. Utilissimum indubie est homini Christiano, rerum à Deo creatarum universitatem in omnibus etiam minimis partibus attenta mente contemplari, ut ex visibilibus discat invisibiles Creatoris sui perfectiones, ἥ τε ἀΐδιον αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, *æternam ejus potentiam & divinitatem Rom.* 1. 20. Nec est ullum adeò exiguum opus, quod non prædicet Dei gloriam, doceatque præter ejus potentiam, incomprehensibilem ejus sapientiam, bonitatem, sanctitatem, libertatem, constantiam, majestatem, *coll. Psal.* XIX. 2. 3. *Job.* XII. 7. 8. 9. *Actor.* XVII. 27. *&c.* Attamen, supra reliqua quotquot sunt Dei opera, in se ipsum conversos oportet habeat oculos, nisi à gentium Sapientibus, illud γνῶθι σεαυτὸν inculcantibus, in pudorem agi velit. Quò vel sola hominis præstantia ipsum ducere debet, quem, ut divinorum operum colophonem, rectè ex *Mercurio & Platone* βιβλον βιβλίων, *miraculum magnum*, & ex phrasi Orientalium ריש נבילתא/*principem creaturarum* vocaveris; imò in quo tanquam μικροκόσμῳ, spiritu cum corpore per admirabilem planè nexum unito, verum totius universitatis compendium cernere licet. Et uti ipse homo maximum est Dei opus, ita & maxima quæque circa illum Dei versantur opera, propter quem Mundum condidit, Paradisum plantavit, Legem dedit, Lapsum permisit, Filium misit, Unigenitum ad mortem exinanivit, Eundem in gloriam assumpsit, Euangelium prædicavit; & quem internâ Spiritus vi ad obsequium trahit, ad imaginem suam conformat, à peccati reatu absolvit, à macula purgat, ad sui communionem admittit, contra Satanæ insultus tutum præstat, in cœli gloriam transfert: quæ Dei opera absque hominis ipsius justa cognitione intelligi nequeunt. Accedit, quod, uti Deus ex operibus modo recensitis & vix aliter clare cognoscitur, atque hinc ad Dei cognitionem hominis contemplatio planè necessaria est, ita salus hominis sui cognitionem prærequirat. Absque quâ scilicet nec æternorum cura, nec nostri ipsius accusatio, nec solicita divini auxilii imploratio, nec curata ad voluntatem ejus compositio, nec constans

in

in adversis fiducia, nec ulla ad cœlum suspiria locum habent. Ut merito summa precum *Augustini* ad Christum fuerit, *nesse me & posse te.*

III. Quanta autem hic ab homine naturali adhibeatur industria, quidquid humanas volvat revolvatque antiquitates, quantopere se ipsum omnesque operationes suas perquirat, quibuscunque etiam Sapientum utatur subsidiis, certum est, non perventurum eum ad metam optatam, nec acquisiturum illam sui cognitionem quæ ad salutem sufficere possit. In illam ignorantiæ abyssum affectata divina sapientia homines præcipitavit, ut se non minus quam Deum ignorent, *ματαιωθέντες ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, vani facti in ratiocinationibus suis, obtenebrato despienti illorum corde,* imò *dum dictitant se sapientes, stulti facti, & traditi εἰς ἀδόκιμον νῦν in mentem judicii expertem Rom.* I. 21. 22. 26. *Ephes.* IV. 18. v. 8. *&c.* Ut eò major sit hominis nuditas, miseria, & paupertas, quod eam non agnoscat; nec primum tantum officium sed & beneficium sit cognitio sui, quod Christiano confertur *Apoc.* III. 17. *Jerem.* III. 13. XXXI. 13. *&c.* Liceat homini elegantem corporis sui fabricam lustrare, mentis suæ præcipuas operationes & ex iis ejus naturam indagare, officia quædam circa Deum & proximum præstanda ex cordis dictamine scire, pronam in contraria vitia voluntatem accusare, miseram æternitatem metuere, ad maturitatem utique justam hæc non pervenient scientiæ semina. Nec proderunt ista animæ, si non amplius ex revelatione cœlesti bonam se à Creatore factam esse, & propria culpa in primis parentibus felicitate isthac excidisse noverit, ac ita miseram nunc esse, ut ad omne bonum inepta in uno Christo salutis puppim proramque collocare debeat. De quibus capitibus secundum seriem Mosis ad illustrationem Historiæ Paradisi nunc porro nobis agendum est.

Illa autem ex historia Paradisi optime haberi potest.

IV. Lubet ex vulgari consuetudine de *Hominis* Nomine vel potius Nominibus quædam præfari, cum & illa suâ se hic utilitate commendent. Nota est *Varronis* & *Isidori* derivatio; *Homo dictus, quia ex humo factus est.* Illa omnibus non placet: etenim confutat eam *Quintilianus Lib.* I. *Cap.* 10. *Etiamne hominem appellari, quia sit humo natus? quasi verò non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales ante nomen imposuerint terræ quam sibi.* A Græcis ergò alii vocem repetunt, scilicet vel ab adverbio ὁμῶς & ὁμῦ, vel

Varia Origo nominis Latini Hominis producitur.

Digitized by Google

vel à verbo ὁμάω *unio*; quamquam diversam ob rationem. Sunt qui ad admirabilem animæ corporisque unionem respicere videntur, unde homo, quasi unitus ex diversissimæ naturæ substantiis dicatur: sunt, qui ad externam hominum societatem vocem referunt, ad quam hominis natura cum prona sit, ipse *animal sociale* vulgò dicitur. *Homo ab ὁμῶς*, inquit *Scaliger*, *est enim animal sociale, non ab humo, ut somniarunt.* Sunt etiam, qui hac voce similitudinem vel imaginem Dei exprimi putant, cum ὁμῶς sæpe idem sit, quod ὁμοίως, & in ipsa creatione per imaginem Dei homo ab omnibus visibilibus creaturis discernatur. Verum uti Græcorum literæ à Phœnicibus sunt repetendæ, ita & hanc vocem Hebrææ originis esse, judicat Doctissimus *Martinius*, deducendam scilicet ob literarum & significationis similitudinem à עם seu עם / quod *populum*, hominum multitudinem, denotat. Confert in eam rem varia loca, quibus vox עם *y* ab Interpretibus Græcis LXX. per ἀνθρώπους aut ἄνθρωπον redditur, uti *Job.* XII. 2. *Eccles.* XII. 11. *Jes.* XXXVI. 11. XLVII. 7. Paulo aliter Vir Doctissimus *Gerh. Ioannes Vossius*, qui in *Etymologico*, postquam *Rodolphum Agricolam* confutasset, *ineptè de origine vocis queri* autumantem, atque insuper multa pro vulgari derivatione vocis ab humo contra *Quintilianum* adjecisset, concludit se suspicari, *hominem factum ex Hoom, sive Oom, hoc est, Odom, elisо D. & facta metathesi.* Quod ex nominis Adami pronunciatione apud Syros, aliisque exemplis, illustrat. Allusiones has omnes commodas & pias esse, sed veram originem manere incertam, nos judicamus.

Hebraica Hominis Nomina expenduntur.

V. Hebræi tria hic in primis habent vocabula, אדם / אנוש / & פתם / quod postremum tamen ordinariò pluraliter legitur פתים. Familiare est primum derivare ab אדמה *terra rufa*, ex qua factus est, argumento loci *Genes.* III. 19. Quem ad modum *Iosephus* habet; ὁ δὴ ἄνθρωπος ὅτος Ἀδαμος ἑκλήθη, σημαίνῃ δὲ τοῦτο κατὰ γλῶτταν τῶν ἑβδομήκοντα πυῤῥὸν, ἐπειδήπερ ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυρθέντος ἐγεγόνει, *homo autem hic Adamus est vocatus, significat autem hoc Hebræorum lingua rufum, quoniam è rufa humo subacta erat factus. Ant. Lib.* I. *Cap.* 2. Quo sensu etiam accipiuntur verba *Baal Hathurim*, האדם אדמה שבראו מן אדמה / *Haadam sunt literæ vocis Adamah, quia creavit eum ex terra.* An ea tamen vera vocis origo sit, etiam ex mente *Baal Hathurim*, ubi mox perinde subjicitur, Adam per *Notaricon* Kabbalisticum esse אפר דם כוזה / *cinerem*

Digitized by Google

rem, *sanguinem*, *& fel*; an potius alluſio ad literarum & ſimul ſignificatæ materiæ ſimilitudinem, per quam quocunque modo originis ſuæ memor homo redditur; imo annon à ſimplici voce דם/ *ſanguinem* notante, per quem homo vivit, nutritur, & generatur, ad ita litera præformativa, ſit derivanda, mihi quidem incertum eſt. Vox אדם ad *ægritudinem* refertur, in quam per peccatum homo incidit, primum ſic appellato Adami ex Setho nepote, atque *mulieribus* hinc forte, cum debiliores ſint, per Apharesin נשים dictis: niſi & hoc & illud vocabulum a נשה fluxerit, uti ſtatuere videtur *Euſebius*, qui ἐκὼς ἐπιλήσμονα *oblivioſum* interpretatur *Lib.* XI. *de Præp. Evang. Cap.* 6. conferens etiam dictum *Pſalm.* VIII. 5. τί ἐστι ἄνθρωπος, ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ; *&c.* Ἐπὶ μὲν τοῦ πρώτου ἀνθρώπου κλήσεως τὸ ἐκὼς ἐπελείφθη, ὡσεὶ ἔλεγε σκοτεινόν, τὸ δὲ ὑστέρου ὁ ἐπιλήσμων, ὅτι σὺ ὦ θεὲ μιμνήσκῃ αὐτοῦ, καίπερ ὄντος ἐπιλήσμονος. Nomini דם varia quidem à variis origo aſſignari ſolet; quid ſi eam ducamus, vel à מות *mori*, ut *mortales* notet, vel à תם *perfici*, ob perfectionem, quæ in homine & per hominem in univerſitate conſpicitur, vel à תמה *mirari*, eò quod verum hic miraculum ſit? In iis certe omnibus eſt quædam literarum convenientia, & ſignificationis elegantia.

VI. Synecdochicis porrò nominibus vel-*Animarum* vel *Carnis*, præter illud *Virorum*, homines in Scriptura venire eſt notiſſimum; quæ propterea præter & contra mentem Spiritus Sancti intelliguntur quandoque de iſthac ſpeciatim hominis parte, ubi prædicatum non ad hanc ſed ad aliam potius partem eſt referendum. Cujus rei exemplum eſt, in *omni carne ſuam corrumpente viam*, in *animabus ex femore Iacobi egreſſis*, in *anima* Meſſiæ *non linquenda* לשאול נפשו *Geneſ.* VI. 12. XLVI. 26. *Pſal.* XVI. 10. *Actor.* II. 27. *&c.* Quæ & ſimilia loca male intellecta erroribus quibuſdam, de Peccati ſede, de Animarum traduce, & de Chriſti locali Deſcenſu in infernum, occaſionem dederunt. Non eſt autem hic negligenda Græca vox ἄνθρωπος, quam ad hominis excellentiam omnes referunt, in eo tamen diverſi, quod de mente hi, ſed de corpore illi exponant. Sic enim *Socrates apud Platonem in Cratylo*; σημαίνῃ τοῦτο τὸ ὄνομα ὁ ἄνθρωπος, ὅτι τὰ μὲν ἄλλα θηρία ὧν ὁρᾷ ἐξετάζειν ἀναπεσκοπεῖ, ἐξελὲ ἀναλογίζεται, ἐξελὲ ἀναθρεῖ. Ὁ δὲ ἄνθρωπος ἅμα ἐώρακε (τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ὄπωπε) καὶ ἀναθρεῖ καὶ ἀναλογίζεται τοῦτο ὃ ὄπωπεν. ἐκπεφύκασιν οὖν μόνον τῶν θηρίων ὀρθῶς ὁ ἄνθρωπος ὠνομάσθη, ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε.

Post Animæ & Carnis nomina ad Græcum ἄνθρωπος acceditur.

Digitized by Google

Significat Hominis nomen illud, quod cætera quidem animalia quæ vident non considerant, neque animadvertunt, neque contemplantur, homo autem & videt simul & contemplatur animadvertitque quod videt. Hinc merito solus ex omnibus animantibus Homo ἄνθρωπος est nuncupatus; quasi contemplans quæ vidit. Quæ inde etiam expressit *Eusebius l. d.* Aliter vulgo cum *Isidoro* judicant, Græcos hominem ἄνθρωπον appellasse, *eo quod sursum spectet sublevatus ab humo ad contemplationem artificis sui*, sive ab ἀναθρῶν ὠπά, sive ab ἄνω ἀθρῶν ὠπά, sive etiam ab ἄνω βλέπειν, *sursum vergere*, uti observat *Budæus*, vocem deducant. Atque uti hæc quidem vox ad hominis dignitatem facit, ita altera Græcis & Latinis familiaris est θνητὸς καὶ βροτὸς, seu *Mortalis*, per quam ab *immortalibus* Deis alias fermè parem his creaturam distinxisse videntur gentiles. Quamquam post lapsum id nomen & verè homini competat, & juxta Scripturas ei tribuatur, *Jes.* LI. 12. & alibi passim.

Hominis nomina ad statum ejus vilem & servilem nonnunquam maximè referuntur.

VII. Nominum verò horum usus multiplex est in Sacris aliisque Autoribus, ex quo unum & alterum notasse sufficiet. Certum est, *Hominis* voce sæpe non tam naturam, aut personam, quam *statum vilem* & *servilem* significari; uti utraque vox אדם / & אנוש / hoc sensu capi potest *Psalm.* VIII. 5. & prior juxta multos *Psalm.* LXXXII. 7. ubi nos *sicut Adam* potius retulimus ad primum hominem EXERC. TEXT. XVII. *Part. II.* Huc etiam referimus non tam illa loca, quibus *homines alicujus* ipsius servos & ministros notant, quia ibi ex adjecta voce is sensus fluit, quam quidem phrasin בני אדם *filiorum hominis*, qui oppositi בני איש *filiis viri*, plebeji & ignobiles sunt *Psal.* XLIX. 2. ex connexione textus & observatione doctissimorum Interpretum. Placet etiam quibusdam is sensus in loco *Genes.* VI. 2. ubi tamen verius בנות האדם *filias hominis* infidelium filias complures alii interpretantur, ex Kainitis ortas. Idem porrò est vocis Græcæ ἀνθρώπου usus; in quam rem elegans est Pauli locus *Phil* II. 7. 8. ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. A cujus genuino sensu mirè & miserè aberrat *Hugo Grotius*; quando ex mente Apostoli Christum *primis hominibus* tanquam *peccati expertem similem fuisse* dicit, & σχῆμα interpretatur de *axiomate* sive *dignitate conspicua* primi Adami, omnium Domini, quam Christus demonstraverit *dominio in omnes creaturas, in mare, ventos,*

pa-

Digitized by Google

panis, *aquam*. Equidem non id hic agit Apostolus, ut Christi dignitatem sed ut infimam ejus explicet submissionem, cujus gradus haud exiguus est in vili Incarnatione, nunquam ad ejus majestatem relata. Nec primis hominibus ut peccari expers similis factus est Christus, qui missus verius ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, *in similitudine carnis peccati Rom.* VIII. 3. Et quamquam ad cœlestis missionis suæ confirmationem miracula ille complura ederit, quæ veluti radii quidam divinitatis eran per carnis velum transparentes, non tamen aut in nativitate, aut in educatione, aut in vitæ cursu & fine, conspicua apud homines majestate externa se commendavit, plane ex adverso despectum hominum ubique opprobrium *Jes.* LII. 14. LIII. 3. *Job.* XIX. 5. *&c.* Apostolus ergò ad humilitatem fideles admoniturus Christi allegat exemplum, qui ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, (quæ verba decenter olim illustravimus *EXERC. TEXT. XLI. & XLII. Part. II.*) se ipsum exinanivit & humiliavit, μορφὴν δούλου λαβών, *formam servi accepta*, in assumptione non modò naturæ humanæ, sed & status abjectissimi, atque insecuta ipsius mortis voluntaria susceptione. Atque ita præter sacros etiam alii Scriptores hanc vocem usurpant. Ἄνθρωπον reddunt *famulum* Viri Docti *in Glossariis*. Uti passim apud *Ciceronem*, *Plautum*, & *Jurisconsultos*, idem usus vocis Latinæ *Hominis* obtinet. Mediæ & infimæ Latinitatis Autores in hanc rem adducit *Carolus du Fresne in Glossario*.

VIII. Verum & ad Virum sæpe *Hominis* vox applicata, Sexum magis quam Naturam notat. Observat *Augustinus Lib.* XV. *de C. D. Cap.* 17. id discrimen inter Adami & Enoshi vocem, quod prior Utrique Sexui communis, posterior vero Virili propria sit. *Enos interpretatur homo, non sicut Adam. Unde non ambigitur sic appellatam fuisse fœminam Evam proprio nomine, ut tamen Adam quod interpretatur Homo nomen esset amborum. Enos autem sic interpretatur homo*, inquit, *ut hoc non posse fœminam nuncupari periti linguæ illius asseverent, tanquam filius resurrectionis, ubi non nubent, neque uxores ducent.* Castigant eam *Augustini* observationem non modò Eruditi hujus ævi, sed etiam *Hieronymus Quæst. Hebr. in Gen. Quomodò Adam Homo interpretatur, ita & Enos juxta Hebræa linguæ varietatem Homo vel Vir dicitur.* Et scribit *Philo*, vocem hanc τὸ κοινὸν ἕν γένους ὄνομα *commune generis nomen* esse

Nomen Hominis etiam ad Sexum Virilem, ejusque singularem Porentiam & Præstantiam significandam, applicatur.

esse. Lib. de Abrahamo. Interim hinc liquet Scripturæ consuetudo, quâ vox & una & altera sæpe ad sexum virilem restringitur, uti *Genes.* II. 18. *Matth.* XIX. 3. 5. 10. *&c.* ubi tanquam *Hominis*, id est viri, *Adjutorium* consideratur, & ab *Homine* distinguitur *mulier*. Unde consequens etiam est, potentiores & præstantiores inter viros hoc nomine quandoque exprimi, qui alias אנשי השם / & אנשי חיל / *viri nominis & viri roboris*, *Genes.* VI. 4. *Jes.* V. 22. *&c.* Quomodò *Hominem* per *Principes* exponere quibusdam videtur Psaltes *Psalm.* CXVIII. 8. 9. & *Hominis* etiam robustissimi *salutem vanitatem* dicit *Psalm.* CVIII. 13. Similiter *Æschines* ἄνθρωπον καὶ γυναῖκα distinguit. Nec aliter *Plautus* in *Cistellaria*; *Mi homo & mea mulier, vos saluto.* Et Icti; *Si mulier aut homo perierit. ff de Pœn. Leg.* XXXVIII. §. 5. Unde *fœminam adipsius Hominis effigiem configuratam*, & serpentem *per mulierem ipsi quoque Homini persuasisse*, *ut transcenderet Dei legem*, *Lactantius* scribit *Lib.* II. *Cap.* 12. Imò robur etiam & fortitudinem virilem Hominis voce apud Latinos contineri, docet *Plautus in Epidico*; *bene pugnasti*; *Homo es.* Ut vel hinc appareat, nomen Hominis viro præ muliere non tribui, nisi ob humanarum perfectionum ἐξοχὴν, puta sapientiæ, potentiæ, constantiæ, *&c.* quæ in viro præ muliere passim conspici solent. Uti respectu dominii, viro in mulierem concessi, ill. εἰκὼν καὶ δόξα θεοῦ *imago & gloria Dei* ab Apostolo dicitur, atque in capitis libertatem asseritur I *Cor.* XI. 7.

Usus nominis proprius, quo ad primum hominem applicatur, & appellativus discernitur.

IX. Neque id negligendum est, *Hominis* seu *Adami* nomen proprium sæpe in Scriptura esse, etiam extra *Geneseos* historiam, primi scilicet hominis, qui hinc ad distinctionem אדם הראשון ab Hebræis, & אדם קדמאה à *Chaldæo Paraphraste in Psalm.* XCII. 1. *&c.* dicitur; plane ut Apostolus ὁ πρῶτος ἄνθρωπος appellat I *Cor.* XV. 45. 47. Ratio hujus rei manifesta est; quod scilicet Adam, primus & unus cum esset, nullo alio nomine ad distinctionem indiguerit, denominandis communiter quidem ab eo ab eandem naturam posteris omnibus, sed tamen his per alia præterea nomina à communi parente & inter se distinguendis. Verum non ita apertum est, quibus modis cognosci possit, proprie an appellativè id nomen in Scriptura quandoque sumatur: quod tamen ad rei intelligentiam cognoscere sæpe expedit. Uti & alias innumeris in locis, circa nomina locorum, urbium, & hominum, dissident Interpre-

Digitized by Google

pretes, atque ita, ut id allegem exemplum, variant circa *Sethi* nomen in vaticinio Bilami *Numer.* XXIV. 17. Ubi per כל בני שת multi quidem Interpretes, post *Paraphraſten* & Græcos, *omnes filios hominum*, qui poſt Diluvium ex Setho tantum ſuperſtites fuerunt, intelligunt, alii vero, cum quibus facit in poſterioribus curis *Franc. Junius*, *omnes filios poſticæ partis*, qui pone Bilhamum erant; cujus loci plures exgeſes & genuinum ſenſum vide a nobis indicatum EXERC. MISC. *Diſp. VII.* Perinde uti ex *Ur Chaldæorum Vulgatus* Interpretes *Neh.* IX. 7. *Ignem* fecit; poſt *Magiſtros* tamen, qui hinc fabulam de Abrahamo in medium fornacis ignitæ conjecto, atque inde per Regem Gloriæ erepto hauſerunt, uti videre licet etiam in *Pirke R. Eliezer Cap.* XXVI. Articuli præpoſitionem in individui nomine non eſſe neceſſariam, recte quidem obſervavit *Kimchius*; ſed & alias, ubi nulla eſt ſpecialis demonſtratio, frequenter ille omittitur, & nominibus propriis irregulariter non ſemel additur, ipſi etiam ut videtur proprio *Adami* nomini *Geneſ.* II. 19. 22. 23. III. 8. IV. 1. *&c.* Ad contextum ergò recurrendum putamus, quem is ſenſum an proprium an appellativum requirere videatur; atque in eo probabilia ſaltem indicia deprehendentur, vel appellativæ ſignificationis vocis Adami, vel proprii uſus. Prioris illius exemplum eſt *Pſalm.* XLIX. 13. *Homo in gloria non pernoctabit*, & poſterioris *Hoſ.* VI. 7. *ipſi vero ſicut Adam tranſgreſſi ſunt fœdus*; de quorum locorum ſenſu prolixius ſuo loco erit dicendum.

X. Tandem *Hominis* vox frequentiſſimè adhibetur ad Naturam omnibus individuis & utrique ſexui communem denotandam. Quo ſenſu mox hæc vox reperitur *Geneſ.* I. 27. ubi Deum *hominem* dicitur creaſſe, collectivè ſcilicet, *marem & fœminam*, uti ſubjicitur. Et clarius *Geneſ.* V. 1. ubi marem & fœminam vocaſſe nomine *Hominis* Deus dicitur, ויקרא את שמם אדם ביום הבראם / & *vocavit nomen eorum Hominem in die creationis eorum.* Fluit hinc frequens vocis uſus, quo *quemvis* ſeu quemcunque ſeu aliquem indefinitè notat *Exod.* XXXIII. 20. *Levit.* I. 2. *&c.* Atque ita communiſſimè Græca & Latina vocabula uſurpantur. Ipſe *Demoſthenes* τὸ ἀδηλοποιὸς ἀνθρώπῳ meminit; uti *Plautus* in Ciſtellaria *Hominis miſera.* Unde *Priſcianus* ipſum vocabulum Communis eſſe Generis urget; quamquam id ex exemplis ab illo illatis non patere, ſed tantum fœminam dici Hominem, judicet *Martinius.*

Tandem nomen Hominis ad totum genus communiſſime refertur, abſque ſexus maſculini aut fœminini diſcrimine.

Digitized by Google

Quæ observatio nostra vix necessaria foret, nisi *Scriptor Anonymus*, non tam seriò ut videtur, quam minus pio lusu, sub finem Decimi Sexti Seculi ex Scripturis probare contendisset, *mulierem non esse hominem, nec eam salvari:* causatus, mulierem tantum esse hominis *adjutorium* & instrumentum ad generationem destinatum, Salvatorem mulieres *canes* dixisse, nullam in iis vivam fidem sed tantum historicam & diabolicam esse, Evam mentitam quandò etiam sibi usum fructus interdictum dixit, mulieribus male facientibus semper benedici, Christo cum mulieribus nihil rei, & in summa mulierem nusquam Hominem dictam, imo Divina Animæ inspiratione & Imagine Dei destitutam esse. Quæ omnia uti nervosè confutata leguntur à *Simone Gedicco*, & simplici narratione concidunt, ita tribus verbis ab *Hieronymo* jugulantur; *Legamus principium Geneseos, & inveniemus Hominem tam virum quam mulierem nuncupari. Lib. 1. contr. Jovin.* Apud Ictos æque certum est, inter homines etiam mulierem censeri: expresse enim *Gajus ff. de Verb. Sign. Leg. 152. Hominis appellatione tam fœminam quam masculum contineri, non dubitatur.*

Hominem esse Dei Creaturam respectu Generationis quotidianæ, & quoad animam & quoad corpus, observatur.

XI. Atque sic præmissa nominum origine ac significatione varia, Hominem ipsum modò contemplabimur, quem deprehendimus; *Creaturam, ad divinæ gloriæ agnitionem & predicationem factam, ex corpore erecto & anima rationali illi unita constantem, in statu primum felicissimo à Deo creatam, inde in summam miseriam per peccatum lapsam, sed ex eâ in Christo magna sui parte restitutam, atque æternum beandam.* Quantiscunque etiam perfectionibus supra creaturas alias homo excellat, Dei gerens his in terris Imaginem; ex ordine tamen Creaturarum eximi neutiquam potest, sed Deum Creatorem suum agnoscere cogitur *Eccl. XII. 1. Deut. XXXII. 6. Jes. LIV. 5. Act. XVII. 26. 1 Pet. IV. 19. &c.* Huic debet animam, ut *Patri Spirituum*, & *Deo Spirituum omnis carnis*, qui hanc ipsi solus indit, ac in interiori ejus parte producit, format, vel, quod idem est, creat, patribus carnis non nisi carnem conferentibus, *Hebr. XII. 9. Num. XVI. 22. Eccl. XII. 7. Jes. LVII. 16. Zach. XII. 1. &c.* Hujus etiam specialem agnoscere tenetur concursum ad artificiosam & vere mirandam corporis sui structuram, præeunte post Jobum *Cap. X. 9. 10. 11.* ipso Davide *Ps. CXXXIX. 14. 15. Confitebor te*, vel *tibi*, על כי נוראות / נפליתי נפלאים מעשין ונפש יודעת מאד / *propterea quod tremendum in modum*

dum mirabilis factus sim mirabilibus tuis operibus, & anima mea intelligens sit valde, vel *& valde novit anima mea. Non absconditа fuit ossium meorum compages*, vel *robur meum*, vel *corpus meum*, עצמי / *a te*, *quando factus fui in occulto, varie contextus fui in infimis terra.* Unde & generationis respectu hominem à Deo *creari* dicimus cum Scriptura, quæ vocem ברא hùc non semel applicat, uti *Psal.* CII. 19. דור אחרון *generatio subsequens* est נברא עם *populus creandus*, & *Ezech.* XXI. 30. *locus creationis* & *terra mansionum* eodem nos ducunt. Cum quo bene convenit tum Chaldæorum בר *filium* notans, tum Latinæ & Belgicæ voces *parendi*, **baaren** / tum etiam frequens Latinorum usus, qui cum *Horatio*, *fortes creari fortibus*, cum *Cicerone*, *uxorem quæri liberis creandis*, cum *Ausonio*, *pulchrius multò parari quam creari nobilem*, vulgò dicunt. Ex quo capite versionem Græcam *Prov.* VIII. 22. ad quem accedit *Siracides Eccles.* XXIV. 10. κἀγὼ ἐκτίσθην, defendit post *Drusium* prolixè Vir Doctissimus *Sixtinus Ammama Antiharb. Bibl. Lib.* III.

XII. Hunc in modum Gentiles ipsi se *Dei creaturas* fassi sunt, uti Apostolus hanc in rem allegat *Arati* dictum, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *ipsius enim genus sumus Act.* XVII. 28. Quo dicto vere illud continetur, quod urget Apostolus; non tantum scilicet in nobis aliquam Dei similitudinem præ reliquis creaturis inanimatis reperiri, sed & vitam omnem nos perinde à Deo habere, uti liberi à parentibus eam accipiunt. Verum præter hunc naturalem hominum à Deo ortum *Creatio* aliqua prima & supernaturalis est agnoscenda, per quam ipsa natura humana initium existentiæ sumpsit, seu homines primum esse cœperunt. Cujus primæ Creationis veritas ex humanæ naturæ contingentia, dependentia, individuorum omnium ortu, historiarum artium & scientiarum novitate, atque perpetua majorum traditione, à Gentilibus ipsis fuit agnita. Qui hinc tam multa habent, de homine ex luto formato, immissa ei Divinæ Auræ particula & Æthereo Sensu, concessa ei Divina Imagine & Dominio, &c. uti illa apud Philosophos & Poëtas dispersa, in compendio habet *Ovidius Metamorph. Lib.* I. *Fab.* 2.

Sed & agnoscenda est prima Hominum origo per Creationem extraordinariam.

Sanctius his animal mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit

Ille

Ille opifex rerum, mundi melioris origo.
Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cœli.
Quam satus Iapeto mistam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
Pronaque cum spectent animalia cætera terram
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.
Sic modo quæ fuerat rudis & sine imagine tellus
Induit ignotas hominum conversa figuras.

Rem apud cæcos reperimus gentiles, sed ita fabulis involutam; ut modum ejus perfectè ex iis discere nequaquam possimus. Quapropter cum hic Deus nobis per Mosen melius prospexerit, Creati primum Hominis historia ex ipso proximè producenda atque illustranda erit.

CAPUT SECUNDUM.

Quo Hominum Prima Creatio breviter illustratur.

Nominis Adami celebritas, & lusus in ejus Hebraicis Græcisque literis.

IN generis humani primordia dum inquirimus, primos deprehendimus homines *Adamum* & *Evam*; quo nomine ille in Orientalibus populis celeberrimus est, uti & πρωτόγονος vocatur *Adam* ab ipso *Sanchoniathone*, Phœnicum Scriptore antiquissimo, cujus historia ἐκ τῶν κατὰ πόλιν ὑπομνημάτων καὶ τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς ἀναγραφαῖς contexta, à *Philone Byblio* Græca facta est. Quemadmodum & à mulieris primo nomine אשה *Isha*, quod per ἀνδρίδα *Symmachus*, & per *Viraginem* transtulit *Hieronymus*, melius quam *Theodotio* per *Assumptionem*, sagaci conjectura celebrem Gentilium veneratione *Isidem* deducit Eruditissimus Vir *Gerh. Joh. Vossius Lib.* 1. *de Orig. Idolol. Cap.* 38. Ubi ex *Stephano*, Adanam Ciliciæ urbem sic nominatam *ab Adano*, *cœli terræque filio*, i. e. Adamo, porrò docet; sicque primorum parentum memoriam in Asia penitus haudquaquam intercidisse probat. De origine verò nominis *Adami*, uti & de ratione ob quam primo illud homini frequenter proprium sit, antea dictum est. Meretur nunc ob curiositatem suam observationem lusus *Kabbalisticus* in literis tri-

tribus Hebraicis hujus vocis, quæ initiales simul sunt *Adami*, *Davidis*, *& Messiæ*; unde illi gratis revolutionem animarum ex uno horum in alterum collegerunt, verius autem quid omnino conjecissent, si ex Adamo Abrahamum, ex Abrahamo Davidem, ex Davide Messiam proventurum notâssent, quæ in duobus posterioribus summa est Genealogiæ Servatoris *Matt.* 1. 1. Curiosa quoque *Augustini* & aliorum Patrum ad idem nomen observatio est, ex Sibyllinus Carminibus hausta, Græcis illud scriptum literis comprehendere initiales quatuor plagarum mundi, ἀνατολὴς, δύσεως, ἄρκτε, & μεσημβρίας. Ut ipsum quasi nomen eo modò significet, Adamum omnium Dominum, ac communem diffusi ubique generis humani parentem esse.

II. De matris nostræ *Evæ* seu *Havvæ*, חוה / appellatione tacere non possumus, cum ex ea protoplastorum fidem & salutem adstruant Doctissimi Theologi haud pauci. Ineptias Pontificiorum, qui ex *Petro Comestore* hoc nomen cum ejulatu filiolarum quando-que conferunt, atque per aphæresin illud *ve*, per anastrophen *ave* esse, non absque mysterio, cum *Cornelio à Lapide* scribunt, prolixè discutere nihil attinet, cum vocis sonus Hebræus has allusiones non patiatur. A Mose nimium etiam recedunt *Magistri*, quandò vel à *garrulitate* cum *Baal Hatturim* id nomen derivant, eam in rem allegantes Evæ cum serpente colloquium, & fingentes insuper ex decem cadis colloquiorum cœlitus delapsis novem mulieribus cessisse; vel etiam hanc vocem cum חוה confundunt, quâ post *Paraphrasten Talmudici* Doctores *Serpentem* exprimunt, quaque ob allatam humano generi perniciem mulierem tum notari volunt. Manifesta est apud Mosen hujus nominis ratio *Gen.* III. 20. quod ipsa scilicet *fit*, *fuerit*, aut *facta fuerit*, היתה / *mater omnis viventis*; quæ sive Mosi, sive Adamo tribuatur, ciccum non interduim. Irrefragabiliter quidem demonstrari non potest, immediatè post denunciatam serpenti & mulieri & viro pœnam id nomen uxori suæ dedisse Adamum. Quo sensu Doctissimus Vir *Christ. Schotanus* in *Heptaëm. Non apparet an eò loci pertineat illa nominis impositio, &c. an postea vel prius sit factum.* Est tamen longè probabilius, Mosen has res simpliciter isthoc ordine recensuisse, quo gestæ sunt, quamquam contratium judicet etiam *ὁ πάνυ Rivetus*: nato scilicet ex dominii in mulierem aucta repetitione novo etiam nomen imponendi jure. Unde cum post lapsum, &

Nominis Evæ seu Havvæ significatio & ratio vera indagatur.

poſt auditam gratiæ promiſſionem, non prius, acceperit hoc nomen communis mater, neceſſarium multis videtur eſſe conſequens; ut aut ironice *Viventium Matrem*, quaſi mortis cauſam, dixerit Adamus; aut quod vult *Rupertus*, Dei comminationem ridens ipſe ſibi ſuæque poſteritati vitam conſtantem non obſtante peccato addixerit; aut ad promiſſionem Euangelicam reſpiciens à vita ſpirituali nomenclationem ſumpſerit, cum *mulieri* modò promiſſum eſſet *Semen*, & vivificans, ex ipſa proventurum, & vivificandum, ſerpentis ſemini ſcilicet oppoſitum *Gen.* III. 15. Sub quo comprehendi tum poteſt ipſe Adamus, naturaliter potius Evæ parens; utpote qui non tantum per *Semen mulieris* vivificandus, ſed & qui ſortè poſt Evam promiſſioni divinæ credidit. Accipimus libenter pias has Virorum Doctorum commentationes: niſi quod Evam prius credidiſſe, ſi ad ſpiritualem vitam in hoc nomine illi dato reſpexit mox ipſe Adam, Moſi ſic adverſum videatur. Indubium eſt, & Vitæ ſpiritualis, Seminiſque tum ſanctificantis tum ſanctificandi, promiſſionem in Paradiſo factam eſſe; & potuiſſe hinc intelligere Adamum, quod à mulieris Semine ſalus omnis exſpectanda eſſet; & piè præſumi de communi parente poſt auditam Dei ipſius concionem, quod & hæc intellexerit, & huc quoque in nomine Evæ reſpexerit. Verum poſtremum hoc prò certo aſſerere ego nequaquam auſim; vitæque naturalis intuitum excludendum eſſe ab hoc nomine neutiquam puto. Quod nec patitur communis *vitæ* ſignificatio, homini etiam ſpiritualiter mortuo competens; nec phraſios חי כל *omnis viventis* latitudo *Pſal.* CXLIII. 2. *Job.* XII. 10. XXX. 23. *Eccl.* IX. 4. *&c.* nec eventus, qui ex Eva omnes naturaliter viventes homines prognatos eſſe docet; nec apta hujus ſenſus cum prioribus connexio, ubi mulieri *ſemini* adſcripto, ac liberorum *partu*, quamquam difficili, memorato, prima etiam benedictio, ex qua ſe juxta factam à Deo mortis comminationem per peccatum excidiſſe judicare potuiſſet Adam, ſolenniter veluti reperita erat. Nec potuit etiam Adam abſque generis ſui ex Eva multiplicatione vitam ullam ipſe exſpectare, uti id doctè exſecutus eſt ſolidiſſimus Scripturarum Interpres *David Pareus*, & poſt hunc magnus Theologus *Andreas Rivetus Exerc.* XXXIX. *in Gen.* Plura vero de hoc nomine erunt dicenda in humanæ reſtitutionis hiſtoria, ubi ad hanc fuerit tractatio noſtra perducta.

III.

III. Quamquam autem, si narrationi Mosaicæ, per Gentium etiam obscuras traditiones confirmatæ, fides adhibetur, dubium nullum esse posse videatur, quin Adamus hic & Eva communes generis humani totius sint parentes, visum tamen fuit, post similia quædam decimo sexto seculo à *Theophrasto Paracelso*, antiquitus vero à *Zabeis* & forte *Origenianis* insinuata, scriptori *Anonymo* medio seculo elapso fabulam cudere *Præadamitarum*, atque comminisci homines infinitis seculis Adami tempora prævertentes. Cui hypothesi, ab ipso primum adstructæ in *Exercitatione* super textu Paulino *Rom.* v. 12. 13. 14. ille Systema dein Theologicum integrum inædificavit. Verum ita musteum hoc est dogma, ut à Viris undique Doctissimis mox confossus hic Autor ludibrium omnibus debuerit. Palam est ex Mose, non modò Evam *omnis viventis* esse *matrem*, sed & Adamum fuisse *primum* hominem, qui hinc ex terra à Deo creatus, omnium Dominus constitutus, solus primum & absque socio repertus est; uti & ex nomine, & ex omnibus circumstantiis, & ex *Cap.* v. 1. 2. patet clarissimè, eorundem creationem, quæ *Gen.* 1. 26. 27. brevius narratur, *Capite Secundo* copiosius exponi. Neque dici potest, ad gentis tantum Judaicæ parentem ascendisse Mosen; cum ab ipsa prima Creatione rerum omnium historiæ sua faciat initium, & Judæi familiam ab Israële & Abrahamo suam ubique ducant, imo gentes aliæ orbis totius à Noacho, hinc etiam ab Adamo, deriventur *Gen.* x. 32. Cum Mose facit Paulus, qui Adamum πρῶτον ἄνθρωπον appellat 1. *Cor.* xv. 45. quo nomine etiam in oppositione ad Christum ut *secundum hominem* ipse venire non posset, nisi omnium esset naturale caput, uti Christus suorum electorum est caput spirituale, in quos ob intercedentem suam sponsionem, per verbum promissionis significatam, & per fidem acceptam, ipse ante adventum in hunc mundum naturamque humanam ex eodem sanguine acceptam rectè influxit Spiritus sui gratiosa operatione. Ut prorsus typicam Adami & Christi collationem se ignorare ostendat *Isaacus Peyrerius*, qui fabulæ istius autor esse fertur, quando ad ejus integritatem putat necessarios esse PræAdamitas, quo habeat se anteriores, non minus quam Christus, homines Adamus: quos tamen nec sanguinis vinculo cum Adamo ex pulvere creato junctos, nec venturi alicujus Adami conscios fuisse, concedit. Æquè vanum est, quod Adamum *primum hominem* dici vult, quia primus ille peccator,

Sententia de Præ-Adamitis producitur & argumentis quibusdam explodituri.

Digitized by Google

quomodo Abraham pater credentium, & Christus primitiæ resurgentium: neque enim idem est homo & peccator, natura & transgressio, imprimis ex ipsius hypothesi, qua PræAdamitis nullam legem adeoque nullam transgressionem tribuit; neque conveniunt ullatenus exempla allegata. Nihil porrò contra insullam hanc hypothesin clarius est Paulino illo, fecisse Deum ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων, κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, *ex uno sanguine omnem gentem hominum ut habitaret super universa superficie terræ Act.* XVII. 26. Quem locum, in subsidium etiam vocato *Vulgato* Interprete, qui hic simpliciter legit *ex uno*, ipse ita conatur enervare, ut ex uno sanguine nihil aliud sit, quam *ex una eademque materia, ex uno eodemque pulvere, ex una eademque carne, ex uno eodemque sanguine*, adeoque materiam tantum dicat, progenie mox à Deo ducenda. Verum plus quam remotam *luti* materiam, de qua Elihu loquitur *Job.* XXXIII. 6. dicit *sanguis*, & significat hic ita naturam, ut simul progeniem notet apud Scriptores profanos pariter & sacros; quæ significatio hic per progeniem à Deo primo & supremo parente ductam non excluditur, sed omninò est necessaria, cum homines, excepto Adamo, ab aliis prioribus ortos, adeoque ex sanguine ipsorum natos, ipse non diffiteatur PræAdamitarum hic Patronus.

Objectiones pro PræAdamitis plurimæ memorantur, in primis autem exegesis sextus Rom. v 12. 13. 14. nova.

IV. Plura hic argumenta in rem eandem conglomerare non lubet; uti neque necessarium putamus illa prolixè discutere, quæ de Chaldæis, Ægyptiis, Scythis, & Sinensibus, horumque monumentis & rationibus, quæ de hominibus Mexicanis & nuperrimè detectis terrenæ machinæ partibus, quæ dè regionibus incognitis Australibus & Septentrionalibus, quæ de Kajino ad fratricidium soras egrediente, postea sibi timente, & longe à parentibus uxorem ducente, ac civitatem ædificante, aut similia plura in causæ suæ subsidium levissimè allegat. Cum vero PræAdamitarum inexpugnabilem veluti arcem statuat in Paulino textu *Rom.* v. 12. 13. 14. qui si quisquam confutandæ ejus hypothesi sufficit, verbo adhuc miram ejus torsionem notabimus atque redarguemus. Paraphrasios ipsius hæc est summa; *Per unum hominem, puta Adamum legem Dei transgressum, peccatum originem accepit, adeoque mors ejus consequens. Quamquam enim ante legem Adamo datam peccatum materialiter esset in mundo, PræAdamitis illud committentibus, adeoque & mors, tum tamen non imputabatur pro peccato, neque mors jus habuit in mun-*

mundo, quia nulla erat à Deo data lex: sed inde ab Adami transgressione, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi mors ex peccato imperium assecuta est, qua etiam retrò extensa fuit ad eos, qui ante Adamum vixerant, nec tamen peccaverant sicut ille, cum illis nulla lex indicta foret, neque ullo jure aut pacto divino tenerentur. Ad cujus paraphrasios corroborationem porrò adducit τὰ παρεγγονότα ἁμαρτήματα *peccata precedentia* ex *Rom.* III. 25. hominem absque lege & sub lege ex *Rom.* VII. 9. simile trunci, cui insiti furculi duo arbori toti, ab imis radicibus sub terra sepultis ad summa ramorum fastigia, succum suum communicent; exemplum item sexaginta mille Judæorum, in quos propter peccatum Davidis ira Domini sæviit; quæstiones tandem varias difficiles, quibus putat se eos posse obturare, qui ad Præ-Adamitas peccatum Adami insecutum non posse extendi adversus ipsum judicant.

V. Contradictionem facilè observabit attentus lector, quandò peccatum ante Adamum non imputatum esse, nec mortem dominium habuisse primo scribit, & dein τὸς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τ παραβάσεως Ἀδὰμ, in quos Apostolus mortem regnasse docet, contendit esse Præ-Adamitas. Alienam etiam esse allegationem locorum *Rom.* III. 25. & VII. 9. facile quilibet videt; cum ibi peccata παρεγγονότα sint τὰ ἐπὶ τῇ πρώτῃ ἀφέσει ex *Hebr.* IX. 15. vel quæ adventum Christi in carnem & actualem ἐνδειξιν τ δικαιοσύνης præcesserunt; & cum in posteriori loco non homines ante Adamum viventes, sed se ipsum in vario statu Paulus consideret. Multiplex insuper ab hoc homine committitur textus falsatio; quandò ἀλλοιεῖται contra Græcorum codicum fidem, locique paralleli mentem *Rom.* IV. 15. mirâ circa literarum mutationem conjecturâ mutat in ἐπλοιεῖτο; quando quod dixit Paulus *usque ad Mosen*, ille reddit, *quamdiu Lex Mosaica obtinuit*; quandò eos qui non peccarunt ad similitudinem Adami statuit ante Adamum, quos tempore intermedio inter Adamum & Mosen collocat Apostolus. Sua porrò concidit absurditate, quod ille homines fingit rationales, nec tamen Lege Dei ulla obligatos. Sed in quo summa rei hæret, vanissimum est totum structuræ fundamentum, per *Legem* hic intelligi præceptum Adamo datum, adeoque *ante Legem* idem esse quod *ante Adamum*. Legis enim initium expresse Paulus ipse Mosi tribuit *vers.* 14. uti alibi per Mosen da-

Loci istius Paulini παρερμηνεία pluribus ostenditur.

Digitized by Google

ta illa dicitur *Joh.* I. 17. VII. 19. *Gal.* III. 19. unde Legem *quadringentis & triginta annis* post promissionem additam esse etiam legimus *Gal.* III. 17. Non quod nulla antea fuerit Lex, sive Moralis, sive Ceremonialis, contrarium enim Paulus docet, ex Peccato etiam *vers.* 13. quod Legem supponit: sed quod per Mosen illa solenniter repetita, renovata, explicata, multisque etiam novis præceptis aucta sit. Et ostendit quidem maximè Paulus, Peccatum Adami ante-Mosaicæ ætatis hominibus etiam fuisse imputatum, ne scilicet illud ad Judæos solos restrictum esse, aut imputatio solennem Legis repetitionem antecedentem exigere crederetur. Nullo denique Scripturæ loco, argumento, aut exemplo appositio, probari potest, aut Peccatum Adami imputatum fuisse, aut æquitatem permittere ut imputetur, myriadibus hominum, qui ante ipsum vixerint, nec ullo sanguinis vinculo cum ipso sint ligati, nec ullam habuerint Legem, aut notitiam Hominis ex terra creandi & ad legis alicujus observationem adstringendi. Nihil utique huc facit Judæorum peccatis fœdatorum & Davidi subjectorum stragis, occasione peccati à Rege isthoc suo commissi. Minùs adhuc exemplum surculi trunco insiti, qui etiam succum potius ex trunco attrahit, quam ei impertit. Minimùm omnium quæstiones propositæ, quarum nonnullæ facillimè solvuntur; & quæ si omnes solvi non possent, æquitatem tamen huic quam urget imputationi sufficientem neutiquam conciliarent.

Voces Dei ante Hominis creationem præmissæ proxime ostendunt hujus excellentiam & aptitudinem temporis ad hujus creationem.

VI. Sed missâ fabulâ Præadamiticâ, modum nunc lustremus, quem in Adami & Evæ creatione Deus servavit. Ad opus hoc accessuro Moses tribuit voces *Gen.* 1. 26. sive βουλευτικὰς sive ἐγκελευστικὰς, *faciamus hominem ad imaginem nostram &c.* Post *Ambrosium*, *Chrysostomum*, *Cyrillum*, aliosque Veteres, communi ferè consensu Interpretes in iis consilium sive deliberationem observant, unde *Calvinus*; *nemo non fatetur esse hunc quasi deliberantis sermonem.* Dum tamen consilium hoc explicant, excitationem neutiquam ab eo excludunt, uti *Pareus* excitandi vocem *agite* in sua paraphrasi præmittit. Neque multum inter *consilium* de re jam agenda & *incitationem* divinam hic intereſſe videtur, cum consilium voluntatis certum denotet propositum ad rerum tendens existentium, quod idem fermè excitatio Dei significat, non aliter se ad opera sua accingentis: ut commodè Consilium cum Excitatione conjungi posse videatur. Cæterum cum hunc fermonem

nem in solius Hominis creatione Deo tribuat Moses, antiqua Christianorum observatio est, Hominis hinc patere excellentiam. Sic ipse *Theophilus Antiochenus Lib. II. ad Autol.* Πρῶτον μηνύει τὸ ἀξίωμα τοῦ ἀνθρώπου, πάντα γὰρ λέγῳ πεποίηκε ὁ θεὸς ἐν τοῖς πάντα παρέργα ἡγησάμενος, μόνον ἰδίαν ἔργον χειρῶν ἄξιον ἡγεῖται ὁ πάντων ὁ ἀνθρώπου, ἵνα μόνῳ καὶ ὡς βουλόμενος χρήζων ὁ θεὸς δημιουργεῖν λέγων, ποιήσωμεν. *Primum hoc hominis dignitatem significat, cum enim cetera omnia verbo fecisset Deus, & ea quasi viliora opera duxisset, solam hominis creationem opus suis manibus dignum censuit, imò quasi auxilio indigens Deus deprehenditur, dum dicit, faciamus &c.* Idemque multis urget *Cyrillus Alex. Lib. I. c. Julian.* concludens post alia præmissa; πέπμπτον δὲ ὡς ἔοικεν καὶ οἶδεν πῶς σκεβθείσεις ἡ ἀνθρώπου φύσις &c. Præter hanc Excellentiam verò non est dubium, quin vocibus illis notetur quoque Aptum creandi hominis Momentum, omni mundi reliqui opificio nunc ita instructo, ut unus tantum Homo restaret, qui perfectionem Universitati adderet, atque creaturis propter ipsum factis decenter usus ex iis Dei majestatem & virtutes complures agnosceret pariter & prædicaret. Quam rem duplici similitudine, tum hospitum ad instructum benè convivium vocatorum, tum spectatorum ad theatrum admissorum, eleganter illustrat *Philo in Libro de Mundi Opificio*; Homine tum revera creato, cum terra universa mensæ instructissimæ instar abundantiam omnium ipsi suppeditaret, & mundus totus divinarum perfectionum amplissimum esset theatrum.

VII. Non est etiam prætermittendum sublime Plurium Divinarum Personarum mysterium, quod ex his Dei vocibus Christianis familiare est adstruere. Scilicet hominum Creator solus Deus est, cujus etiam solius gerunt Imaginem; cum ergo pluribus hominum creatio tribuitur, plures non quidem Deos sed Deum esse, hinc colligitur. *Homo*, inquit *Irenæus in Proam. Lib. IV. est temperatio animæ & carnis, qui secundum similitudinem Dei formatus est, & per manus ejus plasmatus est, hoc est per Filium & Spiritum, quibus & dixit, faciamus hominem.* Palam fatetur *Philo* hujus loci difficultatem, ἡ μὲν ἐν ἀληθείᾳ αἰτία θεοῦ ἀνεύρετος μόνον εἰδένα, *verissimam hujus causam necesse est solus Deus sciat.* Forte aliquid dixit à veritate non magnopere abludens *R. Iochanan in Gemara Senhedrin Cap. IV. Sect. 11.* אין הקכה עושה דבר אלא אם כן נמלך בחכמתא של מעלה / *Deus nihil facit nisi habito consilio cum sa-*

Eædem omnino per Pluralem numerum ad plures Trinitatis Personas nos ducunt, aliorsum inniter tractæ.

familia ſuperna ; ad quem textum docta *Celeii*. *Cocceji* adverſus Anti-Trinitarios eſt digreſſio. Niſi per familiam ſupernam *Platonicum* Intelligentiarum mundum intellexerit ; quemadmodum ſententiam hanc exponit & confutat *Maimonides* ex *Jeſ.* XL. 12. 13. 14. Deſperatæ in Judæis quibuſdam cauſæ argumentum eſt , quod contra Codicum autoritatem, & Affixorum formam pluralem , & rei ipſius veritatem, mutata punctatione ex נעשׂו ſingulare paſſivum tertiæ perſonæ faciunt, ut ſenſus ſit, *dixit Deus, factus eſt homo ad imaginem noſtram, i. e. humanam* ; quæ neutiquam cohærent, ipſo *AbenEzra* judice. *Saadiam* vero cum aliis ſecutus *Enjedinus* , contendit Deum in plurali locutum על מנהג מלכים / *ſecundum conſuetudinem regum* , ad ampliorem ſcilicet honorem ; quamquam ipſe mox à pluribus ſolum præſentibus apud loquentem phraſeologiam repetat , uti *Socinus* à conſultationis actu. *Bis inſulſos* hos vocat *Calvinus* , dum credunt *barbariem* , *quæ à paucis ſeculis invaluit* , *jam tum regnaſſe in mundo.* Miſſa enim plurium præſentia , quæ huc nihil facit, Hebræos in prima loquentes perſona pluralem pro ſingulari non adhibere , ſive ad honorem , ſive ad conſultationem ſignificandam , exemplis plurimis docent cum *Aben-Ezra* Chriſtiani , ex *Gen.* XIV. 21. 2. *Chron.* XXXVI. 23. *Hezr.* VII. 13. *Ier.* V. 5. *Hoſ.* II. 6. *&c.* Neque contrarium hactenus ullo exemplo demonſtratum eſt; cum alia ſit ratio locorum, quæ opponi ſolent ex 2. *Sam.* XVI. 20. *Iob.* XV. 3. *Dan.* II. 36. *Cant.* I. 4. *Ioh.* III. 11. *&c.* in quibus manifeſtus ad plures eſt reſpectus. Non inutilis hic etiam eſt obſervatio *Theodoreti Quæſt.* XIX. *in Gen.* ſi ob dignitatem pluralis numerus à Deo adhiberetur , eum vel ſemper vel ut plurimum adhibendum fuiſſe; inprimis uti nos putamus in Legis ſuæ glorioſa latione , quod tamen neutiquam eſt factum. Ἰουδαῖοι δή, inquit ille, οἱ ἐτέραν ἐξώκηλαν θεοσέβειαν , φασὶ δὲ πρὸς ἑαυτὸν εἰρηκέναι τὸν τῶν ὅλων θεὸν τὸ ποιήσωμεν ἄνθρωπον , κατά τινα μίμησιν τῶν τοῦ μεγάλου πεποιημένων κόσμου, ἢ δὲ ὕπαρχοι καὶ στρατηγοὶ πληθυντικῶς εἰώθασι λέγειν τὸ κελεύσωμεν καὶ γεφύρωμεν καὶ πορεύσωμεν καὶ ὅσα τοιαῦτα. Καὶ ὁ συνήθων οἱ θεοσεβεῖς , ὡς ἐικὸς τὰ θεῖα ὁ τῶν ὅλων λέγει θεὸς *&c.* Καὶ ἐν πάσῃ ᾗ ὡς ὅπαπαν τῇ θείᾳ γραφῇ ἐικὸς ἐὸν αὐτὸν ἓν τῶν ὅλων ἀφαλεγμένα θεῖ , ὁλιγάκις ἢ πληθυντικῶς ἢ ἀφάλειαν σχηματίζει , τῶν τριάδα προσώπων ἐμφαίνων τὸ ἀριθμόν *&c.* Quando poſt aliqua interjecta adhuc urget , illud *ποιήσωμεν* & *ἡμετέραν* ita ducere ad

Tres

Digitized by Google

Tres Personas, ut nomina singularia θεὸς & εἰκὼν. Unam Trium innuant Naturam. Alios ergo Deum allocutum esse volunt alii, sive Legem, ut *R. Eliezer*, sive Terram ex qua homo factus est, uti *Iosephus Kimchius*, sive Angelos, uti post *Platonem*, de colloquio δημιουργὸς cum Geniis circa Hominis creationem multa in *Timæo* fabulantem, *Philo*, *Aben-Ezra*, *Smalcius & Sociniani* vulgo contendunt, Hominem ad Imaginem solius Dei conditum esse ut falsum rejicientes. Verum ita omnium & maximè Hominis Creatio solius Dei est opus, ut nec Legem, postea latam, nec Terram, passivè se tantum habentem, nec Angelos ullos in communionem ejus admittere possimus, *coll. Ies.* XLII. §. XLV. 18. LXIV. 8. *&c.* quidquid olim Veteres plurimi somniarint Hæretici, etiam *Angelis* heic nonnunquam pessime jungentes τὸν πνεῦμα δαίμονας, notante *Theodoreto*. Uti neque Scripturæ phrasis, neque ratio patitur, ut homines ad Imaginem Angelorum factos dicamus, etiamsi hi juxta hominem participes Divinæ Imaginis queant statui. Θεοῦ γὰρ εἰκόνα καὶ ἀγγέλων ἑνὸς, inquit *Theodoretus*, ἅπερ εἰκὼν ἡ αὐτὴ, ὁ μὲν γὰρ ἄϋλον ἔχει τὴν φύσιν, οἱ δὲ αὐτὸν ἔχουσι πιητὸν καὶ δημιουργὸν, παρ' αὐτοῦ δεδεγμένοι τὸ εἶναι *&c.* Habent hoc argumentum & ejus vindicias *Augustinus*, *Hilarius*, *Basilius*, & præter alios *Cyrillus Lib.* IV. *c. Iulianum.* Οὐ γὰρ δή τινας ἑτέρους συλλήπτορας ἑαυτῷ περὶ τὴν ἀνθρώπου κατασκευὴν ἐποιεῖτο θεὸς, ἀλλ' ἐν τῷ ποιήσωμεν καὶ κατ' ὁμοίωσιν ἡμετέραν τὴν ἁγίας ἦν ὁμοούσιν τριάδα ἡ θέλουσε λῶ. *Neque enim Deus alios quosdam ad formationem hominis adjutores sibi faciebat, sed per illud, faciamus & secundum imaginem nostram, Sanctæ & Consubstantialis Trinitatis est manifestatio.* Quod etiam repetit *Lib.* VIII. ἐν μὲν οὖν τῷ ποιήσωμεν ἡ δὲ συνυπάρχοντα υἱὸν καὶ τὸ ἁγίον πνεῦμα εἰσφέρεται θέλουσις, ἐν δὲ τῷ φάναι καὶ εἰκόνα τὴν ἡμετέραν τὸ τῆς φυσικῆς ταυτότητος ἀπαρέγκλιτον ἐνορᾶν ἔστι καὶ μάλα ὀρθῶς *&c.* Imò Concilium Syrmiense *Can.* XIII. anathemate ferit eum, *qui quod scriptum est, faciamus hominem, non Patrem ad Filium dicere, sed ipsum ad semet ipsum dixisse Deum asserit.*

Quæ Plures Divinæ Personæ hinc nos creasse ad suam Imaginem sunt dicendæ, licet ipsa Trinitatis qua talis Imago in nobis non deprehendatur.

VIII. Quemadmodum ergò Personarum Pluralitas hoc loquendi modo significatur, ita Filium & Spiritum non minus quam Patrem hominem creasse hinc liquet, imò & Imago non Patris solius sed Dei Triunius homini est adscribenda. *Non rectè diceretur ad Imaginem Nostram, si homo ad Unius Personæ Imaginem fieret, sive Pa-*

Patrit, sive Filii, sive Spiritus Sancti, sed quia fiebat ad Imaginem Trinitatis, propterea dictum est ad imaginem nostram &c. inquit *Augustinus Lib.* XII. *de Trin. Cap.* VI. Unde tum porrò infert *Augustinus*, & ex eo *Thomas*, in omnibus quidem creaturis vestigia, sed in Homine solo expressam Trinitatis Personarum reperiri Imaginem. Eam verò *Lib.* X. *de Trinit. Cap.* 11. constituit in Memoria, Intelligentia, & Voluntate, *quæ pertinent ad unam & eandem vitam & substantiam animæ.* Alibi *Lib.* XI. *de C. D. Cap.* 26. 27. 28. in eo *quod sumus, & nos esse novimus, & nostrum esse ac nosse diligimus, in quibus tribus*, inquit, *nulla vos falsitas verisimilis turbat*; uti ibidem longiori ratiocinatione adversus Academicos probat, docens multis, se falli non posse, nisi esset, adeoque se nec falli in eo, quod noverit se esse, & quod amet utrumque. Non immerito speculationes has otioso lectori linquit *Calvinus*, atque *Augustinum* ex una Trinitate multas derivare, & nimium argutè philosophari scribit. Videntur ea tamen quandoque Viris hodiè non indoctis placuisse, quando ex Hominis Creatione ad Imaginem Trinitatis concludere voluerunt, naturaliter absque cœlesti revelatione etiam in statu lapsus sublime hoc mysterium ab homine cognosci posse. Quæ omnia ex genuina Divinæ Imaginis explicatione postea secutura concidunt; neque fundamentum habent, cum eadem sit Filii & Spiritus Sancti cum Patre Essentia, adeoque ad Imaginem Dei creatus homo necessario Triunius Imaginem gerat.

Materia humani corporis fuit pulvis de terra.

IX. Uti singularis est Dei præparatio ad hominis creationem, ita & hæc ipsa quæ subsecuta est à reliquorum operum productione distinguitur. Cum enim singula Moses narrasset ad jussum Dei facta esse, Deum hic introducit *formantem hominem pulverem de terra, & inspirantem in nares ejus animam vitæ*, quandò *factus est homo anima vivens Gen.* 11. 7. Non inutiliter observavit *Theophilus Lib.* 11. *ad Autol.* distinctius creationis modum Moses hic narrasse, πρὸς τὸ μὴ δοκεῖν εἶναι ζήτημα τὸ ἀνθρώπειον σύνθετον, *ne quæstio inter mortales inveſtigabilis super hac moveretur.* Ad salutarem ortus nostri agnitionem Mosaica sufficit narratio, licet temerariæ hominum curiositati forte non satisfaciat. *Hominem* quandò ante Animæ inspirationem memorat Moses, oportune observat *Augustinus*, contra *Manichæos* mox homini animam intuisse sed postea demum per Spiritum Sanctum vivificatam eam esse statuentes, Synecdochicam esse locutionem, & de humano id corpore intelligi

gi debere *Lib.* II. *de Gen. c. Manich. Cap.* 8. *& Lib.* XIII. *de C. D. Cap.* 24. Id dum dicitur עפר מן האדמה *pulvis de terra*, materia unde sumptum est significatur; eò magis observanda hac phrasi, quod natura hominis terrena & in se fragilis per eam efficacius significetur, uti ex collatione sententiæ à Deo latæ, *pulvis es & in pulverem reverteris Gen.* III. 19. & textus Paulini ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκός I. *Cor.* XV. 47. clarum id est. Quamquam sint, qui verba nostra aut supplent cum πῆς LXX. in quibusdam *Codicibus*, καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν, vel χῦν, λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς, quemadmodum & *Ruffinus in Expos. Symb.* habet, *accipiens Deus limum terræ plasmavit hominem*, aut transponunt cum *Augustino*, *finxit Deus hominem de limo terræ*, & cum *Vulgato*, *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Pulvis verò terrestris, uti neutiquam humorem immixtum excludit, ita indubiè non dicit selectam undique optimam terræ partem, quod voluit *Philo*, sed potius solidis & magis pretiosis terræ partibus opponitur; quas ad hominis formationem non adhibuit Deus quod magis ineptæ illæ forent, erat enim omnis pariter inhabilis materia, sed ne superbiret nimium, sibique naturæ etiam suæ intuitu immortalitatem polliceretur, quam non nisi à Dei gratia exspectare poterat. Undè argumentum superbiæ est, cœleste aliquod præter terram advocare glutinum, aut aliam quam terrestrem fingere materiam, quæ hominis constituat corpus. A quâ longissimè pii absunt, humiliter se pulverem esse professi *Gen.* XVIII. 27. *Psal.* CIII. 14. *&c.* Imo & à qua arrogantia Christianos dehortari debet constans Gentilium traditio, de hominibus *luto compositis* apud *Juvenalem*, *humo excitatis* apud *Ciceronem*, de terræ aqua maceratæ indita voce humana apud *Hesiodum*, deque luto Prometheo apud *Poëtas* passim.

X. Ad excellentiam verò hominis facit, quod non simpliciter à Deo factus, sed *formatus* seu *fictus* dicitur per verbum יצר / id enim ad operis elegantiam & ornatum refertur, similitudine à figulo desumpta vasa expoliente, quæ alibi frequenter reperitur *Jes.* XLV. 9. LXIV. 8. *Jer.* XVIII. 6. *&c.* Et est sanè artificium in humano corpore stupendum, uti specialius suo loco demonstrabitur. Quæ hic habet præterea *Salomoh Iarchi*, de duplici hominis formatione, לעולם הזה ולתחיית המתים / *hujus seculi & resurrectionis mortuorum*, occasione bis repetiti Jod in יצר / vanitatem

Cui formato inspirata est anima vitæ.

Digitized by Google

ſapiunt Judaicam. Formato corpori Deus *inſpiravit*, *per nares ejus*, באפיו / vel εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ *in faciem ejus* apud LXX. & *Vulgatum*, ſubſtituentibus *Aquila* & *Symmacho* μυκτῆρες, *animam vitæ*, נשמת חיים / per quam an anima rationalis, an externus ſignificetur reſpirationis motus, πνοὴ ζωῆς *ſpiraculum vitæ* apud LXX. & *Vulgatum*, diſſident Interpretes; uti non deſunt, qui vocem רוח transferunt *reſpirare fecit*. Aſſerit *Aben Ezra*, נשמה ad hominem tantum referri, eam in rem laudans vocis originem à שמים / *cœlo*; cum quo in hoc loco videtur facere *Onkeloſi Paraphraſis*, qui ſequentia Moſis verba ita reddit, והוה באדם לרוח ממללא / *& fuit in homine in ſpiritum loquentem*. Neque dubium eſt, quin ita textum intellexerint plurimi Veteres, & vox נשמה ſæpe *animam* hominis rationalem notet *Jeſ.* LVII. 16. *Prov.* XX. 27. &c. & cœlitus hæc immittatur, & in *facie* ſenſuum præcipua ſede, uti obſervat *Philo*, plurima ejus reperiantur indicia. Aliter tamen judicat cum aliis *David Kimchi*, qui obſervat ad *Gen.* VII. 22. רומה כי כל רוח בינלי חיים יקרא נשמה ולפיכך נסך אל רוח כלאמר כל שיש לו נשמת רוח כלאמר תנועה / *videtur quod omnis ſpiritus vivacium vocetur* נשמה / *& propterea jungatur cum Spiritu, q. d. omne cui eſt anima ſpiritus vitæ, i. e. motus.* Vocem tum deducunt ab inuſitato נשם / quod ſynonymum vocibus נשב & נשף *flare*, *anhelitum trahere*, ſignificet. Atque ut ita intelligant hunc locum, Chriſtianis multis perſuadet *narium* mentio, per quas homo anhelitum trahit, & quibus etiam alibi נשמה tribuitur *Iſ.* II. 22. *Quicquid ſentiant plerique Veterum*, inquit *Calvinus*, *ſubſcribere eorum ſententiæ non dubito, qui de animali hominis vita locum hunc exponunt, atque ita flatum interpretor, quem ſpiritum vitalem nominant.* Paulò poſt rationem addit, quod *nihil aliud propoſitum fuerit Moſi, quam vegetationem lutea figura exponere.* Sive verò *animam* rationalem immediatè hic ſignificari, ſive hominis *reſpirationem*, præſentis animæ certum indicium externum, ſic notari dixerimus, utique memoratâ animæ hujus *inſpiratione* Cœleſtis ejus Origo ſignificatur, ut præter corpus ea reperiatur in homine pars, quæ nullam plane materiam, ſed Deum ſolum agnoſcit autorem. Corporalia nimis ſunt nonnullorum heic cogitata, ab *Origenianis* ut videtur hauſta, quæ tamen ut pia in medio relinquit *Pareus*, de Filio Dei ad creationem humanam accedente in forma imagine habituque humano, ſicque naribus ejus contactu corporali vitam inſpirante, ut po-

Digitized by Google

postea ipse homo Deum membra reliqua fingentem forte viderit. Neque admittit Christiana fides, quod post Philosophos, veteres *Manichæi*, *Priscillianistæ*, atque alii Hæretici, etiam occasione hujus Inspirationis, voluerunt, Animam propriè esse ἀπάυγασμα θεῦ, seu Divinæ Essentiæ Particulam; quamquam ea opinio non videatur displicuisse *Lactantio*, qui Deum animam inspirasse scribit *de vitali fonte Spiritus sui, qui est perennis, Inst. Lib.* II. *Cap.* 13. Prolixè id confutat *Augustinus Lib.* XIII. *de C. D. Cap.* 24. *& Lib.* VII. *de Gen. ad lit. Cap.* 1. 2. *Non sunt audiendi*, inquit, *qui putant animam esse partem Dei, si enim hoc esset, nec à se nec ab alio decipi posset, nec ad malum faciendum vel patiendum compelli, nec in melius vel deterius immutari. Flatus autem quo hominem animavit factus est à Deo, non de Deo &c.* Et digna est quæ heic annectatur *Quæst.* XXIII. *Theodoreti*, ἐι ὲκ τῦ θεῦ ἐμφυσήματος γέγονεν ἡ ψυχὴ, ὲκ τῆς ὐσίας ἄρα ἒ θεῦ ἐστὶν ἡ ψυχή; cum annexa Responsione. Ἀσεβέιας ἰχνάτης καὶ βλασφημίας ἡ τοιάυτη ἔννοια; τὸ γὰρ δημιυργίας ἢ συγκλείαν ἐδέιξε δίχα τύτυ ἡ θεία γραφή, σεσὶ γὰρ τύτῳ καὶ τὸ ψυχῆς ἢ φύσιν αἰνίτ]εται, ὅτι πνεῦμα ἐστὶ κτιστὸν ἀόρατόν τι καὶ νοερὸν τῶ σωμάτων ἀπηλλαγμένον πεφύτικ&c. εἰ γὰρ τὸ θεῖον ἀσώματον, θεωρεῖται ἄρα καὶ τὸ ἐμφύσημα νοητόν.

XI. In unius hominis creatione observatur, quod *Unicum* illum primò fecerit; in cujus rei causum inquirit *Augustinus Lib.* XII. *de C. D. Cap.* 21. Ratio verò, quam præter ipsum *Nazianzenus*, *Damascenus*, atque alii habent, est petita à *media* hominis *natura* inter angelos & bruta animantia; unde dum nullo modo à se invicem progenerantur spiritus, & ex paribus propagata sunt animantia, media quadam via genus humanum multiplicari voluit Deus. Quæ curiosa magis quam solida sunt. Verius dici potest, beneplacitum hoc fuisse Dei, ut & Viro sua constaret supra Mulierem ἐξοχὴ, quam hinc deducit Paulus 1 *Tim.* II. 13. 1 *Cor.* XI. 8. 9. & Mulieri decens tribueretur amor, quam ex creationis modo cognovit Adam *Gen.* II. 24. & mystica hic post Lapsum esset præfiguratio unius Christi, à quo ut uno capite omnis electi seminis familia ducenda & spiritualis vita trahenda foret, *coll. Rom.* V. 17. 1. *Cor.* XV. 22. Quam mediam rationem non prætermisit quoque *Augustinus*; *Unum ac singulum creavit, ut eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis unitas vinculumque con-*

Creatio unius primum Adami & dein Evæ ex ipsius dormientis Costa.

cordiæ, si non tantum inter se natura similitudine verum etiam cognationis affectu homines necterentur, quando nec ipsam quidem fœminam copulandam viro sicut ipsum creare illi placuit, sed ex ipso &c. Creato ergò primum Adamo, nullum in omnibus viventibus מצא / *reperit*, sive Deus, sive ipse Adam, uti vult *Aben-Ezra*, sive impersonaliter *quisquam*, sive passive ἐυρίσκη *inveniebatur* uti habent LXX. & *Vulgatus*, עזר / *adjutorium*, seu βοηθὸς *adjutor* apud eosdem, כנגדו / non ut argutatur cum Judæis aliis *Salomoh Iarchi*, ad ipsi male facienti resistendum, sed vel quod ipsi *simile* & par esset, ὅμοιον αὐτῷ *similis ejus* apud LXX. & *Vulgatum*, vel *juxta ipsum*, *coram eo*, כנגדו / sic *Chaldæus*, κατ' αὐτὸν, sic LXX *vers.* 18. ad prolis scilicet suscitationem, aliaque vitæ commoda. Atque id judicavit Deus *non* esse *bonum*, nec voluntatis suæ sapientissimo consilio conforme, nec felicitati primi hominis conveniens, cum nullum sine socio bonum jucundum esse soleat, ut in eo statu solus permaneret. Hinc *immissus* à Domino in Adamum *sopor* fuit gravissimus, καταφορὰν dixit *Aquila*, κώμα *Symmachus*, ἔκστασιν LXX. uti & *Aben Ezra* & *Kimchi* observant plus significare תרדמה / quam שינה / & תנומה / ac denotare primum שינה חזקה / *somnum fortem*. Ratio hujus soporis non improbabilis est, quam dant Hebræi, חס הקנה על אדם הראשון שלא להכאיבו / *pepercit Deus homini primo, ne dolore eum afficeret.* Quamquam & alia possit addi, ut nempe Deum unum autorem fœminæ agnosceret, gaudium excitatus conciperet majus, haberetque & hic dein lapsus homo quandam adumbrationem mortis, quam Secundus Adam ad Ecclesiæ suæ acquisitionem subire debuit. Dormienti Adamo *Costa* fuit exempta, ex qua, substitutâ in Adamo carne, *ædificata* est *Mulier*, mox etiam à Deo ad Adamum *adducta*, ab eo *agnita* atque accepta. Partem eam corporis, observantibus etiam *Hebræis*, elegit ad mulieris creationem Deus, quæ Virum & Mulierem sua doceret officia; Virum quidem amplexum amoris, defensionem, atque æstimationem uxoris debitam; Mulierem autem subjectionem & verecundiam. De Anima cum taceat Moses, eam à Deo perinde fuisse inspiratam, uti id circa Virum narraverat factum Moses, nullum est dubium. In Costam verò Adami inquirere, fueritne illa Ordinaria, an supra communem numerum, quod à multis prolixè occupatum est, supervacaneum judico: dum Costa hæc ad Evæ creationem fuit destinata,

adeo-

Digitized by Google

adeoque, sive ordinaria sive extraordinaria, ad integritatem communis parentis pertinuit, quæ illâ in usum suum cedente illæsa tamen mansit. *Si dicamus*, inquit meritò *Calvinus*, *præparatam fuisse à mundi opifice costam, ex qua alterum corpus formaret, nihil in hoc responso non consentaneum divinæ providentiæ reperio. Quamquam diversa conjectura magis arridet, fuisse Adæ aliquid detractum, ut majore benevolentia partem sui complecteretur. Perdidit igitur costam unam, sed pro qua illi reddita longe uberior merces, dum nactus est fidelem vitæ sociam; imò cum se integrum vidit in uxore, qui prius tantum dimidius erat.* Cardinalis *Cajetani* ineptias hic merito exagitant Pontificii scriptores, quando ob memoratam Evæ ex Costa Adami creationem, aliasque rationes futiles, allegoricum in his sensum Mosi gratis affingit.

Negatur hominem primo bicorporeum & androgynon, monstratur consequenter.

XII. Concidit ex dictis *Judæo-Platonicum* delirium, de Homine primum creato Bicorpore & Androgyno, quod mirum est si Christianis quibusdam vere placuerit. Fingit *Plato* in *Sympofio* seu *Convivio*; *Olim fuisse tertium quoddam hominum genus, ex mare & fœmina compositum, cujus nomen solum nobis restat. Hujus tota species erat rotunda, dorsum & latera circum habens, manus quatuor, totidemque crura, vultus item duos, tereti cervice connexos, & omnino consimiles, caput utrisque vultibus contraversis unum, aures quatuor, genitalia duo &c. Incedebat tunc & rectus ut nunc, in utram vellet partem, & quoties celerius ire contenderet, instar eorum, qui prono capite crura sursum circumferentes circularem choream exercent, tunc octo membris innixus celebri circulo ferebatur.* Quo pacto fere verba ejus ex interpretatione *Marsi. Ficini* se habent. Addit *Plato*, cum insolentiores Androgyni certamen adversus Deos susciperent, ex Jovis consilio ad comminuendas vires eos in duas partes dissectos esse. Similia habent de Adamo Judæi, etiam saniores & recentiores plurimi, inter quos & *Maimonides Mor. Nebhoch. Part.* II. *Cap.* 30. & *Menasse Ben Israel Concil. in Genes. Qu.* VIII. qui tamen non hujus modo sententiæ Autores, sed & alios dissentientes, nominat plures. Expresse *Maimonides*, אדם וחוה נבראו כאחד כתאחרים גב לגב והוא׳חלק ולקח חצי וחוא חוה / *Adam & Eva creati sunt sicut unus, tergis conjuncti, postea vero divisi, quando accepta dimidia pars fuit Eva.* Perinde *Samuel Nachmanides*, apud *Menassen*, mulierem quasi pice agglutinatam scapulis Adami fuisse contendit, ita ut à fronte Adamus, à tergo Eva

va esset. Est hæc verè Gentilis fabella, alteri *Iani* bifrontis, & biformis seu gemini Athenienſium *Cecropii*, ſimilis, quam non admittit Moſes, qui Adamum primò ſolitarium introducit, adjutorium nullum habentem, Evamque ex Adamo & Coſta ipſius natam & formatam poſtea esſe, docet. Quod omne verum non eſt, ſi proprium Eva mox nacta corpus ab Adamo tantum diviſa fuit; & gratis textus de *latere* uno explicatur, cum צלע primò & ordinario non *latus* ſed *coſtam* denotet, atque hæc non tum fuerit mulier ſed demum in mulierem à Deo *ædificata* ſit. Neque admittit perfectio, in qua omnia à Deo creata ſunt, ut monſtroſam hanc figuram, quæ in greſſu atque operationibus aliis multa adducit incommoda, primo homini adſcribamus. Neque aliquod habent robur, quæ pro hac opinione à Judæis adduci videas. Quamquam enim nomen אדם *hominis* mulieri & viro tribuatur, non tamen *Androgynum* notat uſquam; nec dicitur *Gen.* 1. 27. Androgynon creaſſe Deus, ſed hominem, collective ſcilicet *marem & fœminam*, qui mox eodem verſu plurali etiam pronominis *eos* numero diſtinguuntur, uti ipſe quoque notavit *Eugubinus*. Non de Adamo, ſed de ſe loquitur Pſaltes *Pſal.* cxxxix. 5. ubi illud אחור וקדם צרתני / ex omnibus circumſtantiis potius transferendum eſt, *pone & ante*, h. e. ab anteriori & poſteriori parte, *me obſedisti*, quam me *formasti*; quod poſterius tamen de omnibus hominibus veriſſimum eſt, nulla ſui parte non à Deo creatis. Difficultatem de *Coſta* Ordinaria an Extraordinaria, ſupra verbo ſublatam, gratis allegat *Menaſſeh.* Etiamſi non expreſſè in creatione Evæ *Inſpirationis Animæ* meminit Moſes, propterea aut illam nuſquam contigiſſe, aut illam in inſpiratione Adami eſſe comprehenſam, concludi non poteſt; cum antequam eſſet, inſpirari non potuerit, & poſtea viva ipſa tamen deprehendatur. Ac uti frivolæ ſunt hæ rationes, ita violenta eſt narrationis Moſaicæ torſio, quâ illud quod de *Adamo* primum *ſolitario* dicitur, ad hominis bicorporis unitatem, aut ad negatum mutuum utriuſque intuitum trahitur. Si ad hæc vis ipſius *Eugubini* verba pleniora ex *Coſmopœia*, ita ille; *Quocirca non ad ſenſum verum forte quidam ex antiquioribus Hebræis ſuſpicantur hominem fuiſſe creatum a principio* כשני פרצופין *ut ipſi dicunt quaſi geminum, & quod Græci dicunt ἀνδρόγυνον. i. e. maſculum & fœminam. Quod Plato neſcio qua fama cognitum prodidit &c. Verum ſi Androgynum illud Moſis fuiſſet, non dixiſſet, maſculum*

Digitized by Google

lum & fœminam creavit eos. Idque etiam admonuit Augustinus. Nicolausque indignum censet, ut à monstris humanum principium opifex sit auspicatus. Illud me maxime, quod homine creato dicitur, & homini non inveniebatur adjutorium simile ei. Parte quidem alia sunt rationes, ut non costam sed partem quandam integram raptam ex homine in ædificium mulieris innuat Scriptor & ratio cogat asserere. Sed ut hoc verum sit, non sequitur tamen ex eo Androgynum &c. Quæ postrema videntur fecisse, ut scriberet Cel. Heidegerus *Hist. Patr. Tom. I. Exerc. IV.* ipsum Eugubinum fabulæ assentiri.

Ex formatione divina & adductione Evæ ad Adamum in statu Integritatis colligitur Matrimonii inculpata sanctitas.

XIII. In hac Evæ Creatione, ac secuta ad Adamum adductione, invincibile habemus prò *Conjugii Sanctitate* argumentum; tum adversus impuros primorum seculorum Hæreticos, Conjugium omne ad fovendas liberius vagas suas libidines detestatos, tum adversus infelices Cælibatus præcones, quales etiam fuisse ante *Pontificios* Patres plures & celebres certum est. Quod ipse instituit Deus in primævæ Integritatis statu, illud etiamnum τίμιον ἐν πᾶσι καὶ ἀμίαντον, *inter omnes honorabile & impollutum* pronunciare, & doctrinam adversam, seu διδασκαλίαν δαιμονίων *doctrinam dæmoniorum* appellare, seu ad *hypocrisin* ψευδολόγων doctrinas tales adducentium potius referre, non dubitamus cum Apostolo *Hebr.* XIII. 4. 1 *Tim.* IV. 3. Et mira est verborum Dei inversio, quando ille dixit, *non est bonum hominem esse solum*, homines dicere, non est bonum eum esse conjugatum. Novimus equidem Pauli dictum, *bonum esse γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι, mulierem non tangere* 1 *Cor.* VII. 1. sed & novimus Salomonis dicta; *qui invenit uxorem rem bonam invenit, & favorem à Jehovah impetravit Prov.* XVIII. 22. *à Jehovah est uxor prudens Prov.* XIX. 14. Quæ optime inter se conciliantur; si multiplicato jam genere humano, Cælibatui suam non auferamus laudem, imprimis angustiæ temporibus, & suam simul Conjugio tribuamus, quæ quin quandoque nimium extendatur non est dubium. Imprimis ab Hebræis, qui occasione loci Mosaici, & Ecclesiastæ *Cap.* IV. 9. scribunt, *nihil esse bonum nisi mulierem, non esse hominem cuicunque non est uxor, quisquis manet absque uxore manere sine bono, sine gaudio, sine benedictione, sine habitatione, sine lege, sine muro, sine pace &c.* Quæ collecta vide apud *Fagium*. De cætero, an Conjugum munera expleverint ante Lapsum primi parentes, res dubia est; plurimis & Ve-

terum & recentiorum etiam Theologorum asserentibus, non dedisse eos generationi liberorum operam, nisi post lapsum & expulsionem ex Paradiso, *coll. Gen.* IV. 1. Unde non tantum *Hieronymus*, *nuptia replent mundum*, *virginitas Paradisum Lib.* 1. *c. Iovin.* sed & ipse cum aliis *Augustinus*; *præoccupante peccato exilium de Paradiso ante meruerunt, quam in opere ferendæ propaginis tranquillo arbitrio convenirent Lib.* XIV. *de C. D. Cap.* 26. Imò si *Comestori* fides habenda, *Methodio* revelatione divina innotuit, quinto decimo demum anno ab egressu ex Paradiso Adam agnovisse suam uxorem. Dissona prorsus sunt, quæ de Deo decem Thalamos primo homini in horto Heden parante, & Angelis paranymphis tympana pulsantibus ac choreas agentibus, leguntur etiam in *Pirke R. Eliezer Cap.* XII. Et quæ alibi apud Judæos reperiuntur de quadruplici aut quintuplici prole, mox ex Adamo & Eva prognata. Quæ uti fabellæ sunt, ita tamen nescio, an prior sententia firmâ nitatur demonstratione, cum Mosen multa silentio prætermittere, & sæpe in plusquam perfecto res antea gestas narrare, constet. Imò suspicor, non nisi ex opinione de conjugalis congressus quadam impuritate sententiam hanc esse ortam. Et ut verum fatear, dum per aliquod saltem tempus in Paradiso commoratus est Adam, non eodem mox die expulsus, nescio, cur subscribendum non sit exegesi *Salomonis Iarchii*, qui illud ידע / *Gen.* IV. 1. exponit in plusquam perfecto per *agnoverat*, *ante prævaricationem* scilicet *& ejectionem ex paradiso*. Id saltem tenendum est, quod meritò inculcat *l. c. Augustinus*; *Absit, ut suspicemur, non posse prolem seri sine libidinis morbo, in tanta facilitate rerum & felicitate hominum.*

Ex eo etiam ratio Matrimonii decens colligitur, & contra Polygamiam Simultaneam præscribitur.

XIV. Nec tantum Evæ Creatio atque ad maritum Adductio Conjugii honestatem probant, sed & de *Conjugii ratione & Lege* nos edocent copiosius. Unicuique à Deo suam obtingere uxorem, in exemplo videmus, modi tantum respectu extraordinario. A Deo facta conjunctio individuam vitæ exigit societatem, atque amorem perpetuum, ut ab homine nullo solvi debeat vinculum; quod est à Deo colligatum, nec ab amore conjugis nos abstrahat parentum & cognatorum dilectio, *coll. Matt.* XIX. *6. Gen.* II. 24. Verum ut hæc & alia mittamus, contra *Polygamiam Simultaneam* unius Evæ creatione Deus præscripsit, ad quam propterea non tantum provocat Christus, adversus repudia differens *Matt.* XIX.

Digitized by Google

XIX. 4. 5. sed etiam *Malachias Cap.* II. 15. si ejus verba potius cum plurimis Christianis Interpretibus de Adamo quam cum Judæis de Abrahamo intelligimus; quem tamen sensum posteriorem nos prætulimus *EXERC. TEXT.* XXV. *Part.* I. Prò *Monogamia* pugnarunt à prima Euangelii antiquitate Christiani, & extat de hac materia integer *Tertulliani* Liber, in quo juxta cum Christo ad primam antiquitatem provocat, ac semel tantum vim passam Divinam institutionem in Lamecho in gente antediluviana observat; quamquam ex disciplina *Montanistarum* Polygamiam ipse Successivam gratis etiam impugnet. De Christianis communiter, apud eos μονογαμίαν τηρεῖσθαι *monogamiam servari*, scribit *Theophilus Lib.* III. *c. Autol.* & *Justinus*, *eos sub vitæ quemque suæ fœdere*, τὰς μίαν τῇ γαμετῇ γυναικὶ ἄνδρα χαμβάνειν, *hoc est sola nupta uxore quemque uti. Dial. cum Tryph.* Nec alia fuit ratio temporis antiqui, aut Legis Mosaicæ, ex qua licitum fuisse prò possessionum ad alimenta sufficientia uxores multiplicare, fœdissima *Talmudistarum* & *Maimonidis* est sententia. A qua tamen non multum absunt tum *Doctiss. Seldenus de Jure Nat. & Gent. Lib.* V. *Cap.* 6. tum *Grotius de I. B. & P. Lib.* II. *Cap.* 5. Quæ hi allegant loca, ad illorum confutationem sufficiunt. Uti textus *Lev.* XVIII. 18. *& uxorem ad sororem ejus non accipies, ad angendum eam, ad revelandum nuditatem ejus coram ea in vita ejus*; quem licet, quod urget *Seldenus*, contra Sadducæos de germana sorore intellexerint Hebræi alii, *eum nec juris nec morum peritum esse pronunciantes, qui dicit simul binas uxores esse interdictas*, verius tamen de altera quavis uxore ad priorem addita exponi, liquet ex usu vocis צרה / *sororis*, quem non diffitetur *Seldenus*, ex addita ratione, quæ ad binas uxores quasvis extenditur, imò ex juncta vitæ prioris limitatione, cum defunctæ sororem ducere non licuisse videatur ex *vers.* 16. Sed & de illo textu latius egimus EXERC. TEXT. V. *Part.* I. Ita quod allegat *Grotius* de *multiplicatione uxorum* Regi interdicta ex *Deut.* XVII. 17. causam non juvat, sed potius illi obstat: etenim multiplicatio illa non est æstimanda ex juncta illic multiplicatione equorum & auri, sed ex limitibus Divina Lege constitutis, quos eò magis quidem transgreditur Rex, quo majorem habet uxorum numerum, sed quos etiam duplicatione excedit, uti nos Digamiam quoque *Polygamiæ* nomine complectimur nemine obloquente. Nulla tandem alia fuit ratio temporum ante-

Digitized by Google

legalium ; quamquam de Patriarchis contrarium judicaſſe deprehendantur Veteres quidam Chriſtiani, uti *Juſtinus*, qui eos *non tanquam fornicantes plures habuiſſe uxores, ſed myſteria & ſacramenta per eos peracta fuiſſe* ſcribit in *Tryphone*; οὐχ ὡς πορνεύοντες πολλὰς ἔχον γυναῖκας οἱ πατριάρχαι ἀλλ' οἰκονομία τις καὶ μυστήρια πάντα δι' αὐτῶν ἀπετελεῖτο. Uti & paulo ante dixerat laudato ſpeciarim Jacobi exemplo ; ὡς οἰκονομίαν τινὸς μεγάλων μυστηρίων ἐν ἑκάστῳ τινὶ πιόντι πράξει ἀπετελοῦντο *&c.* Quem etiam quadantenus ſequitur *Auguſtinus de Nupt. & Concup. Lib.* 1. *Cap.* 8. à Doct. *Seldeno de Jure Nat. & Gent. Lib.* v. *Cap.* 6. laudatus, *prolis multiplicandæ*, non *variandæ voluptatis* rationem ab illis fuiſſe habitam, docens. Sed nec exempla, nec finis multiplicandæ prolis, nec allegoriæ hinc quandoque petitæ, jus probant, quod à prima creatione invariatum manſit. Neque aliud naturam, ut ſubſiſtat Conjugium, requirere, quam *fidem, qua ſe fœmina mari adſtringit ad cohabitationem ſub oculis ſeu cuſtodia mariti*, abſurda *Grotii* theſis eſt, multiplici inſtantia facile convellenda. Cæterum dum Lex Monogamiæ certa eſt ex Moſe, parum nos ſollicitos tenet antediluvianorum praxis, fueritne talis, uti deſcribitur in *Bereshith Rabbah*, & à *Salomone Jarchi*, ut alteram habuerint uxorem prolis gratia, quæ durius tractata veluti vidua lugebat. & alteram ad concubitum, quæ ſterilitatis exhauſto poculo ac meretricio habitu ornata lautiores comedebat dapes. Quæ unicè nituntur detorto loco *Iob.* XXIV. 21. *pavit* vel *depavit ſterilem ne pareret*, vel *quæ non peperit, & vidua non bene fecit*; & ſi non plane fabuloſa, incerta utique ſunt.

Locus creationis Adami & Evæ inquiritur.

XV. Loci & temporis circumſtantiæ in prima creatione hominum expendendæ ſuperſunt. Vana *Iarchii* & aliorum Judæorum traditio eſt, pulverem ex quo creatus Adam eſt collectum fuiſſe à quatuor plagis terræ, ut ubicunque homo moreretur, illum humandum terra reciperet. Vana pariter ſunt, quæ leguntur in *Capitulis R. Eliezer* de vicino portæ Paradiſi monte Moria, in quem Adamum ejecerit Deus, & ubi ex loco domus ſanctuarii primo eum formaverit *Cap.* XX. Quæ traditio, uti ibidem apparet, nititur παραφράσει textus *Gen.* III. 23. *& emiſit eum Jehovah Deus de horto Heden*, לעבד את האדמה אשר לקח משם / *ad colendam terram unde ſumptus erat.* Ubi per cultum terræ non corporalem ad humanos uſus aptationem, ſed ſanctificationem ad Dei cultum intelle-

xiſſe

xisse hujus traditionis Autores videntur. Qui propterea addunt, ibidem loci ædificatum esse Altare, in quo sacrificarunt Adam, Habel, Kajin, Noah, postea quoque illic ligatum Isaacum, exstructum Salomonis templum &c. uti videre licet apud *Hottingerum in Smegmate Orient. Lib.* I. *Cap.* 8. Sed *Hedenem* patrium fuisse solum Adami, ex hoc ejus nomine colligit ineptissime *Diodorus* apud *Theodoretum Quæst.* XXV. ἐδὲμ οἱ μὲν τὸ παράδεισον αὐτὸν λέγεσθαι φασὶν, οἱ δὲ τὸν πάντα, ἐν ᾧ καὶ ὁ παράδεισος ἦν, ὅθεν καὶ ὁ Ἀδὰμ ἐπλάσθη, καὶ Ἀδαμ ἐκ δὲ τοῦ τῆς ἐδὲμ γεγένηται μετωνομάσθη. Ruisus *Agrum Damascenum* post Veteres quosdam & recentiores pariter, in gratiam suæ de Paradisi Situ hypothesios quam antea excussimus, locum creationis Adami statuit Doctissimus *Heideggerus Patr. Hist. Tom.* I. *Exerc.* IV. fœminam cum plurimis aliis in ipso Paradiso creatam asserens, & in utroque hoc capite nixus autoritate *Josephi Lib.* I. *Cap.* 2. apud quem tamen illic nec unum nec alterum deprehendo; imò qui Mulierem non aliter quam ipsum Adamum post creationem in hortum à Deo introductam scribit, εἰς τοῦτον τε τὸν κῆπον εἰσαγαγὼν τὸν τε ἄδαμον καὶ τὴν γυναῖκα &c. De Adamo id certò videtur posse asseri, *ipsum non fuisse plasmatum*, uti habet *Torniellus*, *in Paradiso terrestri*: cum Moses primò eum creatum, dein in horto esse collocatum, dicat *Gen.* II. 7. 8. & cum postea iterum dicatur inde ejectus fuisse ad colendam terram unde sumptus erat *Gen.* III. 23. ἀλλαχοῦ ἔπλασεν καὶ ἐκεῖ ἀφῆκεν, inquit *Basilius Hom.* XXX. *de Parad.* Quin & triduum integrum inter hominis utriusque creationem ejusque in Paradisum introductionem, quam ad Diem mundi refert Decimum, interponit *Doct. Usserius in Annalibus*; quod tamen cum Scripturis non videtur posse conciliari, atque ex annuo *Expiationis* Judaicæ festo ille temere colligit. Sapienter verò Deus ex Terra reliqua in Paradisum transtulit Adamum; ut non tantum minus superbiret, sed & Dei bonitatem clarius in omnibus intueretur, haberetque etiam futuræ in Cœlum translationis symbolum aptissimum. De Eva quid dicendum sit, dubium magis est. Cum *Josepho* extra Paradisum Evam creatam statuente facit *Tertullianus*, *neminem hominum*, *ne ipsum quidem Adamum*, *in Paradiso Dei natum*, sed *illuc potius translatum*, asserens *Lib.* II. *c. Marc. Cap.* 10. Quem tamen Autorem & locum iterum prò contraria sententia allegat *Cel. Heideggerus*, & hunc secutus *Cl. Burmanni*,

nus. Videtur id ex datione præcepti & comminatione ad mulierem extensa, quæ introductionem in Paradisum mox sequitur, colligi, adeo ut ante Evæ creationem per προλαμβανον Moses tum alia quædam præmiserit. Præterea hoc ut assereret, Autoribus fortè persuasit Adami ἔξοχὴ, quæ, si digniori loco creata esset Eva, nimium deprimeretur; ex quo fonte Evam etiam ex terra cum marito creatam alii pessime voluerunt, ne præstantior ejus esset materia, totàm de Evæ formatione ex Costa Adami narrationem ad parabolicum sensum cum *Cajetano* trahentes. Simplicius longe est, filum Mosaicæ narrationis sequi, & post animalium adductionem, quæ occasio fuit, adeoque post Adami in Paradisum introductionem, quin post promulgatum etiam interdictum, hinc non minus tamen Evam obligans, hanc in Paradiso creatam statuere. Quæ communis est *Scholasticorum* sententia, à *Pererio* etiam *Basilii* nomine commendata, & liberata ab exceptione vanissima; *Nisi quis fingat Adamum esse introductum in Paradisum à Deo, sed eum postea vel jussu Dei vel sua sponte exiisse Paradiso, & quo tempore fuit extra Paradisum eo tempore factam esse Evam. Sed hoc merum est ac manifestum figmentum, siquidem tum ex Scriptura tum ex doctrina Patrum colligitur, Adamum postquam introductus est in Paradisum non inde exisse nisi cum est à Deo propter peccatum eo loco ejectus; nimirum nulla ratio Adamum movere poterat, ut tam delicatum amœnum ac felicem locum tam cito deserere vellet.*

Tempus creationis eorundem annectitur.

XVI. Tempus creati Adami Dies est Sextus mundi, quandò reliqua opera jam perfecta erant. Dum fabulosa plane sunt, quæ de pulvere hominis prima horâ congesto, secundâ determinato, tertiâ efformato, quarta animato, quinta super pedes constituto &c. Judæi narrant apud *Eliezerem.* Ratio etiam non una dari potest, ob quam Deus Sexto demum Die hominem condidit. Facilè admittimus *R. Eliezeris* inter Judæos observationem, *ita Deum voluisse, ne aperiret homo os, quasi Deum juvisset in omnibus quæ sunt creata.* Sed & probamus *Philonis* cogitata, qui in hoc capite Dei observat sapientiam & bonitatem. Quandoquidem deprehenditur ipse in corporum omnium productione, quæ scilicet creationem cœli supremi secuta est, ab imperfectioribus ad perfectiora esse progressus; nec prius hominem condidisse, quam omnia affabrè essent facta, quæ ad hominis usum & voluptatem facerent.

Digitized by Google

rent. Eaſdem fere habet rationes *Lactantius Lib. II. Cap. 9.* ubi inter alia ſcribit, *ſanctas literas docere, hominem fuiſſe ultimum Dei opus, & ſic inductum fuiſſe in hunc mundum quaſi in domum jam paratam & inſtructam, illius enim cauſa facta ſunt omnia &c.* & *Ovidii* etiam conſenſum laudat. Dubium nobis non eſt, quin hoc eodem Die Sexto condita fuerit Eva. Quod non modò ex *quiete* Dei colligimus, poſt diem ſextum ſecutâ; ſed etiam ex Moſis narratione, qui ante finitum diem ſextum hominem utrumque creatum, ac benedictionem dominium cibumque eos accepiſſe, docet *Gen.* 1. 27. 31. Qui inſuper omnia tum bona, Divinæque voluntari & gloriæ conformia, fuiſſe ſcribit, quod tamen ante Evam conditam non obtinuit *Gen.* 11. 18. Aliter tamen aliis viſum eſt, & in his Eximio Theologo *Franciſco Burmanno*, qui, *in Synopſi* æque quam in *Commentario* ſuo, *nullam* putat *nos cogere rationem, nec pro magnitudine operum Dei eſſe*, ut illa *in tantas angustias cogamus, illumque in tanti negotii opere atque reliquorum omnium copiæ & faſtigio adeo veluti feſtinantem inducamus*, & judicat *hiſtoriæ ſeriem, & proceſſum in creatione fœminæ obſervatum ſatis evincere, non uno eodemque die hæc peracta eſſe.* Hinc *rectius illud Gen.* 1. 27. *per anticipationem intelligi, ut ſignificetur, quid voluerit Deus ut de homine ſuo tempore fieret, & qualis futurus eſſet, maſculus nempe & fœmina.* Quæ pace Magni Theologi nobis nec probantur nec ſatisfaciunt. Nullum propoſitum rei futuræ, ſed præſentis exſecutionem *Capite Primo* Moſes narrat. Non nos Deum feſtinantem præter decorum inducimus, ſed ſummo ordine res omnes voluntatis ſuæ mero juſſu, per quem momento unico omnia in præſenti ſtatu collocare potuiſſet, producentem apud Moſen, Davidem, & Paulum, reperimus. Et ſi eodem die ſexto omne animantium genus ante hominem ille creavit, quidni & illa ad hominem creatum adducere, & hac occaſione Mulierem Viro jungere ejuſdem ευχρηστίαν ſpatio Deus potuerit? neque enim magis tum die ſexto opera Dei coarctantur, quam reliquis, quibus ſingulis ſtupenda etiam operum magnitudo & multitudo tribuitur. Non eſt tandem hoc Die Sexto Homo tantum creatus Corporis ſed & Animæ reſpectu; quod tenendum contra Judæos, omnes Animas, & quidem conjuges, primo die creatas eſſe, aſſerentes. Quem communem Judæorum errorem, gratis aſſructum *ex Deut.* XXIX. 14. *Iſ.* LVII. 16. *Ier.* 1. 6. *Eccl.* IV. 2. *Iob.* XXXVIII. 21.

ac

ac ex quinquies repetita die primo Lucis mentione, itemque ex *Psal.* CXXXIX. 5. alio jam quam supra sensu accepto, prolixè confutat sua adversus *Menassen* disputatione Doctissimus *Hoornbekius*. Et sufficiunt eadem quæ adversus Judæos proferuntur argumenta, ad refellendam *Origenis* aliorumque Veterum opinionem, à Judæorum illa non admodum diversam, & ex Philosophia Platonicâ haustam, qua Animas hominum in principio Mosaico, vel etiam dudum ante illud, conditas voluerunt, necdum fabricatis corporibus, in quæ postea ut in ergastula ob peccatum hæ detrusæ fuerint. Nec his nec illis favet Moses, quandò Animam vitæ homini inspiratam narrat. Si enim illud de Respirationis intelligatur motu, Animæ ante corporis existentia nullis hinc fidiculis extorqueri potest. Sin verò de ipsa Anima rationali, illa in creatione inspirata, & in inspiratione creata esse credi debet; cum nulla ante ejus sit facta mentio, & non corpus sed homo integer sexto die creatus esse dicatur. Sed de partibus hominis singulis distinctius agendum nunc adhuc est.

CAPUT TERTIUM.

Quo de Corpore Humano, etiam Adami, agitur distinctius.

Transitus ad Humanæ Naturæ declarationem, per loca Jes. XLIII. 21. & Prov. XVI. 4.

Non frustra conditum esse hominem, sed ad specialem Divinæ gloriæ laudem, palam facere potest creationis hujus tum apparatus tum processus, quem modò utrumque contemplati sumus. Non tacet id alibi ipse Deus, ubi tum electos suos se sibi *formasse* testatur, per primam & secundam creationem nempe, ad *narrandam laudem suam Jes.* XLIII. 21. tum etiam *feciſſe* dicitur *impium* cum omnibus aliis, לְמַעֲנוֹ *propter se*, vel *ad responsum suum*, quæ duplex versio idem significare videtur *Prov.* XVI. 4. Quod enim *Grotius* ex Græcis Interpretibus, vertentibus, πάντα τὰ ἔργα ἕ κυρίῳ μὴ δικαιοσύνης, φυλάσσεται ὃ ὁ ἀσεβὴς εἰς ἡμέραν κακὴν, vocem לְמַעֲנֵהוּ transfert *ad id quod singulis convenit*, & posteriorem pericopen de impio, intrusâ nova phrasi, *ordinatus à Deo, (impius decidet vel peribit*, habet etiam *Vatablus,)* supplet, simplicitati phrasios & paræmiæ istius æquè repugnat, ac quod alii de Gubernatione Dei ex-

Digitized by Google

exclusa prima Creatione hic loqui Salomonem, & per diem malum *diem afflictionis populi Dei* intelligere volunt. Res ipsa docet, omnia omnesque Deum olim operatum esse, & operari adhuc, ut respondeant sibi, id est, voluntatis suæ decreto pariter, & illustandæ perfectionum suarum gloriæ; quod in impio quam maximè locum reperit. Non prius etiam omnia fuisse ita bona in oculis Dei, ut in iis acquiescere posset Creator, quam conditus fuit homo, narrat Moses. Cujus rei manifesta hæc est ratio, quod omnia reliqua divinæ laudis argumenta quidem amplissima exhibere, non verò ipsa percipere & prædicare illam possent; Angelis laudes Dei in creatione quidem prædicantibus *Iob.* XXXVIII. 7. sed ad rerum corporearum genus non pertinentibus. Ut inter has id unius hominis sit opus. Οὐδὲ γὰρ ἄλλου τινὸς ἕνεκεν ἐχθὲς, ἢ ἵνα ὄρεσιν ἢ δένδρεσιν ἢ θαλάσσῃ τὴν δίξης δοξασθῇ, καὶ γὰρ ὁ κόσμος ἕτερόν τι ὡσπερ τὴν βιβλίον ἔγγραφόν ἐστι θαυμαζομένου ἢ δοξαζομένου, ἢ δόκιμον καὶ ἀόρατον δοξασθῆναι μεγαλωσύνην αἰτεῖ ἀγγείλαν σοι τῷ τὸν ἔχοντι εἰς κατανόησιν ἀληθείας, *neque enim alium in finem factus es, quam ut esses instrumentum aptum divinæ gloriæ &c.* inquit *Greg. Nyssenus Orat. II. in verba Faciam. Hom.*

II. Liquebit id clare ex consideratione naturæ homini concessæ, quam non simplicem, sed ex duplici diversissima substantia compositam, *animæ & carnis* adeò *temperationem*, secundum *Irenæum Proœm. Lib.* IV. dum deprehendimus, primò Corpus cum animatis & inanimatis ipsi commune, & in omnium sensus incurrens, deinde Animam invisibilem, qua ad Deum & cœlites magis accedit, tum denique utriusque mirabilem Unionem, paucis contemplabimur. Præierunt non modò Philosophi Gentilium, sed & Patres Christiani, inter Græcos præcipuè *Gregorius Nyssenus*, & *Nemesius* Emissenus Episcopus & Philosophus Christianus, cujus tamen *Librum de Naturâ Hominis*, Græce Latineque lectum etiam in *Bibliotheca PP. Tom. XII.* alios ipsi *Nysseno* ob materiæ sortè & ætatis convenientiam tribuere deprehendo, ac ex Latinis *Lactantius in Libro de Dei* seu *Hominis Opificio ad Demetrianum.* Ubi se rei hujus explicationem maximè suscepisse testatur, *quod M. Tullius, vir ingenii singularis, in Quarto de Repub. Libro cum id facere tentasset, nihil prorsus effecisset, & materiam late patentem angustis finibus terminasset, leviter summatimque decerpens &c.* A Corpore cum *Lactantio* initium facimus, *cujus ratio plane obscura non est, quia ex ipsis*

Atque ita nobis primo occurrit Hominis Corpus terrestre.

Digitized by Google

brorum officiis & usibus partium singularum quanta vi providentia quidque factum sit intelligere nobis licet; cujusque creatio Animæ inspirationem præcessit, juxta Mosen, multosque Veterum, inter quos *Chrysostomus Hom.* XII. & XIII. *in Genesin*; quidquid post *Nyssenum de Opificio Hom. Cap.* XXIX. obloquatur *Thomas & Scholasticorum* sequax turba, Deum Animam simul cum Corpore creasse disputans, & quidquid ulterius progressi *Origenistæ* seorsum & ante omne corpus existentium animarum rempublicam finxerint. Nuncupavit hoc *Firmianus vas fictile*, *quo animus id est homo ipse verus continetur*. Sic sane pariter locutus est cum Gentium Sapientibus, homines πλάσματα πηλοῦ vocantibus, uti est apud *Aristophanem in Avibus*, & cum Scriptura, quæ etiam *vasorum fictilium* meminit, perinde ut alibi *ἱμάτιον εἰλὸς & σκώληξ*, *pulveris*, *figmenti &c.* 2 *Cor.* IV. 7. v. 1. *Psal.* CIII. 14. *Jes.* LXIV. 8. *&c.* Nec frustra, cum per has appellationes & corporeæ naturæ contemplationem hanc discere possit homo suam & dependentiam & fragilitatem, atque divinam simul gratiam, per quam, uti unus ab altero, ita omnes pariter à reliquis creaturis substantiæ non ignobilioris discernantur. Quæ illius sunt extensionis, ut in ipsâ mox creatione locum habeant, quandò gratia naturæ neutiquam fuit opposita, & jugem dependentiæ agnitionem exegit Deus, & vi sustentantis gratiæ atque divini promissi, quousque obediret, immortalis homo corpus tamen possidebat terrestre, hinc in se mortale atque corruptibile. Quò nos ducit, tum subsecuta ad peccatum corruptio, tum sententia à Deo lata *Gen.* III. 19. *pulvis es & in pulverem reverteris*, tum ciborum usus, in futura immortalitate omnino cessaturus 1 *Cor.* VI. 13.

Ejus præstantia in aliquibus monstratur capitibus.

III. Verum *Vasis fictilis*, *σκέυους ὀστρακίνου* apud *Nyssenum*, simile nos præter materiam etiam Structuræ jubet lustrare elegantiam & artificium stupendum; in quo multa quidem cum animantibus reliquis communia, multa tamen etiam singularia habet homo, & in quo explicando nulla hactenus Anatomicorum suffecit industria. Ut desperatæ nos hic deceant *Nysseni* voces; *ἐὰν βουληθῶμεν εἰπεῖν περὶ μέσων εἰς ἡμᾶς ἐκ θεοῦ χορηγιῶν, θαλείψει ἡμᾶς ἡ ἡμέρα ἀπαύστως, si de singulis dicere velimus, quæ à Deo in nobis facta sunt, deficiet nos dies universus.* Incurrit sane in omnium oculos *Structura Erecta*, de qua post *Ciceronem*, *Nasonem*, alios, cecinit *Boëtius Lib.* V. *de Cons. Phil. Metr.* 5.

Uni-

Digitized by Google

Unica gens hominum celsum levat altius cacumen,
Atque levis rectoſtat corpore, deſpicitque terras.

Et quæ homini ſoli vel ex nomine ἀνθρώπου videtur eſſe propria, quamquam ex *Galeno* objectet *Voſſius Lib.* III. *de Orig. Idol. Cap.* 41. Piſcis ejus figuram, qui ὑψικοσμῶ dicitur ſeu *cœli ſpeculator* apud *Athenæum*, imò & *Aves, quæ collo oblongo & ſurſum & quaquaverſum omnia commodius homine intuentur*; unde concludit ille, *non tam ob operationis ſenſus quam rationis* nomen ἀνθρώπου fluxiſſe. Quidquid certe avium aut piſcium oculi quodammodò cœlum reſpiciant, ſitus tamen corporis univerſus non ita cœlum verſus erectus eſt. Præter ſtaturam mira eſt *Faciei* & reliquorum *Membrorum* elegantia; quæ multiplici hominum varietate haud parum augetur. Differt in eo etiam à figmento figuli, aut ære ſtatuarii, humanum corpus, uti meritò obſervavit *Nyſſenus*, quod non extrinſecus tantum ſpeciem præferat, ſed & illius *Partes Intus Formatæ* atque diſtinctæ ſint; ita *ut ex officiis membrorum, & uſibus partium ſingularum, quantâ vi providentia quiſque factus ſit, intelligere nobis liceat*, ſecundum *Lactantium*. Accedit ille non modò partium internarum inter ſe ſed & cum externis nexus, qui in Senſuum ſtupenda functione, & mirabili Loquelæ uſu, inprimis conſpicitur. Quibus omnibus conſideratis vileſcere debet μικροκόσμου ſeu *mundi minoris* nomen, quo hominem inprimis ob quatuor elementorum commixtionem expreſſerunt *Manilius*, *Firmicus*, *Chalcidius*, *Olympiodorus*, *Arnobius*, aliique plures.

IV. *Tulliano* dicendi genere quiſquis hæc diducta legere volet, laudatum *Lactantii* evolvat librum, in quo de partibus communiter, tum de oculis, auribus, lingua, inteſtinis &c. diſſerit; ut non neceſſe ſit hic cum *Richeomo*, *Saliano*, aliiſve, novam inſtituere declamationem. Idem præter *Lactantium & Nyſſenum* occupavit Antiquus *Recognitionum Auctor*, vulgo ſed gratis *Clementi Romano* tributarum *Lib.* VIII. Ex quo quædam Latinè ſubjicere licebit; *Vide*, inquit, *in corpore hominis artificis opus, quomodò oſſa, velut columnas quaſdam, quibus caro ſuſtentetur & portetur inſernit, tum deinde æqualis ex utraque parte, id eſt, dextera ac læva, menſura ſervetur, ut congruat pes pedi, & manus manui, digiti quoque digitis, ut ſinguli ad ſingulos tota æqualitate concordent, ſed & oculus oculo, auris auri, qua non ſolum ſibi conſona*

Eademque ex Recognitionibus exhibetur latius.

& concordantia, ſed & uſibus neceſſariis apta formantur. Manus quidem, ut operi commodæ ſint, pedes ut greſſui, oculi ut viſibus ſerviant, ſuperciliorum excubiis cuſtoditi, aures ad audiendum ita formatæ, ut cymbalo ſimiles, ſuſcepti verbi repercuſſum ſonitum altius reddant & uſque ad ſenſum cordis emittant. Lingua autem ad loquendum illiſa dentibus plectri reddat officium: ipſi vero dentes, alii ut incidant & dividant cibos & interioribus tradant, interiores verò ut in modum molæ conficiant & comminuant, quò oportunius ſtomacho traditi coquantur, unde & molares appellati ſunt. Sed & nares commeandi flatus, & reddendi ac recipiendi gratia factæ ſunt, ut innovatione ſpiritus calor naturalis, qui ex corde eſt, vel accendi, vel refrigerari, cum res poposcerit, queat pulmonis officio, qui pectori inhæredatus eſt, ut mollitie ſua palpet & foveat cordis vigorem, in quo videtur vita conſiſtere, vita dico, non anima. Nam quid dicam de ſubſtantia ſanguinis, quam velut fluvius ex fonte procedens ex uno prius alveo invectus, tum deinde per innumeras venas quaſi per areas derivatus, totam humani corporis terram vitalibus rigat fluentis, jecoris ope miniſtratus: quod ad efficaciam digeſtionis ciborum atque in ſanguinem mutandorum in dextero latere jacet.

Utlà David de per Opus Phrygionicum exprimitur.

V. Audiri vero in exponendâ humani corporis elegantia ſupra reliquos debent David & Salomon, viri à Spiritu Dei acti. Ille ad laudes Domini ſe fert incitatum intuitu mirandæ ſuæ generationis; ſuique corporis ſtructuram non modò communius conſiderat, ut ſtupendum divinæ potentiæ *miraculum Pſal.* CXXXIX. 14. 15. ſed & ſpeciatim ut רקמה / *πέκιλμα, opus polymitum, plumatum, acupictum, Phrygium* vel *Phrygionicum*, ſive *Babylonicum*, quæ varia ſunt nomina apud Interpretes Græcos, & Latinos, aliosque Scriptores reperta. Norant verò omnia artificioſiſſimum operis genus, quod *acu facere Phryges invenerunt*, ſecundum *Plinium Lib.* VIII. *Cap.* 48. quodque multas rerum variarum imagines variatis etiam colobis exhibet. Unde inter pretioſiſſima Sacerdotis, Templi, Idolorum, & Eccleſiæ, ornamenta reperitur *Exod.* XXVIII. 39. XXVI. 6?. *Ezech.* XVI. 18. 10. 13. *Pſal.* XLV. 15. *&c.* atque cum רקם / *Phrygione*, jungitur חושב / *artificioſus inventor Exod.* XXXV. 35. ſive plane eundem notet, ſive generalius hoc ſit nomen, ſive ad texturam referatur, ſive hujus opus figuram habeat ab utraque telæ parte, vel eandem vel etiam diverſam. Hoc enim dum ob pugnan-

gnantes *Talmudiſtarum*, *Maimonidis*, *Aben-Ezræ*, *Iarchii*, *&c.* traditiones incertum eſt, dubitari non poteſt, quin vocum conjunctio ſimilitudinem artificii certiſſimè arguat. Similitudinem verò Operis Phrygionici cum humano corpore rectè perſecutus eſt *Kimchius in Radicibus*, nervos, oſſa, carnem, & cutem memorans, ex quibus illud artificioſiſſime compingitur.

VI. Ita breviter ſed nervoſe dixit David, quod pluribus perſequitur Eccleſiaſtes *Cap.* XII. Ubi gravia ſenectutis numerans incommoda, præſtantiam ſimul membrorum humani corporis per egregia depingit ſimilia. Quorum initium quidam repetunt à *Verſu Secundo*, ubi per *ſolem*, *lucem*, *auroræ* & crepuſculi illam intelligit *Aben-Ezra*,) *lunam*, *& ſtellas*, ſive mentis acumen & perſpicacitatem, ſive faciei hilaritatem, ſive oculos, depingi tum volunt. Cum tamen contextus potius fortè ſuadeat, priorem æquè ac poſteriorem hujus verſus partem parœmialiter accipere, de perpetuis graviſſimiſque malis, quibus ſenectus premitur, hinc *pejor ætatis pars Lucretio Lib.* II. & *mala ætas* non modò *Plauto in Menæchmis*, ſed & Salomoni ipſi proximè dicta. *Verſu* ergo *Tertio* ſub nomine *Cuſtodum*, quibus integri corporis ut *domus* defenſio atque vigilia credita eſt, veniunt, nec oculi, nec caput, nec coſtæ, nec genua, ſed, ut rectè *Aben-Ezra*, Brachia, atque Manus, quas ὅπλα ἀμυντήρια, *arma defenſoria*, *Galenus* ipſe vocavit. *Viri robuſti* ſunt non brachia, ſed Crura, Poplites, Coxendices, Atlantum inſtar corpus ſuſtentantes, atque hinc ut fortitudinis ſedes etiam conſideratæ *Pſal.* CXLVII. 10. *Molitrices* Dentes ſunt, quidam etiam Latinis *molares*, Græcis μύλοι, μύλαι, μυλίτιν ἐδόντες dicti, qui imminuti ceſſant, ubi juxta *Juvenalem*, *frangendus miſero gingiva panis inermi eſt.* *Feneſtræ* ſunt Palpebrarum, ſive Ciliorum, ſive Genarum Intervalla, per quæ Oculi ut ſpectatores proſpiciunt. *Valvæ exteriores* ſunt Labia, per quæ ſonus exit, ex collatione *valvarum faciei* Leviathani adſcriptarum *Iob.* XLI. 5. vel etiam Aures, per quas idem recipitur. Cætera, quæ ſequuntur ad *Verſum* uſque *Sextum*, dubito an ad humani corporis partes ſingulares ſint referenda, an verò potius ſenectutis moleſtiam ſimpliciter contineant; niſi fortè membra pudenda, perinde ut generationis humanæ rationem in ſequentibus, hic obſcuris vocibus notari cum aliis ſit exiſtimandum. Claudit rem omnem eleganti Fontis & Utenſilium huc pertinentium ſimilitudine, in quâ ad humani

Textus Eccleſiaſtæ, quo Corporis humani deſcriptio legitur, breviter quoque illuſtratur.

mani Corporis varias partes applicandâ admodum variare deprehendo Eruditos. Dum per *Funem Argenteum*, vel vim nutritivæ facultatis, vel medullam dorsi, vel arterias, vel nervos *&c.* per *Phialam* sive Situlam *Auream*, vel membranam cerebri, vel cerebrum, vel sanguinem in corde scaturientem, vel cranium, vel bilem, vel venas & arterias &c. per *Hydriam*, vel cistam fellis, vel sanguinis conceptacula jecori proxima, vel vesicam, vel membra à venis delatum liquorem excipientia, vel hepar *&c.* per *Scatebram*, vel hepar, vel cor, vel membrum genitale, vel ventrem inferiorem *&c.* per *Rotam*, vel pulmones, vel cranium, vel caput, vel alvum, vel cor *&c.* per *Puteum* sive Cisternam denique, vel hepar, vel cor, vel corpus universum *&c.* intelligunt. Unde ad integrum hunc versum ingenuè *Castalio*; *Hæc quatuor ego non intelligo.* Placet ingeniosa *Diodati* annotatio; *Similitudo est*, inquit, *à puteis accepta, ad designandam generalem œconomiam & fabricam corporis, per quam si in integro & debito temperamento conservetur, haurit & trahit vitam ab anima, quæ illius est velut abscondita scaturigo. Epitheta argentei & aurei*, addit, *verisimiliter nihil denotant, nisi excellentiam organorum corporis.* Sane uti non possum probare *Tremellii & Iunii* exegesin, qui ad ornamenta corporis externa, argentea & aurea, & externas vitæ commoditates, synecdochicè hæc omnia referunt; ita nimis mihi hactenus incertum videtur, ad membra singula singulas similitudinis partes transferre. Nec in parabolis aut similitudinibus singularum vocum significationem anxiè semper esse inquirendam, quarum multæ ad decus non ad scopum faciunt, sed acquiescendum sæpè in generali intentione, Christianorum pariter & Judæorum est observatio, *Chrysostomi* etiam *Homil.* LXV. *in Matt.* XX. *& Maimonidis in Præf. Moreh Nebochim.* Vide amplius, quæ de hoc textu docte atque eleganter scripsit Clar. Collega *Herm. Witsius Exerc. Misc. VI. Part. II.* qui ista scriptione sua effecit, ut nunc quidem in hunc locum prolixius præter institutum nostrum excurrere minime cogamur.

Objectiones adversus humani corporis præstantiam in solvuntur breviter.

VII. Antiquæ & vulgares adversus humani corporis perfectiones sunt objectiones, quas habet *Greg. Nyssenus de Hom. Opif. Cap.* VII. *Cur non corpori quasi congenitæ sunt quædam ad tuendam vitam necessariæ vires? imparatus adeò ab omnibus naturæ præsidiis, inermis, pauper, omnium ad usus vitæ necessariorum egens creatur, di-*

Digitized by Google

dignior commiseratione, uti quidem apparebat, quam qui beatus prædicaretur. Non cornuum munitione armatur, non ungnium acumine, non dentibus, non unguis, non aculeo venenato, cujusmodi rebus instructa pleraque animalia vim ledentium se propulsare videmus. Ne pilis quidem corpus tegitur &c. Similia plane habet *Lactantius Cap.* III. & IV. hinc naturam *humani generis novercam* à quibusdam dictam esse annotans. Scilicet est hoc illud *Homericum Iliad.* XVII.

Οὐ μὲν γὰ πάντ ἐστὶν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς,
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἔπὶ πνείῃ τε καὶ ἕρπει.
Non enim quicquam est arumnosius homine,
Omnium quæ super terram spirantque & serpunt.

Sed egregia sunt, quæ reposuerunt Patres hi laudati. Hominem non esse creatum ferum aut crudelem, qui sævitiæ instrumentis opus haberet. Constitutum eum esse omnium Dominum, ut sua sponte se subjectura forent indito quodam terrore animalia potentissima. Si omnia quæ ad corporis sui faciunt commoditatem possedisset homo, maximam partem dominium inutile futurum fuisse. Naturæ imbecillitatem ad rationis usum dispositio corpore ita esse compensatam, ut nemo cum robustissimo animali conditionem suam mutare optet; imò ut aliunde humana id colligat industria, quod naturæ in animantibus providentiam longè sæpè superet. Animantia etiam multa in ortu esse imbecillia, uti aves, quæ bis nascuntur, & in secundâ nativitate adhuc tam sunt infirmæ, ut volandi pariter & ambulandi usu careant, & quæsitis per laborem cibis à parentibus sint nutriendæ. Eam fuisse primum humani corporis elegantiam, quæ nullis esset tegumentis velanda. Ad quæ omnia inprimis Peccatum addi debet, per quod morti, & fragilitati, & sordidis exuviarum indumentis, homo est subjectus.

De Ætate & Mole Corporis Adami in prima ejus Creatione agitur.

VIII. Pertinet ad hunc locum quæstio de Corporis Magnitudine, quæ primis parentibus recens à Deo creatis sit adscribenda. Ubi non tantum cum *Augustino* videtur esse supponendum, illi qui per ordinariam temporum moram vinum producit ex vite, & illud in Cana Galileæ puncto temporis produxit ex aqua, facile fuisse, hominem, quem longo tempore format in utero, & eductum longiore etiam ad perfectionem ætatis adducit, in ætate perfecta è terra producere *Lib.* VI. *de Gen. ad lit. Cap.* 13. Sed

&

& amplius pro certò est habendum, hanc potentiam suam in hominis perinde uti animantium creatione exercuisse Deum ; cum multiplicatio generis mox mandata, dominium homini in omnia concessum, fœderis erectio, itemque divinorum operum perfectio, Ætatis Adultæ magnitudinem exigant. Sed sic iterum inquirunt *Scholastici*, an ætas adolescens, vel juvenilis, vel virilis, an annorum circiter triginta, an quinquaginta, an major, illi sit tribuenda ; pugnantibus quibusdam pro ea, quâ ex mortuis surrexit Salvator, aliis prò quinquagenaria, quod *ex comparatione totius vitæ nongentesimum annum supergressæ juvenilis ætas non prius homini tum contingere potuerit*, & quod sic reliquis omnibus, ipso adeo Methusalem, longius vixerit Adam, uti decens esse videtur, atque hanc sententiam in eum modum urget *Ben. Pererius*. Scilicet ita subtilibus vanisque conjecturis qualiscunque quæstionis hujus nititur determinatio ; dum Ætate Adulta creatum esse Adamum credere sufficit ad Mosaici textus veritatem & intelligentiam. Verum & sic in molem corporis videtur esse inquirendum, an ea Ordinaria, qualis hodiè esse solet, an verò Gigantea fuerit. Observant *Pererius*, *Torniellus*, *à Lapide*, aliique Scriptores, *Iohannem Lucidum* Adamo giganteam corporis proceritatem adscripsisse. Sed non est illa unius hujus hominis sententia, cum ab iis antiquitus fuerit agnita, qui, uti observavit *Bar Cepha*, asseruerunt ab Adamo ex Paradiso ejecto pedibus Oceanum vadatum esse. Imo fuisse hanc olim passivam opinionem, observant Eruditi, ducente huc quoque Scriptore Apocrypho 4. *Hezr.* v. 52. 53. *&c.* ubi ex communis matris terræ senio minor hominum statura præ natis in ejus juventute deducitur. Quamquam dubitem, an huc propriè faciant, quæ *Cel. Heideggerus*, ipse rem omnem in *medio relinquens*, ex *Talmude* adduxit de Adamo creato מסוף השלם ועד סופו *a fine mundi ad finem ejus* ; itemque ex *Philone Lib. de M. Opif.* ubi τὰς ἐν ἀμφοτέροις ὑπερβάσεις *in utraque parte excellentiam* homini primo adscribit, ipso interprete, non tam de magnitudine quam de præstantia & pulchritudine intelligendam. Opinio hæc nititur ; partim naturæ primum creatæ vigore, collato cum præsenti senectutis & debilitatis statu ; partim, uti ex superioribus patet, impossibili alias ex orbe alio in nostrum transitu ; partim loco *Iosue* XIV. 15. Ubi apud *Vulgatum* Interpretem ita legitur ; *nomen Hebron antea vocabatur Cariath Arbe, Adam maximus inter*

ter Enacim ibi situs est. Cùm quo loco primum conferri solet *Num.* XIII. 32. 33. ut inde pateat *Enacim* in Scriptura esse אנשי מדות / ἄνδρας ὑπερμήκεις, uti habent LXX. seu *homines proceræ admodum staturæ*, uti scribit *Vatablus*. Deinde antiqua traditio de Adamo in Hebron sepulto, quam habet *Hieronymus in Matt.* XXVII. & quæ ex antiquo loci nomine קרית ארבע / videtur confirmari, id siquidem exponunt Judæi τετράπολιν, ob sepultos ibi quaternos conjuges, Adamum & Evam, Abrahamum & Saram, Isaacum & Rebeccam, Jacobum & Leam; uti videre licet *in Capit. R. Eliezer XX.*

IX. Quânquam autem me hic *Doctissimo Heideggero* opponere nolim, dum scribit *rationem non abnuere Adamum aliosque primos homines exuberare potuisse, & deinde ad modum certum venire, à natura præscriptum, intra quem starent*; id tamen ita contigisse præter historiam credi non potest. Quæ dum omnia initio valdè bona facta fuisse dicit, non monstrosa magnitudo magis quam forma, sed ordinaria, primis parentibus est adscribenda. In primis cum generationem פ ופילים post multiplicatum humanum genus demum Moses ponat *Gen.* VI. 1. 4. Qua voce notari homines violentos, ὑβριστὰς, καὶ πάντως ὑπερόφρυας καλῶ, *contumeliosos & omne honestum despicientes*, libenter utique *Josepho* damus, sed ita ut simul cum *Josepho* adjiciamus τῶν ἐν τῇ δυνάμει πεποίθησιν *roboris sui fiduciam*, quæ corporis proceritatem supponit. Hanc sane vox hæc simul notare deprehenditur, tum ex descriptione Mosaica subjecta, quando הגברים & אנשי השם / *robusti* & *viri nominis* vocantur, tum ex loco *Num.* XIII. 33. 34. ubi iidem sunt *Nephilim*, qui *filii Hanak*, *& viri mensurarum*, in oppositione ad homines alios ut locustas, tum ex Doctissimorum Interpretum consensu. Quemadmodum *Iarchius* eos vocat *Hanakim*, Græci Interpretes cum *Baructho & Siracide* γίγαντας, *Theodoretus* παμμεγέθους ἀνθρώπους, *Chrysostomus* ἥρωας ἐυμήκεις: & *Nephilim* eos dictos observat *Aben-Ezra*, שיעול לב הרואה אותם שתכה מגבה קומתם / *quod concideret cor videntis eos, præ admiratione altitudinis staturæ eorum.* Quamquam ad originem veram forte propius accedant *Aquila*, qui ἐπιπίπτοντας, & *Symmachus*, qui βιαίους reddit; nec lateat aliorum dissensus, quibus præiisse videtur *Philo*, Nephilim ἀνθρώπους τῆς γῆς reddens *Lib. de Gigantibus.* Si ergò longe post creatum Adamum, multiplicatâ simul & posteritate & impietate, Gi-

Non esse Giganteam corporis molem Adamo tribuendam, monstratur.

Digitized by Google

gantes demum extiterint, talis non fuit ipse Adam. Facilis etiam est eorum quæ objiciuntur solutio. Ad Naturæ primum creatæ quod attinet Vigorem, ex eo quidem perfectum licet inferre hominis robur, neutiquam vero monstrosam & prò elapsorum seculorum numero incredibilem magnitudinem; cum experientia plurimorum annorum & seculorum abunde confutet id quod cum Scriptore Apocrypho accipit, & quidem ex *Plinio*, *homine doctissimo*, *Augustinus*, *quantò magis magisque præterit seculi excursus*, *minora corpora naturam ferre*, atque hinc *magnitudines corporum longe ampliores fuisse quam nunc sunt Lib.* XV. *de Civ. D. Cap.* 9. De confecto Situ Paradisi ultro Oceanum suo loco est à nobis sufficienter dictum.

Textus Josuæ objectus declaratur, & Vulgatus Interpres redarguitur.

X. Apud *Iosuam* verò Hebræi textus consideratio necessaria est, in quo sic legitur; *Nomen Hebron antea erat Kirjath Arbah*, האדם הגדול בענקים הוא / quæ æque male *Graci* transtulerunt, μητρόπολις τῶν ἐνακειμ αὕτη, quam *Vulgatus*, *Adam maximus inter Enacim ibi situs est*; tripliciter sic peccans, additione, omissione, & mutatione, uti observavit *Doctiss. Ammama in Antibarbaro.* Non est quippe in Hebræo quidquam, quod respondeat vocibus illis *situs est*; unde sua sponte concidit traditio illa, sepultum in Hebrone esse Adamum, ab *Hieronymo* ex hoc loco hausta, & alteri, quam æquè incertam plurimi accepere Patres, de sepulchro Adami in monte Calvariæ, haud parum adversa. Estque merus Judæorum lusus in voce ארבע / quaternos conjuges in Hebrone esse sepultos; ubi præter Abrahamum & Isaacum, Jacobum quoque cum filiis, uno Josepho excepto, humatos esse, post Mosen *Gen.* XLIX. 31. L. 13. *& Iosephum Lib.* II. *Antiq. Cap.* 4. Stephanus testatur *Act.* VII. 16. Ejus & generis sunt, quæ de ratione nominis *Karjath-Arbah* addit ex *Bereshith Rabbah Doct. Masius in Commentario*, quatuor ibi Viros pios olim habitasse, Aner, Escol, Mamre, & Abraham, eos ibidem circumcisos, inde Abrahamum quatuor Reges insecutum &c. Quibus missis, indubium est, sic ab *Arbah* quodam fuisse locum dictum, qui *pater Henak* dicitur *Ios.* XV. 13. & ab aliis hoc prior, ab aliis ipse Henakus, quartus scilicet, si cum tribus filiis, *Sesai*, *Ahiman*, *& Talmai*, jungatur, & ab his urbis conditor, ab aliis per plures annos ejus dominus creditur. Est amplius à *Vulgato* prætermissum demonstrativum הוא / quod subjectum orationis hic omninò con-

Digitized by Google

ſtituere debet, & ad illum, cujus proximè mentio facta fuerat, nos revocat, uti *Gen.* x. 9. *Num.* xxvi. 9. *Hexr.* vii. 6. *&c.* Unde illorum etiam convincitur error, qui de *Abrahamo* hoc orationis membrum intellexerunt, quod agere Judæos in *Midrash Cantici Salomonis*, obſervant *Lyranus*, *Maſius*, aliique. Atque ſic peccaſſe *Vulgatum* tandem apparet mutatione nominis appellativi in proprium: eſſe enim Adami vocem hic communem, ſenſumque adeò, *Arbah fuiſſe hominem magnum inter Henakim*, ex ſimplici textus intuitu conſentiunt *Joh. Benedictus*, *Vatablus*, *Maſius*, *Pererius*, *Cajetanus*, *Toletus*, *Torniellus*, *Grotius &c.* Addunt amplius, *Pererius* maximè & *Torniellus*, ſi de Adamo intelligatur textus, nondum neceſſum eſſe, ut magnitudo ad ſtaturam corporis referatur, ſed eam ad dignitatem referri commodè poſſe, ob prærogativam tum originis quam à Deo accepit, tum ſingularium munerum & beneficiorum quibus cumulatus fuit. Uti hunc fere in ſenſum de ipſo Arbah exponunt multi textum, ipſum non fuiſſe neceſſariò maximum corporis proceritate, *ſed vel nominis celebritate & rerum geſtarum gloria, vel principatus amplitudine, potentia, aut diuturnitate, vel denique quod illius urbis conditor, aut gentis Enacinorum ſator & parens fuerit.*

CAPUT QUARTUM.

Quo de Anima hominis, ejuſque Unione cum Corpore, porro agitur.

DE Animâ nunc agendum eſt Rationali, quam homini, ſoli quoque præ omnibus animantibus, ineſſe conſcientia unicuique dictat, per quam ad divinæ laudis præconium demum idoneus conſtituitur, & de qua non Philoſophicè adeo quam Theologicè, nec pro materiæ dignitate ſed prò anguſtis Academicæ Diſputationis limitibus dicemus, viam modo ad hiſtoriam hominis ſic nobis paraturi. Præter impropria *Cordis & Renum* vocabula, per quæ, etiam quod intus abdita hæc lateant, latentem & in homine poſitam Jehovæ lucernam denotant ſæpe, habent Hebræi tria in primis nomina, נפש / & נשמה / & רוח / ad exprimendam hanc hominis

Animæ Rationalis Nomina declarantur breviter.

Digitized by Google

partem. Sed hæc, ut à *ſpirando* omnia dicta, niſi mediam vocem cum *Aben Ezra* quis à שמים / *cœlis*, deducere mavelit, parum Animæ Eſſentiam explicare videntur, atque ita latè de *vita*, *homine* integro, *reſpiratione*, *cadavere*, *vento*, *angelis &c.* uſurpantur, ut ex textuum circumſtantiis præſens vocis uſus tantum colligi poſſit. Animam plures intelligunt etiam Interpretes in voce שכוי / ubi illi *intelligentia* vel *prudentia data* dicitur apud *Iobum Cap.* XXXVIII. 36. ſecuti *Targum*, quod לשכוי reddit ללבא / & præter alios Magiſtros *Aben Ezram & Kimchium*, quorum poſterior in *Libro Radicum* notat, *ſic cor vocari, quia ſpeculatur & conſiderat omnia.* Notum interim eſt, vel ex ipſo *Kimchio*, Magiſtros alios & Talmudicos Doctores, quos ſequitur *Hieronymus*, hic *gallum* intellexiſſe, cui juxta Judæorum formulam *intelligentia data eſt, ad diſcernendum inter diem & noctem*; dum *Symmachus* reddidit, τὶς ἔδωκε μεμαθημένῳ ἔννοιαν, & LXX. ποικιλτικῷ ἐπιστήμην, *variegandi ſcientiam*, reſpicientes indubiè ad ſignificationem vocum שכוי & משכית *Ieſ.* II. 16. *Lev.* XXVI. 1. In Græcis vocibus ψυχὴ & πνῦμα idem ferè obtinet, quod in Hebræis. Habent hi alia nomina νοῦς, φρενὸς, μνήμη, quæ iterum mirè ſunt homonyma, & non modò Animam, ſed & *ſenſum*, *rationem*, *intellectum*, *aſtutiam*, *animi motum*, *iram &c.* notant. Latini *Menten* dicunt, vocemque vel ab *eminendo*, aut *meminiſſe*, cum *Iſidoro*, vel à *movendo*, quod notat *Scaliger* nec improbat magnoperè *Martinius*, vel à *metiendo*, cum *Cuſano*, vel à μάντις cum *Nunneſio*, vel à μηνύω, cum *Iul. Caſ. Scaligero*, vel ἀπὸ τῆ μήνης, quod notat *Fungerus*, vel ἀπὸ τῆ μνήμη cum *Ioſ. Scaligero* ducunt. Sunt ipſis etiam familiaria *Spiritus*, *Anima*, & *Animi*, vocabula; quæ duo poſtrema ita diſtinguunt quandoque ex *Nonio*, *Varrone*, *Lactantio*, *Iſidoro*, *&c.* ut ultimum hoc maſculinum rationalem ſpiritum præcipuè notet. Nihil interim familiarius eſt, quam hunc nomine *Animæ* venire, & quidem *Rationalis*, ad diſtinctionem à *Vegetativa* & *Senſitiva*, quæ plantis & brutis tribuitur. De qua appellatione eleganter diſſerit *Greg. Nyſſenus Cap.* XV. Τῆς ψυχῆς ἐν τῷ ἰσχεῖν τε καὶ λογικῷ τὸ τέλειον ἔχούσης, πᾶν ὃ μὴ τοῦτό ἐστιν ὁμώνυμον μὲν εἶναι δύναται τῇ ψυχῇ, ὡ μὲν καὶ ὄντως ψυχὴ, ἀλλὰ τὶς ἐνέργεια ζωτικὴ, τῇ τῆ ψυχῆς κλήσει συγκεκλημένη. *Cum Animæ natura ſit intellectualis & rationalis, omne quod tale non eſt ſimile quidem Animæ nomen habere poteſt, Anima vero non eſt, ſed vis aut efficacia vitalis, Animæ ap-*

appellatione illi comparata. Cur verò apud Hebræos Græcos & Latinos pariter à *flatu* potior hominis pars nomen trahat, rationem dare videtur *Tertullianus*. quod illam *non ex materia sed Dei flatu* initio acceperimus *Cap.* III. *de Anima.* Quamquam non male simul dici possit, à præsentiæ ejus externo signo respiratione, aut ex invisibili ejus natura, aut aliunde id fluxisse potius, quam ex præjudicio quodam de Anima tenue aliquod corpusculum referente per suam naturam.

II. Difficulter Animæ Essentiam à nobis cognosci, communis fere Veterum est observatio, cum *Lactantio*, qui *Mentis rationem incomprehensibilem* iis omnibus esse qui illam habent, nec *rationem & naturam ejus percipi posse*, scribit *de Opif. Dei Cap.* XVI. *&* XVII. Et cum *Nysseno*, qui sic infit *de Opif. Hom. Cap.* XI. Τίς ἔγνω νῦν κυρίου, φησὶν ὁ Ἀπόστολος, ἐγὼ δὲ ποῖος τοῦτό φημι, τίς δὲ ἶδεν νῦν καταύησεν; *quis cognovit mentem Domini, inquit Apostolus, ego vero præterea dico, quis propriam mentem intellexit?* Quem ad modum suam fateri ignorantiam præstat indubiè, quam temere & confidenter tamen de perfectâ & clarâ animæ suæ cognitione gloriari. Variantes Philosophorum opiniones præter alios *Cicero* recenset *Lib.* I. *Tusc. Quæst.* quorum alii animum esse cor, alii cum *Empedocle* esse cordi circumfusum sanguinem, alii partem quandam cerebri, alii cum *Zenone Stoico* ignem, alii cum *Aristoxeno* corporis harmoniam, alii cum *Democrito* levium & rotundorum corpusculorum concursum, alii cum *Pherecrate* nomen inane, alii cum *Aristotele* quintam quandam naturam dixerunt. Quibus subjicit *Tullius*; *Harum sententiarum quæ vera sit, Deus aliquis viderit, quæ verisimillima, magna quæstio est.* Tam magna uti inter Philosophos Gentiles est dissensio, ita nec in explicanda ejus natura Christiani planè convenire videntur, quod ex propriâ ignorantiæ confessione clarum est. Non defuerunt inter hos etiam, qui Animam Corpoream esse multis contenderunt. Inter quos *Hilarius*, magnus Nicænæ fidei contra *Arianos* assertor *Can.* V. *in Matth.* sic scribens; *Nihil est, quod non in substantia sua & creatione corporeum sit, & omnium sive in cœlo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium, elementa formata sunt. Nam & animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur, quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est.* Hæc verba & similia *Cassiani*,

De Animæ Essentia plurimorum incertitudo, & error eorum omnium qui Corpoream illam putarunt, inter quos Tertullianus.

ni, *Bedæ*, aliorumque, si ex collatione alibi occurrentium dictorum sensum non incommodum fortè adhuc accipere possent; excusari tamen nullo modo potest *Tertullianus*, qui uti passim, in ipso etiam *Apologetico*, ita maximè integro *de Anima Libro*, docet, Animam esse corpus, tribuendam illi corpulentiam, propriè non esse spiritum, non esse absolutè & universaliter sed tantum carni ut noctuæ invisibilem, esse eam coloris aërii & lucidi, habere similiter effigiem ejus corporis, quod unaquæque circumtulit, & oculos, & aures, ut hominem interiorem, &c. Quæ omnia firmat ex consensu plurium Philosophorum, ex unione Animæ cum corpore, ex similibus Animæ Notis in parentibus & liberis, ex passionum inter Animam & Corpus communicatione, ex ecstatica fœminæ Enthusiasticæ revelatione, ex animarum Lazari & Diviris apud inferos historia, ex visis à Johanne Martyrum Animabus &c. Conatur porrò etiam solvere argumenta objecta à *Platonicis*, petitaque ab insensibilibus animæ qualitatibus, ab alimento spirituali, à cadaverum majori gravitate, & quæ sunt alia similia. Unde de *Tertulliani* sententia dubitare heic non licet, quam inter Veteres prolixe etiam notavit *Augustinus Lib.* x. *de Gen. ad lit. Capp. ult. & Hæresi* LXXXVI. ubi tamen *Septimium* excusat in adscripto Deo Corpore Ineffigiato, ac si per hoc nihil aliud voluisset, quam hunc *non esse nihil, non esse inanitatem, non esse corporis vel animæ qualitatem, sed ubique totum &c.* Ac insuper adjicit, neque ob illam de Anima sententiam, sed ob transitum ad Cataphryges, *factum eum esse hæreticum.*

Ea sententia cum argumentis suis explo-ditur.

III. Inter paradoxa Magni hujus Scriptoris rectissimè hanc opinionem retulit ex hodierno Christianorum consensu cum aliis *Iacobus Pamelius*; quæ sanè non minus rationi, quam Scripturæ Sacræ adversatur, & à præstantissimis olim est eversa Philosophis, *Platone* puta, uti ex innumeris ejus locis latè contra *Faustum* ostendit *Claudianus Mamertus*, Viennensis Seculo Quinto seu Presbyter seu Episcopus & peritissimus Christianorum Philosophus, *Lib.* II. *de Stat. Anim. Cap.* 8. ac *Aristotele Lib.* I. *de Anim. Cap.* 3. 4. 5. quem hic propterea *Tertullianus amicum Platonis* vocat. Scriptura sane promiscuè *Animæ & Spiritus* utitur vocabulis, & spiritus carnales sive corporales non esse docet, hinc neque visibiles, neque effigiabiles, *coll. Eccl.* XII. 7. *Ies.* LVII. 16. *Luc.* XXIV. 39. *Matt.* X. 28. *Coll.* I. 16. *Act.* XVII. 29. *&c.* Ratio similiter

ter assentitur; nec Corporis Attributa essentialia in Animam, nec Animæ illa in Corpus ullum quadrare, si vel tenuissimum fuerit, ac summoperè mobile; Animam prorsus esse invisibilem & indivisibilem, in variis dum operatur variè humani corporis membris, nec his tamen quibusdam deperditis truncata ipsa conspicitur; Animæ proprias operationes nequaquam à corpore ut principio dependere, etiamsi corpori unita per hoc simul & operetur & operationes suas manifestet; & quæ sunt ejus generis ratiocinia plura. Ad quæ elumbes non minus sunt *Tertulliani* exceptiones, quam frivolæ quas adducit objectiones. Quid enim ad invisibilitatem juvat reposuisse *aquila & noctua* dissimilem similitudinem, ac carni invisibilem, spiritui verò visibilem Animam pronunciare, propter visas in spiritu à Johanne Animas? Cum hic aquila æquè ac noctua cæcutiat, & spirituum visio omnis mera sit intellectus perceptio, & Johannes spiritu abreptus corporalis esse non desierit, nec aliter animas, quam ipsum Deum, id est, in quibusdam emblematibus viderit. Quis docuit *Septimium*, Animam propriè non esse *spiritum*? cum sic loquatur Spiritus veritatis, etiam tum corpus ei opponens. Quid de consensu gloriatur Philosophorum? ubi multi, ipso non diffitente, & sapientissimi dissentiunt. Nec est Unio Animæ cum corpore, qualis est corporum inter se per dimensionum contactum; potestque & morum inter parentes ac liberos similitudo, & passionum communicatio absque corporea Animæ effigie explicari, per arctissimam animæ cum corpore Unionem; dum *Enthusiastica* nugæ nullius sunt momenti. Adducitur porrò planè contra scopum Salvatoris Euangelica Lazari & Divitis sive historia sive parabola; de quo uti varia novimus Veterum esse judicia, ita hic litigare cum *Tertulliano* nihil attinet. Id enim ex *Nysseni*, *Augustini*, *Claudiani &c.* disputationibus, & Interpretum tantum non universali consensu, heic constare debet, non quidem *de corporalibus membris mentiri Scripturam*, sed & linguam quæ cruciabatur, & digitum Animæ felicioris, à quo solatium roris implorabatur, reliquaque membra, spiritualiter, seu potius parabolicè, esse intelligenda. Dum scopus narrationis evidens est, non tantum ἓ μὴ δύνασθαι μὴ ἢ ἐκ ἓ σώματος ἔξοδον τῆς ψυχῆς κατὰ θεοῦ τινα ἢ ἀπορρήτου ἀφελίας πρὸς τυχεῖν τὸν ἀνθρώπων, *providentia & studio nullo homines opem aliquam post divortium animæ à corpore consequi posse*, uti vult *Auctor Quæstionum & Resp. ad Orth. apud Justinum Quæst.*

Quæſt. LX. ſed & retributionem cuique vitæ peractæ poſt mortem mox contingere, quod negat idem ex communiori Veterum hypotheſi. Quod vero ad *hominem interiorem* ἔσω ἄνθρωπον *Rom.* VII. 22. attinet, liquet quidem ex eo, quod homo partem habeat interiorem, tum naturalem, quæ eſt ipſius Anima, tum ſupernaturalem, quæ eſt pars ejus per Spiritum Sanctum regenita, ſed minimè, quod eadem pars altera ſit corporea.

Nec admittendum videtur dogma recentiorum Philoſophorum, quod Anima ſit ipſa Cogitatio.

IV. Enimverò ſi hoc paradoxum vetus de Animæ natura Corporeâ meritò diſpliceat, non minus diſplicere debet eorum ſeu Philoſophorum ſeu Theologorum recentiorum opinio, qui Animam definiunt eſſe ipſam *Cogitationem*, non hanc quidem aut illam particularem, ſed generalem magis quæ in omni cogitatione particulari adeſt & per hanc quaſi determinatur, ſimul magnopere ſe ab omni corporeæ rei repræſentatione alieniſſimos profitentes. Eſt enim non tantum Cogitatio Particularis, hæc & illa de hoc & illo objecto, quæ ſola verè extra mentis noſtræ abſtractionem exiſtit; ſed & Generalis, hoc ipſo quo eſt generalis & particulares omnes ſub ſe complectitur, veri nominis Actio, quæ ſubſtantiam cogitantem & cogitandi vires ſupponit; & Cogitationem ab Anima cogitante Scriptura ac quotidianus ſermo hinc meritò diſtinguit; & Animæ eſſentia manet in ſingulis ſemper eadem, dum Cogitatio momentis ſingulis nova eſt, una poſt aliam ſequens; quin & Cogitationem actualem Animæ perpetuam nulla probat ratio, & refutare videtur tam Scriptura bonas & malas actiones omnes hominibus aliquibus quandoque negans *Rom.* V. 12. IX. 11. quam experientia in ſipothymia & profundiori ſomno. Quare fruſtra & gratis urgetur; præter illam Generalis & Particularis Cogitationis diſtinctionem, quæ actionem in ſubſtantiam convertere nequit; vel in omni operatione Animæ Cogitationem reperiri, ſi quidem operatio à natura operante debet diſtingui; vel Animam ſemper cogitare, quod nunquam probatur, & probatum Animæ ſemper cogitantis naturam tamen ſupponit; vel Cogitationem attributum Animæ eſſe primum, quod ob actus ſecundi ab actu primo neceſſarium ortum temere ſupponitur, neque rurſus docet rem ipſam cum primo ſuo attributo unum plane & idem eſſe; vel denique aliud præter Cogitationem nobis de Anima non ſatis quoad naturam ſuam conſtare, quod ſi verum eſſet ignorantiam noſtram modò argueret, ſed quod abſolute adeo dari non debet. Quidni addamus, hanc Animæ definitio-

Digitized by Google

nitionem per ipsam Cogitationem dudum deprehensam complura secum in Theologiam absurda introducere, de quibus vide *Clar. Vrieſii Diſſertationem* eruditam; adeoque non minus forte sed & longè magis periculosam hinc esse eâ quæ aliquid corporei in Anima olim posuit.

Animæ Rationalis positiva descriptio, & Facultatum ejus distinctio.

V. Quid ergò, inquis, de Anima dicendum est, illiusque Essentia, quò ejus nobis positive innotescat natura? Supponendum est ante omnia, veram illam esse *Substantiam*; cùm per se illam subsistere ex independentia ab omni corpore pateat, & recipiat non modò in se varios habitus & qualitates, sed & variè in momenta singula tum intra tum extra se operetur, ipsa manens semper eadem & invariata. Tenendum amplius, eas Operationes Animæ magis esse Proprias, quæ nullum per se extra animam linquunt aut producunt effectum; quales sunt non motus aliqui corporei, sed perceptio, affirmatio, negatio, dubitatio, ratiocinatio, voluntatis amplexus, aversatio &c. uti has similesque etiam recenset *Cicero* ex *Ariſtotele*, Philosophis *omnibus*, excepto *Platone*, juxta eum *præstante & ingenio & diligentia. Lib.* I. *Tusc. Quæst.* Quas omnes si quis nomine *Cogitationis* volucrit complecti, aut Operationum Rationalium, nos quidem dissentientes non habebit; ita tamen ut vicissim fateatur, nullam harum omnium Operationum, adeoque nec actualem Cogitationem, à nobis posse concipi in Mente, nisi Facultas ab Actu distincta ei simul & prius tribuatur. Unde breviter Anima dici potest, *Substantia, humano corpori juncta, & rationalis*, sive *cogitans*, sive, præter Potentiam ad extra operantem quam cum corpore communem habet, *Intellectu & Voluntate prædita*. Ad hanc enim duplicem Animæ facultatem operationes ejus internæ singulæ à Philosophis pariter & Theologis referri & rectè quidem consueverunt. Ita ut ad *Intellectum* vulgò referatur, & referri debeat, tum *Perceptio* objectorum simplex, tum *Judicium* de nexu rerum & veritatum inter se, quod perceptionem rerum sequi solet; ad *Voluntatem* verò, rerum sive *Appetitus*, sive *Fuga*, quæ iterum ad Judicium de rebus subsequuntur. Cæterum uti Facultates, & inde ortæ Operationes hæ, rectè distinguuntur; ita tamen neutiquam dividi debent, cum eadem sit Anima, eadem rationis facultas, & hæ operationes sibi invicem admodum sint immixtæ, ut dum judicat de rebus & veritatibus, simul etiam velit judicare, & dum vult objecta, simul etiam eadem volenda ju-

Digitized by Google

dicet mens humana. Per quam observationem tolluntur variæ difficultates, quæ circa Libertatis, Fidei, aliarumque seu qualitatum seu habituum, sedem duplicem alias moveri solent, & quæ *Scholasticorum* animos haud parum solicitos tenent. Quorum subtilitates & quæstiones alias inutiles hic mittimus, Philosophis potius quam Theologis discutiendas, qui secundum Scripturas Animabus Voluntatem & Intellectum tribuentes, præter Potentiam, sic partibus suis satis defuncti videntur.

Ejus Libertas etiam declaratur, & quo usque illa sit inseparabilis ab Anima ostenditur.

VI. Verbum tamen de Animæ *Libertate* est addendum; quâ eam absolutæ & fatalis necessitatis introductione privare neutiquam decet, sed per quam male explicatam *Pelagianismi*, quin & *Atheismi*, virus Ecclesiæ citissimè infunditur. Scilicet, cum à corpore nullo per modum principii dependeant mentis nostræ operationes, & judicandi pariter & volendi facultate illa polleat, hinc absque insigni contradictione nulla illi *Coactio*, i. e. determinatio ab extrinseco principio cum ipsius perseverantia contranitentia, nulla etiam naturæ *Necessitas*, i. e. determinatio ab intrinseco principio, absque προαιρέσει & lubentia rationali, tribui potest. In quo hæc ipsa Libertas consistit, quæ sub vocibus ἑκουσίου, βουλήματος, προαιρέσεως, αὐθαιρέτου, in Scriptura videtur venire *Philem.* 14. 1 *Cor.* VII. 36. 2. *Cor.* IX. 6. VIII. 3. *&c.* & in omnibus institutionibus, admonitionibus, promissionibus, minis, supponitur. Unde hoc sensu ad hominem omnem extendere licet *Siracidis* dictum *Eccles.* XV. 14. *reliquit eum ἐν χειρὶ διαβουλίου αὐτοῦ in manu sui consilii*, & admittere *Tertulliani* de Libertate humana discursum liberiorem *Lib.* IV. *c. Marc. Cap.* 4. *Liberum & sui arbitrii & suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animadvertens quam ejusmodi status formam &c.* Verum si illud ἀκίνητον, in ἀνυπεύθυνον, ἀδίαιτον, & ἀνυπεύθυνον, mutetur, nec amplius Causæ Secundæ à Prima dependentia agnoscatur, eaque certa & immutabilis, tum efficacissimi Decreti, tum infallibilis Præscientiæ, tum prædeterminantis Concursus respectu, ipsa perit Voluntatis Libertas, *quæ tantum valet*, ut scitè *Augustinus Lib.* V. *de C. D. Cap.* 9. *quantum Deus eam valere voluit atque præscivit*, & *ex liberis* homines fiunt *sacrilegi*, quod in *Cicerone* carpit ille ibidem. Operatur omnia Deus, & movemur in eo omnes, Reges etiam potentissimi, quorum flectit corda ut rivos aquarum, *Eund.* I. II. *Act.* XVII. 28. *Prov.*

XXI.

Digitized by Google

xxi. 2. *&c.* Unde taxatur non immeritò in Græcis Patribus, qui ante *Pelagium* vixerunt, ſuperba *αυτεξουσιου* vox, quæ, ſi non inſitâ vi Dei gloriam in hominem confert, utique ad impia hæc cogitata facile ducit. Quamquam verò hæc homini Naturalis Libertas in Homine Integro, perinde ut nunc in eo per gratiam Reſtituto, conjuncta fuerit cum viribus ad bonum pariter & malum, eas tamen cum hac indifferentia ad Libertatis naturam referre neutiquam licet, niſi & Sanctos cœlites, & confirmatos Angelos, & Chriſtum ab omni peccato poſſibili alienum, & Deum ſe abnegare neſcientem, Libertate privare libuerit, *coll. Hebr.* XII. 23. *Pſal.* CIII. 20. *Hebr.* IV. 15. 2*Tim.* II. 13. atque ab homine impotente, ſervo, mortuo, imo demùm generando, vel creando, illa exſpectare opera, quorum gloriam unus ſibi vindicat Deus, *coll. Rom.* V. 6. VII. 7. *Eph.* II. 1. *Joh.* III 6. *Eph.* II. 10. *Phil.* II. 13. *&c.* Quod uti copioſe contra *Pelagium*, *Cœleſtium*, *Julianum*, *Agnianum*, ac ſequaces alios, demonſtratum olim dederunt *Auguſtinus*, *Proſper*, *Fulgentius*, aliique Patres, ita non minus eleganter oſtendit *Bernardus Serm.* LXXXI. *in Cant. & Libr. de Grat. & Lib. Arb.* ac adverſus omnes gratiæ divinæ hoſtes, *Pelagianorum* veſtigia prementes, Theologi Orthodoxi docent hodie, læti de doctiſſimorum quorundam ex Pontificiis conſenſu. Nec aliud volunt hi, quandò, ſit licet durior phraſis, homini in ſtatu lapſus Liberum Arbitrium negant, aut Libertatem per peccatum amiſſam vel læſam eſſe ſcribunt. Quomodo iterum Veteres locuti ſunt, uti *Auguſtinus Epiſt.* CVII. *Liberum Arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*; qui alibi, ſi tamen ipſe Autor, *Catholicum non eſſe, quiſquis Liberum Arbitrium negaverit. Hypogno. Lib.* III. Et *Concilium Araufiacum Can. I. Si quis per offenſam prævaricationis Adæ &c. Animæ Libertate illæſa durante, Corpus tantummodo credit corruptioni obnoxium, Pelagii errore deceptus adverſatur Scripturæ &c.* Cum quo conciliandum linquimus Pontificiis Anathema *Tridentinum* in eum, *qui Liberum Arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imo titulum ſine re, figmentum denique à Satana invectum in Eccleſiam.* Sed de hoc capite momentoſo hæc *ἐν παρόδῳ* tantum.

VII. De Origine nobiliſſimæ hujus ſubſtantiæ haud minor ſe-

Animæ Origo à multis petitur ex Traduce Seminali vel Spirituali.

rè quam de ejus Natura est dissensus, quem vide inter alios apud *Zanchium Part.* III. *Lib.* II. *Cap.* 5. præcipuè vero, & adhuc hodie, sitne à Parentibus, an à Deo repetenda. Quamquam enim posterius in primo homine universali ferè detur consensu, posteros tamen Animæ non minus suæ quam corporis respectu à parentibus deducunt benè multi, quæstioni sic locum facientes novæ, *utrumne anima ex Patre, an potius ex Matre, an verò ex Utroque generetur*, quam habet *Lactantius Cap.* XIX. Philosophos mittimus, inter quos etiam hic *magnam dissensionem* observat *Tullius*. Non semel id inculcat *Tertullianus*, præcipuè vero *Cap.* IX. XXII. XXVII. XXXVI. *de Anima*, hanc in ipso & ex ipso seri homine, hanc in utero seminari pariter cum carne, hanc ex matrice Adam velut surculum pullulare, & quæ similes sunt phrases. Eadem sententia tribuitur apud *Augustinum Luciferianis Hær.* LXXXI. dicentibus *animam ex transfusione generari*. Nec non *Apollinaristis* apud *Hieronymum in Epist. ad Marcell.* animam ex anima propagari, sicut corpus ex corpore, asserentibus. Unde fluxit *Traducis* divisio in *Seminalem* & *Spiritualem*, quem posteriorem similitudine *luminis de lumine accensi* illustrare consueverunt. Nec placuit tantum olim hæc sententia maximæ Virorum Eruditorum in occidentalibus Ecclesiis *Hieronymi* tempore parti, sed & à *Lutherana* professionis plurimis accipitur, atque à magno ævi nostri Theologo *Samuele Maresio* defenditur, qui sibi ὁμοψήφους laudat *Marnixium*, *Sohnium*, *Combachium*, & præcipuè *Augustinum*; qui tamen ex plurium locorum collatione, imprimis ex *Epist.* XXVIII. *ad Hieronym.* potius in hac re fluctuasse deprehenditur, tum quod ex Scripturis demonstrari planè contrarium posse non videret, tum quod traductionis & propagationis peccati contra *Pelagianos* defensio & expositio sic planior foret. Hoc verò uti præcipuum est sententiæ hujus argumentum, ita alia accedunt; à generatione speciei, homini æquè ac animantibus concessa; à quiete Dei ab omni nova creatione; ab animabus ex femore Jacobi egressis; à peccato Onanis & prægnantis percussione prò homicidio habitis *Gen.* XXXVIII. 9. *Exod.* XXI. 23. ex morum inter patres & liberos similitudine; ex lucis emblemate sub quo anima venit; denique ex innumeris difficultatibus circa creationem, mediatam an immediatam, simultaneam an successivam, in nativitate an ante eam, & similibus aliis, quibus sententia adversa premitur. Non obstant ta-

Digitized by Google

tamen hæc omnia, quò minus Gentilium & Christianorum communiori sententiâ Deus Animarum Creator audiat. Scilicet est hæc Magici Oraculi summa;

Χρὴ σε πτίδειν πρὸς τὸ φάος τᾷ πρὸς πατρὸς αὐγᾶς,
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοὶ ψυχὴ πλὴν ἐσκαμμένη νῶν.

Quod non modo voluit *Boëtius*, Deum *membris animos clausisse* canens *celsa sede petitas*; sed & *Synesius*, *mentem hominis Dei semen* pronuncians *Epist.* CI. & *Hieronymus*, scribens *Apologia ad Pammach. Ecclesiasticam esse sententiam, Deum novas quotidie animas corporibus jam conceptis infundere.* Neque Theologorum, sive Veterum sive recentiorum, qui ψυχογονίαν impugnarunt, numerus iniri potest.

Sed illam omnino ab immediata Creatione Dei repetendam esse, monstratur.

VIII. Vellem non scripsisse *Augustinum* se non videre, quomodò ex Scriptura possit demonstrari hæc sententia, & ad hujus exemplum Theologum Celeberrimum non inculcasse, eam *rationibus potius Philosophicis, nec iis apodicticis, quam Scripturæ evidentibus testimoniis comprobari.* Etenim non perit vis argumenti, quod ex creatione Animæ Adami petitur, si diversam ejus fuisse rationem etiam corporis ex pulvere formati respectu regeratur. In hac quippe diversitate similitudo communis materiæ respectu maxima reperitur; & Anima dum ex divina inspiratione probatur non esse corporea, hoc ipso propagationis capax non est, ut divisionis & incrementi omnis expers. Non intelligitur vis omnium illorum textuum, in quibus Deus Animas *dare, creare, formare*, in medio nostri dicitur, atque hinc *spirituum Pater & Deus* appellatur, uti nos præ reliquis creaturis *ipsius genus*, *coll. Eccles.* XII. 7. *Is.* LVII. 16. *Ps.* XXXIII. 15. *Zach.* XII. 1. *Hebr.* XII. 9. *Num.* XVI. 22. *Act.* XVII. 28. *&c.* si simpliciter referantur, vel ad communem Providentiæ ejus operationem, vel ad primi hominis solius infusum spiritum. Quandoquidem certum est, providentia sua ad corporis etiam fabricam concurrere Deum, & primi hominis materiam initio etiam ex nihilo fuisse creatam, & non de primo tantum homine, sed & dè posteris singulis idem hic pronunciari, & oppositionem hic esse perpetuam inter carnem & spiritum, illamque tantum parentibus adscribi, hinc nomine *patrum* non spiritus sed *carnis nostræ* venientibus. Atque insuper, quæ ex Spirituali Animæ essentia contra ejus propagationem petuntur argumenta, talia sunt, ut sola hic sufficere possent. Corporalem

Digitized by Google

sive Seminalem Traducem jam dudum confutavit *Cicero Lib. 1. Tusc. Quæst. animorum nullam in terris originem inveniri posse* notans, *quia nihil est in iis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur. His enim in naturis nihil ineſſe, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis, habeat &c. Nec evincendum unquam, unde ad hominem venire possint, nisi à Deo &c.* Spiritualem Traducem similiter evertit *Lactantius Cap.* XIX. corpus observans ex corporibus nasci posse, quoniam confertur aliquid ex utroque; *de animis animam non posse, quia ex re tenui & incomprehensibili* (addo extensionis & divisibilitatis omnis experte) *nihil potest decedere &c. nec posse dè mortalibus quicquam nisi mortale generari*; imo *nec sentire patrem de suo animam transfudisse aut inspirasse se.* Licet addere ex *Damasceno Lib.* II. *Cap.* 12. fluxum, traducem, & propagationem, esse propria corporum πάθηματα, nec spiritibus communicabilia. Ad quam thesin destruendam *luminis de lumine* accensi similitudo non sufficit, cum hic corpus ad flammam concipiendam aptum aliam tantum partium accipiat dispositionem, quæ nec ipsa absque partium prioris corporis transitu & divulsione contingit, cujus utique anima capax non est. Adde tandem, si in Creatione Dei immediata quædam occurrunt difficultates, eas hic circa principium animæ fœtus, an à patre, an à matre, an ab utroque illa sit repetenda, circa ejus modum & vehiculum, an semen, an aliud corpus, circa tempus communicationis, an in prima conceptione, & quidem semper, an verò postea & aliquando &c. esse longe graviores.

Objectiones adversus eam dogmam breviter solvuntur.

IX. De Peccati Originalis Propagatione dicimus, etiamsi modus ejus satis curiosè à nobis explicari non posset, rem ipsam tamen tam clare in Scripturis tradi, ut hæc idcircò in dubium revocari neutiquam queat. Interim *hereditarium malum & impietatem*, ut loquitur *Hieronymus*, *in ramos de radice crescere*, nemo jure mirabitur, qui observaverit cum *Ambrosio Lib.* X. *Epist.* 84. *omnes in Adam obnoxios nos esse nascendo damnationi.* Reatu ergò primæ transgressionis ad omnes extenso, Divina justitia in ipsa Animæ infusione pœnam ablatæ sanctitatis ac integritatis æquissimè infert, quâ destituta illa, & cum corpore contaminato juncta, peccato magis corrumpitur. Generatio totius hominis, ipsi à Deo demandata, ex hac hypothesi nequaquam læditur; cum divinus concursus per hanc neutiquam excludatur, qui

qui si excellentior sit & magis efficax in homine quam in brutis, non deprimit sed extollit id humanum genus; dum non tantum homo corpus serit, sed & illud serendo animæ à Deo creandæ ex generationis lege veluti autor est, uti ex *Thoma* egregiè urget *Zanchius. Terreni parentis nihil est*, inquit *Lactantius Cap.* XIX. *nisi ut humorem corporis &c. emittat vel recipiat. Circa hoc opus homo resistit, nec quicquam amplius potest. &c. Cætera jam Dei sunt omnia.* Quiescit Deus non ab omni opere, *adhuc* enim *operatur Joh.* v. 17. & quotidie creaturas sustentans eas quasi creat, sed à creandis novis speciebus. Animæ ex Jacobo quandò dicuntur egressæ *Gen.* XLVI. 26. tum Synecdochen Hebræis familiarem concedunt omnes; unde absque aliqua duriori catachresi phrasin hanc intelligimus de ea parte, quæ in semore Jacobi fuisse deprehenditur, nec video quomodo hæc *ratio magni momenti* judicari possit. Uti parum etiam aut nihil ad hanc rem facit *Onanis* scelus, in quo nulla homicidii est mentio, & *prægnantis* mulieris percussio *ad mortem* sive *exitium*, morte punienda; cum hic plane videatur agi de infante ἐξαμβλώσει, ut habent LXX. & vivo, cui mors inferri possit, & in utroque casu obtineat illud *Tertulliani Apolog. Cap.* IX. *Homicidii festimatio est prohibere nasci. Nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui futurus est: etiam fructus omnis jam in semine est.* Morum & animi affectionum similitudo, si ex Animarum transfusione esset repetenda, semper obtineret, quod experientiæ adversatur; atque hinc ex eodem corporis temperamento, aut sapienti divinæ providentiæ dispositione, simpliciter potius deduci debere videtur. Lucis emblema substantiæ respectu spirituali animæ admodum esse dissimile, ante monuimus, nec ad insitam se propagandi virtutem, sed ad penetrantem intellectus vim Salomon & Scriptores quicunque id referunt. Denique quod ad objectas difficultates attinet, illæ exiguæ admodum sunt, dum ex Scripturis facilè confutatur error *Seleucianorum*, *Hermianorum*, *& Proclianorum*, de Angelorum in Animæ creatione ope, *Origenistarum* item & *Rabbinorum* de illis simul initio creatis; dum ex iisdem Scripturis satis constat, Animam creari in hominis medio, adeoque creando infundi, & infundendo creari; & dum tandem specialis momenti quo hæc fœtui infunditur determinatio neutiquam necessaria est.

X. Uti

Animæ Immortalitas explicatur & asseritur.

X. Uti natura Animæ ad Cœlestem nos ducit Originem, ita ex ejus contemplatione Immortalitas ejusdem facile educitur, patetque adeo juxta *Manilium Lib.* IV.

In cœlumque redire animas, cœloque venire.

Non quod tanta Animæ perfectio tribui debeat, ut ne quidem absolutâ divinâ potentiâ in nihilum redigi possit, cum ipsa à Deo dependens cessante tantum hujus potentissimâ sustentatione pereat, & immortalitas hoc sensu soli Deo propria sit 1. *Tim.* VI. 16. I. 17. Sed quod cum corpore nequaquam intereat, post fata superstes; ejusque sit naturæ, quæ dissolvi in partes & corrumpi non queat. Ταῖς μὲν ἀνθρώπων ψυχαῖς ἀθανάτως φαμὲν, ἀλλὰ κυρίως ἀθάνατος ὁ θεὸς, οὐσίᾳ γὰ ἀθάνατος, ἃ μετουσίᾳ &c. inquit *Theodoretus Dial.* III. Nec aliter *Autor Quæst. ad Orthod. apud Justinum Resp.* LXI. μόνῳ ἔχων τὴ ἀθανασίαν λέγεται ὁ θεὸς, ὅτι οὐκ ἐκ γενέματος ἄλλῃ τινὶ ἔχει, καθάπερ οἱ λοιποὶ πάντες ἀθάνατοι, ἀλλ' ἐκ τῆ ἰδίας οὐσίας. Quo faciunt loca *Eccles.* XII. 7. *Matt.* X. 29. & generatim omnia illa, quibus pœnæ præmiave hominibus post hanc vitam tribuuntur; ut sit hoc caput, uti omnis religionis, ita præcipuè Christianæ præcipuum suppositum 1. *Cor.* XV. 18. 19. quo in dubium vocato miser, negato impius, asserto vero pius patiens & sperans sit hujus confessor. Nec una est, quæ hanc veritatem doceat ratio. Breviter *Psellus* ex jactis jam fundamentis *ad Zoroastrem*; ἐπειδὴ οὐκ ἐκ τοῦ σπερμάτων ἡ ψυχὴ τὴ ὑπόστασιν ἔλαβεν, οὐδ' ἐν σωματικαῖς ὑφειμένοις κράσεσιν, καὶ ἄνωθεν ὑπὸ τοῦ θεοῦ τῇ ὑπαρξιν ἔσχε, πρὸς ἐκεῖνον &c. *quoniam anima non à semine subsistentiam accepit, nec in corporeis temperamentis consistit, sed desuper à Deo suam essentiam nacta est, ideo ad hunc reverti debet.* Anima certè dum est incorporea, nec partes ullas extra partes possidet, in has resolvi non potest. Inditum ei æternitatis desiderium planè frustra esse nequit. Operatio ejus, adeoque nec essentia à corpore dependet. Excellentia hominis supra bruta perpetuitatem flagitat. Tempus post hanc vitam, quò bonis malisque æqua contingat retributio, Dei poscit justitia. Quæ omnia argumenta à populorum & hominum consensu firmarunt, & ex longioribus præstantissimorum Philosophorum discursibus diluxerunt dudum Eruditi. Quadrat hanc in rem id *Platonis* argumentum, quo mortuos rerum quæ in vita geruntur sensum habere probat; αἱ γὰ βέλτιστοι ψυχαὶ μαντένονται τοῦ ὅτως ἔχειν, αἱ δὲ μοχθηρότατοι τὰ φα-

Digitized by Google

φασι; κυριώτερον ἢ τὰ τῶν θείων ἀνδρῶν μαντεύματα, ἢ τὰ τῶν μη. *Quoniam optime sic anima divinant, deterrima autem nequaquam, validiora verò sunt divinorum virorum præsagia quam aliorum. Epist.* II. *ad Dionys.* Etenim si pauci, vel ob nimium rerum visibilium amorem, vel ob pœnæ metum, aliter voluerint, prævalere hic merito debet sapientius judicium *Phocyllidis*, *Trismegisti*, *Pherecydis*, *Pythagoræ*, *Alcmaonis*, *Anaxagoræ*, *Epicteti*, *Platonis*, *&c.* quorum est unaminis vox, ψυχὴν ἀθάνατον, καὶ αἰῶνα ζῆν δεῖ πάντος, *animam immortalem & nunquam senescentem vivere semper.* Inter hos etiam numerandum *Aristotelem* plurimi volunt, aliis illum in hac materia fluctuasse putantibus, aliis cum *Nazianzeno* ejus *de Anima sermones mortales* appellantibus.

XI. Objectiones *Thnetopsychitarum*, qui ut eleganter *Cicero*, *contrariuntur*, *animosque quasi capite damnatos morte multant*, leves admodum sunt; sive totalem cum *Epicureis* interitum urgeant, sive cum *Arabicis* ab *Origene* confutatis, vera *Nazaræorum* propagine, & *Psychopannychitarum* nostri temporis radice, *animas cum corporibus mori atque dissolvi*, *& in fine seculi utrumque resurgere*, velint, uti est apud *Augustinum Her.* LXXXIII. Salomonem quippe, cum *unum* dicit esse *interitum hominis & jumentorum*, *& æquam utriusque conditionem Eccl* III. 19. vel loqui ex judicio hominis Epicurei, ad impii cordis votum, *coll. Jes.* XXII. 13. vel ad externum respicere oculorum visum, utpote sibi neutiquam mox *vers.* 21. contrarium, vel ad mortem ipsam, non ad statum post eam spectare, ὅτι εἰ μεμνημένοι. Perinde cum mortui *non esse*, aut *Deum non laudare*, dicuntur *Gen.* v. 34. *Ps.* VI. 6. XXX. 10. *Job.* VII. 8. *&c.* analogia fidei pariter & contextus illa ad hanc terram, & ad partem hominis terrestrem, & ad laudem ob liberationem ex mortis periculo præstitam, restringere jubet. Mors animæ tributa ab illa corporis & hominis totius plurimum differt, nec in divisione, aut annihilatione, sed in separatione à gratiosa Dei communione consistit, doloremque perpetuum comitem habet. Alia habet Autor Apocryphus *Sap.* II. 3. 5. *Spiritus noster diffundetur*, *tanquam mollis aër*; *finis noster consignatus est & nemo revertitur.* Sed prius hoc falsum est sensuum præjudicium; & posterius non magis consequens, quam nullos homines vivere ultra Oceani extremitates, quandò nulli illinc venerunt, nec

Objectiones contra eam brevissime solvuntur.

egreſſum eſſe infantem ex utero, quia illuc nunquam redit; ne nunc plures rediiſſe dicam. *Plinii* impia & verè puerilia deliramenta, quibus *avidæ nunquam deſinere mortalitatis*, ſic ipſe, *commenta* impugnat *Lib.* VII. *c.* 55. mittimus. Si nequeant mortales, *qualis ſit animus vacuus corpore intelligere*, *Ciceronem* audiant; *quaſi*, inquit, *intelligant*, *qualis ſit ipſo in corpore*, *qua conformatio*, *qua magnitudo*, *qui locus*. Ortum habet anima à Deo, ſed inde verius nullum finem quam ullum intuleris. Operationem animæ ceſſare in morte, corporis reſpectu, verum eſt, abſolute, falſum. Vires animi cum viribus corporis deficere, univerſaliter non concedit experientia, quandoque vero ut fiat, arcta operatur utriuſque partis in homine Unio. De quâ nunc verbum adjicimus.

Tandem de Unione Animæ cum Corpore pauca adjiciuntur.

XII. Hanc Unionem quicunque corporeis ſimilitudinibus, aquæ & vaſis, vini & aquæ, caloris & aquæ, ſoni & aëris, vel etiam, ut Doctiſſimi Theologi, lucis & aëris, explicare conati ſunt, rem malè tentarunt. Melius & magis convenienter Scripturis *Plato* nautæ & navis, hominiſque & veſtimenti ſimilia, ac alia plura illuſtrandæ huic rei adduxit. De quibus vide *Euſeb. Lib.* VII. *de Prep. Euang. Cap.* 4. Quemadmodum ſub domus, tabernaculi, veſtimenti, imo & ergaſtuli, nominibus corpus propoſuiſſe Paulus & Petrus videntur, *coll. Rom.* VII. 24. 2 *Cor.* V. 1. 2. *Phil.* I. 23. 2 *Pet.* I. 14. Confer *Iob.* IV. 19. ubi tamen *Chaldæus* per בתי חמר / ſeu *domus luteas*, קבורת מנא / *ſepulchrum* intelligit. Ita fere locuti & Judæi, *hominis nomen non dici de corpore*, *ſed de ſpiritu interiore*; & Chriſtiani, ut ante *Lactantium Tertullianus*, *domus Anima Caro eſt*, *inquilinus Carnis Anima*, *Cap.* XXXVIII. *de Anima*. Cui tamen ſimilitudini poſt *Nyſſenum* ſervidè ſe opponunt recentiores aliqui; & rectè, ſi per omnia eandem horum ſimilium & Animæ cum corpore eſſe rationem aſſeratur, à qua hypotheſi uti *Platonicos* liberare ſtudet *Ficinus*, ita Chriſtiani liberandi videntur. Quid ergo? Simile hic nullum eſt, quod non ſit etiam diſſimile. Et uti ad Unionis hujus intelligentiam ab omni corporalis contactus imaginatione eſt abſtinendum, ita in ſumma dici debet, Arctiſſimum ex Divina ordinatione inter duas diverſiſſimas ſubſtantias eſſe Nexum, per quem ad conſtituendum Unum Hominem illæ concurrunt. Hic vero nexus ſupponit Animæ Præſentiam, ſpirituali naturæ & finitæ congruam in Corpore, abſ-

Digitized by Google

absque ejus extensione circumscriptione & divisione ulla tamen; quam Divinæ in nobis præsentiæ exemplo ipse *Nyssenus* illustravit. Uti enim in hominis Morte Præsentia hæc cessat, Animâ ad locum sive gaudii sive tormenti translatâ, ita quamdiu vivit homo, Animam, licet forte de cœlo cogitet, non tamen in eo aut quacunque re tandem alia extra corpus nostrum existere deprehendimus ipsi. Et parit hic nexus intimam mutuarum Actionum & Passionum Communicationem, ut ad nutum Animæ & lingua & reliqua membra se moveant, & vicissim ad sensualium organorum motus Anima attendat; ut contristata Anima mœroris in corpore producat signa, & læsum corpus Animæ molestiam afferat. Imò adeò arcta hæc est Unio, ut in ipsa morte Animæ ad suum Corpus nequaquam cesset relatio, cum hoc iterum uniendæ; unde *Substantia Incompleta* nomine in Scholis venire solet. Quod observandum venit contra Veterum *Pharisæorum* aliorumque *Judæorum*, *Ægyptiorum*, *Platonicorum*, *Pythagoreorum*, *Druidum*, *Tertullianorum* etiam apud *Augustinum Hær.* LXXVIII. sive גלגול / sive μετεμψύχωσιν, sive μετασωμάτωσιν, sive μετάβασιν, sive μετεγγισμὸν, sive *revolutionem*. Quæ si intra humanæ speciei substitisset corpora, speciem apud imperitos fortè habere posset, sed ad dæmonas & animalia quæcunque extensa figmentum insanum primo obtutu prodit.

Nam juxta Rhadamanthus agit, cum gesta superni
Curriculi totosque dies perspexerit actus,
Exequat damnum meritis, & muta ferarum
Cogit vincla pati, truculentos ingerit ursis,
Prædonesque lupis, fallaces vulpibus addit.
At qui desidia semper vinoque gravatus
Indulgens Veneri volvit torpescere luxu
Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.
Qui justo plus esse loquax, arcanaque fuevit
Prodere, piscosas fertur victurus in undas,
Ut nimiam pensent æterna silentia vocem.
Quos ubi per varias annis ter mille figuras
Egit Lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ revocat primordia formæ.

Ita canit *Claudianus Lib.* II. *in Ruffin.* Cui, ut & *Virgilio*, ac *Ovidio*, Poëtica hic quædam licentia tribui posset, nisi Philosophis,

ut dictum, eximiis hæc placuissent. Sed turpius est à Judæis atque ab ipso *Menasse* in hanc rem allegari sanctissima Scripturæ dicta, historiam Judæ & Thamaris, præceptum de suscitando fratri semine, & gratiam ac misericordiam divinam, ac si hæc revolutionem similem exigeret, ne homo in sceleribus primi corporis sui temperamentum prætexere posset. Rectè *Lactantius*, sententiam hanc esse *ridiculam & mimo dignioremquam schola, nec serio debere refelli. Quod qui facit, videtur* illi *vereri, ne quis id credat. Lib.* VII. *cap.* 12. Dissentientes Judæos vide apud *Menassen Concil. in Gen. Qu.* XLIII.

CAPUT QUINTUM.

Quo de Imagine Dei agitur, ad quam Homo creatus est.

De Spiritus & Animæ distinctione in locis duobus Paulinis disceptatur.

Præter Animam & Corpus *Spiritum* in homine non semel ponit Scriptura Sacra, non utique συνωνύμως vocibus Spiritus & Animæ illic usa ubi hæ directe inter se opponuntur, uti præcipuè fit *Hebr.* IV. 12. *Vivus enim sermo Dei & efficax,* καὶ τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, καὶ διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος. Et 1 *Thess.* V. 23. *Et integer vester Spiritus,* καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, *& Anima,* καὶ ἡ ψυχὴ, *& Corpus inculpate in adventu Domini nostri Jesu Christi serventur.* Unde tertiam quandam homini partem adscripserunt Veteres quidam, quam exponit *Eusebius* de *virtute singulari, quâ terrenum corpus & ad imaginem Dei creata anima conjunguntur atque uniuntur.* Alii verò duplicem Animam singulis hominibus tribuerunt; veteres secuti *Manichæos*, in quibus errorem illum notat *Augustinus Hær.* XLVI. *& Lib.* VI. *c. Faust. Cap.* 8. imò integro *Libro de Duabus Animab. c. Manich.* uti & Syros *Iacobitas*, quos hoc nomine reprehendit *Rabanus Maurus*, imò & in quos hanc ob causam anathema Synodi Constantinopolitanæ sub *Basilio Imp. &* Adriano II. Papa contra *Photium* habitæ vibratum videtur *Canone* XI. Alii etiam occasionem hic arripuerunt allegorizandi, triplicem intelligentes Scripturæ explicationem, historicam, tropologicam, & al-

& allegoricum, in corde descriptam, quam habentes sua pace sanctificaturus sit Christus; uti discimus ex *Hieronymo*, qui ipse *famosam* hanc *quæstionem* nominat *Epist. ad Hedib. Qu.* XII. His omnibus missis, simplicior expositio est præferenda; aut illa *Calvini*, *Bezæ*, *Zanchii*, *Piscatoris &c.* de duplici Animæ Rationalis facultate sub distinctis nominibus quandoque veniente, ac utrâque à corruptione sanctificandâ & conservandâ; aut illa *Irenæi*, *Hieronymi*, *Chrysostomi*, *Gennadii*, quam etiam *Bullingerus*, *Aretius*, *Hyperius*, aliique ex nostris sequuntur, de inhabitante Spiritus gratia, seu parte regenerata, quæ sub nomine Spiritus carni sæpe opponitur, & cujus meminerit hic Paulus *vers.* 19. Ad textum *Hebr.* IV. 12. sequentia commentatur Venerandus Avus *Iohannes Cloppenburgius*; *Malumus ut Paulus, quamvis locutus de hominis Anima, tamen Spiritus & Animæ discretione non discreverit mentem à voluntate, sed utriusque & mentis & voluntatis facultatem promam à corde, seu id quod εἰσπορεύεται εἰς τὴν καρδίαν in cor ingreditur, ab eo quod ἐκπορεύεται intime ex corde egreditur Matt.* VII. 19. 21. *atque illud vocari* ψυχὴν *Animam, hoc* πνεῦμα *Spiritum. Disp. Sel.* XV. *Thes.* 12.

Ad tractationem Divinæ Imaginis transitur.

II. In ipsa verò creati hominis historia *Imaginis* mox *Divinæ* repetita est mentio, per quam à reliquis creaturis corporeis manifestè cum distinguatur homo, in eam diligentius inquirere operæ pretium est. Eo magis, quod concesso Imaginis hujus privilegio ad communionem qualemcunque gloriæ Christi evehatur homo, qui est εἰκὼν τοῦ θεοῦ *imago Dei invisibilis* 2 *Cor.* IV. 4. *Coll.* I. 15. quatenus non modo ut ὁμοούσιος Patri *character* est *personæ Patris Hebr.* I. 3. sed & insuper Patrem, ipsiusque arcana consilia, ac glorioſissimas perfectiones nobis veluti in speculo comtemplandas exhibet *Ioh.* I. 18. XIV. 9. *Rom.* III. 25. 2 *Cor.* III. 18. *&c.* Quamquam ex *Ambrosio*, *Augustino*, aliisque Veteribus, id hic Christum inter & homines reliquos observent discrimen *Scholastici* in phrasi, quòd Christus esse *imago Dei*, *ob expressam sc. paternæ claritatis unitatem*, homo vero esse *ad imaginem Dei* dicatur, propter *imperfectam similitudinem*. Insuper Imaginis hujus explicatio necessaria est, quod variantes variorum expositiones rem significatam eousque quibusdam dubiam faciant, ut jam olim *Epiphanius in Ancorato & Hær.* LXX. scripserit, Imaginem Dei quiddam esse

quod homini ſit ignotum, Deo autem ſoli conſtet; nec multo aliter *Johannes Gerhardus in Locis Comm. intellectum noſtrum plenam imaginis ejus effugere cognitionem, cujus jam dudum periit poſſeſſio.* Accedit etiam, quod hæreſi hic non uni obviam ſit eundum; tum *Anthropomorphitarum*, per quam gloria incorruptibilis Dei mutatur in ſimilitudinem imaginis corruptibilis; tum *Socinianorum*, per quam fœdatur recens ex manibus Dei prodiens creatura, ut artifice ſuo prorſus ſit indigna; tum *Pelagianizantium* etiam *Pontificiorum* & *Arminianorum*, per quam vel Juſtitia Originali homo primus privatur, vel inclinatio ad peccandum in ipſo ante lapſum agnoſcitur Juſtitiæ fræno aureo coërcenda, vel mortalitati etiam tum ipſe ſubjicitur. Tandem volupe erit, primam primorum parentum noſtrorum felicitatem contemplari, ut & ſuperabundantem Dei bonitatem agnoſcamus, & culpam noſtram humiles confiteamur, & ſimilia quin majora bona in Chriſto cum fiducia præſtolemur.

De diſcrimine aut convenientia vocum Imaginis & Similitudinis agitur.

III. Duplici voce צלם & דמות utitur Moſes, quibus reſpondent Græcæ εἰκὼν & ὁμοίωμα, Latinæ *Imaginis & Similitudinis.* Conjicere licet, à צלל *obumbrando* priorem fluxiſſe, quod umbra ſit veluti naturalis corporis imago, & primi pictores *umbram* tantum dederint, *hominis lineis circumductam*, apud *Plinium Lib.* XXXV. *Cap.* 3. Quo facit uſus ipſius vocis צלם/ *Pſal.* XXXIX. 7. ubi ſive legatur בצלם/ ſive כצלם/ *umbra* commodè notari videtur, quæ ob conjunctas tenebras inſcitiæ poteſt eſſe emblema, quæ nihil ſolidi in ſe continet, & quæ citiſſimè tranſit; ad quæ poſtrema cogitata, tum antecedentia, tum collationes frequentes dierum vitæ cum umbra tranſeunte *Job.* VIII. 9. XIV. 2. 3. *Pſ.* CII. 12. CXLIV. 4. *&c.* nos ducunt. Unde porro fluit obſervatio in rem præſentem non prorſus inutilis, omnem Dei ſimilitudinem non eſſe niſi levem umbram iſtarum quæ in Deo ſunt perfectionum. Prolixè laborant Patres & Scholaſtici in exponendo duorum horum vocabulorum diſcrimine, quod obſervatu neceſſarium vult eſſe *Baſilius Hom.* X. *in Gen.* niſi verbum otioſum & ſupervacaneum blaſphemè in Scriptura ponatur. Libenter ſane damus nos *Auguſtino*, quod poſt illum *Caſſiodorus* etiam, *Beda*, & alii obſervarunt; *omnem Imaginem ſimilem eſſe ei cujus eſt imago, nec tamen omne, quod ſimile eſt alicui, Imaginem ejus eſſe, ſicut in ſpeculo vel picturæ quæ imagines ſunt, etiam ſimiles ſunt, tamen ſi alter ex altero na-*

natus non est, nullus eorum imago alterius dici post ; Imaginem ergo tunc esse, cum de alio exprimitur. Oper. Imp. de Gen. ad Lit. Cap. XVI. Sed & simul existimamus, id discrimen in integra phrasi locum non habere : ubi enim *ad similitudinem* alterius aliquid fit, non jam id meræ Similitudinis, sed & Imaginis rationem ex hac relatione obtinet. Et manifestum est, fatentibus *Pererio, Emanuele Sa, Menochio, à Lapide, Tirino, Estio &c.* unum idemque utroque vocabulo apud Mosen significari, essque Hendiadyn, ut imago & similitudo sit imago simillima, sive *imago similitudinis*, uti legitur apud *Vulgatum Sap.* II. 23. Quam in rem proferunt cum nostris Theologis dicti etiam Autores; tum decreti divini de creando homine narratam executionem *Gen.* I. 27. ubi *Similitudinis* voce missa, bis *Imago* ponitur; tum continuam vocum duarum permutationem *Gen.* V. 1. IX. 6. *Iac.* III. 9. tum Imaginis denique usurpationem prò donis & qualitatibus hominis *Rom.* VIII. 29. I *Cor.* XV. 49. 2 *Cor.* III. 18. *Coll.* III. 10. Unde utraque neglecta voce simpliciter dixit Paulus, hominem novum κατὰ θεὸν κτισθέντα *secundùm Deum creatum Eph.* IV. 24. Aliter tamen multi judicarunt *Patres*, & post hos *Pontificii* vulgo. Unde *Bellarminus Cap.* II. *de Grat. Pr. Hom. Communem expositionem Patrum docere ita accipiendum esse textum Mosis, ut Imago ad naturam intelligentiæ & voluntatis, Similitudo ad sapientiam & justitiam referatur.* Qui tum ex hac hypothesi urget, *cogi nos admittere Adamum peccando, non Imaginem Dei, sed Similitudinem tantum perdidisse.* Certè si hæc Imaginis & Similitudinis distinctio ita urgeatur, ut homini primo tantum Imago Dei tribuatur, Similitudine homini per Christi gratiam reformando & suscitando postea servatâ, quemadmodum quosdam voluisse notat *Augustinus Quæst.* IV. *sup. Deuteron. & in fine libri de Gen. ad lit. Imperf.* aut ut Similitudo tantum ad hominis officium referatur ; propriis etiam peccatoris viribus præstandum, quem in sensum accipi posse videtur *Basilii & Chrysostomi* commentatio, errorem continet neutiquam in Ecclesia tolerandum. Alias simplex vocum distinctio non videtur magni esse ponderis, & placet *Riveti* nostri judicium, qui ob eam neminem *erroris pernicioſi, multo minus hæresios, arcessendum* statuit, *Exercit.* IV. *in Genesin.*

IV. Nodum in scirpo hic novum quærunt quidam, videri sci-

Iis vocibus non significatur hoc directè aliquid in Deo, sed in homine.

scilicet *Imaginem & Similitudinem Dei* hic aliquid esse non in homine, sed potius in Deo, cum illa in phrasi considereretur ut exemplar ad quod homo conformetur. Ex hac hypothesi alii jam intellexerunt per Imaginem Ideam & Exemplar hominis in proposito Dei; quod *inepte & futiliter dici*, recte observat *Pererius*, tum quod sic nihil eximium de homine præ reliquis creaturis omnibus diceretur, tum quod illa non Imago Dei, sed hominis potius ipsius foret. Alii verò Filium Dei, qui vere ejus Imago, & ad cujus imaginem per sanctificationis gratiam nos conformari alibi docet Scriptura *Rom.* VIII. 29. I. *Cor.* XV. 49. *&c.* Tribuit opinionem istam *Origeni* & aliis quibusdam *Ben. Pererius*, qui tamen nonnulli fortè *Dei* vocem potius personaliter ad Filium applicarunt, quam alteram *Imaginis*. Ulterius etiam progressus *Rupertus Lib.* II. *de Trin. Cap.* 2. Imaginem & Similitudinem in hoc differre notat, *quod imago unius imago sit, similitudo autem nunquam minus quam duorum similitudo*, atque propterea contendit non modò per Imaginem Filium, ab uno Patre genitum, sed per *Similitudinem* etiam *Spiritum Sanctum* intelligi, *communem Patris & Filii bonitatem sive caritatem;* novo sic, ut quidem videtur, argumento stabiliens decantatam Trinitatis in homine Imaginem. Sed contra talia cogitata satis disputavit *Augustinus Lib.* VII. *de Trin. Cap.* 6. *&* Cap. 16. *de Gen. ad lit. imp.* arguens ex phrasi *Imaginis Nostræ*, hic non unum intelligi Filium, qui etiam non plurium sed unius Patris imago & character dicitur. Nec ullo Scripturæ exemplo demonstratum dedit *Rupertus*, Similitudinem Dei ejus Spiritum exprimere. Est ergo Imago Dei etiam Imago Filii, quatenus eandem habet cum Patre vitam, & sanctitatis omnis perfectissimum existit exemplar. Est Similitudo Dei etiam similitudo Spiritus, ob eandem essentiæ & virtutis unitatem. Sed nec Similitudo ipse Spiritus, nec Imago hic loci Filius. Ad Imaginem & in Imagine alterius cum res aliqua esse aut fieri dicitur, non aliquid in typo, sed tantum similitudo in ectypo significatur, uti ex plurimis exemplis, & perpetuo usu liquet *Gen.* V. 3. *Ps.* LVIII. 5. *Dan.* X. 16. *Rom.* VIII. 3. *&c.*

Conquisitæ quædam Divinæ Imaginis in homine explicationes,

V. Varias Divinæ Imaginis explicationes, quæ apud Judæos leguntur, habet *P. Fagius*; inter quas illa de hominis primi unitate in mundo, & dè individuorum singulorum dissimilitudine, & dè viri per fœmellam prolificatione, in quibus sc. unitatem Dei, infini-

finitam ejus majeſtatem, atque operationem per Angelos, referat homo. Similia plura adjicit *Abulenſis*, de unitate Animæ, & præſentia ejus in toto corpore, de ejus intaminabilitate per corporis ſordes, de omnia videntis inviſibilitate, de perpetua vigilia, &c. in quibus perinde Dei aliqua ſimilitudo deprehendatur. Nec diffitendum, hæc & ſimilia apud Patres quandoque legi, nominatim apud *Ambroſium Cap.* 11. *de Dign. Hum. Cond.* quæ tamen partim minus vera, partim parum à Moſe conſiderata, partim homini nequaquam propria ſunt. *Anthropomorphitarum* autem celebris eſt hæreſis, in Syria & Ægypto olim graſſata, quæ Deo humani corporis figuram, præſtantiſſimam ſcilicet, adſcripſit, vel ut *Auguſtinus*, *Deum finxit cogitatione carnali in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* *Epiphanius* Schiſmaticos eos eſſe voluit, ob ruſticitatem parcens, ne dicantur Hæretici. Hi, uti ex viſionibus Dei multifariis, membrorumque humanorum frequenti mentione, ita præcipuè etiam ex Imagine Dei in homine, ſententiam ſuam ſtabilire conati ſunt; cauſantes, non animam, ſed hominem totum ad Imaginem Dei eſſe conditum, corporis ergo non minus quam Animæ reſpectu. Eâdem ex hypotheſi poſtremâ fluit opinio, ſub *Eugubini & Oleaſtri* nomine paſſim celebrata, Deum in humana forma aſſumpta hominem, & allocutum eſſe, & creaſſe, & ad hanc in Imagine ſui reſpexiſſe; imò & alia antiqua, hominem factum eſſe ad ſimilitudinem Filii Dei, juxta æternum decretum ſuo tempore incarnandi.

juxta eam quæ ad corporis exteriorem formam eandem variè refert.

VI. In contrarium paſſim diſputant Patres, tum ex Dei ſpirituali natura, tum ex hominis in Imagine hac Dei ſupra bruta excellentia. Sic *Ambroſius* ad hunc textum; *Quis hoc dicit? nonne Deus qui te fecit? quid eſt Deus? caro an Spiritus? non caro utique, ſed Spiritus. Cujus ſimilis caro eſſe non poteſt, quia ipſe incorporeus & inviſibilis eſt, caro comprehenditur & videtur. Hexaem. Lib.* VI. *Cap.* 7. Spiritualem certe Dei, ac inviſibilem, nec ulla forma corporea exprimendam ejus naturam, tam luculenter docet & Scriptura & ratio, ut debeant nec poſſint aliter, quam de divinis operationibus, uti etiam obſervavit *Theodoretus*, exponi membra Deo tributa; ipſiuſque viſiones pariter vel ad mentis noſtræ cognitionem, vel ad præſentiæ ejus emblemata, vel ad ecſtaticos raptus, vel ad λόγον σαρκοφόρον, ſic Chriſtum vocat *Nonnus*, referri. *Imaginis* vocem Hebræam non formam modò

ſenſibilem, ſed & inſenſibilem notare, ac eo ſenſu hoc loco debere accipi, *Kimchius* ipſe monet *in Radicibus*, idemque in aliis obtinet linguis. De perſona hominis quod dicitur, propterea ad utramque partem non debere extendi, exemplis ab ortu hominis ex terra, & reditu ejus in pulverem, & ſimilibus aliis, luculenter probatur. Quamquam nec Corpori Divinæ Imaginis communicationem omnem hoc ipſo denegemus, quo lineamenta externa inde excludimus. Alterum præcipuum contra ſententiam iſtam argumentum eſt ab hominis ſupra creaturas reliquas excellentia, quæ in corpore per ſe tanta non conſpicitur. Quod primò urſit Apoſtolus *Actor.* XVII. 29. ex eo quod nos præ reliquis creaturis *Dei genus* ſimus concludens, id in quo Dei gerimus imaginem nobis cum argento, auro, & pretioſiſſimis corporibus, commune neutiquam eſſe. Et ſequitur *Auguſtinus Lib.* III. *de Gen. ad lit. Cap.* 20. *Intelligimus in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit.* Porro formam corpoream à Deo in hominis creatione aſſumptam fuiſſe, abſque ullo fundamento dicitur; & ſive vera illa, ſive phantaſtica fuiſſet, Dei ipſius inde Imago deduci non potuiſſet. Vera etiam ſi aſſeratur fuiſſe, difficultates de duplici Incarnatione, ac Triunius Dei quidem, & humani corporis iſtius hiſtoria, ſunt ſatis inſolubiles. Denique non homines Chriſto incarnando eſſe aſſimilatos, ſed Chriſtum *hominibus ſimilem* eſſe factum dicit Scriptura *Rom.* VIII. 3. *Phil.* II. 8. *&c.* Et ſupponit omnino decretum mittendi Chriſti creationem non modo hominis, ſed & lapſus humani permiſſionem 1 *Tim.* I. 17. *Matth.* XX. 28. *&c.* unde in prima hominis creatione reſpectus talis ad Chriſtum ægre admitti poteſt. Quicquid cum *Scotiſtis & Socinianis* contrarium urſerit *Andreas Oſiander. Si enim non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet, & ſi non haberet ſanguis juſtorum inquiri, nequaquam ſanguinem habuiſſet Dominus*, inquit *Irenæus Lib.* V. *Cap.* 13. qui tamen ab ipſa hypotheſi dè Imagine Dei, quam nunc impugnamus, non alienus eſſe videtur *Cap.* 14.

Imaginis Divinæ in homine generalis complexus & diviſio.

VII. Quid opus eſt multis? Ipſe vocum ſonus docet, *Imaginem Dei* κατ' ἐξοχὴν id denotare in homine, in quo ſupra creaturas alias corporeas excellit Deumque refert ipſe; vel ut magni Theologi *Friderici Spanhemii Par.* verbis utar, *complexum omnium illarum perfectionum, quas Deus homini velut ectypo ſui in crea-*

creatione impreſſit, & quibus eum referre voluit aliquo modo perfectionem ſui velut archetypi & prototypi. Ut heic ante omnia ſpectanda veniat I. *Spiritualis* & Immortalis Animæ Natura cum *Facultatibus* ſuis diſtinctivis *Intellectus & Voluntatis.* II. Dein Animæ hominiſque totius *Rectitudo*, *Sapientiam* ac intaminatam *Sanctitatem* præcipue complexa. III. Tum *Dominium* latiſſimè extenſum, atque felicitatis morte non interrumpendæ *Perpetuitas.*

Spiritualem Animæ naturam Imaginis Divinæ partem conſtituere monſtratur.

VIII. Animam *Spiritualem*, adeoque Incorpoream, Inviſibilem, Immortalem, Intelligentem & Volentem, ad Imaginem Dei referre jubet, præter univerſalem ferè Theologorum Veterum & recentiorum conſenſum, Scriptura pariter & rei ipſius juſta conſideratio. Cum enim Imago Dei id dicat in homine, in quo hic Creatorem ſuum ſupra inanimata corpora & bruta animantia refert, quo jure aut quâ ſpecie hinc præcipua & eſſentialis hominis pars excludi poterit? cujus poſſeſſione quam longè ſupra creaturas corporeas, viſibiles, mortales, ac irrationales, excellit, tam prope ad Deum ipſum accedit, ſpiritum utique ἀόρατον, ἄφθαρτον, ἔχοντα ἀθανασίαν, σοφὸν, ac verè ἀνυπέξοτον, 1. *Tim.* I. 17. VI. 16. *Eph.* I. 11. *&c.* Alia hic omnino eſt ratio conquiſitarum quarundam ſimilitudinum, quæ ſive in meris negationibus, ſive in externis quibuſdam relationibus conſiſtunt, atque apud Judæos leguntur, quas neque propterea ad Imaginem Dei referre volumus, niſi quatenus nonnullæ fortè ex Spirituali Eſſentia Animæ immediatè ſequuntur: alia eſſentialis partis, hominem conſtituentis. Præit etiam Scriptura non uno loco, homini lapſo ex primæva integritate Imaginem tamen Dei tribuens, uti *Gen.* IX. 6. *Qui ſanguinem hominis effundit, ejus ſanguis per homininem effundetur, quia* in *Imagine Dei fecit hominem.* Ubi manifeſtum ſatis eſt, rationem additam non ſpectare ad Judicem ut Dei vicibus fungentem, nec ad homicidam, quem conſcientiæ dictamen à ſcelere abſterrere debuiſſet: ſic enim nimis obſcurus foret ſermo Legiſlatoris. Sed reſpicitur ad excellentiam hominis ſupra bruta animantia; nec præteritam illam modo ac dudum ab univerſo hominum genere deperditam, ſed præſentem adhuc, contra quam ſcilicet per homicidium graviter peccaretur. Certè uti videre n queo vim ſufficientem hujus ratiocinii, ſi ſenſus ſit, *neminem eſſe dominum vitæ hominis niſi Deum, quia creatus fuit cum imagine Dei*, jam ſcilicet ablata;

ita vix operæ pretium eſt recenſere violentas dicti hujus torſiones, ſive ad Imaginis hujus, olim datæ, Divinam ab homine Ablationem, qui propterea non magis à fatre ſuo ſit puniendus, ſive ad poſſibilem ejus in homine per gratiam Reſtitutionen, quæ utique certum fundamentum interdicti homicidii judicari nequit. Unde placet magis ingenua conceſſio Doctiſſimi Theologi *Joh. Gerhardi ad h. l. Ideò ſanguis homicidæ per magiſtratum effundi debet, quia homicida violavit Divinam Imaginem in occiſo.* Similis planè eſt ratio loci alterius *Iac.* III. 9. ἐν αὐτῇ καταρώμεθα τὸν ἀνθρώπους τοὺς καθ' ὁμοίωσιν θεοῦ γεγονότας. Qui uti nullam reſtrictionem in ſe continet ad homines ſanctificatos, ita an non magnam vim patiatur hunc in modum tranſlatus, *eâ* (lingua ſcilicet) *execramur homines, qui ad imaginem Dei exſtiterunt*; ex communi Interpretum antiquorum & recentium verſione, ex frequenti uſu vocis γίνομαι, & ex aggravationis Apoſtolicæ intuitu, quibuſque judicandum lubens relinquo.

Idem ulterius oſtenditur, etiam ex loco Act. XVII. 29.

IX. Accedit diſcurſus Apoſtolicus *Act.* XVII. 28. 29. ubi homines, lapſos certè, utpote Deum ignotum colentes, *Dei genus* poſt *Aratum* ipſe Paulus vocat; non eam tantum ob rationem, quod Deum hi habeant Creatorem, ſed quod Deo præ reliquis etiam creaturis, ut ſunt filii parentibus, ſint ſimiles. Quam ſimilitudinem manifeſtè collocat in Natura Spirituali, quæ hominibus peculiaris eſt, concludens ex priori aſſertione, *auro & argento, aut lapidi*, i. e. rebus corporeis etiam præſtantiſſimis, τὸ θεῖον οὐκ εἶναι ὅμοιον. Is ſenſus tam apertus eſt, ut alium reperire non potuerit *Cel. Coccejus*, ſic ſcribens *de Fœdere Cap.* II. §. 22. *S. Paulus Act.* XVII. 29. *ex eo, quod homo præ beſtiis imago Dei eſt, conſicit Deum eſſe inviſibilem & minimè effigiabilem, vel per materiam ullam, vel per artificium, vel per cogitationem humanam. Quippe homo non eſt imago Dei eâ parte qua beſtiis ſimilis eſt: ſed Imaginis Dei ſedes eſt pars ſpiritualis.* Agnoſcimus in poſtremis verbis amphiboliam, ſed oppoſitio ad antecedentia, atque monſtrata ratiocinii Apoſtolici vis docet, prorſus in receptam ſententiam commentatum huc uſque Interpretem eſſe. Qui & alibi, *ſtatuam appellari imaginem ejus ad quem effigiandum facta eſt primitus, etiamſi vultus detritus & deletus ſit, Comment in Gen.* III. §. 159. itemque *rudera ſive veſtigia imaginis Dei in homine exſtare*, vi veritatis fatetur, *Exam. Apol.* §. 190. Conſtanter ſatis

Scri-

Scripturæ phraſin hic ſecuti ſunt Patres; etiam quandò *Similitudinem* ad dona Sapientiæ & Juſtitiæ retulerunt, *Imaginis* vocem ad naturam reſtringentes, ac inter *Origenis* errores hoc numerarunt, homines per peccatum ἀπολέσαι τὸ κατ' εἰκόνα, *perdidiſſe eſſe ad imaginem*. Omnium voces cum hic allegare nimis longum foret, unus ſufficiat *Ambroſius*; *Non ergo caro poteſt eſſe ad imaginem Dei, ſed Anima noſtra, quæ libera eſt & diffuſis cogitationibus atque conſiliis huc atque illuc vagatur, quæ conſiderando ſpectat omnia*, inquit *Lib.* VI. *Hexaem. Cap.* 8. Atque iterum *in Exhort. ad Virg. In quo ad imaginem Dei ſumus, niſi in Animæ ſubſtantia & mentis vigore?* De Gentilibus conſtat, eos animam ob Dei Similitudinem *particulam divinæ auræ* vulgo, ſive θεῖόν τι *divinum aliquid* cum *Plotino*, ſive *Dei imaginem quandam* appellaſſe, uti apud *Ciceronem in Conſolatione* legitur.

X. Lubuit tamen *Proteſtantibus* quibuſdam aliter hic ſtatuere, *veritis*, uti hoc eorum πρῶτον ψεῦδος exponit Vir Celeberrimus *Andreas Rivetus Exercit.* V. *in Gen. ne aliquid ex hac ſententia Flacio Illyrico accedat*, Peccatum Imagini Divinæ oppoſitum Subſtantiam eſſe urgenti. Quorum rationes poſtquam ad examen vocavit Doctiſſimus hic Theologus, concludit merito, *dolendum eſſe Viros Doctos iſtiuſmodi argutiis indulgere, & controverſias multiplicare, ubi opus non eſt.* Modeſtius hic diſputat *Ioh. Gerhardus in Loc. Commun.* ex *Col.* III. 10. *Eph.* IV. 24. 2 *Cor.* III. 18. Imaginem Dei non eſſe ipſam Animæ rationalis Subſtantiam, aut illius Attributa Eſſentialia, *ſi Scripturæ phraſin imitari velimus*, iis (id addere debuiſſet) in locis; quibus aliorſum reſpicere Paulum uti libenter damus, ita ab hac appellatione ipſum planè excludere Animæ naturam, nondum nobis liquet. Confidentius *Celeb. Coccejus* aſſerit, nec ſemel, ſed paſſim inculcat; *Anima non eſt Imago Dei per ſubſtantiam ſuam, Imago Dei non ſunt facultates animæ*; *veniam* tamen *poſſe dari iis* exiſtimans, *qui ſic Mentem dicunt Imaginem, quemadmodum Tabulam, quæ picturam habet aut habuit, Imaginem dicimus. Summ. Theol. Cap.* XVII. Rationes addit, *quod non habeat Divinam Eſſentiam* homo: ſed non facit *Iſid. Peluſiota* autoritas, ut id ſit neceſſarium ad Imaginem conſtituendam, quam εἰκονίζειν τὴν ἐκ πάγματος φύσιν, ἃ μὴ ἀπαραλλάκτως, *Phavorinus* rectè obſervat. Alias nec hominis Pictura ejus Imago dici poſſet, quæ Eſſentiam Humanam non habet; nec

Objectionibus aliorum diſſentientium ſatisfit.

in ſapientia aut ſanctitate pariter Dei Imago quærenda foret, cum nec divinæ perfectiones in hominem transfundantur. Dein *infinitam* monet eſſe *diſtantiam inter ſpiritualitatem Dei & animæ, non magis* hanc *convenire quam eſſentiam animæ & corporis*, convenientiam hic tantum *in negativo conceptu incorporeitatis*, aut ſimpliciter in τῷ ἑνὶ, *non in eſſentiæ proprietate, & vera ratione, l. a. de Fæd.* Sed infinita diſtantia, qualis etiam eſt inter Sapientiam ac Sanctitatem Dei & hominum, utramque illi ſoli hinc vindicatam 1 *Tim.* 1. 17. *Apoc.* XV. 4. *Matt.* XIX. 17, *Iob.* XV. 15. *&c.* ſimilitudinem analogicam non tollit, ſemper manens inter Creatorem & Creaturam. Quâ ſuppoſitâ non in negativo tantum conceptu incorporeitatis, aut generali τῷ ἑνὶ, ſed in Natura Intelligente ac Volente, convenientiam hic cum Scriptura conſtituimus: concedente ipſo etiam Viro Doctiſſimo, *vivere, intelligere, velle, poſſe, tenuiſſima adumbratione homini cum Deo communia eſſe.* Tum adjicit, Naturam Spiritualem ejuſque Attributa iis eſſe communia, quibus Imago Dei neutiquam tribui debet; Durationem item ſine fine cœlo & terræ, invilibilitatem & ſpiritualitatem Dæmonibus. Sed aliud eſt Duratio Univerſi, cujus partes continuo intereunt & mutantur, aliud Immortalitas ex indiviſibili animæ natura fluens: & quam in Dæmonibus conſtituit primum, ut ipſum glorificarent, ac liquit aliquam poſtea, ut pœnam experirentur, ſui Similitudinem Deus, eam ipſis denegare noſtri non eſt arbitrii. Anima, ſic pergit, vera ſapientia & ſanctitate deſtituta, prorſus eſt deformis, Deo diſſimilis, ſimilis pecudibus *Pſ.* XLIX. 20. 21. *Ind. verſ.* 10. imò gerit Imaginem Diaboli. *Et quomodo dici poteſt, homines eſſe in poteſtate tenebrarum & eſſe tenebras, ſi ſunt Imago Dei? nunquid etiam Deus eſt tenebræ? Ad Gen.* III. §. 159. Verum diſtinctione naturæ & vitii, quod homo culpa ſua contraxit, & quod naturam læſit equidem ſed non ſuſtulit, nodus hic facillimè ſolvitur. Tandem non poteſt, ſecundum judicium Viri Magni, Mens aliter hic conſiderari, quam ut *Tabula* in qua Imago pingitur, quæ ipſa Imago non eſt. Verum, ut reſpectu Sapientiæ & Sanctitatis Anima tabula dici poteſt, ita reſpectu integræ Imaginis in complexu ſuo talem eam eſſe, gratis ſumitur. Et ſi quod aliud ſimile hic ſubſtituendum eſt, *Statuam* ego nomino, quæ tractus & lineamenta hominis, quem refert, retinet, etiamſi colores prorſus ſint difformes, longe ſcilicet ſimilior, ubi decentes etiam colores adſunt.

XI.

Digitized by Google

XI. Ab Eſſentia Animæ Spirituali progredimur ad Hominis *Rectitudinem* primævam, quam ei denegare impium, conceſſam verò ab Imagine Dei excludere ſtultum eſt. Unde ſive Imaginem Dei in Scripturis de Rectitudine exponi, ſive Rectitudinem primis hominibus tribui probamus, pariter aſſertio noſtra ſtabilitur, contra *Socinianos* & quoscunque *Pelagii* ſectatores. Judicioſè id obſervavit Vir Doctiſſimus *Johannes Hoornbeek Soc. Conf. Lib.* III. *Cap.* 2. *Qui agnoſcet*, inquit, *illam concreatam in homine Juſtitiam, nullo ſcrupulo in ea quoque Imaginem Dei deprehendet, eo magis, quo hac ratione homo Deo ſimilior & proximior apparet, quam ullâ aliâ.* Vocabulo hic utimur *Rectitudinis*, quod legimus apud Salomonem *Eccl.* VII. 29. *Integritatis* item, *Bonitatis*, *Juſtitiæ*, & quidem *Originalis*, quin etiam *Innocentiæ.* Eſt tamen inter illa, ſi propriam ſignificationem ſpectemus, diſcrimen haud leve; quod callidè diſſimulant Adverſarii. Etenim, ut nunc non dicam, Juſtitiam Originalem non abſolvere plane hanc Rectitudinem, aliud eſt *Innocentia*, quæ negativè vel *ſceleris puritatem*, ſive univerſalem & abſolutam, ſive particularem & comparatam, vel *ſimplicitatem* infantilem notat; aliud *Rectitudo*, quæ, creaturæ rationali tributa, poſitivam conformitatem cum divina voluntate ſignificat, ex perpetuo Scripturæ uſu, vociſque ipſius natura, quidquid obloquatur *Smalcius de Dei Fil. Cap.* VII. atque *Grotius de I. B. & P. Lib.* II. *Cap.* 2. Qui poſterior Vir Cel. ibidem Rectitudinem exponit per ſimplicitatem, ignorationem vitiorum ex *Juſtino*, nullam malam libidinem, vitamque ſine probro & ſcelere ex *Tacito*, mali neſciam & adhuc aſtutiæ inexpertam ſimplicitatem ex *Macrobio*; quaſi verum aliquid aſſecuti Gentiles id omne exhauſiſſent. Diſtincta ſunt omnino apud Hebræos יָשָׁר & תָּם / uti ex *Pſ.* CXI. 1. CXII. 2. CVII. 42. CXL. 14. *Prov.* XXIX. 27. & innumeris aliis locis, ubi hæc vox occurrit, patere poteſt. Hinc transferunt Græci per ὀρθὸν, ἰυθῆ, δίκαιον, ἀληθῆ, quorum nota eſt ſignificatio. Nec aliud *rectum* Etymologis, quam quod facilè gubernatum, quod quadrat regulæ, quod verum, quod juſtum, quod ſanctum. Intelligimus itaque & nos hic eam Sapientiæ & Sanctitatis Perfectionem, per quam Deus decenter à creatura glorificatur, quæque vires Intellectus & Voluntatis ad eam glorificationem ſupponit integras.

A dRectitudinem hominis transfertur quæ plus dicit quam Innocentia.

XII. Atque in hac quidem *Rectitudine* ſeu *Integritate* Scriptura paſ-

Eam Rectitudinem præcipuè constituere Divinam Imaginem monstratur.

passim constituit *Imaginem Dei*; quando ad imitationem Dei nos hic hortatur; hic κοινωνίαν τ῀ θείας φύσεως ponit; hac carentes à similitudine Dei excludit; imò hanc ipsâ *Imaginis* voce non semel exprimit. Primi generis loca sunt *Lev.* XI. 44. 45. XIX. 2. XX. 26. *Matt.* V. 48. *Eph.* V. 1. 1. *Pet.* I. 15. 16. *&c.* quibus Perfectissima Dei Sanctitas non tantum nobis proponitur ut ratio quæ nos impellere debet ad idem studium, sicuti natura ipsa Philosophos ac inter hos *Plotinum* docuit, τὸ ἀγαθὸν καὶ καλὸν ἡ ψυχὴ γίνεσθαι ὁμοιωθῆναι θεῷ, seu *pulcritudinem & bonitatem animæ consistere in Dei similitudine Enn.* I. *Lib.* 6. sed amplius ut exemplar, ad cujus infinitam perfectionem homo quidem nec pervenire unquam nec se perventurum sperare potest, ad cujus tamen similitudinem quandam per omnia contendere debet, quod iterum voluit *Plato*, Deum dicens ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον, *nobis omnium rerum mensuram, de LL. Lib.* IV. Secundum quod proposuimus habet *Petrus* 2 *Pet.* I. 4. non intelligens per illam *divinæ naturæ communionem* unionem cum Deo per gratiæ ipsius exhibitionem, sed divinæ sanctitatis & sapientiæ qualemcunque participationem, quæ hic inchoata, post hanc vitam consummanda, beatæ immortalitatis lætum parit fructum, ad quam τὰ μέγιστα καὶ τίμια ἐπαγγέλματα nos ducunt 2 *Cor.* VII. 1. 2 *Pet.* III. 11. 12. 1 *Joh.* III. 3. *&c.* quæ opponitur τῇ φθορᾷ ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ, & ad cujus studium prolixa subsequitur Petri cohortatio. Nec alieni quidpiam habet ea phrasis Petri à reliquis Scripturis, in quibus non modo Sapientia & Sanctitas inter perfectiones Dei continuò numerantur, ipsique soli vindicantur modo perfectissimo, sed & in abstracto ipsi tribuuntur, ac nomen ejus formant, *coll. Iob.* IX. 4. *Ies.* VI. 3. *Rom.* XVI. 27. *Apoc.* XV. 4. *Luc.* XI. 49. 2. *Chron.* XX. 21. 1. *Sam.* II. 3. *Iob.* VI. 10. *&c.* Imò vero agnoverunt idem Philosophi, appellantes Deum modò σοφὸν & σοφώτατον cum *Platone*, modo ἀυτάγαθὸν καὶ ἀυτοκαλὸν cum *Plotino*. Tertium, quod diximus, homines rectitudine hac destitutos Deo dissimiles esse, dicunt loca 2. *Cor.* VI. 14. *Ioh.* VIII. 44. *Eph.* IV. 18. 1. *Cor.* XV. 49. *&c.* Cum quibus vulgò jungi solet illud Mosis *Gen.* V. 3. Adamum genuisse filium Sethum בדמותו בצלמו / *in similitudine sua, in imagine sua*; quamquam id non ab omnibus de dissimilitudine Dei accipiatur, sed vel de similitudine virtutis Adamicæ in oppositione ad Kainum injustum, vel rectius de eadem natura humana,

in

in filios propagata. Vide quæ de ſenſu iſtius loci nos diximus *EXERC. MISC. DISP.* VII. Denique Rectitudinem hanc vocari vel conſtitui in ea Dei Imaginem, liquet ex *Rom.* VIII. 29. 2 *Cor.* III. 18. *Eph.* IV. 24. *Col.* III. 10. *&c.* Ubi illa Rectitudo ubique intelligitur, ad quam vocantur electi, mutantur per Spiritum Dei credentes, renovatur novus homo, lucis & ſanctitatis cœleſtis particeps.

De Novo Homine agitur & quo pacto is nos ad conformationem Adami primam ducat.

XIII. Notum eſt, poſtremam Apoſtoli phraſin *Novi Hominis* à Veteribus nonnullis ad Chriſtum trahi, formatum virtute divina in utero matris abſque peccato, qui ut *ſecundus homo* Adamo opponitur 1 *Cor.* XV. 47. & quem induere debent Chriſtiani, *coll. Rom.* XIII. 14. Qui ſenſus, ut alibi, ita apud *Hilarium* legitur *Lib.* XII. *de Trin.* nec rejicitur prorſus à *Zanchio* noſtro. Liquet tamen ex oppoſitione veteris hominis, & attributa in altero ad *Coloſſenſes* dicto novo homini ἀναχαινώσει, interpretationem illam eſſe coactam: quâ nihilominus poſita, illud quod diximus de Imagine Dei verum manet, cuicunque tribuatur Perſonæ, etiam ſi abſque ulla neceſſitate illud ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας ex veteribus Scholiis ad remotius verbum ἐνδύσασθαι referatur. *Sociniani* iſthæc nihil ad rem præſentem facere autumant, quandoquidem aliam Dei Imaginem in Adamo per Creationem, aliam in credentibus per Regenerationem ponunt, & manifeſtum eſt, de his non de illo hic agi. Aperte ſic ſatis etiam *Grotius ad Col.* III. 10. *Adamus ad quandam Dei imaginem conditus, intellectu, liberâ voluntate, dominatu: at nos ad longè perfectiorem, qualem Chriſtus exhibuit, juſtitia, ſanctitate, veritate, bonitate.* Verum eſt hæc gratis aſſumpta hypotheſis; & ſufficit nobis omninò, interpretationem Divinæ Imaginis, quam dat Scriptura Sacra, cum noſtrâ convenire. Varios habet, fatemur, Divina Imago perfectionis gradus, variiſque conſtat partibus: ſed eam, dum abſque ulla reſtrictione primis hominibus tribuit Spiritus Dei, pro lubitu noſtro refingere, ſenſu leviſſimo intelligere, & capite truncare, non decet. Accedit, ipſam vocem *creandi* ad primum creati hominis hiſtoriam nos ducere, ad cujus ſcilicet ſimilitudinem gratia nos reducit paulatim. Imò dicit *renovatio*, ἀναχαίνωσις, ἀνανέωσις, manifeſtè conformationem ad priſtinum decus, ubi repetitionem actus præpoſitio ſignificare nequit; ſicut ἀναζάω eſt ad *priorem vitam redeo*, ἀναπήφω *priſtinam mentis ſanitatem recipio*,

ἀναγνωρίζω *antea cognitum denuo cognosco*, ἀναχωρέω *redeo ad eundem locum* Luc. XV. 24. 2 *Tim.* II. 26. *Act.* VII. 13. *Matt.* IV. 12. *&c.* Quam vocis vim dissimulat *Grotius*, scribens tantum, eam addi, *quia quotidie magis magisque proficiendum est in via pietatis*: quod vere tamen non ex ipsa voce, sed ex temporis præsentis usu, & officii perpetuitate sequitur.

Sanctitas Veritatis quo sensu à Paulo dicatur.

XIV. Quod observat Celeberrimus Theologus *Joh. Coccejus* ad *Eph.* IV. 24. ἡ ὁσιότητα τ᾽ ἀληθείας denotare *sanctum studium veritatis*, nihil in se quidem absurdi continet, cum sanctus amore & studio veritatis ducatur: non tamen câ se aut subtilitate aut soliditate commendat, ut cum contemptu receptæ & simplicissimæ expositionis continuò inculcari mereatur. Nihil familiarius apud Hebræos, quos N. T. Scriptores imitantur, quam Substantivum, quod ab alio simili repitur, esse loco Adjectivi. Nihil etiam hic simplicius, quam *Sanctitatem Veram* notari, cum oppositione tum ad ἡ καθαρότητα τ᾽ σαρκὸς sive sanctitatem ceremonialem, tum ad ὑπόκρισιν sive pietatis speciem exteriorem. Eâdem formâ loquendi dixerat *vers.* 12. τὰς ἐπιθυμίας τ᾽ ἀπάτης *concupiscentias seductrices*, à quibus πειράζεται ἕκαστος, ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος *tentatur unusquisque abstractus & inescatus*, *coll. Jac.* I. 14. Sanctitas etiam vera quoad rem vix differt ab amore, studio, & constanti proposito boni; non tamen vel vox Græca ὁσιότης, vel Hebræa חסד / per se *studium* significat, quam interpretantur apud Virum Doctum Judæi חסידה ויתרון המובה / φιλανθρωπία & ἀγαθότης, atque exponunt Lexicographi omnes *benignitatem*, *misericordiam*, *sanctitatem*, *pietatem*, *probitatem*, unus Vir Doctus ubique fere vertit, aut *studium* simpliciter, aut *studium pii*, *recti*, *boni*. Quin & vetus sit licet observatio *Drusii ad Act.* II. 27. respondere τῷ חסיד Hebræorum Græcum ὅσιον, non tamen id semper obtinet, frequenter vertentibus τοῖς LXX. abstractum per δικαιοσύνη *Gen.* XXX. 10. 11. *Exod* XXXIV. 7. *Jes.* LXIII. 7. *&c.* frequentissimè per ἔλεος. Tandem nec ullo exemplo demonstratum hactenus video, ad Græcam sive Hebræam hanc vocem adjectam in genitivo alteram, vel *veritatis*, vel *bonitatis*, prioris exprimere objectum, illâ sufficienter comprehensum, si, uti non incommodè transfertur, *studium pii*, *recti*, *boni*, illa ipsa per se notet. Nec ulla est ratio, quæ interdicat cum *Interpretibus Belgis* vocem *Veritatis* tam ad *Justitiam* quam ad *Sanctitatem* referr-

ferre; ut loquatur Apostolus de *Vera Justitia* pariter & *Sanctitate*.

XV. Magis culpandus videtur Vir Doctus, quod *Justitiam* exponat de jure vitæ æternæ per Christi merita nobis acquisito, sive, ut pluribus ille, de *jure exspectandi*, *ut Christus nos suâ gloria impleat*, & *ita simus conformes imagini ejus in gloria*. Perit sic necessariò argumentum ex hoc loco adversus *Socinianos* petitum, quan loquidem Adamum non habuisse in proposito explorationis curriculo *jus habendi Deum in se & exspectandi impletionem gloriæ* i. e. vitæ æternæ, est apud nos in confesso, & sequitur hinc necessario *aliqua differentia inter Imaginem Dei creatam in homine primo, & illam quam accipimus à Christo Domino nostro*. Imò non aliqua, sed maxima, si quod præmisit Vir Cel. *imprimis* sit Justitia hæc illud, in quo *secundum Deum* est Novus Homo. Ἀκυρολογίας etiam intolerandæ rea est turba omnis Theologorum, quæ *Justitiam Originalem* Adami inculcavit; quin & *Catechesis* nostra *Heidelbergensis*, primum hominem ex hoc Pauli loco describens, *ut Vera Justitia & Sanctitate præditum*, *Domin.* III. *Quæst.* 6. Et quæ est hic quæsò necessitas devia quærendi? Denotat scilicet quandoque Justitia Fidem, ut *Jes.* LVI. 1. *justitiam & judicium facite*, i. e. credite & vitate communionem cum infidelibus; quandoque Jus vitæ æternæ. Quæ utraque significatio cum locum habeat in hominibus regenitis, hic videtur esse necessaria. Sed plura significat Justitia; etiam quæcunque *recta facta*, etiam *externum opus justum*, ut docet nos Viri Docti Commentarius; etiam tam internam animi quam externam operum rectitudinem, uti ex *Psal.* XI. 7. *Ezech.* XVIII. 22. *Luc.* I. 75. *Eph.* V. 9. *Tit.* III. 5. 1. *Thess.* II. 10. & aliis innumeris locis liquet: Nec quæcunque mox vocis significatio, etiam in subjectum sermonis cadens, omnibus locis spectatur; quorum singulorum scopus & contextus considerari maximè debet. Præterquam, quod Justitiam *Fidem* notare in Scripturis hactenus non invenerimus, nec in loco *Iesaiæ*, ubi ad *faciendum justitiam* hortatur Deus, omni adhibita industria invenire possimus. Attamen oggeritur, distinctè sunt explicandæ voces δικαιοσύνης & ὁσιότητος. Cur quæso? cum ad eandem rem magis declarandam plura adhibere vocabula in Scriptura neutiquam sit insolens. Sed & rectè: quandoquidem *Sanctitas* ad Deum, *Justitia* ad homines, vel *Sanctitas* ad internum

Justitia illic non notat jus vitæ æternæ, sed de inhærenti qualitate intelligenda est.

animi decus, *Juſtitia* ad conformitatem cum Lege, vel *Sanctitas* ad conſtitutionem animi, *Juſtitia* ad opera externa referri poteſt, ſecundum uſum Sacrorum pariter & profanorum Autorum; uti monuit merito cum aliis *Zach. Urſinus in Explic. Catech.* atque doctè oſtendit dudum *Celeberrimus Witſius* noſter *Oecon. Fœd. Lib.* 1. *Cap.* 2. Qui amplius rationes apodicticas adducit pro recepta ſententia; quod nempe de qualitatibus abſolutis agat Apoſtolus, quæ inſtar aliquod perfectionum Dei ſunt; quod de perfectionibus agat inhærentibus; quod denique non de Juſtificatione ſed de Sanctificatione tractet ibidem, ad cujus ſtudium eſt ipſius omnis hortatio. Contra quæ nihil video opponi à Viro Docto, quam quod *quemadmodum ad Imaginem Dei pertinet ea dignitas hominis, ut omnia potuerint ipſi dari, quia ſolus homo is erat, qui ea dirigere poſſet, & illis uti ad gloriam Dei, ita etiam ad Imaginem Dei reſtitutam pertineat jus manifeſtationis gloriæ Dei in nobis.* Quæ verba vix quidquam videntur continere in rem præſentem: etenim dignitas primi hominis, quâ potuerint reliqua ipſi ſubjici, eſt juxta Virum Doctum Rectitudo ipſa, non Jus Dominii, & multum differt Jus Dominii in creaturas cum ejus actuali exercitio, à Jure Gloriæ cœleſtis necdum actu in regenitos collatæ.

Rectitudinem hanc ad Dei Imaginem etiam retulerunt Veteres.

XVI. Planè quemadmodum in iſthac Rectitudine Scripturæ collocant Imaginem Dei, ita idem agunt Patres Chriſtiani, quin & Gentium Sapientes. Lubet præ aliis iterum audire *Ambroſium*; *Imago Dei virtus eſt, non infirmitas, Imago Dei ſapientia eſt, & Imago Dei juſtitia eſt.* Et paulò poſt; *Illa Anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendoremque pietatis &c. Secundum hanc Imaginem quæ refulget, pictura preciosa eſt. Secundum hanc Imaginem Adam ante peccatum &c. Hexaëm. Lib.* VI. *Cap.* 7. Idem modo inculcat, *fugam malorum Similitudinem Dei eſſe, & virtutibus Imaginem Dei acquiri*; modo, *ſimilem Dei eſſe habere Juſtitiam, habere Sapientiam, & in Virtute perfectum eſſe. De Bono Mort. Cap.* V. & *de Fuga Sec. Cap.* IV. Similiter ex Græcis antiquiſſimis *Clemens Alexandrinus* gentium ſimulacris opponit ἀπεικόνισμα θεῖον καὶ ἅγιον ἄγαλμα ἐν τῇ δικαίᾳ ψυχῇ, *divinam effigiem & ſanctam imaginem in juſta anima. Strom. Lib.* VII. Et, ne plures addam, communi ſic loquitur Catholicorum nomine *Cyrillus Alexandrinus* adverſus Anthromoporphitas *Cap.* 18. ὁ ἄνθρωπος ὅτω κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν θεοῦ γενέσθαι φαμὲν, κ.τ.λ.

καθ' ὃ ἀγαθὸν καὶ δίκαιον πέφυκε τὸ ζῶον εἶναι, *hominem ad imaginem & similitudinem Dei ita factum esse dicimus, quatenus & animal bonum & justum est, &c.* Tandem Philosophos si audire lubet, similitudinem Dei esse δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γινόμενον, seu *justitiam & sanctitatem cum prudentia*, monet apud *Platonem* Socrates *in Theæteto*, & ex eo *Plotinus Enn. 1. Lib. 2.* Quemadmodum *Cicero* contra Epicuræos agens, observat, *Deo propius accedere humanam virtutem, quam figuram*, in illa tum non hac constituens Dei similitudinem & cognationem, *L. 1. de Nat. Deor.* Nec est id genus testimoniorum numerus aut finis.

Rectitudinem Ecclesiastes & Bonitatem Moses primo homini quoque tribuit.

XVII. Non minus facilè probatur, Integritatem illam, per quam Imaginem Dei exponit Scriptura, vere ante lapsum primis hominibus fuisse concessam. Credendum hic est Salomoni pariter & Mosi. Ille post diligens scrutinium se id tanquam certum reperisse inculcat, אשר עשה האלהים את האדם ישר / *quod fecerit Deus hominem rectum*, uti bene transfert *Vulgatus*, *Eccles.* VII. 29. Hic de omnibus, absoluta creatione, testatur, fuisse illa in oculis Domini *valdè bona Gen.* I. 31. Cantilenam, quam supra tetigimus, repetunt hic *Sociniani;* eosque secuti *Remonstrantes*, argumentum ex voce ישר peritum *nimis triviale & Grammaticum* judicant *Apol. Cap.* v. Scilicet, si *Smalcium* audimus, *is rectus esse dici potest, qui simplex est, & expers omnis mali, & hunc sensum esse istorum verborum, sequentia, quæ his opponuntur, indicant, quæ sic habent, & ipse se infinitus miscuit quæstionibus, vel, ut Vatablus ea transtulit, ipsi etiam plures jam facti cogitationes vanas persecuti sunt. Ut igitur verba hæc posteriora astutiam & calliditatem, sic priora simplicitatem & infantilem quandam innocentiam significant.* Addit alteram etiam rationem expositionis suæ, quod ut Adamum ita infantes *sanctos nemo jure appellare possit, cum sanctitas nonnisi actionibus comparetur.* Pari ferè ratione ad textum Mosis notat *Socinus* ipse *in Disp c. Puccio*, fuisse omnia valdè bona, *i. e. decora, & ei quod facere animo intenderat, apta & convenientia.* Hinc transtulisse τοὺς LXX. טוב / non ἀγαθὸν sed καλὸν, & observasse *Forsterum in suo Lexico*, quod verbum Hebræum potius *amabile, volupe, jucundum, utile, gratum*, significet, quam *substantialiter & essentialiter bonum*; & patere etiam idem ex *Gen.* II. 18 VI. 1. *1. Sam.* IX. 2. *Exod.* II. 2. *Deut.* VIII. 12. Ita scilicet enervare vim omnem Scripturæ Sacræ familiare *Socinianis* est. Uti pro-

priam Rectitudinis significationem aliam esse quam Innocentiæ, aut Simplicitatis, supra observavimus; ita eandem hic debere obtinere, liquet ex subjecto sermonis homine rationali, qui sapientiâ & sanctitate destitutus prorsus innocens & vitio carens judicari nequit, etiam juxta illud *Augustini Lib.* XIV. *de C. D. Cap.* 11. *Fecit itaque Deus, sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ, non enim rectus esset bonam non habens voluntatem.* Creatura rationalis aut existimari debet Divinæ sanctitati & voluntati conformis, aut difformis; nullus hic status medius dari potest, nec agnoſci debet in infantibus, quos peccato subjicit Scriptura; quamquam neque cum his possint conferri primi parentes, in adultâ ætate atque cum actuali rationis usu creati. Neque quæ opponuntur ex *Ecclesiaste* verba, ומה בקשו חשבנות רבים / quæ ex interpretatione *Vulgata*, & altera non *Vatabli*, sed *Tigurina* (nobis hic neutiquam probata) citat *Smalcius*, simpliciter Sapientiæ incrementum, sed ejus malam tum applicationem tum affectationem notant; unde *Symmachus* olim transtulit, ἐξεπράσαντο πλυπεραγμοσύνῃ, & *Grotius* observat, significari *causas multas, ac rationes, cur à primæva ista simplicitate deflecterent*, *Castalio* denique cum aliis hic respici contendit ad primum Parentum nostrorum peccatum, *curiositatem* nempe illorum, *qua quid bonum malumve esset scire volentes, gustato isto fructu, malum sibi conflarunt.* Sanctitatem actionibus solum comparari, Pelagianum *Smalcii* est dogma, quo nimium infusæ gratiæ Spiritus præjudicium creatur, ubique in Scripturis inculcatæ tamen. Explicationem Bonitatis, quam habet *Socinus*, lubentes accipimus, sed hominem, sapientia & sanctitate destitutum, aut decorum aut divinæ intentioni convenientem dicere non audemus: cum decus creaturæ rationalis in similitudine divinarum perfectionum consistat, & in hujus creatione suæ gloriæ agnitionem & prædicationem sibi proposuerit Deus. Non repugnat varius usus vocis טוב / cum Bonitas, in linguis omnibus varia, ex subjecto sermonis æstimari debeat, nec hic de forma qualicunque externa intelligi possit, ob penetrantem ad abdita quæque Dei oculum. Bonitatem saltem frequenter, sive substantialem, sive veram, sive moralem, non externam tantum pulcritudinem hac voce notari, infinitis constat exemplis, nec diffitetur *Forsterus.* Et uti apud τὸς LXX. sic in N. T. frequenter συνωνύμως usurpantur καλὸν & ἀγαθὸν, dum leguntur hic ἔργα καλὰ, καρ-

πὸ

πὸι καλὸι, δένδρον καλὸν, γῆ καλὴ σπέρμα καλὸν, νόμος καλὸς, ὁμολογία καλὴ, &c. *Matth.* v. 16. vii. 17. xii. 33. xiii. 8. 24. *Rom.* vii. 16. 1. *Tim.* vi. 12. &c.

Indicia Integritatis primorum Parentum ex Mose adduntur.

XVIII. Indicia porro istius, quam asserimus, Integritatis in Mosaica historia sunt complura. Memorabilis est animantium ὀνομαστικὴ, quam cum sine dubio Deus noluerit esse ludicram aut incommodam, Adamo non concessit ille absque requisita ad hanc Sapientiâ. Saltem approbata eadem in isto perfectionis statu judicari nequit, nisi fuerint nomina ἐμφαίνοντα ἐν μάλα τὰ ὑποκείμενων ἰδιότητας, *optimè exprimentia rerum proprietates*, ut *Philo* loquitur *Lib. de Mund. Opif.* Et debet *Socinum* in pudorem agere *Plato*, quando ille hanc nominum impositionem non aliam in Adamo arguere cognitionem asserit, præter eam quam quilibet quantumvis stupidus habere potuisset; ut scilicet farta recta sit puerilis verè hypothesis de Adamo *instar infantis vel pueri* creato *de Stat. Pr. Hom. Cap.* iv. pro qua pugnat juxta ipsum *Smalcius de Dei Fil. Cap.* vii. Hic verò scribit in *Cratylo*, ἀναγκαῖον εἶναι εἰδότα τίθεσθαι τὰ πρέποντα τὰ ὀνόματα, *necessum esse, ut scientem statuamus eum qui nomina imposuit*; imò requiri hic μείζω τινὰ δύναμιν, ἢ ἀνθρωπείαν, *excellentiorem quandam potentiam, quam humanam. Platoni* hic potius quam *Socino* assentiri jubet consideratio nominum, tum quæ ab Adamo uxori data legimus, ejus & originem, & officium, & dignitatem sapienter exprimentia, tum quæ animalibus apud Hebræos tribuuntur, magna ex parte ut videtur à prima hac origine repetenda. Imprimis, ubi attendimus ad ὀνομαστήσιας circumstantias omnes, Adamum scilicet ἀ μελετήσαντα, ἀ προσκεψάμενον, ἀδέν τι προπεπονθότα τῶν ὅσα μεταμανθάνουσιν ἄνθρωποι, *nec præmeditatum, nec ante contemplatum, nec quicquam perpessum fuisse eorum, quæ homines postea discunt*, uti benè observat *Suidas* in voce Ἀδὰμ. Specimen aliud insignis Sapientiæ est in recens creatæ Evæ cognitione promptissima, ubi divinam revelationem, sive apertam sive arcanam, quam inculcat cum aliis multis *Suidas*, nullam memorat Moses, aut nos addere cogimur. Siquidem hinc contemplatus corporis sui qualemcunque mutationem, illinc humanam mulieris formam, atque amplius considerans, Deum non absque ratione se primò unicum creasse, non conjectando modo, sed & certa satis scientia assequi potuit humanam mulieris naturam, atque ex ipso originem, sapiens Adamus.

Un-

Unde factum hoc, *nemine dictante aut suggerente*, rectè videtur notasse *Rivetus*. Nec desunt sanctitatis documenta, uti in sancto conjugis amore, quem amplexu atque osculis demonstratum tradunt Judæi apud *Eliezerem Cap.* XII. alii verò in recitata ab Adamo conjugii Lege agnoscunt *vers* 24. melius utrique in lætitia Adami & nomine mulieri dato reperiunt alii. Cum Lex illa conjugii potius aut Deo, secundum illud Christi, *ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν Matt.* XIX. 4. 5. aut Mosi Legis perpetuæ antiquitatem & originem hic noranti, forte tribuatur. Prætermitti hic etiam neutiquam debet exulans omnis nuditatis conscientia, quam ut pueriliter planè torquere *Socinianos* mox patebit, ita meritò adducimus ad probandam tum puritatem ab omni vitio, ac culpabili *infirmitate*, quam tamen *Smalcius* disertè Adamo tribuit *Disp.* VI. *c. Frantz.* tum factorum atque affectuum decentem rectitudinem, & cum Divina Lege conformitatem.

Rationibus & Consensu Antiquorum eadem firmatur.

XIX. Ad testimonia & indicia proposita accedunt rationes, & consensus Antiquorum. Nisi in integritate hac creatus fuisset Adamus, Deo indignum ipse fuisset opus, ut ad glorificationem ipsius, ad quam tamen creatus, inidoneus, nec Deum, quem referre debebat, in eo referens, in quo similitudinem Lex præcipit. Indubium pariter est, ad hominis perfectionem facere Sapientiam & Sanctitatem, unde in perfectionis statu omnia cum creata sint, id de uno homine non videtur esse negandum. Constitutus porro cum sit Dominus omnium, prærequisita ad ejus dominii exsecutionem dona Deus negare non potuit, nisi brutum hic vel tyrannicum imperium voluisse censeatur. Eleganter *Irenæus* Adamum, dum *foliis ficulneis semet ipsum contegebat*, ita loquentem introducit, *eam quam habui à Spiritu sanctitatis stolam amisi per inobedientiam. Lib.* III. *Cap.* 37. Nec aliter *Chrysostomus*, *nudatos* homines *propter peccatum supernæ gratiæ amictu*, scribit. *In Gen.* III. *Hom.* XVI. Apud *Theodoretum in Ezech.* XXVIII. formatus est homo πλήρης σοφίας, *plenus sapientia*. Apud *Joh. Damascenum Lib.* II. *Cap.* 12. non tantum *intellectualis & liberi arbitrii*, sed & *innocens*, *rectus*, *probus*, *omni virtutum genere exornatus*. Aureum notum est quin etiam Poëtarum Seculum, hinc haustum. *Sanctius* audit *animal* apud *Ovidium* homo. Proximos homines βελτίους τῇ φύσει, καὶ τὸν ἄριστον ἐξηκότας βίον, *naturâ optimos vitam vixisse optimam*, *Dicæarchus* apud *Porphy-*

phyrium notat. Nec ſunt prorſus vera, quæ ex *Juſtino & Tacito* adduxit *Grotius*, de *ignoratione vitiorum*, ac *vita ſine malâ libidine, ſine probro & ſcelere* acta, niſi Rectitudo, quam urgemus, primis hominibus concedatur.

XX. Uſque adeo tamen ex amore hypotheſium ſuarum de Lapſi Hominis Integritate hic cæcutiunt *Sociniani*, ut Adami aſſertam Rectitudinem appellare non vereantur, modo *ideam quandam in cerebro noſtro natam, de qua ne γρὺ quidem in Sacris literis*, modò *veterem & fœtidam fabulam, quam ſi quis defendere volet agnoſcet multo rectius ipſius vanitatem*; quæ ipſiſſima *Smalcii* ſunt verba, *Diſp.* IX. *c. Frantz. de Dei Fil. Cap.* VII. *& alibi.* Nec abludunt *Remonſtrantes*, qui uti in *Apologia* quæſtionem hanc *totam ineptam, vanam, inutilem, vilem, titivilitio non emtitandam* judicant *Cap.* V. ita expreſſius in *Collatione Hagienſi* aſſerunt, *dona ſpiritualia nunquam voluntati hominis fuiſſe inſita, ſed tantum libertatem, qua poſſet vel bonum vel malum facere*; uti Juſtitiam Originalem quoque inter errores Euangelicæ doctrinæ recenſet *Henricus Welſingius.* Aſſerendi audaciam in his hominibus mirari licet, ſi non tantum, quod habet doctrina noſtra, multiplex fundamentum jam propoſitum perpendamus, ſed & rationes oppido leves vel nullas, quas proferunt, adjiciamus. Scilicet, ſi *Socinum, Smalcium*, & affectas audimus, Sapientiam evertit *nuditatis ignorantiâ*, in qua infantibus fuerint ſimiles primi parentes; præter inſcitiam in colloquio Evæ cum ſerpente, in affectatione divinitatis, & in fuga à facie Dei, ut videtur, demonſtratam. Nec poteſt cum Sanctitate conciliari ſecutus Lapſus, ſiquidem nulla ipſis Lex poſita, niſi quam tranſgreſſi ſunt. *Si homo*, inquit *Socinus Prælect. Cap.* III. *Deo ſimilis in juſtitia & bonitate conditus fuiſſet, impeccabilis creatus fuiſſet, ſicuti Deus.* Verum confunditur ſic Sanctitas intrinſeca, eſſentialis, independens, cum dependente & indita à Deo; atque hæc iterum conſummata & inamiſſibilis planè, cum amiſſibili. Quam diſtinctionem ſi nolit concedere Hæreticus, per ullam ſive rationem ſive Scripturam oſtendat, repugnare, ut qui Deo in omnibus animi moribus ſe ſubjecerit primum, atque voluntati ipſius planè conformis fuerit, idem poſtea ab hoc inſtituto recedat prorſus homo, non glorificatus in cœlis, non ſanctificatus in Chriſto, ſed conſtitutus in explorandæ obedientiæ curriculo; quem hac in parte regenitis inferiorem fuiſſe, eleganter oſtendit

Objectiones Socinianorum refelluntur breviter.

Auguſtinus Lib. XI. *de C. D. Cap.* 12. Ab hoc diſcat Sophiſta, *imperitum vulgus opinari, cæcos creatos homines*, ut ſe nudos prorſus non noverint, qui tamen & elegantiam fructus, & adducta ad ſe animantia conſpexerant, *Lib.* XIV. *Cap.* 17. Nuſquam ſanè id teſtatur Moſes, qui *pudorem* tantum à ſtatu integritatis excludit *Gen.* II. 25. ſive cognitionem *turpis nuditatis*, ut *Auguſtinus*; cognoſcente poſt peccatum homine, tegumento ſe propter ſcelus commiſſum & libidinis malum opus habere, nudatum jam gratiæ & priſtinæ dignitatis amictu, contra promiſſionem à Satana factam, ad quam acris in apertione oculorum, hactenus Satanæ præſtigiis retentorum, eſt alluſio; ut pluribus poſt *Auguſtinum & Theodoretum* hæc perſequitur *Rupertus Lib.* III. *Cap.* 10. Reliqua Inſcitiæ argumenta parum nos feriunt, cum in primâ attentione ad Satanæ ſermones primum lapſus gradum & momentum ſtatuere cogamur, nec lapſi ſed integri hominis Sapientiam inculcemus.

Additur Dominium hominis in alias creaturas cum ejus demonſtratione in Nominibus quæ Adam animantibus impoſuit.

XXI. Cum Rectitudine hominis jungimus *Dominium* in reliquas creaturas, omnes quidem, ut propter illum factas, & multis modis ipſi inſervientes; etiam juxta illud *Pſal.* VIII. 7. *dominari eum facies in opera manuum tuarum, omnia ſub pedibus ejus poſuiſti*, de Chriſto & Eccleſia quidem intelligendum, ſed cum phraſios reſpectu ad primum hominem tamen dictum. Præcipue autem in res inferiores & terreſtres, ut homini propinquas magis, quas nominat forte Moſes כל הארץ / *omnem terram*: diſtinctiſſime porrò hic numerans Creaturas animatas ut præſtantiſſimas, *piſcem maris, volatile cœlorum, jumentum, & reptile*, tum quandò conſilium Dei, tum quandò ejus exſecutionem narrat, *Gen.* I. 26. 28. Quæ cum Dominii extenſio legatur apud Moſen, mirari licet *Theodoreti* confidentiam, *grandia cete & feras terreſtres* eximentis, quam adduxit *Ben. Pererius* ex *Quæſt.* XX. *in Gen.* (ubi hæc in Græcis Codicibus tamen non comparent,) nec alia nixi ratione, quam quod nulla vel apud Davidem vel apud Moſen horum animantium expreſſa ſit mentio: quam implicitam tamen ſed claram ſatis hic cum aliis reperit *Baſilius Hom.* X. *in Hexeam. ed. lat.* Inanes etiam ſunt prolixæ altercationes de modo, quo animalia ferociſſima, qualia & ante lapſum fuiſſe videntur, homini obedientiam præſtare potuerint. Siquidem & pro ſapientia ſua naturam ſingulorum cognoſcens Adamus ad voluntatem illa ſuam optimè flectere, & arcana quædam hominis reverentia omnibus

nibus indi potuiſſe facillimè intelligitur. Tam ſubjectionis hujus, quam exerciti Dominii ſpecimen eſt in adductione Animantium ad Adamum, ac ſecutâ ὀνομαθεσίᾳ. Parum refert, an Angelorum miniſterio, an interiori aliquo impulſu, illa ad hunc venerint; dummodo cum *Auguſtino* teneamus, nullam hic vim externam qualem venantes adhibent, & in venti vehementioris motu quidam quærunt, nullamque *vocem juſſionis de nube*, quâ rationales animæ reguntur, obtinuiſſe, *Lib.* IX. *dè Gen. ad lit. Cap.* 14. & firmum maneat pariter adverſus *Cajetanum*, non *intellectualiter* ſed *corporaliter* accipiendam eſſe adductionem, cui ſimilem Noachi ætas apud exſtructam Arcam vidit, nec diſſimilem prorſus fingunt ad *Franciſci & Antonii Patavini* voces *Pontificii*. Acceſſus certiſſimè fuit ſubjectionis, quam porrò teſtata eſſe Animantia ſummiſſis capitibus & humili tranſitu coram Adamo, editiore loco ſedente, ac auguſtam autoritatem vultu referente inſtar Moſis, vetus ſed vana apud *Moſen Bar Cepham* eſt traditio. Hominis autem poteſtatem in ea per Impoſitionem Nominum tanquam ſymbolum declaratam eſſe, uti notavit *Chryſoſtomus*, ita ambigere nemo poteſt; cum ex profanis non modò Scriptoribus, ſed & ex ſacris conſtet id, in ὀνομαθεσίᾳ liberorum parentibus tributa, in mulieris appellatione duplici ad creationem ex viro & ſubjectionem ſub eo ſecuta, in frequenti nominum in miniſtris & domeſticis mutatione *Gen.* XLI. 45. *Numer.* XIII. 17. 2. *Reg.* XXIV. 17. *Dan.* I. 7. *Marc.* I. 16. III. 17. *&c.* quin & in ipſa Dei poteſtate non minus quam ſapientia in hoc elucente, quod ipſe לכלם שמות יקרא / πᾶσιν ὀνόματα καλεῖ, uti habent οἱ LXX. *omnibus nomina vocet*, ſive *omnes* (ſtellas) *nominibus vocet Pſal.* CXLVII. 4. Nec licet hanc nominum impoſitionem myſticâ expoſitione iterum evertere, quod egiſſe jam olim quosdam *Moſes Bar Cepha* notat. Dominium porrò hominis etiam gentilibus cognitum fuit. Animal, *quod dominari in catera poſſet*, deerat ante hominem natum, ſecundum *Ovidium*. *Non eſt intra homines humani imperii conditio*, inquit eleganter *Seneca Lib.* VI. *de Benef. Cap.* 23. Quin etiam *Hominum cauſa mundum fabricatum eſſe*, decantatum eſt Stoicorum effatum, quod exhibet nobis *Lactantius Lib.* VII. *Cap.* 4. ac latiſſime diducit *Cicero Lib.* II. *de Nat. Deorum.*

XXII. Uti peſſimè *Socinus* in uno hoc Dominio Imaginem Dei conſtituit, ita peccare omnino putamus ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθρω-

Sicuti male in Dominio ſolo à Socinianis conſtituitur Imago Dei, ita alii illud ab hac male excludunt.

κῆς, quotquot plane illud hinc excludunt. *Dei imago & ſimilitudo, ad quam conditus eſt homo, ne in ipſa quidem mente & ratione, unde omnis juſtitia in illum derivari poterat, præcipuè conſiſtit, ſed in dominatu rerum, præſertim inferiorum, ſex illis diebus à Deo creatarum*, ſcribit *Socinus Prælect. Cap.* III. Qui alibi *in Diſputat. c. Puccio* contendit, ex eo loco, ubi homo ad Imaginem Dei primum factus dicitur, *liquidò id apparere.* Idem inculcat *Smalcius in Catech. Racoviana*, *Oſtorodus*, *Volkelius*, & ex his *Remonſtrantes in Apol. Cap.* V. Contrariam plane inſiſtit viam Celeberrimus Theologus *Johannes Coccejus*, tum *in Summa Theol. Cap.* XVII. tum *in Comment. ad Gen.* I. 26. quem plures ſequuntur. *Non conſiſtit*, inquit ille, *Imago Dei in Imperio, quod habuit in animantes homo.* Rationes addit; quod acceperit Imaginem Adam, *ut Imperium in eas habere poſſet*; quod *in Imperio Imago Dei demonſtretur*; quod *præceptum abſtinendi ab Arbore aliqua acceperit*, adeoque ſimile circa omnes fructus arborum, & carnes pecudum, accipere potuerit, illæſa tamen Imagine; quod in conſummata cœli ſimilitudine *non velit nos Deus rebus ceteris opus habere vel uti*; quod denique *homo non habeat Imperium, niſi quia ad Imaginem Dei conditus eſt.* Tutior nobis media videtur opinio, Dominium quidem ad Imaginem Dei referens, non tamen hanc in illo ſolo conſtituens. Quæ recepta eſt inter Theologos recentiores pariter & veteres, nominatim apud *Iſidorum Peluſiotam*, quem unum adducit Vir Doctus, *Theodoretum*, *Cyrillum Alexandrinum*, & *Chryſoſtomum*, qui, ut alibi, ita *Homil.* XXI. *in Gen* ſic ſcribit; ἄρχοντα αὐτὸν κατέστησε πάντων τῶν ἐμψύχων, τοῦτο γάρ ἐστι κατ' εἰκόνα, *dominum eum conſtituit omnium viſibilium, hoc enim eſt illud ad imaginem.* Alienum profectò videatur, Moſen, ubi de Imagine Divina agit, ſemel atque iterum merum ejus conſequens, nullam vero prorſus partem, memoraſſe: præſertim cum conjunctio copulativa in וירדו *& dominentur*, frequentius longè exegeticè quam finaliter ponatur, & finaliter hic etiam intellecta finem non præciſe Divinæ Imaginis, ſed & Creationis dicat. Conſtat etiam hominem Dominum eſſe conſtitutum, & in ἐξοχῇ hac ſimilitudinem Dei Domini omnium reperiri, juxta phraſin Scripturæ, hinc magiſtratus *Deos & Filios Altiſſimi*, atque Virum εἰκόνα θεοῦ appellantis *Pſ.* LXXXII. 6. I. *Cor.* XI. 7. Nec eſt ullum in adductis rationibus contrariis robur: cum non repugnet in Dominio, pa-

Digitized by Google

riter & finem, & demonstrationem, & consequens, & partem Divinæ Imaginis constituere, κατ' ἄλλο ἢ ἄλλο, secundum diversam ejus considerationem apud Theologos & in Scripturis obviam. Nulla etiam est quæstio, an negato Dominio sui similitudinem in homine collocare aliam, aut an Dominium, uti circa usum Arboris unius limitatum fuit, ita amplius limitare, potuerit Deus; quæ sunt ἐξαγώνια, & in rem præsentem non faciunt. Præterquam quod perpetuò in hac argumentatione supponitur, omne Dominium creaturarum in solo fere consistere esu; quod hactenus nemini in mentem venisse arbitror. Tandem nec aliquid causæ nostræ decedit contra *Socinum*, cum positio Dominii non sit remotio Sanctitatis & Sapientiæ magis, quam Animæ rationalis; quam, licet minus principaliter, ad Imaginem Dei referunt tamen *Sociniani*. Imò verò jubet collatio Scripturarum, & decens Dominii administratio, ut hæc omninò Integritas in concesso Dominio supponatur; uti prolixius ostenderunt Theologi multi.

Hac occasione de Carnium Esu Licito in Integritatis statu differitur.

XXIII. Dicendum hic ἐν παρέργῳ, haudquaquam nobis esse dubium, quin, Dominio in Animantia Protoplastis concesso, licitus ipsis tum fuerit Carnium Esus, repetendus adeò non à Diluvio *Gen.* IX. 1. 2. 3. ubi clarior tantum est juris antea positi repetitio, aut ab hominis Lapsu, sed ab ipsâ Creatione. Novimus, communiorem esse sententiam, & Patrum Christianorum, & Judæorum, כי לא היתר הבשר עד אחר המבול / *quod non concesserit Deus carnem nisi post diluvium*, uti scribit *Aben Ezra*; sive quia pauciora fuerint in initio animalia, binis tantum creatis in unaquaque specie, uti credidere forte cum aliis *Justinus & Theodoretus*, sive quia fructus terræ propter excellentem ejus ante diluvium bonitatem optimus fuit & maximè naturalis, uti vulgò statuunt. Observantes amplius, post Diluvium carnes concessas esse, ut judicii exerciti severitatem benignitate nova compensaret Deus, ut homo imbecillior factus validiori frueretur cibo, atque tandem ut veneratio animalium prævisa facilius impediretur, juxta *Theodoretum Quæst.* LV. *in Gen.* Nec diffiteri possumus, concedere in hanc opinionem post *Pontificios*, Jejuniorum suorum commendationem qualemcunque hinc repetentes, magna inter Reformatos Theologos nomina. Alia sententia est *Cajetani*, & quorundam Pontificiorum apud *Ben. Pere-*

Digitized by Google

rium, rempore quidem antediluviano, ſed demum à lapſu permiſſum fuiſſe carnium eſum, quæ placere videtur Viro Doctiſſimo *Chriſtiano Schotano Heptaëm. Diatr.* XI. *Exiſtimo*, inquit ille, *ante diluvium mox à lapſu eſum carnium fuiſſe conceſſum, cum in Paradiſo & ſub innocentiæ ſtatu carnium epulatio permiſſa non fuerit.* Quamquam argumentum hujus opinionis præcipuum quidem, ut videtur, ex creaturâ per peccatum ſubjecta demum τῇ φθορᾷ ἢ τῇ ματαιότητι *Rom.* VIII. 20. 21. ipſe invalidum eſſe agnoſcat; *Occiſio animalium*, inquit, *meo judicio non continetur illa vanitate, quam Apoſtolus ſignificat.* Mirari interim licet, *Pererium*, cui idem de ſtatu integritatis judicium placet, homini tamen animalium occiſionem ad majorem Anatomicæ ſcientiæ peritiam, aut ad venationis voluptatem, libenter tribuere. Enimverò res omnis ex conceſſo Dominio plana eſt. Unde conſequitur, creaturas quaſcunque ad eos uſus ab homine potuiſſe adhiberi, ad quos aptæ erant ſingulæ, & qui Lege divina nec naturali nec poſitiva interdicti; conſequenter Animalia, ad quæ nominatim Dominium refertur, mactari ad eſum etiam in ſtatu integritatis potuiſſe, cum apta eſui etiam tum fuerint, non primum talia per peccatum facta, & cum nuſquam interdictum exſtet. Stringit eo magis argumentum, quod ex Dominio ipſe Deus eſum deducat *Gen.* IX. 2. 3. non latius certè poſt peccatum extenſo. Exſecutus hæc eſt doctiſſime prò more ſuo adverſus *Curcellæum* Vir Magnus *Joh. Henr. Heideggerus*, tum *in Defenſa Chriſtianorum Libertate*, tum *in Hiſtoria Patriarcharum.* Qui ad argumentum ex *Gen.* I. 29. 30. pro contraria ſententia petitum ſolidiſſimè priori loco reſpondet; ex ſilentio de Animantibus non magis interdictum poſſe colligi, quam ex neglecta potus mentione, hoc hominem non indiguiſſe; neque omnem hic neceſſario hominis cibum indicari, diviſis tantum inter Homines & Animantia fructibus terræ, & ne ſic quidem ab omni herbarum non proferentium ſemen uſu plane excluſis hominibus aut à ſemine brutis. Hoc reſponſo an ſolidiores ſint Viri Docti δεύτεραι φροντίδες, quando *Hiſt. Patr. Exerc.* XV. *Tom.* I. cum *Cappello*, *Bocharto*, (hos ipſe ſed temerè etiam nominavit,) *Coccejo*, *Burmanno*, illud וּלְכָל חַיַּת / intelligit non dativè, *omni vero beſtiæ*, ſed incluſive, *imo etiam omnem beſtiam agri &c.* valdè me dubitare profiteor. Videtur hæc interpretatio commendari, tum à ſimplicitate ſua, tum

tum à simili usu literæ ל 2. *Sam.* XVII. 16. 2. *Chron.* XXIII. 6. *Jes.* XXX. 11. *Psal.* LXIX. 23. *&c.* tum ab ellipsi vocis נתן / alias necessaria, tum à contextu, in quo sermo non ad animantia, sed ad homines instituitur, tum ut alia mittam, quæ apud Autores nominatos videri possunt, imprimis ex textu *Gen.* IX. 4. ubi respiciens Deus ad hanc primam dationem, dicit, se dedisse homini עשב ירק / *olus herbæ*, quod *Gen.* I. 30. cum bestiis jungitur. Scrupuli ex adverso haud leves supersunt; ex frequentissimo usu literæ præfixæ ל / hic ter repetitæ, & non nisi ante nomina animalium positæ; ex herbarum à se invicem separatione per interpositionem bestiarum; ex necessariâ pariter ex hac hypothesi repetitione vocis נתן sive יהיה / אכל ξ γινῶ; ex neglectis piscibus, etiam memorandis hoc sensu magis quam alio quoquam; ex finita prorsus sententia *vers.* 29. ex experientia denique quotidiana, quæ semina & arborum fructus hominum præcipuè cibum, gramina autem & herbas brutorum escam esse, docet, quod verba Mosis simplicissimè volunt. Sed de eâ re nos diximus alias ex professo latius *EXERC. MISC. DISP.* VII. Gentilium autem Philosophorum & Poëtarum, de primis hominibus in *Aureo Saturni Seculo* ex facili terræ proventu viventibus, traditionem nudam, Scripturâ omni & ratione destitutam, gratis hic objici existimamus; præcipuè cum nec illa apud omnes sibi satis conformis reperiatur.

Tandem adjicitur & adstruitur hominis ante peccatum Immortalitas, ad Imaginem Dei quoque referenda.

XXIV. Tandem ad Imaginem Dei referimus felicitatis Adamicæ perpetuitatem, sive Protoplastorum *Immortalitatem*, non essentialem & independentem, quæ Deo propria 1. *Tim.* VI. 16. *&c.* non etiam absolutam, quam confutat eventus, sed dependentem & conditionatam, ut neque moriturus fuisset necessariò neque mori potuisset ipse in Integritate per obedientiam divini mandati persistens. Fuisse hoc sensu homines creatos Immortales, demonstrandum est contra *Pelagianos* veteres & recentiores; referendam eam esse ad Imaginem Dei prorsus Immortalis, necessarium inde est consequens; nec curamus porrò *Scholasticorum* altercationes, an ex insitâ quadam Animæ virtute, an ex Dei mortem præventuri Translatione, an ex vi Arboris Vitæ, an ex potenti Divinæ Virtutis sustentatione, (quod verissimum,) Immortalitas hæc deducenda sit, item an rectius Mortalis an Immortalis dicendus Adam; quæ aut vanæ sunt, aut facillimè evitari possunt commo-

dâ

dâ distinctione, in qua præiit *Augustinus Lib.* VI. *de Gen. ad lit. Cap.* 25. *Corpus Adami ante peccatum & mortale erat, quia poterat mori, & immortale, quia poterat non mori. Aliud est non posse mori, aliud posse non mori. Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris &c.* Nihil clarius est in Scripturis, quam Mortem esse Pœnam peccati; quæ ergo nec necessaria nec possibilis fingi potest ante peccatum. Loca insigniora sunt *Rom.* V. 12. 21. VI. 23. 1. *Cor.* XV. 21. 56. ne alia nunc addam ex *Ezech.* XVIII. 4. *Hos.* XIII. 1. *Rom.* VIII. 10. *&c.* quæ indirectam magis probationem nostro judicio suppeditant. Respici omnibus illis locis, neque ad Mortem simpliciter Temporariam, neque quoniam actus à potentia distinguendus est ad Mortalitatem, ingeminant jugiter Adversarii. *Sermo in iis est*, inquit *Crellius, vel de morte æterna ac necessaria, vel de morte violenta, aut aliqua ratione præmatura, vel denique de vita misera & infelici*; &, sic *Socinus* ipse, *non de naturali Mortalitate loquitur Apostolus, sed de ipsa Morte, ut verba sonant, deque moriendi Necessitate.* Sed quis docuit homines hos absque necessitate ulla aut textuum indicio restringere Mortis appellationem? Quis à proprio significatu ad improprium deflectere sensum jubet? Quis de Æterna Morte Epicureos differentes audiat? Quis lusum in vocabulis, mortalitatis, mortis, & necessitatis, non observet ex ante dictis? Imò quis manifestè obloquentes Paulo ferat? Dum ille de Morte omnibus prorsus communi, etiam parvulis, omnibusque notissima, liquidò agit; nec vitam æternam illi opponens, mortis æternæ consummatæ initium, quod est in morte corporali, ab hac appellatione excludit. Amplius, non est mortem minatus homini primo Deus, nisi quando peccasset *Gen.* II. 17. Cui divino verbo sua si constabit veritas, ante peccatum mori non potuit homo. Mirare verò hic insaniam *Socini*, quando ex corporalibus pœnis *Gen.* III. 16. 17. 18. denunciatis colligit, illas nomine Mortis tantum esse intellectas, & mentionem ibidem *mortis* ipsius fieri vult, *non ut pœnæ, sed tanquam termini, ad quem usque pœna duratura sit.* Sed bene est, quod ad Dei interpretationem provocat, qui merito hic malorum plurium meminit, ut sub morte comprehensorum, & ad mortem ducentium, præcipuè autem *reversionis in pulverem*, nunc, non antea, futuræ, & ut termini quidem molestiarum hujus vitæ, sed pariter ut termini di-

vinæ

vinæ benignitatis hic impiis exhibitæ, & initii graviorum malorum: neque enim tantum inquit, עד שובך / *uſque quo revertaris*, ſed & אל עפר תשוב / *in pulverem reverteris*. Unde antiquum & firmiſſimum ex ſententia hac Dei eſt *Chriſtianorum Catholicam fidem veraciter tenentium* argumentum, *etiam ipſam nobis mortem corporis non Lege Naturæ, ſed merito inflictam eſſe Peccati, quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus, terra es & in terram ibis*, apud *Auguſtinum Lib.* XIII. *de C. D. Cap.* 15. Nec obſtat, quædam in pœna ſerpentis, & mulieris, quin & viri, contineri, quæ lapſum præceſſiſſe videntur; cum ſimile in illis quidquam, non verò idem ante peccatum obtinuiſſe, ex collatione inſtituta clarum ſit. Tandem obedienti ſi in Lege promiſſa ſit vita, mors ab hoc Rectitudinis ſtatu exulet neceſſe eſt, utpote illi plane oppoſita.

XXV. Nobiſcum hic etiam facit tota Antiquitas Chriſtiana; quod magis hic notandum eſt, ob impudentiam *Socini*, quando ipſe in hæreſin ſuam pertrahere conatur, præter recentiora quædam magna nomina, *Athanaſium* ipſum & *Auguſtinum*. Cum ille tamen paſſim *in Libr. de Humanit. Verbi* id inculcet; *eſſe quidem hominem per naturam mortalem, quippe ex non exiſtentibus conditum, cæterum ſi illius ſimilitudinem, qui verè eſt, ſervaſſet per cognitionem & contemplationem Dei, naturalem corruptionem ſuperaturum fuiſſe, immortalemque manſurum*. Et cum hic innumeris locis tanquam perpetuam Catholicæ Eccleſiæ ſententiam urgeat, *Adamum niſi peccaſſet non fuiſſe moriturum*. Vide imprimis *Epiſtolam* CVI. quæ communi *Auguſtini & Alipii* nomine ſcripta eſt *ad Paulinum*. Pariter, mori nos noſtra culpa, hominem inobedientia ſibi mortem contraxiſſe, mortem non ex natura ſed ex culpa ſecutam, in prima transgreſſione firmitatem corpori cum immortalitate deceſſiſſe, Deum mortem non feciſſe, ſcribunt *Tatianus*, *Theophilus Antiochenus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Ambroſius*. Nec poteſt hic quidquam eſſe magis clarum *Canone* illo *Carthaginenſis Concilii*, qui in *Codice Eccleſiæ Africanæ* apud *Juſtellum* eſt CIX. atque Juri Canonico, tanquam ex *Concilio Milevitano*, inſertus IV. *de Conſecr. Cap.* 152. *Ut quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, h. e. de corpore exiret, non peccati merito; ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit*. Chriſtianis jungere licet Judæos, quos vetuſtiſ-

Antiquorum Chriſtianorum & Judæorum conſenſus in eam producitur.

simos etiam veritatem hanc probè perspexisse, ex Judæis ipsis probavit *Menasse Ben Israël*, tum in *Lib. de Fragilit. Hum.* tum *Lib. III. de Resurrectione Cap.* 11. ex Christianis verò cum Theologis aliis *Buxtorfius Fil. Dissert. II. de Confusione L. Hebræa.* Producit ibi testimonia irrefragabilia ex *Libro Zohar*, *Sepher Haemunoth*, *Rabbi Bechai*, & *Mose Gerundensi*, pariter dicentia, בי על דעת ר"ל לולי שחטא לא ימות לעולם / *quod ex sententia Rabbinorum, si non peccasset Adam, non fuisset mortuus in aternum.* Similia non modò ex *Talmude*, sed & ex *Paraphrasi Chaldaica* observat Doctissimus *Hoornbekius:* inter quæ memorabilis imprimis glossa *ad Eccl.* VII. 29. גרמו לאסתקפא עלוי יום מיתא ולכל דירי ארעא / *effecerunt ut super eos & omnes habitatores terræ irrueret dies mortis.* Proverbium geminum in hanc rem habet *Menasse*, אין מיתה בלא חטא / *non est mors absque peccato*, החטא ממית / *peccatum occidit.* Nec aliud vult fabula de Benjamino filio Jacobi, Amramo patre Mosis, Isai patre Davidis, & Chihabo Filio ejus, cum peccatum proprium non haberent, *ex consilio serpentis* mortuis. Est tamen controversa hic sententia *Josephi* Historici. Is Deum sic ad Adamum loquentem introducit; *De omnibus vobis prospexeram &c.* ὧν παρόντων ὑμῖν τὸ θνητὸν οὐκ ἂν ἐπέλθοι, καὶ τὸ ζῆν εἰς μακρὸν ἂν ὑμῖν γένοιτο, *quibus præsentibus non senectus citò obvenisset, sed vivere vobis longissime contigisset.* Laudat ea verba *Crellius*, taxat ut Pelagiana *Petavius*, in sensum mitiorem trahit *Hoornbekius*, ac si vitâ in pari semper ætatis vigore transactâ hominem absque morte assumendum in cœlum credidisset *Josephus.* Cujus tamen expositionis vestigium apud *Josephum* non reperio, accelerationem tantum senectutis & mortis, ut videtur, peccato tribuentem; quin & est παράδοξον Viri Doctissimi haud leve, scripsisse Josephum, quod ex *Arbore Vitæ comedentes homines vitam haud desituram degissent*, qui de Arbore Scientiæ tantum narrat persuasisse serpentem mulieri, illius fructu gustato, μακάριον καὶ μηδὲν ὑπολείποντα θείᾳ βίου διάξειν, *beatam eos & nihil divinâ deteriorem vitam acturos. Antiq. Lib.* I. *Cap.* 2.

Dissentientes notantur, eorumque pro Adami Mortalitate Objectiones solvuntur.

XXVI. Impugnavit hanc Protoplastorum Immortalitatem olim *Pelagius* cum sequacibus, quorum sententiam exponit *Augustinus Hæresi* LXXXVIII. *Ipsum quoque Adam dicunt, si non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, sed conditione naturæ.* Quamquam verò, uti ex *Augustino* discimus, *id fictio*

cor-

corde in judicio Paleſtino damnaverit Pelagius, huc tamen ducit ipſius hypotheſis de nullo in parvulis Originali Peccato. *Mortem*, inquit *Auguſtinus Lib. 1. c. Iuliani Reſp. non vis ex peccato feciſſe in omnes originaliter tranſitum, ne cogaris fateri, ſimul etiam originaliter tranſiiſſe peccatum. Sentis quippe, quam iniquum ſit ſine merito tranſiiſſe ſupplicium.* Pelagium ſequuntur, diſſimulato licet ſæpe genuino controverſiæ ſtatu per luſum manifeſtum in vocibus mortalitatis & moriendi neceſſitatis, *Sociniani & Anabaptiſtæ* plures, quin & *Remonſtrantes Apol. Cap.* IV. horumque primipilus *Epiſcopius Diſp. v. de Oper. Dei*, quem tamen ut ſibi conſentientem adducit *Menaſſe Iudæus*, atque hic ex parte deſerere videtur *Curcellæus de Iure Dei Cap.* XI. *Mors naturalis*, ſic expreſſe *Socinus de Servat. Part.* III. *Cap.* 8. *quatenus naturalis eſt & omnibus communis, non eſt peccati ſtipendium, ſed naturæ noſtræ, quam ipſemet Adamus in ipſa creatione accepit, propria ſequela.* Præter πρώτων ψεῦδος Pelagianorum ſupra notatum aliud prodit *Volkelius Lib.* III. *Cap.* II. Chriſtum ſcilicet eſſe primum Immortalitatis & præconem & datorem, in quem adeò injurii ſunt, qui primos parentes immortales eſſe contendunt. Generale omnium argumentum eſt, *omnes cauſas efficientes mortalitatis, ſive in nobis ſive extra nos ſint, extitiſſe ante peccatum non minus quam poſtea*; quibus verbis ſi reſpicitur ad remotam moriendi potentiam, quæ abſque peccato in actum non fuit deducenda, umbram feriunt, ſin ad potentiam proximam, quæ in actum deduci potuerit, merâ peccat petitione principii falſiſſimi *Socinus*. Pulvereus ſcilicet fuit etiam homo ante peccatum, & hinc deducit Deus ipſe mortem *Gen.* III. 18. nec non Apoſtolus 1 *Cor.* XV. 47. 49. ſi *Socinum* prælegentem audimus. Sed hinc deduci mortem ante peccatum, vel tanquam ex cauſa proxima, id probandum, non contra textum utrumque planè ſupponendum erat. Imprimis cum fateatur *Crellius*, *Deum vim naturæ ſuæ, ſponte ad interitum inclinantis, potuiſſe cohibere*; & Salvatori ſuſcitato in terris corpus mortale, non tamen morituram, tribuat *Smalcius Lib. de Divin. Chriſti Cap.* 14. Præterea cibo & potu indiguit ad ſui conſervationem homo integer, ſic inferunt cum *Socino Remonſtrantes*, at in immortalitate nullus eſcis locus; tum ex partium pereuntium corruptione, quæ in nutrimento ſupponitur, tum ex teſtimonio Apoſtoli 1 *Cor.* VI. 13. *eſca ventri, & venter eſcis, Deus autem & hunc & illas deſtruet.* Qua-

ſi partibus ſubſtitutis priorum vigorem addere non potuiſſet Deus, aut Chriſtus ipſe immortalis non ediſſet, aut confundi deberet conſummata cœli immortalitas cum ſtatu Adami. Amplius, ſic iterum poſt *Socinum* contendit *Epiſcopius*, generationi homines operam daturi erant, in immortalitate ceſſaturæ *Luc.* xx. 35. 36. & ad conſervationem ſpeciei tantum facienti. Quaſi hic rurſum à ſtatu futuræ Immortalitatis, quando completus jam erit electorum & hominum omnium numerus, ad primam creationem concludere liceret; nec generatio per ſe potius ad multiplicationem quam ad conſervationem faceret. Tum, inquit porro *Socinus*, Arbore Vitæ opus non fuiſſet. Quaſi media Deus ad fines ſuos non ordinet, & hæc Arboris appellatio ab inſitâ virtute unice ſit repetenda. Quin etiam, urget cum *Socino Welſingius*, manent pii morti ſubjecti, qui à pœna peccati omni per Chriſtum liberati ſunt. Sed non ſunt hi à moriendi neceſſitate magis, quam ab ipſa morte exempti, ablato verè mortis nocenti aculeo. Reliqua, quæ habent *Mennonitæ* de neceſſaria ad ingreſſum in cœlum morte, dè futuro interitu cœli & terræ, de pœnæ non ſubjiciendis parvulis innocuis &c. ut leviora atque ruditatem ingenii ſapientia, vel falſis hypotheſibus nixa, mittimus.

Imaginem Dei Angelis non eſſe denegandam, monſtratur.

XXVII. Ex data Divinæ Imaginis explicatione non videtur eſſe dubitandum, quin ea etiam ad Angelos debeat extendi. Cur enim denegetur ipſis appellatio hæc, cum omnia, hactenus à nobis ex Scripturis tradita & quæ per eam denotantur, Deus Angelis conceſſerit; naturam ſcilicet Spiritualem, eximiam in ea Sapientiam & intaminatam Sanctitatem, felicemque bonorum Perpetuitatem, quibuſdam ſua tantum culpa juxta cum homine lapſis, reliquis confirmante Dei gratia nunc extra omne lapſus periculum conſtitutis. Quin &, licet difficulter in id concedant quidam, illud in res corporeas Dominium, quo ad agnoſcendam & prædicandam Dei gloriam omnia ipſis inſervire debent, ac portentoſa quæque in his operari queunt. Conferantur Scripturæ loca, quæ Spiritus illos dicunt *Hebr.* i. 14. *Pſal.* civ. 4. *Luc.* xxiv. 39. *Col.* i. 16. *&c.* Sapientes 2 *Sam.* xiv. 18. 1 *Cor.* xiii. 1. *Matt.* xviii. 10. *&c.* Sanctos *Matt.* xxv. 31. *Act.* x. 22. *Jud.* 14. *&c.* Immortales *Luc.* xx. 36. Potentes *Pſal.* ciii. 20. 2 *Theſſ.* i. 7. 2 *Pet.* ii. 11. imò θρόνους, κυριότητας, ἀρχὰς, ἐξουσίας, *Col.* i. 16. *Eph.* i. 21. iii. 10. *&c.* Nec incommode huc referri putem illud Eliphazi

phazi *Job.* IV. 18. ובמלאכיו ישים תהלה / quod postremum vocabulum constat aliter exponi per עילא / σαλεύον τι, ματαιότητα, *pravitatem*, *insaniam*, *à Chaldæo*, τῆς LXX. *Symmacho*, *Vulgato*, *AbenEzra*, & Christianorum Doctissimis etiam Interpretibus. Rectè autem illa simul ab aliis transferuntur, *& in Angelis suis ponit*, sive *posuit*, *lucem*, sive *splendorem*, Sanctitatis videlicet, Sapientiæ, & Gloriæ suæ: ut sic argumento, quod ducitur à majori ad minus, vel ab Angelis ad homines, suum constet robur. Favet omninò huic expositioni vocis תהלה / *David Kimchi*, *& Levi Ben-Gerson*, quamquam uterque adverbium negativum ex priori membrò לא תהלה & שוא repetat; רוצה לאמר אור / *vult dicere lucem*, inquit hic. Et magis tum frequens usus Radicis in *Hiphil* apud Jobum, sensu *splendendi*, & *lucendi*, *Job.* XXV. 5. XXIX. 3. XXXI. 26. XLI. 9. tum verbum additum ישים / *ponit*, sive *posuit*, quod durius videtur de divina sententia intelligi. Nec obstat, tum *Cap.* XV. 15. tum *Cap.* XXV. 5. impuritatem sive stultitiam aliquam Angelorum satis expresse videri memoratam; cum ea hic pariter in priori versus hujus pericope sufficienter comprehendatur. Ut ad institutum redeamus, Imaginem Dei toties tribuit Scriptura Angelis, quoties ob Divinam Similitudinem eos & *Deos* & *Dei Filios* vocat *Psal.* VIII. 6. *Job.* I. 6. XXXVIII. 7. *&c.* Supponit enim præter creationem illa appellatio Imaginem paternam. Imò hanc non uno modo in illis conspectiorem & illustriorem quam in homine dixisse Viri Docti videntur non immerito. Quorsum tamen nos neutiquam ducit dictum Psaltis *Psal.* VIII. 6. *Et imminuisti eum parumper pra Diis;* tanquam ad Christi & Ecclesiæ exinanitionem spectans temporariam. Neque similiter locus Ezechielis, qui agit de Rege Tyri *Cap.* XXVIII. 12. & quem huc trahit *Gregorius Hom.* XXXIV. *in Euang. Unde & ipsi Angelo*, inquit, *qui primus est conditus per Prophetam dicitur, tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti; ubi notandum est, quod non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur, ut quo in eo subtilior est natura, eo in illo Imago Dei similius insinuetur expressa.* Hominem Deo similiorem, quam Angelum, dum urget *Pererius*, *quod in genere hominum sit Deipara semper Virgo Maria, quæ secundum gratiam & gloriam omnes Angelos longissime superat*, fœda idolomania Christi ipsius oblivionem induxisse videtur.

Digitized by Google

Neque Mulier Imagine Dei eſt. privanda.

XXVIII. Rectè tamen Moſes, viſibilium creationem expreſſe deſcribens, & Angelos non niſi ſub generali nomine *Exercituum Cœleſtium* memorans, Imaginem Dei ſoli homini tribuit. Hanc verò ad *Mulierem* etiam pertinere, vix operæ pretium eſſet hic à nobis annotari, niſi ſcrupulum injiceret forte illud Apoſtoli 1 *Cor.* XI. 7. *Vir enim non debet velare caput, εἰκὼν καὶ δόξα θεοῦ ὑπάρχων, cum is ſit imago & gloria Dei, at mulier gloria viri eſt. Non enim eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro &c.* Ubi non tantum Viro oppoſite ad Mulierem Imaginem Dei tribuere videtur Paulus, ſed & ſigno divinæ Imaginis privans Mulierem per capitis velamentum, illi hanc auferre. Unde fluxit illud ex *Auguſtino* in Jure Canonico *Decret.* XXXIII. *Qu.* 5. *Cap. Hæc imago. Mulier non eſt facta ad Imaginem Dei.* Verum abſit, ut in ſententiam tam abſonam concedamus; cui clariſſime obloquitur Moſes, dicens hominem utrumque, i. e. marem & fœminam, creatum ſecundum Dei Imaginem *Gen.* 1. 26. 27. *Ad imaginem Dei quippe*, ut obſervat *Auguſtinus Lib.* XII. *de Trin. Cap.* 7. *naturam ipſam humanam factam dicit, quæ ſexu utroque completur, nec ab intelligenda imagine Dei ſeparat fœminam.* Accedit, quæcunque ad Imaginem Dei pertinent, in Muliere reperiri, etiam Dominium, utrique in numero plurali conceſſum *Gen.* 1. 28. Nec eſt gratia renovationis ad ſimilitudinem Dei viris propria; *quis eſt ergo, qui ab hoc conſortio fœminas abalienet, cum ſint nobiſcum gratiæ coheredes?* juxta *Auguſtinum.* Locutio tota Apoſtoli comparata eſt, reſpicitque ad dignitatem Viri ſupra Mulierem, quæ communem dignitatem utriuſque ſexus ſupra animantia atque alia Dei opera non tollit magis, quam ἐξοχὴν Virorum Principum ſupra ſubditos, & Dominorum ſupra ſervos, & Parentum ſupra filios, hos omnes Imagine Dei privat. Uti ergo eſt in Magiſtratibus, qui in alios imperium tenent, ſpecialis quædam excellentia, quâ ad Deum propius accedunt, ita & in Viro; in quo ſi reſpectu donorum conceſſorum gradum etiam majorem agnoverimus, non id ſtatui Integritatis magis repugnabit, quam diverſitas graduum cœleſtis gloriæ perfectioni. Quin & *Decreti* apud *Gratianum* ſenſus in contextu limitari videtur, quando Imago exponitur de Imperio, & ortu omnium ex uno. Licet peſſimè ibidem ad unum virum applicetur illud Moſis, ברא אתו / *creavit illum*, quod collectivè accipiendum monſtrant, quæ immediatè ſubjiciuntur, ברא אתם / *creavit illos.*

Digitized by Google

illos. Videatur latius de his differens tum *Auguſtinus l. a. & Lib. III. de Gen. ad lit. Cap.* 22. tum *Baſilius Hom.* X. *in Geneſin.*

XXIX. Ex iis, quæ dicta ſunt, clareſcit porrò, quæ in homine Sedes ſit Divinæ Imagini tribuenda ; illam ſcilicet eſſe potiſſimum potiorem hominis partem Animam, ſimul tamen & Corpus, non quidem ut ſimilia quædam lineamenta in Deo ſint ulla, ſed ut ſimilitudinis divinæ in corpore humano expreſſio ſit multiplex. Quatenus enim mens eſt hominis Spiritualis & inviſibilis, eadem elucet in *ore ſublimi & erecto vultu*, ad cœli & inviſibilis Dei intuitum. Uti id obſervarunt non modò Gentiles, ſed & Chriſtiani. *Quamvis etiam*, inquit *Auguſtinus Lib.* I. *de Gen. c. Manich. Cap.* 17. *corpus noſtrum ſic fabricatum ſit, ut indicet nos meliores eſſe quam beſtias, & propterea Deo ſimiles &c.* Pertinet huc omnis illa organorum ſtructura, per quam rationis uſus, tum in perceptione objectorum ſenſibilium, tum in loquela, ac motibus ab anima imperatis, ſe exſerit ac prodit. Quatenus dein homo Sapientiæ & Sanctitatis dotibus fuit præditus, hæc Imago ſe ab anima in omnia corporis membra diffudit, neque interiè neque exteriè niſi ſecundum legem præſcriptam ad Dei gloriam movenda, aut moventia. Planè quemadmodum reperimus per gratiam Chriſti *ſanctificari hominem totum ὁλοπλῆ καὶ ὁλόκληρον*, *indui* hic non novum ſpiritum ſed *novum hominem*, fieri non quædam ſed *omnia nova*, & ſiſti nos ita *ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας*, ut ſimul ſiſtantur *membra noſtra arma juſtitiæ Deo* 1. *Theſſ.* V. 23. *Eph.* IV. 24. 2 *Cor.* V. 17. *Rom.* VI. 13. *&c.* Cujus beneficii complementum erit in gloria futura, ad corpus omnino extendendâ *Phil.* III. 21. 1 *Cor.* XV. 43. 44. *&c.* Quatenus etiam homini Dominium eſt conceſſum, in Imaginis participationem iterum venit Corpus, ad cujus conſervationem multorum uſus deſtinatus fuit, per quod intuitus operum Dei homini contigit, & cujus aſpectus animantibus venerabilis extitit. Quatenus tandem homo fuit Immortalis, hæc Imago quam maximè ad corpus refertur, tum ob conſiderationem nexus mutui inter animam & corpus non rumpendi, tum ob corruptionem & diſſolutionem partium, à qua corpus ſolum, non anima, præſervandum fuerat.

Imaginis Divinæ Sedes in homine inquiritur & quousque corpus heic juxta Animam nominari queat.

XXX. Facilis etiam eſt determinatio quæſtionis olim agitatæ, debeatne dici Imago Dei per peccatum ab homine Deperdita ?

Quo uſque Imago Dei per Lapſum deperdita ſit, & adhuc reliqua in homine, docetur.

Ad quam negativè reſponderent Chriſtiani plures, ſupponentes paſſim diſtinctionem Imaginis & Similitudinis, unde *ſimilitudinem perditam eſſe* faſſi *peccato*, uti expreſſe ſcribit *Cyprianus de Bono Patient.* non tamen *animam peccatricem deſinere eſſe Imaginem Dei* contenderunt cum *Eucherio*; cujus & aliorum Patrum dicta videre licet apud *Bellarminum de Grat. Pr. Hom. Cap.* 11. Contrariam ſententiam adſcribit *Origeni Epiphanius in Epiſt. ad Joh. Hieroſ.* de cujus mente legendus *Huetius in Origenianis.* Non ſemel idem etiam inculcat *Auguſtinus*, *Imaginem* ſcilicet *in Spiritu mentis impreſſam perdidiſſe Adamum per peccatum*; uti legitur *Lib.* VI. *de Gen. ad Lit. Cap.* XXVII. Idem tamen ſufficienter ſe declarat, tum eodem loco, tum *Lib.* I. *Retract. Cap.* 26. ubi allegans verba duriora, quæ *Libro* LXXVIII. *Quæſtionum qu.* LXVII. ſcripſerat, hominem videlicet *propter peccatum amiſſo imaginis ſignaculo remanſiſſe tantummodo creaturam*, ſubjicit; *Quod non ita accipiendum eſt, quaſi totum amiſerit homo, quod habebat imaginis Dei, nam ſi omnino non amiſiſſet, non eſſet quod diceretur, reformamini &c.* Paria habet *Lib.* II. *Retract. Cap.* 24. *Quod dixi, Adam Imaginem Dei, ſecundum quam factus eſt, perdidiſſe peccato, non ſic accipiendum eſt, tanquam in eo nulla remanſerit, ſed quod tam deformis ut reformatione opus haberet.* Perdidit ergo omnino homo per peccatum Imaginem vel Similitudinem Dei (nullum inter hæc duo diſcrimen agnoſcimus,) reſpectu iſtius perfectionis & ſplendoris, quo in Adam refulſit, nulla quidem Imaginis parte excepta, ſed læſâ & debilitata ipſa etiam Animâ reſpectu ſuarum facultatum & virium. Quod liquet ex impotentia hominis ad intelligendum & amandum verum bonum, ex inſcitia & abalienatione ejus à Deo, & relucente in his imagine Diaboli, ex animantium plurimorum quin & creaturarum omnium contra hominem frequenti rebellione, ex morte omnibus exſpectanda, denique ex omnibus iis locis, quæ recte urget *Auguſtinus*, quæ dicunt neceſſariam Imaginis Reſtitutionem *Eph.* IV. 24. *Col.* III. 10. 2 *Cor.* III. 18. *&c.* Retinuit tamen homo ex ſingulis his perfectionibus aliquid, quod ſub nomine *reliquiarum* Divinæ Imaginis apud Theologos venire ſolet, uti Animam qualicunque modo intelligentem & volentem, ſemina quædam Scientiæ, per rationem & experientiam augendæ, diſcrimen aliquod inſitum Honeſti & Turpis, Jus rebus aliis utendi, cujus veluti agnitio quædam in animantibus multis conſpicitur, denini-

nique & Vitæ hujus ad annos ſæpe multos protractionem. Neque abhorrere ab Imaginis appellatione Scripturam reſpectu hominis lapſi, uti monſtrat *Epiphanius*, ita ante â nobis fuit aſſertum. Hæc plane etiam mens publicarum *Confeſſionum*, *Helvetica Art.* IX. *Gallica Art.* IX. *Belgica Art.* XIV. Ubi *ſic vitiata & per peccatum corrupta dicitur hominis natura*, ut tamen etiam donorum conceſſorum *exiguæ ſcintillæ, & veſtigia exilia illi relicta ſint.*

XXXI. Claudat materiam hanc quæſtio à *Pontificiis* mota de Imagine Dei, ſitne ratione partis ſuæ principalis, Rectitudinis ſcilicet & hanc conſequentis Immortalitatis, *Naturalis* homini an *Supernaturalis* dicenda? Quam quæſtionem uti pro more ſuo in logomachiam convertere ſtudet Theologus Sedanenſis *Ludovicus le Blancq*, gemina de hoc argumento Diſputatione, ita revera confuſe admodum ſæpe eam ventilari ob homonymiam vocis *Naturalis* liquet. Operoſe arguit *Bellarminus*; *Rectitudinem illam, quam primus homo in creatione accepit, donum ſupernaturale fuiſſe Cap.* V. idemque dein de *Immortalitate* aſſerit *Cap.* IX. Catholicos ſuos, inter quos diſſentientes quoſdam Viros *alioqui inſigniter eruditos* obſervat, terrens autoritate duorum Pontificum, Pii V. & Gregorii XIII. qui oppoſitam ſententiam expreſſe damnaverint. Id ſi ſignificaretur hac phraſi, Integritatem illam & Immortalitatem non conſtituere Naturam ipſam humanam, aut ex ea qua tali neceſſariò conſequi, ut ablatâ illâ homo eſſe deſineret homo; nulla foret, ob ſecutam miſeriam, ſervatamque tamen humanitatem, hic diſputatio. Sed ſubeſſe verborum involucris virus *Pelagianum*, dubitare nos non ſinit ipſe *Bellarminus*, quandò in hominis ex ſpiritu & carne conſtantis natura, ſeu in ſtatu *puræ naturæ*, ut vulgò loquuntur, conſiderat *morbum*, *languorem*, *pugnam*, *carnis rebellionem*, *benè agendi difficultatem*, *concupiſcentiam*, cui compeſcendæ *aureum frenum* Juſtitiæ Originalis datum fuerit, quo etiam præventa ſic fuit *mors* alias ſecutura. Unde conſequuntur hypotheſes plures *Pelagianæ*, Naturam humanam eſſe hodieque Integram, non modo partium ſed & Virium ſuarum reſpectu, Concupiſcentiæ motus primos pro peccato non eſſe habendos, non omnem in bonum propenſionem divinæ gratiæ deberi, & quæ ſunt vicinæ aut ſimiles aliæ. Quas ut evitemus, tenet omnino Eccleſia verè Catholica, eſſe Integritatem & fluentem hinc Immortalitatem quidem conſiderandam per modum doni divinæ gratiæ, non fluentis

Sitne Imago Dei reſpectu Rectitudinis & Immortalitatis dicenda Naturalis aut Supernaturalis homini, inquiritur.

ſcilicet ex natura humana, ſed ad eam qua talem additi: attamen eſſe illam tale donum, quod Deum ſuæ ſapientiæ, ſanctitatis, & bonitatis, intuitu decuit conferre in hominem creandum, quod ad integritatem hujus recenter creati omnino pertinuit, & abſque quo creatura ipſe, ut peccatrix, ſic Deo protinus indigna fuiſſet. Quod conſtat; ex indita hac Rectitudine in ipſa creatione, quod *Bellarminus* etiam agnovit; ex Concupiſcentiæ vitio *Rom.* VII. 7. 1. *Joh.* II. 16. &c. ex certâ Rectitudinis ad poſteros niſi interceſſiſſet peccatum nunc pariter propagatum propagatione; denique ex natura creaturæ rationalis, quæ in puris naturalibus fingi non poteſt, ob Legem ei præſcriptam neceſſario & huic & Deo vel difformis vel conformis. Et quemadmodum confutationem nullam merentur, quæ ex *Gen.* III. *Pſal.* VIII. XLIX. *Luc.* X. *Eccleſ.* XVII. profert *Bellarminus*; ſic leviſſimæ ſunt rationes, à diverſitate naturæ rationalis & corporalis in homine, ab inobedientia carnis quæ non poſſit repeti à Deo judice ob præceptum contrarium, ex nulla naturæ ſed donorum per peccata noſtra ablatione, ex impoſſibili ſic ſuſcitatione hominum abſque integritate hac, denique ex ſecuturo hinc abſurdo, hominem ſic fore naturaliter Deum vel Dei filium. Uti etiam ad objectiones, tum ex Scriptura, tum ex *Auguſtino & Thoma* petitas, deſultoriè admodum reſpondet; ita parum aut nihil ad rem faciunt teſtimonia *Baſilii*, *Chryſoſtomi*, *Cyrilli*, *Ambroſii*, *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Anſelmi &c.* quibus tantum dicitur, vel donum rectitudinis naturam hominis ſimpliciter non conſtituere, vel non eſſe independens & internum ut in Deo, vel fuiſſe remotam moriendi potentiam in homine, quæ omnia ſunt ἐξαγόμενα. Latius ſingula exſequerer, niſi pro inſtituti mei ratione diu ſatis in hoc capite de *Imagine Dei* hæſiſſem. Quæ quomodo in homine ſemel poſita amitti tamen potuerit, erit propterea etiam in hiſtoria Tentationis & Lapſus potius dicendum, quam heic.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

Quo monſtratur, Deum cum Homine primùm Creato Fœdus iniiſſe.

Hactenus vero cum præter *Creationem* & *Naturam Hominis* habuerimus modò ejus *Statum* felicem in quo à Deo conditus eſt, nunc ad Viam conſummatæ Felicitatis venimus, quam Deus ipſi præſcripſit per modum *Fœderis*; quod ſeu *Natura*, ob coævam ei originem & conforme ei argumentum, ſeu *Operum*, ob eorum ſtipulationem, ſeu *Legis*, ob ſtipulationis in ea comprehenſionem, ſeu *Vetus*, ob antiquitatem primam & antiquationem per Peccatum & Novum Fœdus, ſeu denique etiam à nonnullis *Sinaiticum* dicitur, non ob ejus repetitam illic erectionem, quam nec hominis lapſi impotentia nec Dei juſtitia admittit, ſed ob ejus ſummam Iſraëli propoſitam, per quam ſic externa Legalis ſpecies in Fœdus Gratiæ eſt inducta, ad uſum quidem multiplicem ſed & ad abuſum haud exiguum populi. Id autem Fœdus cum non tantum ſit res præcipua, quæ in Integritatis ſtatu ſpectanda venit, & ad quam aliæ plurimæ meritò referuntur, ſed & baſis prima Fœderis Gratiæ cum homine peccatore, quod deinde inſecutum eſt, & per quod ſalvari debemus, in ejuſdem explicatione uberiori conſtitutum eſt nobis porro ad hujus *Secundi Libri* finem unicè hærere. Quo magis ei in partibus quibuſdam ab ævo contradictum eſt, & in univerſo complexu liberius contradici ab aliquo tempore cœpit, non abſque peſſima in aliis Theologicis capitibus ſequela.

Tranſitus ad Fœdus Dei cum Adamo, cujus varia nomina præmittuntur.

II. Hoc ante omnia heic tanquam fundamentum itaque inconcuſſum jaciamus, quod *Deus* cum *Homine* à ſe creato ſecundum ſpecialem ſuam Imaginem, tam in Habitualibus Donis quam in Natura & Dignitate, inierit *Fœdus* aliquod veri nominis, ſeu amicam gratamque conventionem, per quam aliquid ab homine *ſtipulatus* eſt Deus quod ipſe præſtaret, *pollicitus* ſimul bonum magnum à ſe in iſthoc caſu conferendum homini, atque Homo *adſtipulando & reſtipulando* Divinæ huic voluntati ſubſcripſit. Quod ſi ex Moſe aut aliunde non ita liquido nobis conſtaret, unus ſuffi-

Fœderis ejus veritas oſtenditur ex Hoſ. VI. 7. ubi nomen Adami non appellativum ſed proprium eſſe monſtratur.

cienter docere poſſet locus *Hoſ.* VI. 7. *Ipſi vero*, vel *& ipſi*, *ſicut Adam tranſgreſſi ſunt fœdus*, *ſic*, vel *ibi*, *prævaricati ſunt in me.* In quibus verbis non minus clare agitur de *Adamo* per modum exempli, quam de gente Iſiaë itica directe heic culpata; atque hujus iniquitas ita confertur cum illius tranſgreſſione, ut *Fœdus* cum Deo verum utrique pariter tribuatur quod violaverint indecenter. Interim notiſſimum eſt, ab ævo multos *Adamum* heic non reperiſſe, vocem כאדם appellative vertentes; vel in nominativo, *ſicut homo*, uti prærierunt cum aliis quibuſdam Judæis LXX per ſuum ὡς ἄνθρωπος; vel in Genitivo, *tanquam hominis*, uti habent *Tremellius & Junius*, ſimul notantes, notionem propriam, *tanquam Adam*, *non videri argumentationi Prophetæ adeò convenire.* Nec diffitendum eſt, tum in hunc modum utrumque vocem illam per ſe transferri, tum ſenſum ſic varium qui ſatis commodus ſit reperiri, poſſe. *Tremellius & Junius* enim exponunt; *tanquam ſi cum homine vaniſſimo ſibi res eſſet.* Dum alii in ſimilitudine *hominis* tranſgredientis ſpectant quoque non unam ſingularem aliquam perſonam, ſed collective *homines* cum *Piſcatore*, ſive jam *antiquos* primi mundi aut terræ Cananææ juxta *Jonathanem*, ſive *viles* vulgares & plebejos, *quibus*, notante *Druſio*, *ſæpe ludus ac jocus eſt violare pactum*, ſive alios *impuros* præ Iiſraëlitis, ſive quosvis corruptos & peccaminoſos, qui fidem ſeu Deo ſeu hominibus aliis non infrequenter fallunt; uti in hunc ſenſum *Theodoretus*, inhærens corruptæ ulterius Verſioni Græcæ αὐτοὶ δέ εἰσιν ὡς ἄνθρωπος παραβαίνων διαθήκην, ſcripſit, αὐτοὶ δὲ ὁμοίως ἀνθρώπῳ τὰς συνθήκας αὐτῷ πρὸς τινα παραβαίνουσι συνθήκας. Ut taceam de Iſraëlitarum conſpiratione in tranſgreſſione, per quam illi omnes *ſicut homo* unus illius rei conſtituantur per hanc phraſin. Sed ſenſus proprius כאדם / pluribus placet Hebræis; quem & ſecutus eſt *Hieronymus*, reddens, *ſicut Adam*, proque commentario textus integri habens, *prævaricati ſunt pactum Dei in Eccleſia*, *ſicut Adam prævaricatus eſt in Paradiſo*, *& imitatores ſe antiqui parentis oſtendunt*, *ut quomodo ille de Paradiſo*, *ſic iſti ejiciantur de Eccleſia*; & laudavit *Cyrillus Alexandrinus*, παντάχόθεν ἡμᾶς πολυπραγμονεῖν εἰς μάλα τὸ ἀληθὲς παιδάζοντας, καὶ νῦν εἰπεῖν ἀναγκαῖον, ὡς ἡ καθ' ἑβραίους ἔκδοσις ἀντὶ τοῦ ὡς ἄνθρωπος ὡς Ἀδὰμ εἴρηκε παραβαίνων διαθήκην; ἵνα νοοῖτο παιδός τις τρόπῳ ἐξ Ισραὴλ ἡ παράβασις ὁπόσα γέγονεν ἐν Ἀδάμ, μετὸν δὲ ἐκείνῳ καὶ ἡ πρὸς θεὸν οἰκείωσιν ἔχειν, ἣν

Digitized by Google

ἐν ἀφθαρσίᾳ ἀπηρτελεῖν, καὶ τῇ ἐξ ὠδῆς τεκούσαις ἐναβρύνεσθαι, καταμείλησε τῆς θείας ἐντολῆς, εἶτα διώλυτην ὀδὸν τὸ αἰσχίω, τῆς ἀρχαίων ἀδοκήτως ἐξεπεμψῶ &c. Neque dubito ego, quin illa exegesis de *Adamo* primo sit præferenda; quando Hebræum *Adam* est nomen singulare proprium notissimum, ex primo etiam ut videtur usu suo, & qui soli Mosi neutiquam est peculiaris, *coll. Job.* XXXI. 33. *&c.* quando in sensu isto proprio recipit illud quidem sæpius *He* designativum ante se, ut urgent aliqui, sed non semper, *coll. Gen.* III. 17. 21. IV. 25. V. 1. 2. 3. 4. 5. *&c.* atque idem tanquam proprium designatione ulteriori tam ex natura rei quam ex Hebræorum consuetudine minus opus habet quam si sit appellativum, uti heic absque *He* expresso vel extruso legitur; quando solet *Adam* hoc modo per præfixum *Caph* in exemplum alias quoque adduci, ex plurimorum consensu in illo *Job.* XXXI. 33. *si operui* כאדם *sicut Adam prævaricationes meas, abscondendo in amore meo*, vel *in abdito meo, iniquitatem meam*, & ex nostra etiam observatione quam dedimus *EXERC. TEXT. XVII. Part. II.* in textu *Psal.* LXXXII. 7. *utique* כאדם *sicut Adam moriemini &c.* quando tandem propter transgressionis Adami magnitudinem, & celebritatem, & relationem facilem ad alios homines tanquam naturalis Patris posteros, *coll. Ies.* XLIII. 27. sensus hinc surgit longe simplicior & plenior, quam ex appellativa versione multiplici antea data. In qua, aut aliquid apud nomen illud *Hominis* frustra subintelligitur cum temeraria numeri ejus mutatione, aut vis assimilationis multum minuitur, aut in genitivo ordo vocum Hebræarum illud כאדם nectens non cum ברית sed cum המה / temere permutatur, ubi neque ad commendationem fœderis plusquam humani dicitur בריתי *fœdus meum*, sed simpliciter ברית *fœdus*. Quæ rationes aut similes forte aliæ cum persuadere potuerint ipsi *Castalioni* & *Grotio* ut sensum proprium *Adami* nobiscum tenerent, mirum videri queat quod tam multi ex Interpretibus nostris appellativum prætulerint, suas peculiares glossas mutuas simul tamen haud infeliciter redarguentes. Sed & mirum mihi omnino accidit, quod observavi Doctissimum & Clarissimum Virum *Jacobum Gussetium* non tantum *in Comment. Ling. Hebr.* locum hunc *Hoseæ* cum illis *Jobi* & *Psaltis* appellative exponere, sed & in *Addendis* ita amplius disputare de nostro textu; *Certe ille primus homo nihil ad scopum facit. Scopus est aggravare culpam Israelitarum. At comparatio eorum cum Adam minueret*

eam potius. Cum enim ille cum peccavit dotibus omnibus ac bonis ſtatus integritatis præditus fuerit, poſteri cum eo collati nonnihil apparent excuſabiles, utpote nati infirmi & peccati habitu innato induti. At vero Iudæorum peccato aggravando conducet eorum comparatio cum alio homine. Si Iudæus, inquam, peccet ut alius homo, gravius ille peccat, ob revelationis aliorumque auxiliorum bene vivendi copiam illi conceſſam aliis negatam. Ad quæ haud ægre feret Vir Amiciſſimus ſi notem ego ; ſic quidem aggravari culpam Iſraëlitarum ſi in factis ſuis cum impuris Gentilibus comparentur, ſed horum deſignationem in ſolo nomine *hominis* vix videri ſufficientem; & quemadmodum major Iſraëlitis ſanguinis nexus & Fœderis divini ſimilitudo cum Adamo quam cum Gentibus, ita non poſſe ullatenus pro excuſatione peccati Iſraëlitici haberi, ſi ipſi magno etiam lumine ac gratia præ aliis hominibus mactati fœdiſſimum inſtructiſſimi Adami ſcelus factis ſuis exprimerent.

Fœdus autem non minus vere proprieque Adamo quam Iſraelitis tribui obſervatur.

III. Id jam quando evictum eſt, de Adamo primo in hoc textu per modum exempli agi, reliqua diſputatio noſtra ex eo facilius procedet. Siquidem in *Fœderis*, non humani cujuſcunque ſed Divini quod κατ' ἐξοχὴν nomen illud merebatur & cujus poſtulatum præcipuum proxime præceſſerat *verſ.* 6. in hujus inquam *tranſgreſſione* ita conferuntur Iſraelitæ cum Adamo, ut tam huic quam illi Fœdus cum Deo debeat fuiſſe quod tranſgredi poſſet. Quo magis cum transgreſſione illa jungitur adhuc exegetice *Prævaricatio*, ſeu *Perfidia* adverſus fœdus initum, quam verbum בגד exprimit. Eſt utique leve nimis, ſi quis cauſetur, Fœdus ſynecdochice nonnunquam capi pro Præceptis quæ partem Divini Fœderis unam conſtituunt, atque eo ſenſu illud Adamo poſſe tribui aut heic tributum agnoſci. Etiamſi enim ſynecdochica Fœderis notio, qua modo ad præcepta modo ad promiſſa Divina ſignificanda illud adhibetur, minime neganda ſit alias, quin & in humana tranſgreſſione fœderis maximus indubie ſit reſpectus ad fœderis Præcepta ; non tamen voce Fœderis absque metaphora alia quam Fœderalia notantur Præcepta. Atque hoc attendi omnino debet, quod vox *Fœderis* directe heic applicetur ad Iſraëlitas, quibus veri propriique nominis Fœdus cum Deo denegari nequit ; quale hinc etiam in Adamo tranſgrediente debet agnoſci, niſi maximum ſimilitudinis perfidiæ fundamentum tollere volueris, atque ſic ſermonem divinum ſua privare elegantia. Nec juvabit in adverſum, ſi monueris agnoſcendam tamen eſſe

esse diversitatem Fœderis Divini cum Adamo & cum Iisraëlitis iniri. Siquidem nihil heic dicere opus est de utriusque identitate & convenientia secundum externam Iisraëlitici Fœderis speciem Legalem, & ortam hinc pravam plurimorum Iisraëlitarum persuasionem; sed quando nec ipsum Fœdus Dei cum Iisraële heic late exponitur, nisi mandati præcipui & moralis respectu quod proxime præcessit quodque omnino etiam ad Adamum spectavit, sufficit modò si suum fuerit Adamo cum Deo Fœdus verum æquè quam Iisraëlitis, quod transgredi ille potuerit. Analogice huc spectant sequentia *Cl. Gousetii*, quibus ille objectionem adversus exegesin suam amolitur; *Interim quidem ea interpretatione supponitur* ברית *fœdus inter Deum & alios homines. Sed non sequitur, hoc æque proprie dictum fœdus esse, ac Fœdus Iudæorum cum Deo* κατ' ἐξοχὴν *suo. Allusio nempe dat locum extensioni nominis, præsertim semel jam positi; & propter eam toleratur aliqua in alio subjecto improprietas, sic* לב *suo loco observo in allusione dici de bruto etiam.* Utique istiusmodi amplectenda essent effugia, si interpretatio ipsa primum esset demonstrata tanquam necessaria, quando Gentiles olim fuerunt à Dei Fœdere excluſi. Et si Adamum spectemus, non est ad alterum sensum Fœderis magis quam Transgressionis imo quam ad novi Verbi supplementum veniendum, nisi Adamum Fœderis veri cum Deo incapacem fuisse prius constiterit.

IV. Quemadmodum verò apud *Hoseam* facta est expressa mentio Fœderis Divini cum Adamo, ita ad illud nos ducit quoque reliqua Scriptura Veteris & Novi Testamenti, ubi *Fœdus* aliud aliquod salutis quam Euangelicum & Fidei nobis seu proponit seu describit, quod *Operum* dicitur. Scilicet uti Paulus duplicem memorat *Legem*, νόμον, seu monstrationem viæ ad salutem ducentis, unam quæ dicitur *Operum*, τῶν ἔργων, alteram quæ vocatur *Fidei*, πίστεως, simul disputans adversus actualem omnem Justificationem hominum ex illa Operum & pro illa Fidei *Rom.* III. 27. *etc.* ita apud eundem Paulum nobis occurrunt *Duo Fœdera*, αἱ δύο διαθῆκαι, *Gal.* IV. 24. cum manifesto respectu ad duplicem Justificationis jam nominatam causam & rationem, quam in illa Epistola non minus clare & graviter agit Paulus ac in priori, & secundum loca illa alia in quibus unius prioris & alterius posterioris Fœderis mentio fit ex *Ier.* XXXI. 31. 32. Et si velimus Fœderis istius gemini à parte Dei summam, hanc, appellatione *Operum* & *Fidei* sa-

Faciunt huc deinde loca omnia, in quibus est mentio aut descriptio Fœderis Operum, quod cum homine peccatore Deus non potuit inire, atque hinc cum integro erectum est.

ſatis inſinuatam, clarius etiam propoſuit Paulus quoad primum Fœdus quod heic ſpectamus ex Moſe ipſo *Rom* x. 5. Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς, & *Gal.* III. 12. ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς, præeunte ipſo Domino *Matt.* XIX. 17. εἰ δὲ θέλεις εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν τήρησον τὰς ἐντολάς, *Luc.* X. 28. τοῦτο ποίει καὶ ζήσῃ, æque quam Moſe *Lev.* XVIII. 5. *&c.* Iſtorum vero ſive omnium ſive quorundam locorum ſcopus & contextus ſimul cùm doctrina ſana de Juſtificatione peccatoris coram Deo per Fidem Juſtitiæ Chriſti ſolius haud parum convelletur, ſi quis ad geminam Fœderis Gratiæ qua talis Oeconomiam iſta voluerit referre, atque omnem Paulinam diſputationem illuc reducere, quod olim quidem homines ex Lege etiam Ceremoniali ejusque Operibus, non excluſa Fide in Chriſtum venturum, ſed & procul amota intrinſeci meriti ſeu propriæ dignitatis perſuaſione, fuerint juſtificati, h. e. pro juſtis heic habiti à Deo cum ipſius complacentia, & poſthac ſalvati, ſed quod nunc ſub N. Teſt. ad id ut ſimili modo juſtificemur, h. e. Deo placeamus & ſalvemur, nulla Legis Ceremonialis opera ſint præſtanda, ſed fides in Chriſtum præſentem cum operibus charitatis ſolum exercenda. Ex adverſo hoc clariſſimum & dudum invicte à Theologis demonſtratum eſſe cenſemus, quod de Juſtificatione agat Paulus longe ſtrictiori ſenſu, prout dicit forenſem actum divinæ abſolutionis à pœna & adjudicationis ad præmium, & de illius fundamento ſeu cauſa meritoria eadem ſub utraque Fœderis Gratiæ qua talis Oeconomia, quæ ſit non Juſtitia noſtra aliqua propria ſecundum Legis Divinæ integræ & Fœderis Operum poſtulatum, ſed Juſtitia Chriſti paſſiva & activa pro nobis præſtita & per fidem ſinceram vivam & in charitatis ac obedientiæ fructibus efficacem ſimul à nobis accepta; ut opponantur heic adeo conſtanter & omni tempore inter ſe τὸ ἐργάζεσθαι & τὸ πιστεύειν *Rom.* IV. 5. 6. ἐμὴ δικαιοσύνη ἡ ἐκ νόμου, & ἡ διὰ πίστεως χριστοῦ ἡ ἐκ θεοῦ δικαιοσύνη ὄτι τῇ πίστει *Phil.* III. 5. *&c.* In quam rem heic latius excurrere nec lubet nec licet; dum hoc tamen notari debet, quod Fœdus illud unum, quod Operum dicitur, à Sinai derivans Scriptura non ſpectet ad Fœderis cum Iſraele illic erecti arcanam Euangelicam medullam & præcipuam intentionem Dei, ſed ad ejus Speciem externam Legalem & ortam inde vanam Iſraelitarum plurimorum perſua-

ſuaſionem quæ in illis durabat ad Apoſtolica tempora, *coll. Rom.* x. 2. 3. 4. *&c.* & quæ eos jubebat pro Legis etiam Ceremonialis obſervatione pugnare ad ſuam Juſtificationem ex ejus non ſignificatione ſed præſtatione. Enimvero, inquies, qualecunque demum fuerit iſtud Fœdus unum, Legis, Operum, Juſtitiæ propriæ, & Vetus, apparet utique illud non tribui Adamo ſed Iiſraeli per Moſen. Sed ad hoc notari debet, eandem in hac parte eſſe fere rationem *Legis* ipſius Moralis, quæ eſt *Fœderis* dicti in ſua præcipua eſſentia; ſi quidem & illa non repetitur expreſſe ab Adamo ſed à Moſe, quod interveniente hujus miniſterio tam ſolenniter lata ſit Iiſraeli, etiamſi omnino cum ipſo homine cœperit ejus latio & obligatio. Tum præcipue hoc debet attendi, quod non conveniat Deo cum hominibus lapſis, quales erant Iiſraelitæ tempore Moſis, verè Fœdus Operum erigere; tum propter eorum præſentem ad bonum perfectè præſtandum impotentiam inſuperabilem; tum propter Dei juſtitiam vindicativam cui ſic pro reatu contracto non ſatisfieret; uti neque hoc erectum eſſe tunc admittit prius Abrahamicum Gratiæ Fœdus, juxta Pauli obſervationem *Gal.* III. 17. τῦτο δὲ λέγω, Διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τῦ θεῦ εἰς χριςὸν ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γεγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν *&c.* Deducitur ergo Fœdus hoc à Sinai & à Moſe, propter ejus illic per hunc factam in Fœderis Iiſraelitici erectione externam & ſolennem declarationem apud hunc populum, quæ etiam nova quædam poſitiva mandata annexa habuit ut præſtanda quoque, licet antea cum Adamo integro proprie eſſet erectum. Atque auſim ego omnium rite attendentium heic provocare judicium, an id cenſeri queat Divinæ Bonitati & Veritati & Juſtitiæ conveniens, ut Operum Fœdus ipſe ineat cum homine lapſo & impotente, huic promittens obedienti felicitatem, quam conſtat illum ſic nunquam poſſe obtinere; & ut idem non proponat homini integro ac viribus ad præſtationem ſufficientibus inſtructo, quibus ſic pervenire queat ad bonum deſideratum. Nec quidquam tandem clarius eſt, quam Paulum τὸ ἀδύνατον τῦ νόμυ ſeu Legis impotentiam ad juſtificandum & vivificandum hominem ejuſque ἀσθένειαν derivare à carne & peccato hominis, ante quod illa ergo per Dei Fœdus cum Adamo vires eas habuiſſe, atque ſub hac forma lata eſſe, ſupponitur.

V. Si iſta duo non ſufficiant, convincere utique tertium hoc nos de- Accedit ad Fœderis

hujus confirmationem omnium hominum Communis Reatus, & Chriſti pro nobis Sponſio ac Satisfactio tam Legalis quam Pœnalis.

debet de Fœdere Dei cum Adamo, quod illud tam in Transgreſſionem Adamicam conſecuta Miſeria, quam in argumento Fœderis Gratiæ proꝛſus ſupponatur. Enimvero imputatur ea Transgreſſio naturalibus omnibus Adami poſteris, qui in eo uno *omnes peccarunt, & per inobedientiam* ejus *omnes peccatores ſunt conſtituti Rom.* v. 12. 19. ſicuti hinc etiam *in Adamo omnes mori* dicuntur 1. Cor. xv. 22. Iſta vero Imputatio Adamicæ culpæ ſi poſſit forte qualicunque modo juſtificari per ſolum nexum ſanguinis inter Adamum & poſteros, collato ſupremo & irrefragabili jure Dei in omnes ſuas creaturas; longe tamen facilius ut æquiſſima concipitur, ſi Fœdus quoque Divinum interveneꝛit, in quo Adam poſterorum omnium ſecum perſonam acciperet & ſuſciperet, qui hinc in publico actu ex ipſo cenſerentur. Quod præ aliis etiam urſit *Doct. Hoornbeekius Miſcell. Sacr. Lib.* 11. *Cap.* 14. *In lapſu conſiderare oportet, quod is non ſingularis perſona fuit, aut hominum duntaxat primorum, ſed communis natura, quatenus univerſa in Adamo conſummata fuit & confœderata. Quum ita Deus cum Adamo egerit, ut perſonam gereret totius generis humani, ſive ſtaret ſive laberetur, atque in eo cauſa verteretur omnium, omneſque in eo conſerentur, nec concipi nec explicari id poteſt, abſque tacito & virtuali fœdere aut pacto, quod Deus conſideretur feciſſe cum primo parente, & in eo ſuper cauſa univerſi humani generis, eo cum ſtante aut labente, ut qua is, ea nomine totius generis & poſteritatis reputaretur accepiſſe, & egiſſe ſeu bene ſeu male, ad lapſum quo legem & fœdus fregit, ſibi poſteriſque omnibus, utpote omnium & natura quaſi plenipotentiarius & κεφάλαιον &c.* Magis etiam ſtringit, quod de Fœdere Gratiæ cœpimus dicere. Si quidem clarum eſt, id ita in locum Fœderis Operum ſucceſſiſſe, ut ejus Stipulationem æque quam Comminationem in ſe acceperit pro nobis ſubſtitutus Sponſor. Utique ſi ex peccato & transgreſſione Legis ſimpliciter derivare queas pœnam quam flagitat Divina Juſtitia, magis tamen æqua illa rurſus evadit per fœderalem conventionem; nec tanta erit neceſſitas implendæ adhuc ad vitam obtinendam Legis ipſius, niſi ab initio Deus ſic apud Adamum conſtituerit irrevocabiliter. Sic nempe Jus Legis & Fœderis Veteris in & à Chriſto impletum verè fuit.

Idem Dei cum Adamo Fœdus ex

VI. Sed nec Moſes ipſe proꝛſus tacuit Dei cum Adamo Conventionem Fœderalem *Gen.* 2. 16. 17. *Et præcepit Jehovah Deus Ada-*

Adamo, vel *Homini*, *dicendo*, *de omni arbore horti edendo edes*, & *de Arbore Scientiæ boni & mali non edes de ea*, *quoniam in die esus tui de ea moriendo morieris.* Uti eadem fere dein recurrunt in sermone mulieris ad Serpentem *Gen.* III. 2. 3. Nempe in his expressam habemus Legem Dei Positivam, quæ naturaliter illi nec innotuerat nec lata erat, ex qua constat adeo irrefragabiliter, Deum aliquid stipulatum esse ab Adamo per speciale verbum ad ipsum. Sed nemo credat, hoc unicum vel præcipuum fuisse Divini jussus argumentum; quando indita homini per Imaginem Dei Rectitudo, de qua antea disseruimus, non dicit solam Creatoris Triunius cognitionem sed & ejusdem agnitionem decentem per amorem & ejus demonstrationem quamvis idoneam, ad quam ipse adeò necessaria Lege cordis sui tenebatur. Et probamus eam ex hoc ipso mandato positivo, quod vim nullam obligationis in Adamum habuisset, nisi ex Morali Lege, quæ Dei Imperium absolutissimam agnoscere jubebat in omnibus. Quin etiam argumentum validissimum suppeditat *Arboris* denominatio in hoc ipso Præcepto à *Scientia Boni & Mali*, quam intelligendam omnino esse de Conscientia Obedientiæ & Inobedientiæ in Deum una cum utriusque oppositis fructibus antea asseruimus *Lib. I. Cap. XVII.* adducto etiam Veterum in eam rem consensu; unde liquet per Legem Moralem tum apud hominem factam esse Boni Malique discretionem, cujus præstiti vel neglecti indicium manifestum hæc ipsa Arbor tantum præberet. Sed de ea Lege ex professo dein latius agendum erit. Præter Stipulationem est in adductis Dei verbis gravissima Comminatio *Mortis* certissimæ & plenissimæ, si Stipulationi Divinæ ipso opere homo unquam refragaretur, & mandati positivi violatione suam Mali electionem præ bono proderet. Ex qua justissimâ sequelâ deducitur opposita maxima Promissio. Utique hoc certum est, nec ullo modo negari potest, quod ex denunciatione Mortis ad Peccatum sequatur eam absque Peccato neutiquam fuisse metuendam, adeoque de Vita continuanda per hoc ipsum Dei verbum certus esse potuerit. Quæ si fuisset ita beata, ut nihil supra eam exspectare aut desiderare potuisset homo, possemus in ejus continuationis promisso heic subsistere. Sed ipsa status mutabilitas, ex eventu tristi liquidò deprehensa, contrarium arguit; adeoque jubet nos cogitare de majori bono, quod pro infinita bonitate quin & pro justitia sua Deus ille erat retributurus homini obedienti, qui

Mosis narratione satis solide deducitur.

qui tam ſevere ſe ulturum inobedientiam ejus eſſe declarabat, ne ad puniendum magis quam ad coronandum pronus videri poſſet. Quæ ipſa ratio monſtrat quoque, non minus potuiſſe eſſe præmium obedientiæ, quam erat pœna inobedientiæ, adeoque de Vita Æterna & Cœleſti hic omnino eſſe cogitandum. In primis, cum alias promiſſum iſtius Vitæ mandatorum Divinorum Obedientiæ ita annectatur, ut nequeat iſte nexus demum derivari à lapſu & impotentia hominis, per quam tum nullum poterat habere effectum, ſed debeat cenſeri perpetuus, etiam ante lapſum cum vires obediendi homo haberet, ex ipſa obedientia per naturalem Dei bonitatem à conſcientia noſtra agnitam fluens. Nec prætermittendum heic eſt alterius *Arboris* Paradiſiacæ nomen quod illa à *Vita* accepit, tum Spirituali tum Æterna, cujus ſignum & ſignaculum Divinum illa fuit Adamo integro; ſecundum ea quæ prolixius diximus *Lib. I. Cap. XVII.* Adeò Promiſſio non magis quam Stipulatio Divina, quæ ad Fœdus Adamicum primum ſpectat, plane à Moſe prætermiſſa eſt; ſed dedit ille nobis utriuſque ſufficientia indicia. Quæ ſi quis caſetur non eſſe ſatis expreſſa, is cogitet velim tantum, Moſen brevi compendio nobis dediſſe hiſtoriam primi illius & citiſſimè deperditi ſtatus, atque Adamum pro ſua ſapientia ex Divinis dictis plura alia præ nobis potuiſſe agnoſcere, ſed & Fœderis Gratiæ poſt Lapſum ſummam haudquaquam magis explicite à Moſe nobis eſſe traditam, in quo ad nos ſpectante præ primo Operum Fœdere ſi collationibus atque illationibus juſtis eſſe debeat & detur locus, ſine fundamento & ſpecie magna illæ heic repudientur. Si ad hæc dicas, nondum ex Moſe conſtare Adami Fœderalem Conſenſum in Divinam Stipulationem & Promiſſionem illam, eſt quod mirer contradicendi inane ſtudium. Quis enim de conſenſu iſto dubitare poteſt? ubi Deum ita benevole egiſſe refert Moſes cum *Homine*, creatura ipſius rationali atque tam vilitatis communis quam præſtantiæ ſuæ ſingularis intuitu ipſi obligata; imo cum Homine *Bono* integro & recto, qui per Dei Imaginem ſapientia & ſanctitate neceſſaria inſtructus erat neque per hæc dona aliter in illo primo ſtatu velle poterat quam Deus volebat & quam proprium ſuum commodum jubebat. Sed accedit etiam, quod Divinæ Stipulationis & Comminationis verba referens apud Serpentem Eva *Gen.* III. 2. 3. ſuum conſenſum ſatis declaravit, etiam per propoſitionis initialem illam formam, *de fructu Ar-*

Arboris Horti edemus, Deo nempe concedente & nobis id accipientibus. Præterquam quod nullam oppositionis adversus Divinam Fœderis propositionem primum ab Adamo factæ mentionem vel ante vel post Lapsum faciat Moses; sed ex adverso in ipso Esu fructus interdicti primam externam transgressionem ipsius constituat, qui inobedientiæ inauditæ exemplum pessimum jam antea dedisset sane, adeoque ex favore Dei dudum excidisset, si Fœderi decentissimo & utilissimo ab initio non subscripsisset. Sed & ista, quæ hic plane prætermittere non potuimus, deinde suo loco singulatim erunt amplius exsequenda.

Nec est illa de Fœdere Dei cum Adamo doctrina nova, sed antiquitus & communiter tradita.

VII. Neque putandum est, esse Fœdus Dei primum cum Adamo inventum aliquot recentius Theologorum, pro stabiliendis suis hypothesibus. Quando jam supra ad textum *Hosea* adduximus *Hieronymi* exegesin, in qua ille *pactum Dei in Paradiso* palam agnoscit, uti aliis etiam verbis illic agit; *Ipsi imitati sunt Adam, ut quod ille in Paradiso fecerat Pactum meum Legemque prætereuntes, isti in terra facerent, & ibi, hoc est, in Paradiso, omnes prævaricati sunt in me in similitudinem prævaricationis Adam, non enim mirum, si quod in parente præcessit etiam in filiis condemnatur &c.* Cui jungere licet *Augustinum*, qui exponens verba *Gen.* XVII. 14. את בריתי הפר / Græce lecta, ὅτι τὴν διαθήκην μου διεσκέδασε, & Latine apud ipsum, *quia Testamentum dissipavit*, sic scripsit *Lib.* XVI. *de C. D. Cap.* 27. *Cum hæc nulla sit culpa parvuli, cujus dixit animam perituram, nec ipse dissipaverit Testamentum Dei, sed majores qui eum circumcidere non curarunt; nisi quia etiam parvuli non secundum vitæ suæ proprietatem sed secundum communem generis humani originem omnes in illo uno Testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Multa quippe appellantur Testamenta Dei, excepiis illis duobus magnis, Vetere & Novo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profecto illud est, qua die ederitis, morte moriemini &c. Testamentum enim est a seculo, morte mori eos qui transgrediuntur præcepta Dei. Cum enim Lex evidentior postea data sit, & dicat Apostolus, ubi autem non est Lex nec prævaricatio; quo pacto quod legitur in Psalmo verum est, prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ, nisi quia omnes Legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non proprie sed originaliter peccatores.*

tores, unde illis gratiam remiſſionis peccatorum neceſſariam confitemur, profecto eo modo quo ſunt peccatores, etiam prævaricatores Legis illius quæ in Paradiſo data eſt agnoſcuntur, ut verum ſit utrumque quod ſcriptum eſt, prævaricatores æſtimavi omnes peccatores terræ, &, ubi Lex non eſt, nec prævaricatio. Ac per hoc, quia Circumciſio ſignum regenerationis fuit, non immerito periculum propter Originale Peccatum, quo primum Dei diſſipatum eſt Teſtamentum, generatio diſperdet niſi regeneratio liberet. Sed intelligenda ſunt hæc divina verba tanquam dictum ſit; qui non fuerit regeneratus interibit anima illa de genere ejus, quia Teſtamentum meum diſſipavit, quando in Adam cum omnibus etiam ipſe peccavit: ſi enim dixiſſet, quia hoc Teſtamentum meum diſſipavit: non niſi de iſta Circumciſione intelligi cogeret. Non vero quoniam non expreſſit, cujuſmodi Teſtamentum parvulus diſſipaverit, liberum eſt intelligere de illo Teſtamento dictum, cujus diſſipatio pertinere poſſit ad parvulum &c. Quam ad illum textum gloſſam nos quidem minime probamus, aut in re præcipua, aut in phraſibus ſingulis rebuſque aliis quæ miſcentur; ſed notamus tamen, eum non modo *Legem* ſed & *Teſtamentum*, (quæ vox ex Helleniſtis ſumitur palam pro *pacto*, uti pluſquam ſemel notavit *Hieronymus*, & ipſe *Auguſtinus* pleniſſime *in Pſal.* LXXXII. ſeu LXXXIII. 6. *Teſtamentum ſane in Scripturis non illud ſolum dicitur quod non valet niſi teſtatoribus mortuis, ſed omne Pactum & placitum Teſtamentum vocabant, nam Laban & Jacob Teſtamentum fecerunt, quod utique etiam inter vivos valeret, & innumerabilia talia in divinis leguntur eloquiis &c.*) tribuere Adamo, quod ad parvulos ipſos in eo tranſgredientes pertineat, quodque in illis verbis *Gen.* II. 17. contineatur. Unde non fuit, quod ſcriberet *Corn. Janſenius Lib.* I. *de Statu Nat. Lapſ. Cap.* 5. *pleroſque Recentiores, cum toties ab Auguſtino inculcari audiunt, peccatum originale eſſe primi parentis voluntate voluntarium, utpote in quo omnes peccaverunt, occaſionem inde ſumpſiſſe excogitandi neſcio cujus Pacti, quo Deus omnes poſterorum voluntates in primi parentis voluntate collocaverit, ut quemadmodum voluntas illius eſſet futura voluntas omnium in cuſtodienda ac tranſfundenda juſtitia, ita quoque prævaricatio ejus eſſe cenſeretur.* Nec apud Latinos ſolos hæſiſſe illam Divini Fœderis cum Adamo doctrinam, ſupra ex verbis *Cyrilli ad Hoſ.* VI. 7. patuit ſatis, quando illic ex Editione Hebræa reperit, ὡς Ἀδὰμ παραβαίνων διαθήκην, & poſt rei diductionem con-

concludit; ἐπειδὴ ἦ ἐν ἴσῳ τῷ πρώτῳ, τυτέστι τῷ Ἀδάμ, πεώλιωθον εἰς ἀποστασίαν, καὶ αὐτοὶ ἦ πάντες ἴξω πιεσῖται ἦ καταδραίνῃ εἰδότος, ἀναγεβήκασι ἦ ἀμήχανα. Interim ſi quis arguat, apud Veteres hanc doctrinam non adeo late expoſitam & ex profeſſo traditam eſſe; id quidem non diffitebimur, ſed idem in aliis multis graviſſimis capitibus obſervari poſſe monebimus, dum illi alias ſæpe habuere curas quibus magis incumberent, aut aliam tractandi methodum & loquendi modum. Quod perinde dici poteſt de multis Theologis inter noſtros primis; dum tamen jam ante ſeculum integrum inter alios *Franc. Junius* doctrinam hanc prolixius exſecutus eſt in *Theſibus Theol. de Fœder. & Teſt. Div. Ut ergo duplex hominis ſtatus ex Sacris Literis conſpicuus eſt, Integer ex creatione Dei, & Corruptus ex defectione hominis voluntaria, ita duplicis diſpoſitionis à Divina ſapientia hominibus tradita, pro ratione oppoſitarum hominis conditionum, in eodem verbo fit mentio. Prior eſt Fœdus a Deo Patre in Filio dilectionis ſuæ cum primis parentibus noſtris in horto Hedenis initum, quo vitam ſupernaturalem promittens, eos viciſſim ad ſui cultum reverentiam & obſequium obſtringebat, minis mortis utriusque adhibitis ſi ſecus facerent &c.*

VIII. Enimvero quotquot ad *Pelagiana & Sociniana* de Statu Primo Adami propendent dogmata, hi Fœderi huic communiter ſe opponunt ſecundum iſthæc ſua principia. Quod videas apud *Sim. Epiſcopium Inſtit. Theol. Lib.* 11. *Cap.* 1. ubi *Revelationem cum Fœderatione conjunctam* nullam agnoſcit ante Abrahamum, *revelationem itaque ante hæc tempora factam Adamo*, non minus quam illam quæ contigit Noacho, *Fœderationis expertem* dicit, pergens adhuc, *juſſa quidem ſive mandata utrique tum Adamo tum Noacho data eſſe, ſed juſſa tantum ac nonniſi comminationibus ſancita, nullam ſtipulationem, nullam promiſſionem, ſine quibus fœderatio proprie dicta non ſit.* Alibi tamen paulo mollius loquitur ipſe *Diſp. XV. Part. II.* ubi poſt memoratam *primam Legiſlationem* agnoſcit, *comminationem homini factam eſſe ut capiti & ſtirpi generis humani, cujus inobedientiæ reatus ad omnes poſteros Lege naturæ ordinaria pariter & æqualiter perveniret*, & ſubjicit porro; *An vero ex oppoſito lex hæc promiſſione Vitæ ſancita fuerit, etiamſi non liqueat, tamen veriſimiliter vel aſſeritur, vel ſaltem gratioſo & libero Dei favore ſubſecuturam vitæ communicationem fuiſſe etiam*

Adverſæ ſententiæ Autores aliqui adducuntur.

etiam ſine promiſsione, ex æquitatis divinæ indole ſtatuitur, ſive illa eſſet vitæ ipſius felicis & jucundæ continuatio, mediante Arboris Vitæ qualitate & vi vivifica ipſi indita, ſive tandem aliquando æternæ etiam ſpiritualis & incorruptibilis vitæ collatio. Utroque enim illo bono indigebat homo in ſtatu iſto &c. In qua poſteriori aſſertione etiam hæret *Phil. a Limborch Lib.* III. *Cap.* 2. *credibile eſſe, Deum explorata ſatis Adami obedientia ipſum in cœleſtem vitam nulla intercedente morte translaturum fuiſſe, nullum autem illius homini feciſſe promiſſum, ſed beneficium hoc conferre voluiſſe ex mera gratia.* Confer cum his verba *Stephani Curcellæi Inſtit. Lib.* III. *Cap.* 13. *Quæritur hic, utrum Adamo facta fuerit vitæ cœleſtis & æternæ promiſsio. Ad quod reſpondeo, nulla nos in ſacris literis promiſsionis ullius ipſi factæ veſtigia invenire, ac proinde non poſſe nos illud abſque temeritate affirmare. Non quod diffitear, tacitum aliquod inter Deum & Adamum fuiſſe Pactum, quo Deus ſe obligabat ad ipſum in felici illo ſtatu, in quo poſuerat, conſervandum, quamdiu is ſe tali favore indignum contumacia ſua non redderet. Sed iſta felicitas erat tantum animalis & terreſtris, aliam aperte promiſiſſe non video. Niſi quis figurate promiſſum vocare velit, quod Deus illam vitam ei dare apud ſe decreverat, quamvis ſuum ipſi decretum non patefeciſſet, eodem ſenſu quo Paulus dicit, Deum nobis vitam æternam ante ſecula promiſiſſe Tit.* I. 2. *&c.* Ita ex variis phraſibus inter ſe collatis apparet, quorſum tendant, ſed & ſimul quam ipſi vix ſibi in hoc negotio ſatis fidant. Et facit cum his in negando hoc Fœdere magis quam omni ejus promiſſo *Jac. Altingius ad Hebr.* VIII. 6. *Adeo ut, ſi Scripturam audiamus, Deus circa Adamum integrum fuerit Legislator, non vero Fœderatus, qui Fœdus cum ipſo inierit, exſpectato ipſius aſſenſu & ſtipulatione, antequam Fœderis vim haberent præcepta ipſi propoſita, cujusmodi aſſenſus circa increata principia pietatis & juſtitiæ ne quidem potuit habere locum &c.* Uti idem vehementius hanc rem egit in ſpeciali *Diſſertatione*, Belgice primum edita & dein Latine expreſſa *in Mantiſſa Miſcell. Tom. V.* ubi inter alia concludit, *nihil cauſæ eſſe, cur ad hominum placitum & dictamen præter & contra Scripturam ejusmodi Fœdus nobis obtrudi patiamur;* exiſtimans ex analogia loci *Gal.* III. 17. quod *Fœdus cum Abrahamo in Chriſto ſancitum nullatenus potuerit mutare vel abrogare Fœdus cum Adamo, quandoquidem Abrahamicum bis mille & triginta tribus annis*

eſt

eſt recentius, atque adeo Fœderi gratiæ in Chriſto per fidem non fuiſſet locus. Ut taceam alia adhuc recentiora nomina; quæ ſi nil aliud ſpectaverint, quam aut Fœderis nomen, aut explicitam & ſolennem prorſus per omnes partes erectionem, aut plenam ejus apud Moſen narrationem, non eſſet ſane ratio opponendi ſe heic adeo communi doctrinæ. Sed & viſum jam eſt, quorſum hæc res, in capite de Imputatione Peccati Adamici & de Juſtificationis gemino modo, apud quosdam profecerit.

IX. Nos ita generatim pro hoc Fœdere nos hactenus diſputaſſe confidimus, ut in generalibus Objectionibus ſolvendis non magnus porro ſit futurus labor. *Prima* ſcilicet & præcipua eſt, nec Fœdus ipſum, nec ejus Partes eſſentiales, uti ſunt Stipulatio & Promiſſio non tantum ſed & Adſtipulatio & Reſtipulatio, apud Moſen aut in reliqua Scriptura cum reſpectu ad Adamum integrum reperiri. Sed oſtendimus modo, habere nos in Scripturis, & nomen Fœderis hujus, & Argumentum ejus omne, nec quidquam nominari poſſe quod heic deſit; & dediſſe nobis Moſen in breviſſima ſua hiſtoria ſufficientem occaſionem de his omnibus cogitandi, quæ ex aliis Scripturis abunde firmantur, qualis collatio in aliis Moſaicæ Hiſtoriæ partibus omnino etiam eſt neceſſaria & fit ab omnibus Interpretibus. *Altera Objectio* ſpectat ad Dei ut Creatoris & Legislatoris majeſtatem ſummam, cum qua confertur humana ad obſequium omne obligatio naturalis abſque Fœdere. Sed cum plurima Fœdera ſeu conventiones mutuæ veri nominis contrahantur inter inæquales, ut ſunt Princeps & Subjectus, Pater & Filius, Dominus & Servus, cumque Deus ipſe non indignum ſua majeſtate judicaverit cum homine Lapſo Fœdus inire, ex continua phraſi Scripturæ & omnium conſenſu; quis majeſtate Dei dicet impediri ſimilem ejus bonitatem in hominem Integrum? Et quemadmodum officium quidem hominis omni modo debitum eſt, etiam abſque ullo Dei debito mutuo illius reſpectu, ſed Dei beneficium per ipſius bonitatem minime tollit; ita nihil obſtat quo minus officii præſcriptione & bonitatis ſuæ viciſſim exercendæ promiſſo fœderali atque humano conſenſu obligatio hominis valide oſtendatur adſtringatur & augeatur magis. *Tertia Objectio* ad ipſam ſpectat Fœderis hujus Stipulationem & Promiſſionem, quæ prior circa Legis Naturalis, ſi hæc ita videatur vocanda, officia neceſſaria non creditur poſſe habere locum, & poſterior per præſentem Ada-

Objectiones Generales breviter ſolvuntur.

mi beatitatem à nonnullis judicatur ab ejus ſtatu aliena. Sed nihil eſt ab omni Theologia Scripturaria magis alienum, quam officiis iſtis moralibus quæ propria nos docet conſcientia non poſſe hominem aſſenſu ſuo fœderaliter ſubſcribere, quod utique fit in ipſo Fœdere Gratiæ ubi nos ad præſtanda ex animo grato opera utriusque tabulæ manifeſte obſtringimus, dum ex illo aſſenſu minime ſequitur quod abſque eodem ad illa non obligemur ullatenus; & præter Legem Naturalem conſtat Adamo alteram Poſitivam quoque eſſe datam. Et quod ad Beatitatem Adami attinet, ſi illa fuit conſummata, ejus immutabiliter conſummandæ promiſſum fœderale utique non excluditur ſic; ſed quantacunque illa fuit, non fuit illa tamen quæ nobis poſthac in cœlo continget, quatenus Adamus adhuc in & cum creaturis etiam ad victum adhibitis adeoque mediate, in inferioris hujus terræ parte, eo gradu qui ipſum non ſatiaret aut ulterius ejus deſiderium extingueret, & plane ut ex eventu triſti conſtat mutabiliter, Dei communione uſus eſt. Quæ omnia aliter ſe in nobis poſthac habebunt, & ſic Adamo æque quam nobis promitti potuerunt. Quod præter iſta tandem habet *Altingius* ex *Gal.* III. 17. nimis ſane infirmum ſimul & ineptum eſt; quando ex eo quod Fœdus Gratiæ cum peccatoribus initum per ſubſecutam Legem non tollatur, minime conſequitur quod erecto cum homine integro Fœderi Operum, poſtquam id per peccatum ab homine ruptum eſt, nequeat Deus ſubſtituere novum Fœdus Gratiæ, quod & ipſum Fœdere operum priori niteretur, atque multiplici modo illius argumentum ſtabiliret.

CAPUT SEPTIMUM.

Quo de Deo & Adamo, tanquam Partibus Fœderatis, agitur plenius.

Tranſitus ad Partes Fœderatas, quæ heic ſunt Duæ diſtinctæ & inter ſe Inæquales.

In ſpeciali declaratione Fœderis, quod erectum fuiſſe generatim jam docuimus, nihil prius conſiderationem meretur, quam *Partes* quæ illud inter ſe contraxerunt. Sunt autem omnino **Duæ**, abſque quibus nulla proprie dicta conventio fœderalis cogitari poteſt; eæque, non quidem ullatenus per priorem aliquam inimicitiam diviſæ, ſed tamen admodum inter ſe *diſtinctæ* & *inæquales*, Deus ſcilicet & Homo. Enimvero ſi quis hoc demum velit eſſe Fœdus, de-

ἄνωλόφον, quod initur inter partes magis æquales, quæ pari ratione aliquid à se invicem exigere idemque ex se præstare & utilitatem inde percipere queant, & utrinque non nisi arbitrario consensu obligentur; vel si quis hoc demum putet Fœdus, quo inter se in amicitiam coëant novam qui antea per inimicitias erant divisi; jam Fœdus hoc aut μονόπλευρον dicendum, aut omnino etiam negandum erit. In priorem modum differit *Franc. Junius in Thes. Theol. Fœdus sive pactum dicimus non propria illa significatione qua pro mutuo contractu & duarum partium dispositione sumitur; nam ejusmodi Fœdus inter partes personarum & juris æqualitatem quandam præsupponit, quæ inter Deum & Creaturam nunquam esse potest, sed eo sensu usurpamus, quo unius tantum partis dispositio denotatur, ut cum bello* (*Liv.* IV. *Bell. Maced.*) *victis indicuntur leges. Nam quamvis Deus jure sanctissimo, non vi aut armis suos possideat, in eo tamen convenit, quod ut victores victis, sic etiam certas suis indicit Leges. Quapropter auctorem statuimus Deum solum, qui mera voluntate sua à nulla re mota Fœdus illud cum homine pepigit, convenientissimum ad eum è natura sua evehendum.* Ad posteriorem sensum spectat, quod *Zacharias Ursinus in Explic. Catech. ad Quæst.* XVIII. monet, *reconciliationem in Scripturis dici Fœdus*, atque hinc *Fœdus Dei* generatim definit, *mutuam pactionem inter Deum & homines, qua Deus confirmat hominibus, se futurum eis propitium, remissurum peccata, donaturum justitiam novam, Spiritum Sanctum, & vitam æternam, per & propter Filium Mediatorem, vicissim homines se obligant Deo ad fidem & pœnitentiam, hoc est, ad recipiendum vera fide hoc tantum beneficium, & ad præstandum Deo veram obedientiam.* Sed si prius illud valeat, jam de nullo proprie dicto Fœdere inter Deum & Hominem unquam cogitandum est; ob summam quæ heic reperitur partium inæqualitatem, per quam nihil supremo Domino præscribere potest vilis creatura, nec quidquam ipsa in omnibus dependens præstare absque illius præcedente & præmovente & prædeterminante concursu, nec aliquid perfectionis aut boni illi sufficientissimo & beatissimo addere ex sua penuria, nec tandem ullatenus absque crimine vel ad momentum reluctari illius lubitui sapientissimo. Imo tantò magis erit præscriptum adversus Fœdus Gratiæ cum homine peccatore, quo major est hujus à Deo dissimilitudo, & impotentia, & defectus, & dependentia à singulari gratia. Nec

revera Fœdus tum erit, quod Deus cum homine init; ſed nuda voluntatis ſuæ præcipientis & promittentis ſignificatio creaturæ ſactæ, quæ ſi per Metonymiam aut Metaphoram qualemcunque nomen Fœderis tantum accipiat, non erit utique quod nos illud dogmaticè imitemur. Nihil autem certius eſt, quam ad Fœderis integritatem ſufficere, ut ſint Duæ minimum Partes contrahentes, quæ ſolenniter & firmiter inter ſe conveniant de iis quæ utrinque ſunt præſtanda; etiamſi ſint alias partes illæ prorſus inæquales, & conditiones hinc reliquæ modò enumeratæ deſint. Nec video, quid in communi nomine & notione *Fœderis* nos ad ſolam inimicorum Reconciliationem & novam pacem determinet; de qua tamen apud homines peccatores ſalvandos omnino cogitandum eſt cum *Urſino*. Non male in hanc rem ſcripſit *Jac. Altingius ad Hebr.* VIII. 6. *Fœdera alia ſunt concordiæ amicorum ſeu non hoſtium, alia Reconciliationis inimicorum, ad abolendam inimicitiam pacemque firmandam. Prioris generis Fœdus eſt quod amiciſſimis intercedit, Jonathani & Davidi* 1. *Sam.* XVIII. 2c. *conjugibus Mal.* II. 14. *belli ſociis aut commerciorum. Hujusmodi eſt Dei Patris cum Filio ſuo &c.* Quamquam dein addat, *merito quæri, num tale quoque locum habere queat cum hominibus ipſis*, & poſt rejectum Dei Fœdus cum Adamo, *illud quod Deus cum Iſraële ad montem Sinai inivit fuiſſe Fœdus Amicorum*, nihilo minus aſſerat. Atque etiamſi *Urſinus* nomen Fœderis apud Adamum integrum non adhibeat, à quo etiam alios quosdam magnos Theologos abſtinuiſſe fatemur, res ipſa tamen in *Catecheſi Heidelb.* ſatis eſt comprehenſa *Quæſt.* VI. ubi homo conditus dicitur ad Imaginem Dei, *hoc eſt, vera juſtitia & ſanctitate præditus, ut Deum Creatorem ſuum recte cognoſceret, ex animo diligeret, cum eo beatus in æternum viveret, idque ad eum laudandum & celebrandum*; ubi *Urſinus* exponit *felicitatem & beatitudinem hominis* per *communicationem Dei & fruitionem bonorum cœleſtium.*

Pars Prima Fœderata heic eſt Jehovah Deus, non tam Filius, quam TriUnus ipſe.

II. Partem ergo Unam & omni modo Primam Fœderatam heic nominamus ex Moſe *Jehovah Deum*. Quod nomen, Deum verum ab omnibus creaturis & idolis diſtinguens, ipſiuſque eſſentiam & beneficentiam declarans, nos ducere poteſt, vel ad hunc ut Triunum, vel ad Perſonam aliquam ex tribus ſingularem. De Filio utique præ aliis Perſonis cogitavit *Fr. Junius*; *Etſi illud beneficium* (pacti cum homine integro Fœderis) *ſingulare ſit Dei Patris Filii & Spiritus*

ritus Sancti communiter, particularis tamen hic Filii ratio est. Ut enim Electionis est vinculum, sic & Gratiæ quæ Electioni substernitur fundamentum Eph. 1. 3. *&* 4. *Nam cum nihil in hac causa ab homine exigatur nisi quod jure debet, promissio gratuita est dicenda, ut ne hic quidem meritum locum habere possit, sed merces detur ac promittatur ex gratia.* Quæ minus mihi quidem placere non dissimulabo. Etenim, licet particularis etiam in hoc Fœdere foret Filii ratio, quæ ejus est certissime in Fœdere Gratiæ cum homine peccatore, non tamen ipse per hoc esset præ Patre & Spiritu Pars homini Fœderata, sed potius Fœderis cum Patre pararius & Mediator, uti se res habet in Fœdere Gratiæ. Sed quidquid de Filio ut causa & fundamento omnis gratiæ, non quæ substernatur sed quæ superstruatur potius Electioni, legitur in Scriptura, id ad ipsum ut constitutum Mediatorem θεάνθρωπον hominum lapsorum pertinet. Et licet hoc omninò concedi debeat, quod Præmium Adamo in hoc Fœdere promissum illi ex Gratia Dei naturali & fœderali, præter proprium hominis jus, fuisset tribuendum, non sequitur hinc tamen aliqua Gratia Christi Mediatoria; nec quidquam huc facit Electio æterna, quæ nulla sane agnosci potest ad salutem per Fœderis Operum præstationem consequendam. Inter plures alios deprehendo tamen heic etiam *Hieron. Zanchium*, qui sic de Filio scripsit *ad Gen.* 11. 16. *Lib.* 1. *de Creat. Hom. Cap.* 1. *Christus igitur ille est Jehovah, qui tulit Adamum & posuit in Paradisum, & cum est allocutus, & quem post peccatum audivit Adamus deambulantem in Paradiso*, postquam antea ad interdictum Dei notaverat; *Ego non dubito, quin hæc omnia facta sint, non in sola mente, sed externe & visibiliter, per Filium Dei, specie humani corporis vestitum. Nam quam præstitit Mosi, Jacobo, Abrahæ, & multis aliis, gratiam, nempe ut illis visibiliter appareret, & familiariter atque ore ad os ut loquitur Scriptura eos alloqueretur, hanc denegatam fuisse primo homini, summo Dei amico, ad imaginem Dei perfectissimam creato, nullo modo crediderim &c. Cum vero Adamus, ante peccatum præsertim, talis ac tantus esset Dei amicus, sentiendum omnino est, hanc illi cumprimis gratiam fuisse factam, videndi scilicet Deum in specie corporali, eumque loquentem audiendi. Et sic sentiunt Patres, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Ambrosius, Augustinus, & alii. Et certe sic evincit locus Gen.* 111. *&c. Hic autem semper fuit Filius Dei, qui apparuit Patribus & cum eis locu-*

tus est &c. laudato ad hæc *Eusebii* loco ex *Demonst. Evang.* ἐπάκουσον γὰρ ὡς πάλιν αὐτὸς ὁ Μωσῆς τὸν ὀπφανέντα τοῖς θεοφιλέσι, καὶ πολλάκις χρηματίσαντα αὐτοῖς τὰ ἀναγεγραμμένα, ποτὲ μὲν θεὸν καὶ κύριον, ποτὲ δὲ καὶ ἄγγελον θεῦ προσαγορεύει, θεὸς μὲν καὶ κύριος τῆς θεοφίλων ἀνδρῶν ἀνηγορευμένος, ἄγγελος δὲ ἐξ ἀνατάτης πατρός. Enimvero uti illa de Divina Humani Corporis assumptione, etiam ante lapsum, conjectura est extra Mosem vana, quo magis in primo illo statu non fuit eadem Protoplastorum ruditas & hebetudo quæ lapsorum deinde fuit, nec eadem tum quæ deinde Christi ad hominis lapsi redemptionem incarnandi præfiguratio; ita ex Filii Dei tanquam constituti Mediatoris operationibus & apparitionibus apud peccatores credentes similes ei apud Adamum integrum tribuere non licet. Et ut dicam, quod sentio, ubi Triunus Deus nobis occurrit in Creatione ipsius Hominis, per illam locutionem pluralem *Gen.* 1. 26. *faciamus hominem in imagine nostra secundum similitudinem nostram*, & perinde in ironica illusione hominis lapsi *Gen.* III. 22. *ecce homo est*, vel *factus est, sicut unus ex nobis*; atque ubi idem indubie se patefecit Adamo tanquam ab eo cum fiducia læta colendum, nec Filii ut Mediatoris heic respectus esse potest ullus; ego Triunum etiam Deum lubentius ut Adamo Fœderatum communiter considero, quam ut Filium Dei extra Scripturam & præter rationem aliquam necessariam præ Patre & Spiritu designem. Qua occasione merito monemus, quod Trinitatis declaratio Divina & ex ea fluens Cognitio humana neutiquam ad statum peccati sit restringenda, sed in Adamo integro agnoscenda, per ipsam Divinæ Imaginis integritatem, quæ sapientiam & sanctitatem veram, adeoque notitiam & cultum tam Filii & Spiritus quam Patris ut Unius Veri Dei complectitur; haud repugnante sane speciali Trinitatis Oeconomia & Revelatione, hujusque necessitate, postquam homo per lapsum suum à sapientia & sanctitate vera prorsus defecit. Et agnoverunt idem Veteres, tum alii plures, tum illi qui Trinitatis qua talis Imaginem in homine constituerunt.

Spectandus est Triunus Deus in hoc Fœdere, ut supremus quidem, sed simul etiam Justissimus & Optimus Dominus.

III. Est porrò Deus Triunus in hoc cum Adamo Fœdere spectandus præcipuè ut *Supremus* ejus *Dominus*; qui, cum perfectionibus suis infinitè supra ipsum excelleret, ipsiusque secundum eas esset Creator & Conservator, illi Legem dare potuit & debuit, convenientem suæ majestati & perfectionibus aliis omnibus ab una at-

atque hominis naturæ rationali ab altera parte, qualis est illa Amoris Dei & Proximi; ita ut ab ipsius determinatione liberrima penderet simul, tum descriptio specialium officiorum quorundam quibus Amor iste exserendus & demonstrandus esset & est hodieque semper, tum additio præcepti positivi & temporarii ad probationem humanæ obedientiæ de Arbore Scientiæ Boni & Mali. Illud nempe Absolutissimum Dominium *Stipulatione* sua Deus demonstravit; quemadmodum homo illud *Adstipulatione* sua agnovit. Sed & Deus amplius heic considerandus est, ut *Justissimus* simul & *Optimus*. Quæ heic constare possunt & debent Divinæ Virtutes, si hoc non solum attendamus, quod ille Legem adeo æquam & per unius tantum Arboris ex multis interdictum benignam tulit, quodque cum simpliciter imperare posset ad fœderis erectionem cum creatura sua se demiserit, sed præterea quod ille in hoc retributionem proposuerit homini, severam quidem Mortis, si Fœderis conditionibus non staret hic αὐτοκαλάκεστος, sed certam & optimam quam homo desiderare posset, si obediret, Vitæ nempe oppositæ isti Morti. Quorsum pertinet Divina in hoc Fœdere *Promissio*, cum humana ejus *Restipulatione*. Adeo Deus & fuit ab initio Supremus Justissimus & Optimus Dominus, & se talem simul demonstravit.

IV. Altera Pars Fœderata est heic *Adam*; idemque non tantum *Homo* natura sua, sed & *Rectus* ac Integer in Statu ac Donis suis, *Dependens* tamen omni momento à Dei Concursu in operationibus suis, & *Mutabiliter* bonus, *nec* adhuc supremæ *Beatitatis* particeps factus, & tandem *Primus* omnium, qui esset quidem hactenus *solus*, attamen tum uxorem tum suos ex ea naturales posteros *omnes repræsentaret* tanquam commune generis totius humani caput, excepto uno Christo tanquam alterius Fœderis secuturi Capite. Quæ cuncta heic breviter nunc illustranda sunt. Nempe *Adamo* in singulari numero *præcepit Jehovah Deus dicendo, de omni Arbore horti edendo edes & de Arbore Scientiæ boni & mali non edes de ea &c. Gen.* 11,16,17. Is autem uti fuit *Homo* verus, ex Anima Rationali intelligente & volente ac Corpore organico constans, ita per hoc præ aliis creaturis mere spiritualibus aptus fuit ad accipiendam Legem illam Positivam de Arbore Scientiæ, & per illam præ omnibus creaturis corporalibus idoneus ad Fœdus proprie dictum cum Deo ineundum, quod absque intellectu & voluntate nec initur nec præstatur. Dum nonnisi metaphoricè aut synecdochicè nomen *Fœderis* accipiunt, seu consti-

Deo Fœderatus hic fuit Adam, ut Homo tam in Corpore quam in Anima.

Digitized by Google

ſtitutiones Dei immutabiles *Jer.* XXXIII. 20. 25. ſeu aliæ potentiſſimæ cohibentis Dei operationes in creaturis irrationalibus *Hoſ.* II. 17. ſeu denique promiſſiones ejus irrevocabiles *Gen.* IX. 10. 11. 17. *&c.* Neque dubitandum eſt porrò, quin cum ipſo Adamo ut Homine iniens hoc ſuum Fœdus Deus eum ſpectaverit totum, tam in una quam in altera parte ſua. Scilicet utraque illa debebat Divinæ Stipulationi ſe promiſſo & opere ipſo ſubjicere; ut ab Anima quidem intelligente & volente proveniret obſequium Legis, ſed & per Corpus illud promoveretur & præſtaretur internis & externis ejus motibus omnibus, adeoque ſic in corpore & ſpiritu glorificaretur Deus ab homine toto. Et ſimiliter utraque illa particeps debebat fieri Divinæ Promiſſionis; ut non bearetur tantum, vel Corpus per convenientia ſibi bona, vel Anima per ſpiritualia commoda, ſed tam hæc quam illud vita beata & optatiſſima frueretur, atque ſic Deus etiam glorificaretur per ſuam beneficentiam in homine toto. Quæ obſervatio deinde in Lege & Comminatione ac Promiſſo Fœderis haud exigui uſus erit. Uti eam propterea quoque urget Ven. Avus *Joh. Cloppenburgius Diſp. I. de Fœd. Dei*; *Propter Dei naturam ſpiritualem, quæ cultum flagitat ſpiritualem Joh.* IV. 24. *omnis conſideratio princeps & potiſſima Fœderis, quod Deus cum homine pangere dicitur, eſt ſpiritualis, adeoque omnes rerum non ſpiritualium conſiderationes in doctrina de Fœdere cenſeri debent tantum acceſſoriæ ac minus principales &c. Hoc non obſtante, homo* ὁλόκληρος, *non pars tantum hominis altera, quæ modo* ψυχὴ *anima modo* πνεῦμα *ſpiritus dicitur, cum Deo in Fœdus coit, quia eſt homo ex anima & corpore unum compoſitum naturale, non per accidens ſed per ſe; ut quando homo* ψυχικὸς *animalis per Spiritum S. fit* πνευματικὸς, *corpus quoque hominis* ψυχικὸν *animale ſine naturæ creatæ deſtructione fiat* πνευματικὸν *ſpirituale, ut templum Spiritus illud ſanctificantis ad* τὴν λογικὴν λατρείαν *&c.* Quin & progreditur ille in depingenda hac hominis fœderati natura; *Citra Fœderis tranſgreſſionem & antiquationem, ſupponitur & Anima hominis, ſua natura incorruptibilis, finem durationis non habitura, & Corpus, citra animæ & corporis diſſolutionem ſola Fœderis tranſgreſſione metuendam nulli morti aut corruptioni obnoxium, ac utraque & Corpus & Anima æterna & beata, citra unionis naturalis diſſolutionem aut alterutrius annihilationem aut naturæ alterius ſubſtitutionem, immortalitatis capax.*

V. Sed

Digitized by Google

V. Sed idem Adam ſpectandus eſt, ut in Natura ſua Humana *Rectus* & *Integer*, ſecundum ea quæ in explicatione Imaginis Divinæ diximus latius *Lib. II. Cap. V. §. II. &c.* Summa eorum eſt, ad Imaginem Dei in Adamo, etiam & præ aliis omnibus illuc ſpectantibus, referendam eſſe *Sapientiam* ſummam & *Sanctitatem* intaminatam, quâ utraque ita per creationem imbutus fuit ipſius animus ut in corpore ea quoque exerceretur & ex eo integro emicaret. Abſque ea vero ſi fuiſſet Adam, Fœderi Operum Divino cum eo nullus fuiſſet locus. Nullus enim creaturæ rationalis poteſt aut debet fingi Status Medius, qui Puræ Naturæ dicatur; quando eſt ille neceſſario ſub aliqua rationali Lege ſui Creatoris tanquam rationalium operationum ſuarum norma, & huic conſequenter vel conformis per dona illa nominata, vel difformis per inſcitiam & per impuritatem culpabilem. Jam autem cum homine culpabili quo minus Deus ineat Fœdus quod diximus, duo potiſſimum obſtant. Quorum primum eſt, Punitionis Divinæ Neceſſitas ob vitium in creatura animadverſum; quæ fluit tum ex Juſtitia Dei exactiſſima, qua ſuum unicuique, & hinc peccatoribus pœnas retribuit pro meritis peſſimis eas perdens, tum ex Sanctitate ejus conſummatiſſima, qua communionem peccati & peccatoris amicam minimè fert, *coll. Joſ.* XXIV. 19. *Pſal.* L. 21. *Hab.* I. 13. *&c.* Ubi autem Fœdus init Deus, non tantum præſens eſt amicitia ſumma, ſed & adeſt ex ea fluens affectus conſummandæ magis unionis iſtius & humanæ felicitatis. Alterum illud eſt, Neceſſitas Aptitudinis humanæ ad Fœderis à Deo propoſiti acceptionem & præſtationem; quæ ſequitur ex Dei ſapientia, veritate, & bonitate ſuprema. Per Sapientiam nempe nequit plane fruſtra Fœdus ſuum erigere; quemadmodum ſi brutis animantibus aut rebus etiam inanimatis illud proponeret. Per Veritatem ſeriò agit Deus, nec jocos cum homine inſtituit in hujus dolores neceſſario exituros; quemadmodum ſi volare juberet cum promiſſo omnia poſſidendi ad quæ ſic pertingeret. Per Bonitatem denique Fœdus iniens cum Homine Deus ita non agit, ut nullus ex eo deſiderabilis uſus ad hominem pervenire queat, per conditionis præſcriptæ inſuperabilem prorſus difficultatem. Illa autem Aptitudo ad Fœderis hujus acceptionem & præſtationem in homine non eſſet abſque Sapientia, qua, juxta Deum ipſum, decentem ſtipulationis æquitatem & amabilem promiſſionis bonitatem ipſe agnoſcat, & abſque Sanctitate, qua ad ar-

Qui heic amplius eſt ſpectandus, ut Rectus doniſque ſufficientibus Sapientiæ & Sanctitatis inſtructus.

bitrium Dei ſe plane componat homo; quemadmodum per iſthæc dona idoneus quam maxime ad hæc conſtituitur. Atque hoc eſt, quod ſequentem in modum inculcavit rurſus *Cloppenburgius l. c. Fœderis autem cum Deo capax cenſetur homo, non quatenus nude ψυχικὸς animalis, partibus ſuis eſſentialibus anima & corpore naturam habens completam, ſed quatenus naturæ illi in Creatione impreſſa eſt Dei Imago ſpiritualis, quæ complectitur & Legis qua ſpiritualis eſt opus cordibus inſcriptum* Rom. II. 15. VII. 15. *& dona ſpiritualia quibus juxta Legem ſpiritualem Deum colere poterat in ſpiritu & veritate &c. atque ſic ſancta mentis & voluntatis conſpiratione cum Deo ſocietatem & amicitiam habere* 1. Cor. VI. 13. *Amos.* III. 3. Nemo utique adverſus iſtas noſtras de Divino cum Homine Fœdere obſervationes opponet; vel Fœdus Gratiæ, quod cum peccatore initur quidem ſed in Mediatore atque per & propter hunc promiſſa habet ſupplendæ certo humanæ impotentiæ; vel Fœderis Operum propoſitionem repetitam apud hominem lapſum, quæ plurimum ab ejus erectione differt, tanquam alio & plane oppoſito fine facta, ut ſui reatus & impotentiæ conſcientia uberiori ad amplectendum Fœdus Gratiæ homo pelleretur.

Ad quæ conſervanda & actu exerenda ipſe homo abſque Dei ſingulari Concurſu non ſufficiebat.

VI. Quandò autem per Rectitudinem aſſertam hominem aptum viribuſque ad Fœderis amplexum & præſtationem ſufficientibus inſtructum dicimus, id de Habituali ipſius Gratia intelligi debet, abſque ullo minimo præjudicio Divini Concurſus ad humanam obedientiam, & abſque ulla ſpecie humanæ independentiæ. Uti nempe Deus eſt hodie, qui tanquam omnium rerum, & operationum non minus quam ſubſtantiarum & qualitatum, Cauſa Prima operatur in nobis cuncta, noſque movet & impellit & determinat potenter in ſingulis actibus noſtris, tum communibus per providentiam, tum bonis per gratiam Spiritus, ἐνεργῶν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας *Phil.* II. 13. *&c.* ita idem omnino obtinuit in primo hominis ſtatu, qui nec debet nec poteſt ita perfectus ſtatui, ut à communi Creaturarum dependentia ille ullatenus eximatur, ſic non futurus amplius ad Dei gloriam, qualis tum tamen quam maxime fuit. Debuerunt ergo etiam tum non tantum Facultates intellectus & voluntatis, ſed & Dona ſapientiæ & ſanctitatis, à Deo in homine conſervari, atque in actibus ſingulis excitari, ſi ille Fœderis Divini Stipulationem eſſet præſtiturus continuato & conſtanti opere; quod ille abſque eo poteſt debetque hoc ſenſu dici non-

po-

Digitized by Google

potuiſſe facere, nec vires ad id habuiſſe, quæ quantæcunque in eo fuerint fuerunt & manſerunt ſemper dependentes. Ad hoc ſi dicas, videri ſic Deum hominem ab initio obligaſſe ad id quod ex eventu non tantum liquet ipſi plane impoſſibile fuiſſe, ſed & quod ex natura rei ipſi fuit impoſſibile, antecedenter etiam ad omnem ejus culpam, quæ utique in impotentia operandi abſque primæ cauſæ impulſu locum nullum habet, & quæ in natura recenter à Deo creata agnoſci non poteſt, unde videatur porro homo à culpa peccati ſic excuſari ut illa per hanc doctrinam Deo affricetur; fatendum eſt, difficilem prorſus eſſe hanc objectionem, ſed in qua diluenda reverenter & prudenter verſandum eſt. Quo magis tam culpæ omnis, cujus in Adami lapſu eſt initium, & quam cum ejus evitandæ impotentia in Adami lapſum ſolemus tandem refundere, quam iniquæ poſtulationis & crudelis tractationis, idea eſt à Dei ſanctitate & bonitate alieniſſima; & ſolent hinc Theologi haud gravate concedere, quod omnibus eſt inditum ex datis principiis, non poſſe Deum hominem obligare ad id quod abſolute & per ſe aut natura ſua huic impoſſibile eſt. Unde in ipſa *Catecheſi Heidelb. ad Quæſt.* IX. *annon igitur Deus homini injuriam facit, qui ab eo in Lege ſua flagitat quæ præſtare non queat?* reſpondetur? *Minime, nam Deus hominem talem condiderat, ut ea præſtare poſſet, verum homo impulſore diabolo ſua ipſius contumacia ſe & omnem poſteritatem divinis illis donis orbavit.* Sicuti in explicatione ſua *Urſinus* habet ante alios autores Catecheticos; *Qui præcipit impoſſibile eſt injuſtus, videlicet niſi prius dederit poſſibilitatem, deinde niſi homo impoſſibilitatem eam velit & ſibi ſponte attraxerit &c. Deus vero hominem creando ad imaginem ſuam dederat poſſibilitatem, hoc eſt, facultatem præſtandi ea quæ pro ſuo jure ab eo requirit &c.* Quin & ipſa *Confeſſio Belgica Art.* XIV. illud docet, Deum feciſſe hominem bonum juſtum & ſanctum, *qui ſuo ſeſe arbitrio ad divinam voluntatem componere per omnia poſſet &c.* Quid ergo? An negandus eſt Concurſus ille Divinus, ſive in terminis, ſive per ejus declarationem minime convenientem Divinæ Independentiæ, & dependentiæ creaturarum? Non videtur, niſi Deum ipſum tollere volueris, primam ejus cauſalitatem negando. Nec majus eſt heic fere à Divino Concurſu periculum, ob quod ille debeat negari, quam à Divino Immutabili Decreto vel etiam ab ipſius Infallibili Præſcientia, ſive accedat creaturarum intrinſeca in-

differentia ſive non, quia ſic ſemper ponitur inevitabilis neceſſitas Lapſus Adamici, adeoque ſtandi in obedientia Divinæ Legis impotentia; quæ tamen capita doctrinæ rurſus convellenda non ſunt, niſi Deum omnino ſuo intrinſeco Intellectus & Voluntatis ſuæ decore privare lubeat. Quæ cuncta ſi ſpectemus decenter, ſatendum eſt; aut nihil Deum unquam juſtè poſſe præcipere quod non ipſo actu quoque præſtatur ab hominibus, adeoque nullum dari peccatum creaturarum quod vere tale ſit & decenter puniatur; aut poſſe eum omnino ſeu mandare ſeu vetare, quæ creaturæ per naturam ſuam, collatam cum Divina ſcientia & voluntate & neceſſaria cooperatione, præſtare vel evitare nunquam poſſunt, ſepoſito omni antecedentis culpæ & pœnæ reſpectu. Quod poſterius cum ſic evadat neceſſarium, dicendum eſt, poſſibilitatem rei à Deo jure mandatæ intelligendam eſſe de Viribus ſeu Eſſentialibus ſeu Habitualibus, quæ tamen abſque Divino Concurſu non ſint nec eſſe poſſint actuoſæ ad ipſum opus. Quemadmodum dicitur ſecuris poſſe ſecare lignum, & ad illud ideo recte ordinatur & adhibetur, abjicienda ſi id non præſtet, etiamſi id præſtare nullo modo queat abſque Artificis impulſu, non item ferrum aut lapidem, propter cujus ſecandi impotentiam male ſecuris culparetur; quod ſimile reſpectu ſui & hominis etiam potentiſſimi Deus nobis ſuggeſſit *Jeſ.* x. 15. Quam in rem complura ſunt præclara etiam *Auguſtini* contra *Pelagianam* doctrinam monita. Uti illud *de Civ. D. Lib.* XIV. *Cap.* 27. *Primus homo, qui rectus, hoc eſt, bonæ voluntatis creatus fuerat, ſic erat inſtitutus, ut ſi de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret, ſi autem creatorem atque adjutorem Deum ſuperbe ſibi placendo deſereret, vinceretur, meritum bonum habens in adjuta divinitus voluntate recta, malum vero in deſerente Deum voluntate perverſa, quia & ipſum fidere de adjutorio Dei non quidem poſſet ſine adjutorio Dei, nec tamen ideò ab his divinæ gratiæ beneficiis ſibi placendo recedere non habebat in poteſtate.* Nec minus clarum illud *in Enchirid. ad Laur. Cap. CVI. Etſi peccatum in ſolo Libero Arbitrio erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat Liberum Arbitrium, niſi participatione immutabilis boni Divinum Adjutorium præberetur.* Quemadmodum eſt notiſſima diſtinctio illa *Adjutorii* apud eundem *de Corrept. & Grat. Cap.* XII. *Aliud eſt Adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit &c.* Ex quibus & ſimilibus locis

cis cum clara sit *AntiPelagiana* doctrina *Augustini* in hoc capite, male alia ex ipso obscuriora dicta conquiruntur in adversum, & pessime cum *Papistis* aliis ursit *Bellarminus de Grat. Primi Hom. Cap.* IV. *non equisse primum hominem in statu innocentiæ auxilio speciali, quo excitaretur ad bene operandum vel ad vitanda peccata.*

VII. Ea porro Hominis à Deo & Concursu ejus Dependentia cum semper obtineat, non tantum in immutabili Gratiæ sed & in consummato Gloriæ Statu, deprehendimus Adamum in hoc Fœdere amplius ita *Mutabilem* in sua Rectitudine, ut Dei conservatio & concursus ad constantiam operis boni minime apud ipsum certus esset. Quod uti ex eventu tristissimi Lapsus est extra omnem controversiam positum, ita plane in hoc Fœdere supponitur, & per illud ponitur. Quis enim locus heic esse posset aut potuisset, non tam Tentationi per Satanam quæ & in Christo immutabiliter sancto locum habuit, quam explorandæ ab ipso Deo per mandatum positivum Obedientiæ Adami? si ipse extra omne Inobedientiæ periculum fuisset jam constitutus. Et unde foret Adami Immutabilis Obedientia? quando Gratia adeò necessaria & sufficiens ipsi per primam creationem minime indita, etiam per hoc Fœdus non promittebatur. Qua in parte est sane Fœdus Gratiæ & noster per illud Status multum præferendus Fœderi Operum & Statui Adami primo; quatenus nos per illud habemus certum Dei promissum de Officiis sui Fœderis in nobis operandis, atque Vocationem cum charismatibus ἀμεταμελήτοις *Rom.* XI. 29. Unde aberrant magnopere, quotquot ex apostasia Adami defectionem possibilem fidelium volunt concludere, ob summam hanc status & fœderis gemini disparitatem; sicut ab altera etiam parte nullum est argumentum, quod contra Adami veram sanctitatem petitur ex ejus lapsu, ob veræ & immutabilis sanctitatis evidentissimum discrimen, quod facit ut ejus veritas non inferat immutabilitatem ejusdem perpetuam. Potestque huc conferri receptissimum emblema *Bilancis*, ut vulgo quidem dicunt *in Æquilibrio* constitutæ, quod cum respectu ad possibilem propensionem in utramque partem concedi potest, sed rectius in alterum latus *Inclinatæ* ac *Propendentis*, quæ tamen pondere amoto vel graviori admoto & imposito ab illo in oppositum deflecti facillime potest; quo pacto Adamus in bonum quidem fuit determinatus nec in malum propendens ante lapsum, sed potuit illuc per Divini influxus cessationem & Satanæ fraudem pertrahi.

Spectare heic etiam oportet Adamum ut Mutabiliter Rectum.

Cum qua Mutabilitate jungitur Nondum Consummata Adami Beatitas.

VIII. Ostendit amplius illa ipsa Status Adamici Mutabilitas sufficienter, quod ille nequeat heic jam considerari ut *Consummatæ Beatitatis* particeps. Hæc enim ipsa est adeo constans & æterna, ut nemo ad eam admissus à Rectitudine magis quam à Felicitate sua vera, quæ per illam magnopere constituitur, ullatenus aut unquam excidere queat. Et nisi esset talis, non posset hominem satiare aut ab omni metu amittendi præsentis maximi boni immunem præstare, quo sane ipso beatitatis perfectio tollitur aut multum imminuitur. Præter Mutabilitatem istam Status considerari debet, quod Adam Deo nondum ita immediate frueretur solo, ut non Creaturis quoque inferioribus his ad victum aliasque necessitates & voluptates uteretur, ipsi generationi naturali liberorum operam dans, & negotia animalis vitæ omnia tractans cum variis & varie protensis desideriis; quæ cuncta multum absunt à consummata beatitate. Et hærebat ille etiamnum in Paradiso, à se colendo & custodiendo, loco quidem præstantissimo, etiam præ aliis terræ partibus, sed qui tamen ad Cœli supremi splendorem non assurgebat, cujus divini throni decus haud parum ponderis futuræ nostræ beatitati utique addet. Quin etiam desiderium majoris boni, quod non tantum in Adami conatu conspicuum est, sed & Deus ipse per Arboris Vitæ usum probavit & accendit, ostendit gradum felicitatis Adamicæ non fuisse ita consummatum, uti erit posthac in gloria, quæ beatos perfectissime satiabit, & vota omnia in lætas Dei & benignitatis ejus celebrationes convertet. Iste autem, quem sic astruimus, præsentis Adamici status, minor perfectio plane in hoc Dei Fœdere cum eo supponitur; quandoquidem alias Promissio rei tanquam adhuc futuræ sub Stipulatione præstandi officii vana & inepta foret, quam ille nempe actu possideret jam, nec minus aliena comminatio Mortis ad transgressionem subeundæ, quæ nulla metui potest in æterna vita. Quæ cum sint sic satis liquida, mirum profecto est, ita statum Adami à *Jac. Altingio* commendari ut nihil præter Immutabilitatem ipsius beatitati defuisse statuatur, quæ tamen ipsa ad veræ beatitatis eversionem sufficeret sola. *Mors illa*, inquit, *quam Deus minatur, revera summum malum erat, & hinc adeo quidem dici potest, contrariam vitam esse summam hominis felicitatem. At illa felicitas non proponebatur ut in futurum acquirenda sed ut jam præsens quam homo haberet neque amittere deberet. Mori nihil aliud est*

quam

quam vitam perdere, atque adeo fieri non potest ut aliquis moriatur qui non vivit, & moriendo illam vitam amittit quam habet, non vero aliam quam non habet. Adam optimam nobilissimamque vitam habebat, vitam, inquam, Dei. Deus illum creaverat secundum imaginem & similitudinem suam, atque adeo vivum quemadmodum Deus ipse vivit. Neque tamen hic de corporali vita sermo est &c. Sed neque de vita vel indesinentia animæ agitur &c. Vita vero, quam Adam in creatione accepit, & de qua nos nunc agimus, est Vita Dei, quæ consistit in fruitione Dei & beatitudinis illius, quæ animum consummato gaudio & tranquillitate beat, & à nulla creatura in cœlo aut in terra dependet, cum Deus sit omnisufficiens ad summam usque perfectionem, vide Psal. XVI. 11. *&* LXXIII. 25. 26. *&c.* Quin &, post disputationem prolixiorem adversus factam Adamo cœlestis Vitæ promissionem, subjicit; *Perfectio illa, quam Deus in principio in eos contulit, ne minimam quidem accessionem admittit, salva sapientia & potentia Dei, constantia consilii, & veritate verborum ejus. Ad ullam autem mutationem aspirare erat condemnatio actionis divinæ, ut & querula obmurmuratio de statu suo, & oppositio adversus Deum ut ex ipso alium faceret. Atque id Satanæ peccatum fuit Jud. vers. 6. &c. Id serpens mulieri suasit Gen.* III. 5. Quæ cuncta ad curatius examen deinde erunt vocanda, ubi de Fœderis hujus Promissione agemus. Consistunt autem plurimum in quæsitis ambiguitatibus & paralogismis vanis; siquidem vitam Dei inchoatam, mutabilem, & cum animali conjunctam, temere confundunt cum consummata immutabili & mere spirituali, à qua per promissionem proposita & in initiis suis possessa qui in perpetuum excidit homo, is sane morte æterna mori optime dicitur; & perfectionem tantam in homine esse per creationem collatam, ut ea ob divinas virtutes nullo modo potuerit augeri, nec homo per viam obedientiæ ad aliquod felicitatis augmentum absque scelere aspirare, audaces & rudes nimis sunt assertiones, quæ per ipsam status primi Adamici mutabilitatem spectatam concidunt.

Cum Adamo adhuc solo ante Evæ creationem Fœdus suum iniit Deus.

IX. Habuimus hactenus Hominem in Natura Statuque suo, quousque is laudabilis fuit non tantum sed & defectus suos tum perpetuos tum temporarios habuit. Nunc amplius Adamum spectare adhuc oportet in Fœdere hoc cum Deo ut *Hominem Primum*, qualem ipsum vere fuisse, contra inania de PræAdamitis somnia antea asseruimus breviter sed sufficienter *Cap. II. §. 3. &c.* Fuit autem

ille

ille ita abſolute *Primus*, ut cum Fœdus iniretur eſſet ipſe adhuc *Solus*, nec alius deinde ſit ortus quiſquam niſi ex ipſo tanquam communi *Patre* omnium. *Solum* etiam cum dicimus, non excludimus tantum actualem liberorum generandorum exiſtentiam, ſed & Mulieris factam tum creationem. Quæ res ex narrationis Moſaicæ ſtilo, haud temere per πεωϑύτερα mutando, conſpicua eſt; quando ille narrat, Adamum à Deo conſtitutum in Paradiſo Legem Fœderis ab eo accepiſſe, ante nomina animantibus brutis impoſita & formatam ex coſta Evam, & in ipſo præcepto ac comminatione Divina ad Adamum conſtanter numerum ſingularem adhibet *Gen.* II. 16. 17. *&c.* idem agente Deo poſt peccatum *Gen.* III. 11. Et accedit Fœderis quoad Legem præcipuam & promiſſionem cum ipſa hominis rationali natura ortus, qui vix permittit ut notabilis aliqua temporis mora, qualis ante mulieris creationem intervenit, ante Legem Fœderis Symbolicam ſtatuatur. Nec introductus eſt Adam in Paradiſum, quin acceperit poteſtatem edendi de ejus fructibus, quæ utique mox limitata fuiſſe credi debet. Quin & intelligitur ex hoc principio commodiſſime totius humani generis repræſentatio in Uno Adamo, per quam ille, Chriſto tanquam alteri Homini oppoſitus, unicus conſtituitur autor peccati & perditionis omnium, nullâ juxta eum memoratâ Evâ quæ tamen & ipſa peccavit *Rom.* V. 12.——19. *1. Cor,* XV. 22. Nempe fuit ille unus, qui Fœderis Legem à Deo accepit omnium nomine, & ſic quoque in ſe ſuſcepit; & qui hinc directe in jus vocatus eſt *Gen.* III. 9. 11. Nec obſtat, quod unum fere objici poſſe videtur, quod Serpens dein ad Mulierem in interrogatione ſua verba Divinæ Legis pluraliter adhibet *Gen.* III. 1. *non comedetis de omni arbore horti?* & Mulier ipſa id imitetur, non tantum in ſuo ſermone, *de fructu arboris horti comedemus*, ſed & in recitandis verbis Divinis, *& de fructu arboris quæ in medio horti dixit Deus, non comedetis de ea, & non tangetis eam ne moriamini.* Ex quibus ſcilicet colligi poſſet aliquod in priori Moſis narratione πεωϑύτερον, & ſingularis numeri illis adhibiti collectivus ſenſus. Neque enim eſt ut dicamus, mandatum ſemel antea Adamo datum à Deo deinde etiam apud Mulierem ſolam vel apud utrumque tam Adamum quam Mulierem fuiſſe renovatum; ſed quod Adamo adhuc ſoli tanquam homini fuit præſcriptum, illud ad primam naturæ & vitæ ſociam poſt hujus creationem hoc ipſo pertinuit quoque, ab eo cum hac fa-

facile communicandum, ut hinc in numero plurali de Adamo & se loqui posset Mulier, & cum Viro culpari ac puniri ipsa. Conferre in hanc rem lubet verba *Augustini Lib.* VIII. *de Gen. ad lit. Cap.* 17. *Merito sane quæritur, utrum hoc Præceptum Viro tantum dederit Deus, an etiam Fœminæ? Sed nondum narratum est, quemadmodum facta sit fœmina. An forte jam erat facta, sed hoc quemadmodum gestum sit, quod prius erat gestum postea recapitulando narratum est? Verba enim Scripturæ sic se habent, & præcepit Dominus Deus Adæ dicens, non dixit, præcepit eis. Deinde sequitur, ab omni ligno quod est in Paradiso escam edes, non dixit, edetis. Deinde adjungit, de ligno autem cognoscendi bonum & malum, non manducabitis de illo. Jam hic tanquam ad ambos pluraliter loquitur, & pluraliter præceptum terminat dicens; qua die autem ederitis ab eo morte moriemini. An sciens, quod ei facturus erat mulierem ita præcepit ordinatissime, ut per Virum præceptum Domini ad Fœminam perveniret? Quam disciplinam & in Ecclesia servat Apostolus dicens, si quid autem discere volunt, domi viros interrogent.* Ita satis subtiliter ille secundum corruptam lectionem sui temporis Latinam, quæ est hodieque apud LXX. ἀπὸ δὲ τοῦ ξύλου τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρὸν οὐ φάγεσθε ἀπ' αὐτοῦ, ἢ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγητε, vel φάγεσθε ἀπ' αὐτοῦ, θανάτῳ ἀποθανεῖσθε, sicuti apud *Gregorium* pluraliter etiam sed magis mutatis vocibus legitur *Moral. Lib.* XXXV. *Cap.* 10. *ex omni ligno Paradisi comedite, de ligno autem scientiæ boni & mali ne tetigeritis.* Eadem tamen ratione *Chrysostomus* quoque scripsit *Serm.* XIV. *in Gen.* Καὶ σκόπει μοι τὸν ἄλλων καὶ ἐντεῦθεν θεοῦ τὴν ἀγαθότητα, ὅσην τῇ τιμῇ κέχρηται καὶ οἷον μέλλουσαν ἐξ αὐτοῦ δημιουργεῖν γυναῖκα, οὐδέπω δὲ αὐτῆς ὑπαρχούσης ὡς πρὸς ἀμφοτέρους τὴν ἐντολὴν ποιεῖται λέγων, οὐ φάγεσθε ἀπ' αὐτοῦ &c. δηλῶν ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς, ὅτι ἓν εἶδος ἀνὴρ καὶ γυνὴ, καθὼς καὶ ὁ παῦλός φησι, κεφαλὴ τῆς γυναικὸς ὁ ἀνήρ. Διὰ τοῦτο τοίνυν ὡς πρὸς ἀμφοτέρους διαλέγεται, ἵνα μὴ ταῦτα διαπλάσας ἐξ αὐτοῦ τὴν γυναῖκα ἀφορμὰς αὐτῷ παράσχῃ δι' ἀναισθησίαν αὐτῇ τὰ παρ' αὐτοῦ ἐντολὴν παραβῆναι.

X. Uti autem solus fuit Adam, cum quo Deus Fœdus suum iniit, ita tamen plures ille unus hic *repræsentavit*; nempe tum *Mulierem* ex ipso mox formandam, tum *Posteros* omnes Naturales ab ipso ex hac imposterum suscitandos, adeoque totum suum genus; idque aptissime, cum hi omnes ex eo essent orituri, tanquam ex communi radice aut trunco. Quæ repræsentatio sic est concipienda,

Repræsentavit tamen Adam, tum Mulierem mox creandam, tum omnes suos Posteros ex ea Naturales.

da, ut ad homines alios ex Adamo ortos & rationis jam compotes perinde tum quidem pertineret ſtipulatio & promiſſio hujus Fœderis quam ad Adamum ipſum, quos ille tum amplius nec obedientia ſua ſervare nec inobedientia ſua perdere potuiſſet; ſed ut hi omnes quamdiu nati non eſſent aut ad juſtam Fœderis ætatem non perveniſſent cenſerentur in Adamo tanquam capite ſuo vel ſtare vel cadere. Priorem *repræſentationis* hujus partem nemo facile negaverit; quandò Lex Adamo lata cum comminatione & promiſſione temere ſupponeretur magis ſuiſſe perſonalis, quam fuit conceſſio dominii in animantia bruta, & cibi datio, & conjugii inſtitutio, & communis benedictio, quæ ad omnes pariter ſpectare homines non dubitatur nec dubitetur ullo prætextu; & quando ad nondum natos non aliter potuit Deus loqui, quam in eorum patre, uti ſic quoque in Iſraëlitis factum eſt *Deut.* XXIX. 14. 15. & in Abrahamo *Gen.* XVII. 7. & in Noacho Filiiſque primis *Gen.* IX. 1. 2. & in aliis id genus exemplis pluribus. Eſt etiam ea heic conſpicua in Muliere, quando ad hanc dein formatam jam apparuit Legem Fœderis, atque hinc ex tranſgreſſione ejus Pœnam, extenſam fuiſſe; quod in unius Adami obligatione fœderali obtinere non potuiſſet. Sed non minus certa debet haberi *repræſentatio* illa ſecundum alteram partem ſuam, quæ ex priori conſequitur, quæque Adamo præ Eva videtur ſuiſſe peculiaris. Etenim ſi ille ponatur ante alios Fœderi aptos homines ullos ejus ſtipulationi ſatisfeciſſe minus vel magis plenè, totum genus humanum quod in eo ſolo adhuc exſtitit idem feciſſe eouſque cenſeri debet, & ſic in caſu plenæ præſtationis jus obtinendæ promiſſionis naturale nactum eſſe, ut ſolent qui ſuo opere apud homines ſibi & poſteris ſuis libertatem nobilitatem aut alia privilegia & commoda conſequuntur. Ex adverſo, ſi ille ponatur lapſus ante aliorum hominum ratione utentium ortum, omne hoc genus in ipſo lapſum, ſic non tantum à fœderis promiſſione debuit excidere, ſed & in pœnam ejus ſimul incidere. Uti eventus ille triſtis in nobis omnibus conſpicuus eſt, & imputationem Adamici ſceleris Paulus non tantum breviter docuit 1. *Cor.* XV. 22. 47. 49. ſed & prolixius *Rom.* V. 12. — 19. quem textum ſuo dehinc loco illuſtrabimus. Uti autem illa inſecuta Imputatio tranſgreſſionis liquiſſime probat repræſentationem dictam omnium in Adamo; ita ad illam omnino quoque facit Adami collatio cum Chriſto in adductis textibus. Hic enim

enim cum prorsus repræsentet omnes fideles, tam in diris passionibus ob illorum peccata, quam in Legis præstatione consummata ad quam ipsi non sufficiunt, quin & præmio quod pro ipsis secum accepit; constituitur sic Adam in repræsentatione simili suorum posterorum τύπος ἢ μίμνοντος. Atque hoc est quod voluit cum aliis *Pererius*; *Cur igitur solius Adæ, cui datum fuerat præceptum, nomen expressit Moses? quia nempe soli Adamo principaliter datum est, ex cujus scilicet observantia aut violatione conservatio felicitatis quam à Deo acceperat, vel ejus amissio & sui totiusque posteritatis exitium pendebat. Si enim Adam præceptum custodivisset, licet Eva id non servasset, nihil mali tamen Adamo & posteris ejus contigisset. Contra vero peccante Adamo, licet Eva non peccasset, eadem tamen mala, quæ utrisque peccantibus evenerunt, nihilominus tamen posteris eorum accidissent.* Nec est, quod quisquam istam repræsentationem omnium in uno indecentiæ aut iniquitatis alicujus insimulet; quando hi fuerunt in illius lumbis, secundum Pauli phrasin *Hebr.* VII. 10. & vires stipulationi præstandæ aptas habuit Adam, & per illum hi omnes potuerunt adeo non minus beari quam damnari, & in illo uno omnium culpabilis infirmitas satis potuit constare, præterquam quod nec similis repræsentatio plurium aliorum & futurorum in uno inter homines plane exulet, nec vias Dei sapientissimas & decentissimas unquam nobis homuncionibus reprehendere liceat.

XI. Unus tamen hominum *eximitur*, quem non repræsentavit in hoc Fœdere Adamus, ipse nempe Θεάνθρωπος & Mediator noster *Christus*. Id docet Paulus, quando Christum tanquam alterius multitudinis & fœderis divini cum hoc Caput, Adamo plane oppositum, considerat *Rom.* V. 14 *&c.* unde & ille ὁ δεύτερος ἄνθρωπος nomen habet 1. *Cor.* XV. 47. Id ex Christi propria immunitate à reatu & puritate ab omni macula peccati, quæ tam vera quam necessaria in ipso ut Mediatore nostro est, invictè concluditur; quandò omnes per Adamum in primo fœdere repræsentati etiam per ipsius Lapsum Peccato & imputato & inhærenti propter illud subjiciuntur necessario. Id denique supponitur in voluntaria liberrima & indebita Christi Sponsione pro nobis peccatoribus, tendente tum ad pœnam loco nostro luendam, tum ad stipulationem primam fœderis vice nostra præstandam; quæ locum utique nullum habere posset, si ipse ex se Christus Fœderis cum

Eximitur tamen ab hac repræsentione in Adamo Christus; cujus rei ratio simul ostenditur.

Adamo erecti & dein violati vinculo teneretur obſtrictus. Si tamen objicias, quo pacto potuerit in Adamo non repræſentari Chriſtus, vere ex eo ortus juxta alios homines, unde & ad eum hujus genealogia reducitur *Luc.* III. 23. 38. & hoc forte ſenſu tam ὁ υἱὸς τῆς ἀνθρώπου quam זרע האשה dicitur, & ut *Semen Mulieris* utique ex Adamo in Paradiſo promittitur; duplex ſolet dari illius rei ratio, quæ non tam opponenda quam componenda videtur. Prima & præcipua ſpectat ad Perſonæ ipſius Divinæ dignitatem, quæ cum ſupra aſſumptam Naturam Humanam in ipſo excellat infinitum, facit conſequenter ut ſecundum illam ſuam perſonam æternam magis ſpectetur à Deo quam ſecundum humanæ naturæ vilioris acceſſionem quandam temporariam. Quæ videtur eſſe ratio, ob quam ipſe Chriſtus non æquè quam Levi cum omni poſteritate ſua etiam Aharonica & Sacerdotali ſpectetur ut benedictus & decimatus à Mechizedeko ut ſuperiore *Hebr.* VII. 7. 8. 9. quod non rite attendentes quidam *Sociniani* iſtum diſcurſum Pauli indecenter tractarunt. Sed altera accedit heic ratio, quod Chriſtus non tantum Divinæ virtutis extraordinario miraculo ſecundum humanitatem ſuam ſit excitatus, ſed etiam plane contra communem Legem generationis per viri & mulieris conjunctionem ex Virgine prorſus intacta, nec ad conſummandam creationem, nec ex benedictione communi poſt hanc factam ſecuta ante lapſum *Gen.* I. 28. ſed ex ſpeciali Euangelica promiſſione, quæ demum poſt lapſum audita eſt & audiri potuit, de Semine Mulieris contrituro caput ſerpentis *Gen.* III. 15. ut ſic non male prorſus dici queat, illum in lumbis Adami neutiquam fuiſſe adeoque nec ſpectari potuiſſe cum primum fœdus Adamicum erigeretur. Hanc autem rationem ita jam propoſuimus, ut concidant ſponte, quæ adverſus eam alias dici poſſent, tum de Eva per infinitam & extraordinariam virtutem Dei ex Adamo quoque formata, tum de Iſaaco aliiſque dein hominibus quorum nativitas ex effœtis aut ſterilibus parentibus miraculoſa etiam fuit. Enimvero quod ſi rationes datas quiſquam putet minus aptas aut validas eſſe, eum in Divino placito jubemus heic acquieſcere, quo ille Filium ſuum Incarnandum ad lapſæ gentis reſtitutionem noluit ſub ea gente integra & lapſura comprehendi; uti hæc res eſt certiſſima.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

Quo Fœderis Divini cum Adamo Lex Præcipua exhibetur.

Cum Fœderatæ Partes heic ſint adeò Inæquales, ut Deus ſolus Conditiones Fœderis figat quibus Homo ſine graviſſima culpa reluctari non poteſt vel minimum, decens eſt ut à Dei tanquam ſuperioris actibus ad illos hominis ſubjecti progrediamur; & illius cum præcedat Stipulatio & ſequatur Promiſſio conditionata, à Stipulatione nunc inchoandum videtur. Ea autem cum conſiſtat in exactione Obedientiæ ſuæ Legis geminæ, unius Principalis & alterius Acceſſoriæ ac Symbolicæ, quam poſteriorem magis explicite memoravit Moſes, de ipſa Lege hac utraque ſecundum naturalem ordinem & dignitatem primo dicendum erit, ita ut Principalis antecedat quoque Acceſſoriam.

Tranſitus ad tractationem Legis in hoc Fœdere Principalis.

II. Quemadmodum ergo Deus omnibus creaturis tanquam Creator & Dominus abſolutiſſimus earum præſcripſit omnem modum quo illæ operarentur ſive neceſſario ſive contingenter pro naturarum ſuarum diverſitate ſingulæ, inanimatæ & animatæ, quæ res per quandam non inelegantem metaphoram *Legis* nomen quoque accipit; ita etiam ſpeciatim Hominem gubernaturus ſecundum Naturæ ſuæ rationalis quidem ſed dependentis conditionem eidem *Legem* proprie dictam conſtituere debuit, ſecundum quam actiones iſtæ rationales cum connexis ſuis componerentur. Nec vel unum aliquod concipi poteſt momentum, quo Hominem ſuo relinqueret ſic arbitrio Deus ut ipſe volitionum & rationalium ſuarum actionum adverſus Deum & ſe & proximum eſſet Dominus abſolutus abſque ſuperioris alicujus determinatione, quin ſuæ gloriæ & majeſtatis ſapientiſſimus Deus conſtituatur prodigus, & creaturæ indulgeat independentiam ipſi minime convenientem. Quæ ipſa longe minus cogitanda ſunt, ubi homo factus eſt rectus, bonus, & ad Dei gloriam objectivè & ſubjectivè aptus. Quod ſi opponas hominis recenter creati & Domini omnium conſtituti majeſtatem, quæ ſic videatur imminui; ſciendum eſt, Dominium ejus fuiſſe in alias tantum præter ſe creaturas, & hoc quidem minime

Legem rationalem veri nominis Hominis Integro à Deo latam eſſe oſtenditur.

nime ſupremum aut illimitatum ſed ſubordinatum ac dependens, ſupra quod ſi majeſtatem hominis extuleris, nimis illam Dei ipſius deprimes, cujus debuit ille manere ſervus non minus quam maximi hodie reges. Sed & hoc non minus ineptum eſt, quod ante Lapſum aliqui *Legis* Divinæ nomen reſpectu Hominis minus lubenter ferant, credentes obſtare naturalem hominis propenſionem in officia Deo & ſibi & proximo præſtanda, quæ ſic ex amore magis indito quam ex Lege aliqua provenerint, atque ad Legem requiri quendam rigorem coactionis qui apud hominem volentem non obtineat. Non enim poteſt Homini integro rectè tribui talis propenſio abſque conſcientia decentiæ rei & obligationis ad eam, quæ ad agnitum ſuperioris Dei æquiſſimum beneplacitum nos attollit; hoc autem agnito habemus veriſſimam heic Legis notionem, quæ ſi per pronam ſubjectorum ſequelam tollatur, jam obedientia præ inobedientia Legi dicenda erit adverſari, quando prior ipſam Legem ſed poſterior ſolam Legis præſtationem tollit. Atque uti coactionis rigor in Adamo locum vere habuit, ſi ſpectemus minas Legi non præſtitæ etiam additas, & obedientiam ſic ſuadentes ac neceſſariam facientes; ita coactionis notio illa quæ involvit τὸ involuntarium in homine ad Legis conſtitutionem minimè eſt neceſſaria, quando etiam homines ab hominibus præcepta multa ſibi gratiſſima accipiunt, & vere Divina eſt Lex qua pii delectantur ſecundum hominem interiorem. Nec hoc quidquam facit ad Legis Divinæ conſtitutionem, quo modo eam Deus ferat, an externa voce an interiori mentis illuminatione & impulſu, ad cujus rei explicationem nondum pervenimus; quia Deo quocunque modo notum facienti ſuum beneplacitum obediri debet ab homine, nec aliter Lex Naturalis hodie etiam ulla admitti poſſet, aut peccatum verum adverſus eam. Unde diſplicent magnopere illa *Jac. Altingii ad Hebr.* VIII. 6. *Quæ cordi Adami per creationem inſcripta fuerunt, Fœderis ne ſpeciem quidem habent. Fuerunt iſta non Lex, quia extrinſeco verbo non fuerant imperata, ſed opus Legis Rom.* II. 15. *ſive eadem principia naturaliter impreſſa, quæ ſub forma Legis proponi ſolent & hujus materiam faciunt &c.* In quibus ille ſane adverſatur non modo illi contextui Paulino, dum de Gentilibus dicitur, ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος, illiſque cogitationes accuſantes & excuſantes tribuuntur, ſed & aliis apud eum locis, qualis ille *Rom.* V. 13. ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ, ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλογεῖτο μὴ

μὴ ὄντος νόμου. Dum convenienter Scripturæ omnis Chriſtiana Antiquitas de Lege Naturali & Innata veri nominis locuta eſt cum *Tertulliano de Coron. Cap.* VI. *Quæris igitur Dei Legem? habes communem iſtam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apoſtolus ſolet provocare, ut cum in velamine feminæ, nec natura vos, inquit, docet? ut cum ad Romanos natura facere dicens nationes ea quæ ſunt Legis, & Legem naturalem ſuggerit & naturam Legalem &c.* Et cum *Hieronymo ad Algaſ. Quæſt.* VIII. *Et extra hæc omnia Naturalem Legem ſcriptam in cordibus noſtris idem Apoſtolus docet &c. Iſta Lex, quæ in corde ſcribitur, omnes continet nationes, & nullius hominum eſt qui hanc Legem neſciat. Unde omnis mundus ſub peccato, & univerſi homines prævaricatores Legis ſunt &c.* Quin & Gentiles eodem modo diſſeruerunt, ex quibus *Ciceronem* merito præ aliis adduxit cum magna laude *Lactantius Inſtit. Div. Lib.* VI. *de Vero Cultu Cap.* 8. *Suſcipienda Dei Lex eſt, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa ſancta, illa cœleſtis, quam M. Tullius in Libro de Republ. Tertio pene divina voce depinxit, cujus ego ne plura dicerem verba ſubjeci; Eſt quidem vera Lex recta ratio, natura congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat, quæ tamen neque probos fruſtra jubet aut vetat, neque improbos jubendo aut vetando movet. Huic Legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per Senatum, aut per Populum, ſolvi hac Lege poſſumus. Neque eſt quærendus explanator aut Interpres ejus alius. Nec erit alia Lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac: ſed & omnes gentes & omni tempore una Lex & ſempiterna & immutabilis continebit; unuſque erit communis quaſi Magiſter & Imperator omnium Deus, ille Legis hujus inventor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernatus, hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia quæ putantur effugerit. Quis Sacramentum Dei ſciens tam ſignificanter enarrare Legem Dei poſſit, quam illam homo longe à veritatis notitia remotus expreſſit? Ego vero eos qui vera imprudenter loquuntur ſic habendos puto, tanquam divinent ſpiritu aliquo inſtincti. Quod ſi ut Legis ſanctæ vim rationemque pervidit, ita illud quoque ſciſſet aut explicaſſet, in quibus præceptis Lex ipſa conſiſteret, non Philoſophi functus ſuiſſet officio ſed Prophetæ &c.* Enimvero inanis erit heic omnis de Legis voce diſputatio, ſi hoc con-

conſtiterit, officia quædam hominem creatum decuiſſe, quorum præſtationem Deus ab homine Fœderaliter ſtipularetur.

Quæ neutiquam per ſolum Præceptum Symbolicum abſolvitur.

III. Ex iis quæ modo dicta ſunt de Legis Divinæ apud Hominem neceſſitate conſequitur evidentiſſime, quod heic apud Adamum neutiquam ſuffecerit Lex illa Externa & Symbolica, de non comedendo fructu Arboris Scientiæ, ſiquidem per hanc unam minime deſcribebatur omnium Actionum Rationalium modus Deo gratus & ingratus. Etiamſi ex illa concluſiones multæ aliæ generales de eo quod deceret & dedeceret fieri poſſent; & per illam præſtitam vel neglectam alia quoque mandata præſtarentur vel negligerentur per rerum quandam connexionem. Quod ſpectans *Tertullianus* magnopere heic urget *Lib. adv. Judæos Cap.* 11. *In hac enim Lege Adæ data omnia præcepta condita recognoſcimus, quæ poſtea pullulaverunt data per Moyſem, id eſt, diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo & ex tota anima tua, &, diliges proximum tibi tanquam te, & non occides, non mœchaberis, non fraudaveris, falſum teſtimonium non dices, honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupiſces. Primordialis Lex eſt enim data Adæ & Evæ in Paradiſo, quaſi matrix omnium præceptorum Dei. Denique, ſi Dominum Deum ſuum dilexiſſent, contra præceptum ejus non feciſſent: ſi proximum diligerent, id eſt ſemet ipſos, perſuaſioni ſerpentis non credidiſſent, atque ita in ſemet ipſos homicidium non commiſiſſent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum; à furto quoque abſtinuiſſent, & de fructu arboris clam non deguſtaſſent, nec à conſpectu Domini Dei noſtri ſub arbore deliteſcere geſtiſſent; nec falſum aſſeveranti diabolo participes efficerentur, credendo ei quod ſimiles Deo eſſent futuri; atque ita nec Deum offendiſſent ut Patrem, qui eos de limo terræ quaſi ex utero matris figuraverat. Si alienum non concupiſſent, de fructu illicito non guſtaſſent. Igitur hac generali ac primordiali Dei Lege, quam in Arboris fructu obſervari Deus ſanxerat, omnia præcepta Legis poſterioris ſpecialiter indita fuiſſe cognoſcimus, quæ ſuis temporibus edita germinaverunt &c.* Sed ille ipſe diſcurſus revera nihil aliud arguit, quam aliam Dei Legem cum illa Externa fuiſſe conjunctam, cujus præſtitæ vel neglectæ eſſet in hac ipſa indicium manifeſtum; quod & nomen ipſum Arboris *Scientiæ Boni & Mali* arguit, ſecundum ea quæ diſputata à nobis ſunt *Lib.* 1. *Cap.* 17. Quod ſi enim Arbor hæc eſſet ſymbolice factura, ut innoteſceret Bonum vel Malum hominis,

nis, ſic hujus utriuſque diſtinctio per aliam ſuperiorem Dei Legem manifeſte in eo nomine ſupponitur. Quin & nomine hoc ſepoſito, quænam in Adamo fuit ad Legem hanc poſitivam obligatio? aut unde hujus agnitio & ſuſceptio? ſi non ex alia priori Lege ſciverit ſe teneri ad amorem & obſequium Dei non tantum ſed & ſui & poſteritatis ſuæ, per quem mortem evitaret & vitæ ſeu continuationem ſeu augmentum quæreret. Aſſeritur autem amplior & magis principalis Dei Lex apud Adamum validiſſime ex Divinæ Imaginis ipſi conceſſa Integritate, quæ abſque Virtutis omnis neceſſariæ in Deum & ſe & proximum cognitione & ſtudio neutiquam ſubſiſtere poteſt, uti illa abſque Lege Dei præcipiente nulla eſt. Nec minus invictum eſt argumentum, quod petitur ex Legis hujus reliquiis in corde hominis lapſi, quæ oſtendunt quid olim magis integrè in eo ſcriptum fuerit, tanquam inductæ ſcripturæ ſuperſtites quædam partes. Neque enim vel nova ſunt moralia hominis poſt lapſum officia, vel æquale nedum majus ille jam lumen habet ad ea dignoſcenda quam ante lapſum. Laudari in rem hanc integram merentur quoque verba *Moſis Amyraldi in Syntagm. Salmur. Diſp. de Fœder. Div.* §. *IX. Diſtinguendum eſt apprime officium ab officii ſymbolo ſive documento. Etenim quamvis interdictum de non comedendo fructu Arboris Scientiæ boni ac mali neque homo rite ſervare potuit niſi vi officii ipſius in rebus ſupra commemoratis ſiti, neque violare illibatis iis rebus & intemeratis; officium tamen fœdere naturali præceptum propriè conſtitutum non fuit in ea abſtinentia, niſi quatenus Deus autoritate ſua officii veri præſtandi ſymbolum in ea eſſe voluerat. Siquidem officium naturale poſitum eſſe debuit in executione rerum quæ natura ſua bona & ab iis abſtinentia quæ ſponte ſua mala ſunt, non ejus quæ cum ingenio ſuo media ſit nonniſi vi præcepti naturam mutat.* Quæ utique ſequenda ſunt præ omnibus *Socinianorum* & *Socinianizantium* gloſſis, quæ non niſi unum illud Præceptum de Abſtinentia ab Arbore Scientiæ heic admittunt, ſeu jam in re ſeu in modo loquendi. Quo pacto etiam *Simon Epiſcopius Diſp. XV. Part.* II. in *Legislatione Prima* non agnoſcit niſi unam *Legem poſitivam, qua præſcribebatur homini particularis tantum abſtinentia à certo fructus genere in quem naturali inclinatione propendebat & cujus uſus ipſi tanquam Domino jam ante conceſſus veriſimiliter fuerat &c.* quam etiam dein vocat *facilem & unico interdicto conſtantem.* Quin & *Stephanus Curcellæus Inſtit.*

Lib. III. *Cap.* 13. cum non male dixiſſet, Deum in Arbore hac *Obedientiæ Adami & Evæ experimentum ſumere voluiſſe*, ſic porro differit; *Id autem fieri non poterat in Legis Naturæ præceptis, qualia in Decalogo continentur. Ea enim violandi nulla ſe offerebat adhuc occaſio, nec fieri poterat ut in idololatriam πρωτόπλαστι incideret, cum Deus ſe illis clare manifeſtaſſet; nec ut ſe homicidio, adulterio, furto, aut alio ejuſmodi ſcelere contaminarent, quamdiu ſoli erant in terra. Fruſtra autem illud prohibitum eſſet, quod ne fieri quidem potuiſſet; cum ea demum ſit vera & ſincera virtus, abſtinere à malo quando id perpetrandi irritamenta adſunt &c.* Cujus heic veſtigia quoque preſſit *Phil. à Limborch Lib.* III. *Cap.* 2. *Veriſimile eſt Deum experimentum capere voluiſſe obedientiæ Adami. Per Legem Naturalem id fieri non poterat, quia nulla eam transgrediendi erat occaſio; unde, ut antea vidimus, illa in primæva hominis integritate non tam erat Lex officium præſcribens, quam inſtinctus naturalis & ſtimulus, hominem excitans & impellens ad ea agendum quæ illi conſentanea erant. Alia ergo Lege opus fuit &c.* Sic ille in poſterioribus verbis rem videtur concedere, cujus nomen tamen negat, ſed in prioribus cum *Curcellæo* occaſionem violandæ Legis Naturalis peſſime negat, quæ ſic ergo credi etiam debet ab Adamo violata neutiquam eſſe; dum nulla poteſt dari ratio, ob quam in infidelitatem magis quam in idololatriam incidere potuerit Adamus, clara Dei manifeſtatione tam adverſus illam quam contra hanc faciente, dumque homicidii erat externi etiam occaſio tam alterius quam ſui poſt creationem Mulieris, imo dum Lex illa naturalis ad animum hominis Deo pervium etiam ſpectavit & ad tempus proxime ſecuturum multiplicati generis. Longe aliter de *Naturali Lege* locutus eſt *Hieronymus ad Algaſ. Quæſt.* VIII. *Per hanc & Cajin cognovit peccatum ſuum, dicens, major eſt cauſa mea quam ut dimittar, & Adam & Eva cognoverunt peccatum ſuum, & propterea abſconditi ſunt ſub ligno vitæ &c.* Et conſtat, quo pacto Judæi ipſi ex Septem Noachidarum Præceptis majoribus, quibus Jus Naturale & commune hodiernum deſcribunt, Sex ab ipſo Adamo derivent, docente *Maimonide in Melach. Cap.* IX. על ששה דברים נצטוה אדם הראשון על עון ועל ברכה השם ועל שפיכות דמים ועל גילוי עריות ועל הגזל ועל הדינין / *de ſex rebus mandata accepit Adam primus, de Cultu Extraneo, & de Maledictione Nominis, & de Effuſione Sanguinis, & de Revelatione Naditatuum, & de Rapina,*

na, & de Judiciis. Ad quæ etiam adducunt textum *Gen.* II. 16. *& præcepit Jehovah Deus Homini dicendo, de omni arbore horti comedendo comedes*; ita ut vocem *præcepit* referant ad *Judicia, coll. Gen.* XVIII. 19. illam *Jehovah* ad ejus *Maledictionem, coll. Lev.* XXIV. 16. illam *Deus* ad *Cultum Extraneum, coll. Exod.* XX. 3. illam *Homini* ad *Effusionem sanguinis, coll. Gen.* IX. 6. illam *dicendo* ad *Revelationem Nuditatum, coll. Jer.* II. 38. illas *de omni Arbore Horti* ad *Rapinam, coll. Lev.* V. 24. reliquas referentes ad Præceptum Septimum Noachicum, sicuti videri potest in *Seder Holam Rabba Cap.* V. Quod tamen minime sic intelligendum esse, ac si Sex vel Septem illa Præcepta ex eo loco probarentur, sed ita ut in illis vocibus sit eorum quoddam memoriale signum,]מ׳ס[ex ipso *R. Jehudah in Sepher Cozri* dudum observarunt plures Eruditi.

IV. Videndum ergo nunc est propius pleniusque *Legis* istius *Naturalis* argumentum. Quod vel ex ipso hoc ejus nomine nobis innotescit, sive in eo spectetur id quod hodie naturaliter adhuc nobis constat præter specialem Dei revelationem, sive hoc quod naturæ tum Dei tum Hominis congruum est. Priori enim modo licebit ex reliquiis Legis quæ supersunt cognoscere quadantenus & colligere ex Scripturarum collatione ipsum earum corpus primum ante humani generis perditionem præsentem. Posteriori autem modo plane constat, ob invariatam Dei Hominisque naturam, id quod secundum hanc alterutram vel utramque nunc moraliter necessarium est facere vel evitare, idem etiam olim tale fuisse ante lapsum. Unde vetus est observatio *Justini Martyris in Tryphone*; Καὶ γὰρ ἐν τῷ Μωσέως νόμῳ τὰ φύσει καλὰ καὶ δίκαια νεανομοθέτητα πράττειν σὺν πεθομένοις αὐτοῖς, paulo post eadem vocans τὰ καθόλου καὶ φύσει καὶ αἰώνια καλά. Cui convenit *Irenæi* illud *Lib.* IV. *Cap.* 28. *Nam Deus primo quidem per naturalia præcepta, quæ ab initio infixa dedit hominibus, admonens eos, id est, per Decalogum, quæ si quis non fecerit non habeat salutem, nihil plus ab eis exquisivit &c.* Nec prætermittendum hoc *Clementis Alex. Lib.* I. *Strom.* εἴτ' οὖν τὸ ἅμα τῇ γενέσει φύσει νόμον, εἴτε καὶ τὸ αὖθις δοθέντα, πάλιν ἐκ θεοῦ, ὅτι τὸ φύσεως ὅτε τὸ μαθήσεως νόμῳ· εἷς, ὡς καὶ πλάτων ἐν τῷ πολιτικῷ ἵνα τὸ νομοθέτην φησὶν, ἐν ᾧ τοῖς νόμοις ἵνα τὸ συνήσουσι τὸ μυζικῶς δεῖ τούτων διδάσκειν, τὸ λόγον εἶναι ἕνα καὶ τὸ θεὸν ἕνα. Atque hoc ipsum innuit etiam *Tertullianus c. Jud. Cap.* II. tum

Sed est amplius Moralis eadem, quæ hodieque Naturalis dicitur, & clarius ac plenius in Decalogo exponitur.

verbis antea citatis, tum iis quæ ſubſequuntur; *Denique ante Legem Moyſi ſcriptam in tabulis lapideis Legem fuiſſe contendo non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à patribus cuſtodiebatur &c.*

Uti hæc ſane ratione Utriuſque Tabulæ, & Amoris in Deum & Proximum illic præcepti non poteſt Adamo denegari.

V. Conſtabit vero hæc res magis, ſi Decalogicæ & Moralis Legis, per quam eadem illa quæ à Natura ipſa docentur hodieque officia paulo plenius pleniuſque exponuntur, Summam præcipuam in Utraque Tabula talem eſſe monſtraverimus, ut ea non poſſit non in Integritatis Statu quoque obtinuiſſe. Nempe Prioris Tabulæ argumentum, monſtrante ipſo Chriſto, eſt ſummus Dei Amor. Qui fundatur omnino in ſumma Dei præſtantia intrinſeca, & amabilitate ejus pleniſſima reſpectu hominis, & accedente in primis ejus incomprehenſibili benignitate; unde fieri non poteſt, ut homo, qui per naturam rationalem abſque omni amore eſſe nequit, vel in aliud melius objectum eum dirigere, vel hoc non amare, vel idem odio habere, ſeu jubeatur ſeu permittatur unquam, quam felix etiam ipſius ſorte fuerit conditio. Alterius Tabulæ Decalogicæ argumentum conſtituitur per Amorem Proximi ſicut Noſtri Ipſius. Enimvero & hoc mandatum ex Amore Dei prorſus neceſſario fluit, quatenus homines alii nobiſcum ſunt illud Dei opus quod ejus gerit Imaginem præ aliis creaturis; quandoquidem Deum ipſum vere amans illud omne amabit ſub ipſo quod & quouſque id ipſum refert. In primis quando Deus ipſe homini per naturam innoteſcit tanquam ſe ipſum perfectiſſime amans, & omnia ad gloriam ſuam componens; unde per ſuæ perſonæ & gentis, hoc eſt, ſui ipſius amorem ſuademur Deum imitari hac quoque in parte, eſtque iſte amor naturæ ipſi convenientiſſimus. Imo & accedit hoc, quod nullam unquam præ homine creaturam ad ſui gloriam fecit Deus, qui ergo ad obtinendum hunc finem ex Dei amore ab homine amandus & curandus eſt. Ut taceam de incommodis gravibus, quæ evitari plane nequeunt, niſi ſibi ipſis & inter ſe mutuo per amoris decentis Legem devinciantur homines. Habemus ergo in Adamo integram Legem illam Charitatis, quam Jacobus appellavit *νόμον βασιλικὸν* & *νόμον ἐλευθερίας Jac.* II. 8. 12. quæque Adami vere Regiæ majeſtati ac libertati neutiquam repugnavit, ſed eandem decuit. Quorſum refer, quod notante etiam *Auguſtino de Civ. Dei Lib.* VIII. *Cap.* 9. *non dubitavit Plato, hoc eſſe philoſophari amare Deum*, æque *vult eſſe philoſophum ama-*

amatorem Dei, ut quoniam philoſophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo ſit beatus, qui Deum amaverit &c. Uti hoc *Seneca* adjecit; *Deum amabis, ſi illum in hoc imitaberis, ut velis omnibus prodeſſe, nulli nocere.*

VI. Sed & ad Singula Utriuſque Tabulæ veniamus Mandata. Quorum primum, ſive ejus interdictum, de *non habendo Deo alio* ullo, ſive mandatum de Jehovah vero Deo pro tali habendo ſpectemus, non poteſt Adamo Integro cum ulla ſpecie denegari. Illud enim ſuum habet in Dei Unitate fundamentum æternum, & in connexa aliorum præter Deum omnium diſſimilitudine ab eo ſumma; hoc vero in Dei ſuprema perfectione, ſemper ab homine per officia omnia decentia agnoſcenda. Quod ſi ergo non interdixiſſet Adamo Deus alios habere Deos præter aut juxta ſe, licuiſſet illi Dei Unitatem atque infinitam Perfectionem ipſo opere abnegare, cum creaturarum indecenti exaltatione; & quod ſi non mandaſſet Jehovah ſe pro Deo habere, potuiſſet Adam abſque ſcelere huic denegare non tantum amorem, ſed & timorem, obedientiam, imitationem, invocationem, & glorificationem omnem, ſive verbalem ſive realem, ad quæ per cognitas divinas virtutes, etiam in creatione demonſtratas, nunc ipſe vere tenebatur. Quæ nemo admittet rite attendens. Dum ipſi Gentiles, Unitate veri & ſupremi Dei agnita, hunc ſolum quoque digno honore eſſe proſequendum ſtatuerunt; docente inter alios *Menandro in Diphilo*,

Διόπ᾽ ἐ ὄντα κύριον πάντων ἀεὶ
Καὶ πατέρα, τοῦτον δεῖ τέλειε μόνον
Ἀγαθῶν ποιητὴν εὑρετὴν ϑ᾽ κτίσορα,

quem non tantum *Juſtinus Martyr de Monarch. Dei* adduxit, ſed & *Clemens Alex. Strom. Lib.* v. Nec minus illi urſerunt Cultum & Honorem hujus Dei Unius, tanquam decentiſſimum, utiliſſimum, & quam maximè neceſſarium; juxta illud *Phocylidis*, πρῶτα ϑεὸν τίμα, & *Pythagoræ*, ἀθανάτους ἀεὶ πρῶτα ϑεοὺς νόμῳ ὡς διάτασε τίμα, & *Pittaci*, σεβὲ πάντων σέβας τὸ ϑεῖον *&c.* Præcepti Secundi, de *non faciendis* ad Dei Cultum *Imaginibus* ullis, non poteſt rurſus ab Adamo integro arceri; quando illud ex ſpirituali ac infinita Dei natura, quæ ſapientem hominem non latuit, neceſſaria ſequela deducitur, adeoque ab imaginibus abſtinere & ſpirituali cultui vacare juſſit niſi Dei gloriam vellet damnato dein gentium more in ignominiam permutare. Quod niſi reliquum naturæ

Per Tria prima Decalogi Præcepta itur ſingulatim, tanquam Adamum obligantia.

corruptæ lumen adhuc docerer, non potuiſſet ſane Gentiles ob mandati hujus neglectum ſevere adeò vel punire Deus vel culpare Paulus *Rom.* 1. 23. 24. Nec numerus eſt eorum quæ pro ſpirituali Dei cultu & adverſus ejus Imagines ex Gentilibus ipſis produci poſſent, juxta illud *Æſchyli Tragici*, quod *Clemens Lib.* v. *Strom.* habet,

Χώριζε θνητῶν τ' θεὸν, ὃ μὴ δόκῃ
Ὅμοιον αὐτῷ σάρκινον καθεστάναι,
Οὐκ οἶδα δ' αὐτὸν &c.

Uti neminem latent *Numæ* ex *Plutarcho* τὰ περὶ τῆς ἀφιδρυμάτων νομοθετήματα παντάπασιν ἀδελφὰ τῆς πυθαγόρου δογμάτων. Οὔτε γὰρ, inquit *Plutarchus*, ἐκεῖνος αἰσθητὸν ἢ παθητὸν αἰσχρὸν ἢ καὶ ἀκήρατον καὶ νοητὸν ὑπελάμβανεν εἶναι τὸ πρῶτον· ὥστε ἢ διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα θεᾶ ῥωμαίοις νομίζειν. Subjicitque Romanos hinc primis centum & ſeptuaginta annis non habuiſſe ὔτε γραπτὸν ὔτε πλαστὸν εἴδωλον θεᾶς, ἄγαλμα γὰρ ἐν ἔμμορφον, ὡς ὅτε ὅσιον ἀφομοιῶν τὰ βελτίονα τοῖς χείροσιν, ὅτε ἐφάπτεσθαι θεᾶ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει. In quo ſtatuto Numam ἐκ τῆς Μωυσέως ὠφεληθέντα ſimul conjicit *Clemens Strom. Lib.* I. Nec prætermittendum illud *Varronis* apud *Auguſtinum de Civ. D. Lib.* IV. *Cap.* 31. qui poſt memoratum antiquum iſtum Romanorum morem ſubjecit, *quod ſi adhuc manſiſſet caſtius Dii obſervarentur*, imo monuit, *qui primi ſimulachra Deorum populis poſuerunt eos civitatibus ſuis & metum dempſiſſe & errorem addidiſſe.* A Tertio adhuc Præcepto, quod indignum *Divini Nominis Abuſum* interdicit, Adamum integrum eximere non licet; quando illud in Dei ſumma & ſanctiſſima Majeſtate fundatur, quæ apud Adamum non magis quam apud nos vileſcere ullo modo debuit, ſed cum timore & tremore ſuſpici. Et hoc *Plato de Legibus Lib.* XI. voluit; ψεῦδος μηδεὶς μηδὲν, μήθ' ἑκὼν, μήτε ἄκων, μηδέ τι κίβδηλον, γῶς ἐπικαλούμενος θεῶν, λέξας μήτε ἔργῳ πράξειεν ὁ μὴ θεομισήσας ἑστάναι μέλλων, ὥστε δ' ἐστὶν ὃς ἂν ἔρκος ὀμνὺς ψεύδηται μηδὲν φροντίζῃ θεῶν &c. πάντως μὲν δὴ καλὸν ἐπιτήδευμα θεῶν ὀνόματα μὴ χαίνειν ῥᾳδίως, ἔχοντα ὡς ἔχουσιν ἡμῖν ἑκάστοτε τὰ πολλὰ οἱ πολῖται καθαρότητός τε καὶ ἁγνείας τὰ περὶ σοὺς θεούς &c. Nec fuere Gentiles ſolum ab omni Blaſphemia & Perjurio abhorrentes per naturæ ſuæ dictamen, ſed & à leviori uſu Divini Nominis; uti ex Platonico Socrate obſervavit *Plutarchus in Quæſt. Platon.* ὁ γὰρ εἰρωνευόμενός τε καὶ παίζων προσεχρήσατο αὐτῷ ἓξ θεᾶ ὀνόματι. Ut mittam alia.

VII. At-

VII. Atque huc uſque cum Præcepta Primæ Tabulæ non in ſolum arbitrium Dei æternum ſed & in ipſam ejus naturam refundantur, curatiori quadam indagine Præceptum Quartum de *Septimi Diei Sanctificatione & Quiete* videtur opus habere. Sed & hoc ipſum, ſi vel minime ex natura Dei fluxerit, conſtat tamen ex Moſe quod Adamo mox datum ſit ipſo creationis primæ tempore. Ita enim ille habet *Gen.* II. 1. 2. 3. *Et perfecti ſunt cæli & terra & omnis exercitus eorum. Et perfecit Deus in die ſeptimo opus ſuum quod fecit, & quievit in die ſeptimo ab omni opere ſuo quod fecit. Et benedixit Deus Diei Septimo & ſanctificavit illum, quoniam in eo quievit ab omni opere ſuo quod creavit Deus faciendo.* Enimvero in iſtis verbis non ad primam creationem rerum omnium ſed ad hominis ex lapſu reſtitutionem ſpectaſſe *Jac. Altingium*, conſtat quidem mihi, & erit iſthæc cogitatio dein ſuo loco latius inquirenda; ſed neminem iſta ſimpliciter lecturum confido, aut collaturum cum iis quæ præceſſerunt de operibus Sex Dierum & quæ proxime conſequuntur, quin agniturus ſit, ad perfectam mundi integri creationem illa pertinere omnino. Quæ cum heic *Diei Septimo* יום השביעי tribuatur ſed juxta *Quietem* ab ea, non eſt ſane ut cum LXX & *Samaritanis* ἡμέραν ἕκτην ſubſtituamus, vel etiam verbum perfectum ſenſu pluſquam perfecti accipiamus, ſed commodiſſime intelligitur Diei Septimi primum initium immediate exitum Diei Sexti ſequens, quo adveniente ita conſummatum fuit Dei opus ut ipſo die Septimo labente cæteroquin quieverit Deus ab opere iſthoc tanquam conſummato. Optimus interpres hac in parte eſt, tum Moſes ipſe in exitu Sexti Diei *omne* referens *valde bonum* fuiſſe *Gen.* I. 31. tum Deus in Præcepto Quarto Legis ſuæ *Exod.* XX. 11. *Quoniam ſex diebus fecit Jehovah cælos & terram, mare & omne quod in eis, & quievit in die ſeptimo.* Illa vero Dei *quies*, quæ Septimo Die illo contigit, nullam dicens fatigationem aut vacationem ſed ceſſationem Creationis factæ & Dei in ea acquieſcentiam, adducitur à Moſe tanquam antecedens aliquod fundamentum ob quod Deus *Diei Septimo* præ Sex aliis in Septidui curriculo *benedixerit*, aliquid ſpeciale & eximium in eundem conferendo; quod & exponitur mox per illius ſeptimi diei *ſanctificationem*, nil aliud denotare aptam & ſolitam quam ſegregationem ad ſanctum uſum Divini cultus per mandatum ſui quieſcentis exemplo conforme. Ad quem verborum ſenſum nos rurſus perducit, præter literæ ſimplicitatem,

Quartum Præceptum omnino etiam ad Adami Integri Legem ſpectaſſe, monſtratur.

Le-

Legislator in Quarto Præcepto *Exod.* xx. 11. *Idcirco benedixit Jehovah diei Sabbathi & sanctificavit eum.* Non ignorat jam quisquam, Magna fuisse & esse Nomina, quæ heic apud Mosen inculcant notabilem *Prolepsin*, ut hoc quod deinde demum in Deserto apud Israëlitas contigit heic narret ille ex occasione absolutæ creationis; q. d. secundum & ob hanc veterem Dei quietem ipse dein in deserto Septimo Diei benedixit, eundemque ad cultum suum & quietem sanctificavit in Israële. Sed & visa est dudum meritò ista *Prolepsios* insinuatio carere non tantum omni solido fundamento, sed & ex textu & Decalogo posse refutari valide. Agitur enim heic satis determinate de ipso etiam *Die Septimo* quo Deus *quievit*; quod unum verbum absque Prolepsi & alia duo secundum Prolepsin exponere non est satis commodum. Præcipuè, quando Quies ista est fundamentum & ratio Benedictionis ac Sanctificationis Diei quæ heic allegatur unica; quæ cum obtinuerit ab initio, ejus consequens etiam tum & non demum post multa secula agnosci ex Mose debet. Hoc saltem si voluisset Moses, jam ad verba illa *benedixit* & *sanctificavit* aliquod alterius diversissimi temporis indicium accedere debuisse videtur. Quin ex adverso Legislator, mandans in Quarto Præcepto *Memoriam* antiquioris tum hujus mandati, illic simul tanquam rem præteritam narravit *benedictionem & sanctificationem diei Sabbathi* plane cum ejus quiete pristina conjunctam. Illic enim non spectari ipsam præsentem Legislationem, clarissimum est; & liquet amplius ex nulla alia *benedictionis* & *sanctificationis diei septimi* mentione quam in *Genesios* initio nostro, ad illam ipsam nos heic reduci, non autem vel ad locum *Exod.* xvi. 23. ubi *Sabbathum Sanctum Jehovæ* non tam præcipitur quam ut notum supponitur, rigidiori tantum ejus diei quiete mandatâ, vel ad textum Exod. xv. 25. *ibi*, in Mara, *posuit ei statutum & judicium*, unde Judæi multi Sabbathum tanquam specialem Sponsam suam absque ulla specie repetunt, sicuti etiam fit in *Seder Holam Rabba Cap.* v. *Ibi Israeli data sunt decem præcepta, ex quibus septem erant filiis Noachi imperata &c. Hic vero præceptis septem Noachidarum addiderunt Israelitæ super se tria alia, Sabbathum scilicet, Judicia, & Honorem patris matrisque.* Utique nec in uno nec in alio loco hoc est quidquam quod referat verba Legislatoris æque quam Mosaica prima. Dudum hinc est, quod Viri Docti agnoverunt in Prolepsi minus tuto ac decenter heic hæreri. Ipse *Clar.*

Coc-

Digitized by Google

Coccejus ad Gen. II. 3. *Hunc verſum quidam putant eſſe poſitum per anticipationem, & intelligunt ſeptimum diem in hebdomadali Periodo. Mens igitur Moſis fuerit, Deum deinceps propter eam cauſam ceſſationis in deſerto ſanctificaſſe diem ſeptimum hebdomadæ cujuslibet. Itaque verba Legis Exod.* XX. II. *non commemorarent præteritam ſanctificationem Sabbathi, ſed novam illam qua Deus recenter Diem Septimum à reliquis diebus ſeptimanæ ſeparaverat. Sed plane non ſit veriſimile, Moſen benedictionem & ſanctificationem nullo modo dixiſſe de Sabbato χριστου, ſed tantum de Sabbatho Judaico. Quin Sabbatum Judaicum fuit inter onera Iſraelitarum, & non habuit benedictionem niſi typicam ad futurum Sabbatum. Prorſus autem vis ſit textui, ſi alius intelligatur dies cui Deus benedixerit & quem ſanctificaverit, alius in quo ceſſaverit ab opere ſuo.* Quæ cum ſic ſint ſatis valide diſputata, mirum eſt Virum Cel. *in Summ. Theol. Cap.* XXI. non quidem mutare ſententiam, quando & illic *libenter concedit, ſic Moſen intelligendum eſſe, quod quum Deus ceſſaverit ab opere ſuo tum etiam benedixerit diei ſeptimo & eum ſanctificaverit &c.* ſed tamen Prolepſin illam velle facere non improbabilem, impugnantibus eam ſe opponendo; *Sunt etiam inter Hebræos, qui exiſtimant, hoc dici de benedictione Diei Septimæ in deſerto, quando Manna duplici menſura dedit pridiè ut non haberent neceſſe quærere & parare die ſeptimo, quodque eum diem ſeparavit à ceteris diebus hebdomadæ ad quietem ſanctam, quæ eſſet ſignum inter Deum & Iſraelitas quod Deus eos ſanctificaret. Hæc eſt ſententia R. Sol. & nuperi Catechiſtæ in* לקח טוב. *Moſes Nachmanides ſic accipit ſententiam R. Solomonis Jarchii, quaſi benedictionem referat ad primum tempus, ſanctificationem autem ad tempus quo Iſrael fuit in deſerto. Sed non erat neceſſe ſeparare benedictionem à ſanctificatione tanto intervallo. Alii putant, talem Prolepſin eſſe abſurdam propter diſtantiam temporis; qui non animadvertunt, Moſen in eodem Secundo Capite Geneſios ſimiliter alia ſui temporis conjungere cum hiſtoria primi temporis, quæ tamen lectori facile eſt referre ad ſua tempora, ut quum Paradiſum plantatum fuiſſe dicit ad orientem &c. Neque enim neceſſe eſt, eum qui de rebus extantibus loquitur, & res diſtincti temporis quæ χρονον & reſpectum habent inter ſe narrando aut alius modi ſermone conjungit, ſtatim exprimere cujus temporis quodque ſit, quemadmodum aliqui perſeveranter Prolepſin hanc rejicientes decernunt, ſi modo verba ipſorum recte capio, in quibus nihil aliud invenio quod ei opponant.*

nant. Nam quod omittunt quod de temporis longitudine ab aliis prætexitur ſanè ipſis gratulor. Sed tamen conſiderandum eſt, quam debile fundamentum ſuæ ſubſternant ſententiæ quæ magnas habet conſequentias, quod Prolepſis eſſe non poſſit, ubi Hiſtoricus non utrumque eorum quæ in narratione conjungit diſtincte & expreſſe refert ad ſua tempora, quum tamen in ſerie hiſtoriæ tempora illorum quæ facta ſunt diſtinguat, idque lectori attento non poſſit eſſe obſcurum quum loquatur de re nota. Quemadmodum in Tractatu *de Sabbatho* §. 43. 44. monet, *nihil obſtare quo minus verba Gen.* II. 2. 3. *ad idem factum*, datæ Mannæ in deſerto quod vult ſpectari *Exod.* XX. 11. *reſpiciant &c.* & rogat, *quid igitur facilius quam verba Moſis ſecundum rem geſtam quæ inter Iſraëlitas nota erat ſic intelligere &c. & hoc ſatis eſſe ad prolepſin probandam &c.* Sed & *Iac. Altingius Lib.* I. *de Sabbatho Cap.* I. & 2. validiſſime adverſus Prolepſin ſe opponit, eam in rem laudans quoque antiquiſſimum Septimanarum uſum longe ante Deſerti tempora. Enimvero qui non admittunt heic Prolepſin, multi *Benedictionem & Sanctificationem* Diei Septimi ita exponunt, ut nulla Sabbathi inſtituto heic deprehendatur tamen, nec ad Septimum quemque Diem illa pertineat magis quam ad omnes alios poſt primum ſextiduum. Quemadmodum habet *Cl. Coccejus* ad *Gen.* II. 3. *Quærendum igitur an hic ſit intelligenda ſanctificatio ſeptimi diei in periodo hebdomadali, ita ut ſit juſſio ſeparandi hunc diem hebdomadatim à reliquis diebus. Sed & hoc eſt μέγα αἴτημα, & ex textu non fluit. Quid igitur? Quod certum eſt, & negari non poteſt, & rei ipſi conſentaneum eſt, teneamus. Benedixit diei ceſſationis, h. e. ei diei quo ceſſavit attribuit ſingularem honorem. Iam hoc duobus modis intelligi poteſt. Vel quod is honor ſingularis ſit in ſanctificatione, vel quod præter ſanctificationem. Et hoc veriſimilius, ſaltem plenius. Ex oppoſito declarari poteſt. Maledicere diei eſt diem abominari & averſari tanquam infauſtum & infelicem, ærumnoſum, miſerum Iob.* II. 14. III. 7. *Ier.* XX. 14. *Contrarium igitur eſt benedicere diei, nempe exhilarari in die aliquo tanquam jucundo, fauſto.* Ἀνθρωποπάθεια. *Gaviſus eſt Deus Pſal.* CIV. 31. *Prov.* VIII. 31. *&c. Sanctificatio diei non neceſſario accipitur pro mandato ſeparandi diem ſeptimum à curriculo dierum hebdomadæ, ſed poteſt longe commodius accipi pro operatione Dei in homine &c. Dies autem ſanctificari non poteſt, niſi quatenus is ſumitur & impenditur ſanctificationi Dei in homine. Ex quo rurſum elucet, ſic hominem à Deo factum*

eſſe

esse, ut ex quo factus fuit Deum sanctificaret & Deus se in ipso sanctificaret. Deus autem sanctificat se in homine, quando homini se & virtutes suas manifestat, ut ab eo ametur, is ei gratias agat, eum celebret & glorificet. Et sane quia septimo die nihil aliud egit Deus, sed ei rei vacavit, videtur eum magis sanctificasse. Moses hic nihil addidit de hebdomadali curriculo. Nam homini non fuit interdictum opere, ut polluente, ullo die septimanæ &c. In hac igitur de origine Sabbati quæstione aberrare non possumus, nisi si sanctificationem diei septimæ accipere velimus pro separatione unius diei à reliquis ad vacandum. Qua hypothesi posita, quidam necessario eo delapsi sunt ut dicerent, per Prolepsin hoc à Mose esse dictum. Sed sanctificatio Sabbati sive τ ἁγιάσαι est operatio Dei in homine ad sanctificandum eum & ut ipse sanctificaretur in eo. Neque verò debemus intelligere sic septimum diem sanctificatum, ut Deus octavum & reliquos dies voluerit esse profanos & non sanctos: sed quod in septimo die exordium fecerit omnis temporis sanctificandi. Quemadmodum Christus resurgens sanctificavit primum diem, quæ sequebatur ultimum Sabbathum Iudaicum, sed in ea sanctificavit omnes dies mundi usque ad finem, quibus Ecclesia Christiana Deo & Christo in justitia & libertate servit &c. Et hæc passim alias repetit, etiam in *Summa Theol.* Cap. XXI. *Sed ego libenter concedo, sic Mosen intelligendum esse, quod quum Deus cessavit ab opere suo, tum etiam benedixerit diei septimo & eum sanctificaverit, quia in ipsa re inest & benedictio illius diei & sanctificatio. Benedictio, quia majus quiddam in illum diem collatum est & majus quiddam eo die factum est quam diebus sex præcedentibus, nempe quod eo die cessante Deo demonstratum est opus ipsius absolutum esse, atque ita hominem non esse factum propter nobiliorem creaturam sed propter Deum solum, omnia autem propter hominem facta esse &c. Sanctificatio, quia illo die & reliquo tempore nihil aliud supererat faciendum, quam ut se sanctificaret in homine, hoc est, ut hominem faceret gloriæ suæ illustrandæ medium, idque maxime per sanctificationem ejus sive ductum ejus ad sanctitatem. Nam tempus non potest sanctificari nisi in tempore hominem & cogitationes studia actionesque ejus Deo qui sanctus est vindicando. Quæ sanctificatio non est septimi diei tantum, sed etiam reliqui temporis. Et animadvertunt Docti non tantum Hebræi sed & Christiani, ideo non addi diei septimo, & factus est vesper & factum est mane, dies septimus. Censentque hoc ideo factum, ne id quod Deus tum egit putetur inclusum*

esse illius diei terminis. Constat etiam, illum diem electum à Deo, ut Christus eo esset in sepulchro, & non appareret amplius in terra faciens aut patiens quicquam quod faciendum ipsi erat aut patiendum salutis nostræ causa ut Sponsori, atque ita ab opere suo requiesceret; qua est sanctificatio quædam diei illius in ordine hebdomadis ad opus singulare sanctificationis electorum &c. Paulo post ita subjiciens; *Caterum quod Deus dicitur sanctificasse septimam, id ita intelligimus, ut per se patet.* 1. *Quod demonstraverit re ipsa, quod homo propter Deum conditus sit, quodque propterea Deo soli servire & vivere debeat, atque adeo nulli rei se subjicere, sed potius omnibus rebus quæ in terra sunt imperare & iis uti ad gloriam Dei.* 2. *Quod dederit exemplum αὐταρχείας & requietis in Deo, quod homo imitaretur, neque nimis & immodice terrena & corporalia tractaret & circa illa occuparetur, sed in Deo requiesceret, quemadmodum Deus satis habuit illa condidisse quæ sex diebus condidit, etiamsi amplius condere posset, quievit autem post illa beatitate sua contentus &c.* Confer adhuc *Tract. de Sabb.* §. 39. *&c.* ubi hac quoque ratione utitur; *Quis credat, Adamo mandatam fuisse vacationem, ut haberet occasionem cultus, & ut illa vacatio cultus singularis esset, & ut inde discrimen dierum esset, cui totum tempus sanctum debuit esse? qui rectus erat & recte facturus omnia, si imaginem Dei in se positam sequeretur? Quanto vero simplicius est verba illa, quatenus ea referri per analogiam fidei ad id tempus possunt quo Deus quievit ab opere creationis, sic interpretari; quoniam Deus destitit aliquid novi condere die septimo, eo ipso benedixit ei diei &c.* Enimvero videtur mihi in istis glossis satis dignum admiratione, quo pacto ad incerta & obscura queat hypothesios servitus abducere ab apertissimis. Viderunt utique satis *Prolepsios* Autores, quorum patrocinium plusquam semel sumit Cel. Vir, & Septimo cuique Diei una cum primo illo divinæ quietis inchoatæ heic aliquid speciale tribui, & tam emphaticam illius Benedictionem ac Sanctificationem ad ejus religiose observandi mandatum nos omnino simpliciter ducere. Quam in rem attendere oportet, quid *Benedictio* & *Sanctificatio*, non humana sed *Divina*, non hominis aut rei alicujus alterius sed certi *Diei*, eaque non antecedens aut constituens *Quietem Dei* sed hanc *consequens*, aliud notare possit quam elationem & segregationem ejus à communi hominum usu ad specialem & sanctissimum Dei ipsius quiescentis cultum. Optime inter alios *Chrysostomus Serm.*

Digitized by Google

Serm. x. in Gen. ἵν' ἔχῃ τι περίεργον ἡ ἡμέρα αὕτη ἢ μὴ δοκῇ ἔλαττόν τι ἔχειν δίχα τοῦ μηδὲν ἐν αὐτῇ δεδημιουργῆσθαι, εὐλογίας αὐτὴν ἀξιοῖ &c. ὅτι γὰρ τὸ ἐβδόμης μόνης τοῦτο εἰπὼν προσέθηκε, καὶ ἡγίασεν αὐτὴν, τί ἐστι καὶ ἡγίασεν αὐτήν; ἀφώρισεν αὐτὴν &c. ὅθεν ἐπύθετο ἐκ προοιμίων αἰνιγματωδῶς διδασκαλίαν ἡμῖν ὁ θεὸς παρέχεται, παιδόν τι μίαν ἡμέραν ἐν τῷ κύκλῳ τῶν ἑβδομάδων ἅπασαν ἀναπῆναι καὶ ἀφορίζειν τῇ τῶν πολιτικῶν ἐργασίᾳ &c. Nec potuit ipſe Vir Cel. illam humanæ ſanctificationis diei notionem ab hac voce plane excludere, quando modo loquitur de *ductu hominis* in illo *ad ſanctitatem*, & de homine tanquam *gloriæ divinæ illuſtrandæ medio*, modo etiam de *exemplo dato quod homo imitaretur*, non nimis & immodice terrena & corporalia tractans &c. Sed annon interpretem ſatis infallibilem heic habemus Deum ipſum in Lege ſua *Exod.* xx. 11. quando ad diem Sabbati ſeu Septimum quemque poſt ſex alios laboris quotidiani hanc benedictionem & ſanctificationem manifeſte refert, atque illam ita tanquam conſequens Quietis Dei ab hac diſtinguit, ut ex hoc fundamento urgeat Memoriam religioſam humanæ Sanctificationes & Quietis illius diei apud Iſraëlitas. Ubi ſicut rationis hujus vis eſt ex interpretatione noſtra manifeſtiſſima, ſcil. bene obſerva hunc veterem diem, quia Deus illo olim quieſcens primùm etiam tum jam eundem ad cultum ſuum ſolenniter conſecravit; ita nulla mihi quidem videtur ſupereſſe prorſus, ſi ſeptimus dies in noſtro textu omnes dies poſt ſex primos tanquam ſibi plane æquales complectatur, nec benedictio & ſanctificatio ejus quidquam ſit aliud quam divini operis in creato homine perfectio cum ejus celebratione, & ſanctificatio propria Dei in homine perpetua. Utique non debebat hoc ut mirum obvenire Viro Clar. quod textus noſtri interpretationem petamus ex dein ſecuta Dei ipſius Lege, ubi ad hunc ipſe nos reſpicere adeò manifeſte jubet; quod tamen fit *Summ. Cap.* xxi. *Ita poſtulant à nobis, qui non patiuntur Hiſtoricum res diſtincti temporis conjungere niſi ſi illa temporibus diſtinguat, ut explicationem hujus vocis ſumamus ex illis quæ longe poſt bis mille annos facta, certe dicta ſunt, neque demonſtrant nobis quomodo inde conſequatur, ſeptimum diem hic ſignificare ſeptimum quemvis diem, & cum τῷ ſanctificare intelligendum eſſe præceptum de ceſſatione, neque vident ſe μίαν αἴτημα petere, nempe ut cum verbis Moſis, ſanctificavit eum, ſubintelligamus ejuſmodi verba, quemadmodum poſtea ſeptimum quemque diem ſanctificavit præcepto.* Provocamus etiam

in hoc argumento lubentiſſime ad *Calvinum*, cujus ad hunc textum verba adducta mirum eſt quam inaniter enervare ſtuduerit Cel. Vir; *Ita diem ab eo benedictum exponere licet, quem amore complexus ſit, ut in eo celebraretur operum ſuorum præſtantia & dignitas. Caterum mihi dubium non eſt, quin Moſes ſanctificandi verbo ſtatim exprimere voluerit, quod dixerat; ita omnis ambiguitas tollitur, quia ſecundum verbum exegeticum eſt prioris. Nam* קדש *Hebræis eſt ſegregare ex vulgari numero. Diem ergo ſeptimum Deus ſanctificat, dum eximium reddit, ut ſingulari jure excellat inter alios. Unde etiam apparet, ut ſemper a Deo habita fuerit hominum ratio &c. Quare Benedictio iſta nihil aliud eſt, quam ſolennis conſecratio, qua ſibi Deus ſtudia & occupationes hominum aſſerit die ſeptimo. Eſt quidem legitima hæc totius vitæ meditatio, in qua ſe quotidie exerceant &c. verum ſi forte minus ſedulo quam par eſſet ad eam intenti eſſent homines, ad ſupplendum quod aſſiduæ meditationi deerat ſeptimus quiſque dies peculiariter delectus eſt. Primum ergo quievit Deus, deinde benedixit hanc quietem ut ſeculis omnibus inter homines ſancta foret, vel ſeptimum quemque diem quieti dicavit, ut ſuum exemplum perpetua eſſet regula &c. Præterea ſciendum eſt, non unius tantum vel ætatis vel populi ſed totius humani generis commune eſſe hoc exercitium. Poſtea in Lege novum de Sabbatho præceptum datum eſt, quod Judæis & quidem ad tempus peculiare foret, fuit enim Legalis Ceremonia ſpiritualem quietem adumbrans, cujus in Chriſto apparuit veritas &c. Quod eam Sabbathum figuravit, temporale fuiſſe dico. Quod autem ab initio mandatum fuit hominibus ut ſe exerceant in Dei cultu, meritò ad mundi finem uſque durare oportet.* Nec minus ad *Pet. Martyrem*, cujus etiam verba Viro Cel. lubuit producere; *Sanctificare eſt Divino cultui aliquid deputare, ut hic ſumitur, quia alibi varia ſignificat. Et Deus Sabbathum ſanctificavit facto ipſo, quando is quievit à ſuo opere. Quam ſanctificationem non modo poſtea replicavit in Lege, ſed facto obſervavit, cum ea die non daret populo Man in deſerto &c. Tu hic ordinem conſidera; alia creantur propter hominem, ideo poſt illa conditur homo, homo vero ad Dei cultum, ideo ſtatim poſt illius creationem Sabbathi benedictio & ſanctificatio inducitur. Hinc homines admonentur, ut ſi illis præcipitur ab Eccleſia ut aliquo die in hebdomada cultui divino vacent, hoc non eſſe prorſus humanum commentum, nec tantum pertinere ad Legem Moſaicam, ſed initium quoque habuiſſe hinc, & facere*

cere ad imitationem Dei &c. Utique adverſus iſtud mandatum Sanctificationis Septimi Diei ſpecialis, Adamo datum juxta hanc Moſis narrationem, nihil ego ſolidi video opponi, ob quod hæc in alium ſenſum trahi debeat. Nam cui integrum fuit Adamo etiam ante lapſum cuſtodiam & cultum horti adeoque corporale aliquod opus mandare, an non iſte potuit abſtinentiam ab hoc opere ei uno aliquo die præcipere abſque impuritate operis illius ſic notata ulla; dum etiam poſthac in gloria omnis ſemper ceſſabit labor mundanus. Nec capiat facile quiſquam, quo pacto Adam non adeo ſolus adhuc cum Eva quam quidem cum multiplicata poſteritate ſua potuiſſet ſimul ſolennius Deum colere, niſi pro iſthoc tempore ab alio quotidiano opere abſtineret. Diei autem ſegregationem, & quidem ſeptimi poſt ſex alios, ad hanc ſanctiſſimam vacationem, potuit indubie facere pro ſuo lubitu & ad ſuum exemplum abſolutiſſimus hominis & temporis omnis Dominus. Et ſi cauſeris, in deſerto Iſraeli eſſe datum Sabbathum; id quidem minime negatur, ſive novam mandati acceſſionem & rationem, ſive veteris renovationem ſpecialem ſpectes, ſed idem hoc poſteriori reſpectu de tota Lege Morali verum eſt, quam non eſſe latam antea ex ejus datione Sinaitica nemo prudens colligat. Si amplius putes, memoriam Septimi diei ſervatam nec apud Moſen nec apud Gentiles deprehendi; ſufficere nobis debere putamus ipſam Dei inſtitutionem, quæ in plurimis aliis moralibus tam clare non legitur; & credimus amplius, Septimi Diei ſervati plura forte longe quam aliorum variorum mandatorum apud Moſen eſſe indicia, tum in Septidui obſervato curriculo tempore Diluvii *Gen.* VIII. 10. 11. tum in Cajini & Abelis oblatione in fine dierum *Gen.* IV. 3. de qua egimus latius *EXERC. TEXT. I. Part. II.* tum in publica Dei invocatione tempore Sethi & Enoſchi *Gen.* IV. 26. tum denique in mentione Sabbathi tanquam dudum noti tam apud dationem Mannæ *Exod.* XVI. 23. quam in Quarto Præcepto Legis Decalogicæ, ad quæ omnia Pauli diſcurſus ex *Hebr.* IV. 3. 4. 10. de ingreſſu Patrum in Dei Quietem per communicationem de ea inde ab origine mundi adjici poteſt; & judicamus tandem, vetuſtiſſimorum Gentilium ante Moſaica tempora ita nos latere hiſtoriam, ut excæcatorum & induratorum poſterorum ſeu ignorantia ſeu malitia inducta, quæ & in aliis præceptis moralibus obſervari facile poteſt, nihil adverſus veritatem primæ inſtitutionis Divinæ præſcribat. Quamquam certiſſimè apud Gentiles obtinu-

crint

Digitized by Google

erint non modo Festi Dies varii, quibus ab operibus præter Dei cultum aliis vacandum erat, sed & nomina Dierum cum Septiduo recurrentia juxta Septimanarum ipsarum usum, quin etiam observata dudum sit apud multos Septimi alicujus Diei præ aliis sanctitas. De qua describam modo quæ mihi jam occurunt apud *Clementem Alex. Strom. Lib.* v. postquam *Platonem* adduxerat καταμανθάνοντα τὴν τε κυριακὴν ἡμέραν. Post hujus enim rei diductionem subjicit; Ἀλλὰ καὶ ἡ ἑβδόμη ἱερὸν ἡ μόνον οἱ Ἕλληνες ἴσασι, καθ' ἣν ὁ πᾶς κόσμος κυκλεῖται τὰ ζωογονημένων καὶ φυομένων ἁπάντων. Ἡσίοδος μὲν ἔτως περὶ αὐτῆς λέγει,

Πρῶτον ἔιη τέτρατός τε καὶ ἕβδομον ἱερὸν ἦμαρ.

Καὶ πάλιν,

Ἑβδομάτη δ' αὖθις λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Ὅμηρος δὲ,

Ἑβδομάτη δ' ἦλθε κατήλυθεν ἱερὸν ἦμαρ.

Καὶ,

Ἑβδόμη ἦν ἱερή.

Καὶ πάλιν,

Ἕβδομον ἦμαρ ἦεν, καὶ τῷ τετέλεστο ἅπαντα.

Καὶ αὖθις,

Ἑβδομάτη δ' ἠοῖ λίπομεν ῥόον ἐξ ἀχέροντος.

Ναὶ μὰ καὶ Καλλίμαχος ὁ ποιητὴς γεγράφηκε,

Ἑβδομάτη δ' ἠοῖ καὶ οἱ τετύχηκε ἅπαντα.

Καὶ πάλιν,

Ἑβδόμη εἰν ἀγαθοῖσι καὶ ἑβδόμη ἐστὶ χαρίεσσα.

Καὶ,

Ἑβδόμη ἐν πρώτοισι καὶ ἑβδόμη ἐστὶ πλείη.

Καὶ,

Ἑπτὰ δ' ἅπαντα τέτυκτο ἐν οὐρανῷ ἀστερόεντι
Ἐν κυκλοῖσι φαείνετ' ὀπιτελλομένοις ἐνιαυτοῖς.

Ἀλλὰ καὶ οἱ Σόλωνος ἐλεγεῖαι σφόδρα τὴν ἑβδομάδα ἐκθειάζουσιν &c. Quæ tam ex profanis quam ex sacris si ritè consideramus à nobis adducta, apparet, aut errasse Patres qui Sabbathum antiquis ante Mosen hominibus plane denegarunt, aut ad ejus observantiam Judaicam illos spectasse in hac voce æque quam sacros Novi Testamenti scriptores. Quemadmodum *Justinus Martyr in Tryph.* dixit Καὶ γὰρ μὴ σαββατίσαντες οἱ προγεγονότες πάντες δίκαιοι τῷ θεῷ ἐυηρέστησαν, καὶ μετ' αὐτὸὺς Ἄβελὰμ, καὶ οἱ τότε υἱοὶ ἅπαντες μέχρι

Μωϋ-

Μωυσέως &c. Καὶ ὅτι δὲ τὰς ἀδικίας ὑμῶν καὶ τῶν πατέρων ὑμῶν εἰς σημεῖον ὡς προέφλω ἡ τὸ σάββατον ἐντέταλται ὁ θεὸς φυλάσσειν ὑμᾶς, καὶ τὰ ἄλλα προστάγματα προσπτάχθαι &c. Ὡς ἓν ὄντι Ἀβραὰμ ἤρξατο περιτομὴ, καὶ ὄντι Μωσέως σάββατον καὶ θυσίαι καὶ προσφοραὶ καὶ ἑορταὶ, ἡ ἀπεδείχθη δὲ τὸ σπληροκάρδιον ἐξ λαοῦ ὑμῶν ταῦτα λελατρεύχθαι &c. Nec minus late *Tertullianus C. Jud. Cap.* II. & III. *Denique qui contendit & Sabbathum adhuc obſervandum quaſi ſalutis medelam &c. doceat in prateritum juſtos ſabbatizaſſe &c. Igitur cum neque circumciſum neque ſabbatizantem Deus Adam inſtituerit, conſequenter quoque ſobolem ejus Abel offerentem ſibi ſacrificia incircumciſum nec ſabbatizantem laudavit &c. Noe quoque incircumciſum Deus ſed & non ſabbatizantem de Diluvio liberavit, nam & Enoch juſtiſſimum non circumciſum nec ſabbatizantem de hoc mundo tranſtulit &c. Melchiſedeck quoque ſummi Dei ſacerdos circumciſus & non ſabbatizans ad Sacerdotium Dei allectus eſt &c. Sed Abraham, inquit, circumciſus eſt. Sed ante Deo placuit quam circumcideretur, nec tamen ſabbatizavit &c.* Dum alii ex Veteribus aperte aliquod Sabbathum Adamicum agnoverunt cum *Epiphanio Hareſi* LI. ubi exponens illud ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ *ex Luc.* VI. I. dixit; ἵνα δείξῃ σάββατον πρῶτον εἶναι τὸ ἀπ' ἀρχῆς ὁρισθὲν καὶ ῥηθὲν ὑπὸ κυρίου ἐν τῇ κοσμοποιΐᾳ, ἡ πρώτην ἀπὸ τότε ἄχρι ἓξ δεῦρο ἡ ἑπτὰ ἡμέρας ἀναχυκλούμενον, τοῦτο εἶναι πρῶτον, δεύτερον ἢ σάββατον τὸ ἀπὸ νόμου ὁρισθὲν &c. Nec ipſi Judæi defuerunt ab ævo, qui *Sabbathi* non quidem obſervationem ſed *recordationem* extenderunt ad *omnes gentes*, atque obſervationem ejus ſimul tribuerunt ex locis parum huc revera ſpectantibus Iſraëli in Ægypto, Joſepho, Jacobo, Abrahamo, uti videas apud *Menaſſen Ben Iſrael Problem.* VIII. *de Creat.* Imo in *Pirke R. Eliezer* licet dicatur *Cap.* XVIII. nonniſi Iſraelitas teneri obſervare & ſanctificare diem Sabbathi, legimus tamen *Cap.* XX. ex traditione *R. Jehuda, Sanctum Ben. obſervaſſe Sabbathum primum & Adamum primo obſervaſſe illud in inferioribus &c.* Sicuti illic *Cap.* XIX. introducitur *dies Sabbati* tanquam *Advocatus primi hominis* apud Deum, *propter cujus meritum liberatus ſit Adam à ſententia gehennæ*, qui hinc ipſe cognoverit efficaciam diei Sabbati, ejuſque benedictionem & ſanctificationem approbaverit, quin & cecinerit *Pſalmum* XCII. dictum *Pſalmum Cantici in diem Sabbati*, & qui ex traditione *R. Iſmaelis* fuerit *primi hominis*, ſed oblivioni traditus ab omnibus ætatibus

tibus donec venit Moſes atque illum renovavit vel in memoriam revocavit &c. de qua re vide illic quoque *Guil. Henr. Vorſtii Animadverſiones.* Ut taceam modò de iis quæ *Clementinis* illis plane convenientia ex *Ariſtobulo* apud *Euſebium Prep. Evang. Lib.* XIII. *Cap.* 12. & ex aliis Gentilibus & Chriſtianis non tantum multis ſed & ex *Philone* & *Joſepho* ipſo adducuntur à *Joh. Saldeno de J. Nat. & Gent. Lib.* III. *Cap.* 13. Quando prior habet *Lib. de Opif. Mundi ;* ἑορτὴ γὰρ ἡ μιᾶς πόλεως ἢ χώρας ἐστὶν ἰδία ἑκάστης, ἡ κυρίως ἄξιον καὶ μόνως πάνδημον ὀνομάζειν καὶ ἑκάστου χρήσιμον. Et *Lib.* II. *de Vita Moſ.* τὴν γὰρ ἑβδόμην ἱερὰν ἐπέστειλεν ἑβδόμην οὐκ ἐκτετίμηκεν ἄνεσιν πόνων καὶ ῥᾳστώνην αὐτῷ τε καὶ τοῖς πλησιάζουσιν οὐκ ἀλλοτρίοις μόνον ἀλλὰ καὶ δούλοις μᾶλλον καὶ ὑποζυγίοις δοὺς ; Atque poſterior ſcripſit *Lib.* II. *c. Apion.* ἡ δ' ἔστιν ἡ πόλις ἡμῶν ἀδήλου, οὐδὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἔθνος, ἵνα μὴ τὸ τῆ ἑβδομάδι ἡμῶν ἀργοῦμεν ἔθος ἡ ἀπεφοίτησεν. Quæ tamen cuncta late diſputat aliquot Capitibus Vir ille Doctiſſimus ad communem Sabbathi Hebdomadalis Conſecrationem neutiquam ſpectare ; ex *Chriſtophoro Helvico* ſimul hoc Judæorum ſomnium narrans, *omnes Gentiles, qui Sabbathum non ſervarunt, horribiles cruciatus perpeti in inferno, & nolentes volentes cogi ad Sabbathum etiam apud inferos ſervandum &c.* quod quidem illi *tum fabellis tum myſteriis Cabaliſticis ex Tertio Præcepto erutis mirabili modo probent.* Atque ſic licet in Præcepti Quarti ſeu Sabbathi relatione ad Adamum fuerimus ſatis prolixi, hoc tamen adhuc addendum videtur, quod licet illa Diei & Septimi & Unius ex Septem Sanctificatio ſpecialis, etiam per rigidiſſimam illam Quietem, ex voluntatis Dei ſapientiſſimæ arbitrio magis quam ex ejus ſanctiſſima natura fluxerit, non tamen eodem prorſus loco queat haberi, vel Publicus omnis & Communis Dei Cultus, vel hujus Tempus aliquod Certum & ſtatum nec nimio interſtitio diviſum, vel denique etiam Ceſſatio ad hunc à quotidiano opere ; quæ cuncta, in Præcepto Sabbathi comprehenſa, ſic exigit Dei Gloria & Sapientia ſumma, ut ipſa hominis Ratio eadem ſuaſerit cæcis gentilium hominum pectoribus. In quam rem laudari merentur verba ipſius *Cl. Cocceji Summ. Cap.* XXI. §. 10. *Quidam volunt, hoc Præceptum eſſe Morale Poſitivum Perpetuum. Qui, ni fallor, loquerentur tolerabilius & magis perſpicue, ſi dicerent, eſſe hoc præceptum de re quam oportet facere ad gloriam Dei, ſed habere aliquid additum quod eſt libera diſpoſitionis Dominica.*

Nam

Nam hominem & ſape & quantum fieri poteſt vacare cultui Dei, (hoc eſt, rebus ad corpus ejuſque commoditatem pertinentibus omiſſis, in eo tantum eſſe quod eſt animi in Deo deliciantis & eum glorificantis & ejus laudem celebrantis,) juſtum eſt per ſe & ad integritatem Imaginis Dei pertinet; ut & eum id facere in cœtu ad communem vel lætitiam vel ædificationem. Sed ad hoc dari ſeptimum quemvis diem in periodo, & eo die vetari opus, etiam extra tempus cœtus celebrandi, poſitivum eſt & à voluntate Dominica pendet. Quæ nos lubentiſſime quidem probamus & ſequimur.

Idem de Præcepto Quinto, Sexto, Septimo, Octavo, & Nono, oſtenditur.

VIII. Ad Quintum ſeu Tabulæ Secundæ Primum Præceptum accedentes, quod eſt de *Parentum* & ſuperiorum omnium *Honore*, id quidem tale deprehendimus, ut ſecundum literam ejus argumentum in Adamo locum non repererit, utpote qui immediate à Deo creatus ex terra nullis humanis parentibus fuit genitus nec majoribus ullis ſubjectus. Attamen cum parentum honor & liberorum ſeu ſubjectorum decens tractatio ſint mutua officia, & acceperit Adam à Deo ipſo vi primæ creationis ſolitariæ poteſtatem tam in Evam ex ipſius coſta formatam quam in Liberos ex hac gignendos, quis dubitet quin Adamo fuerit ipſi conſtitutum bene & ad Dei gloriam decenter ſuis præeſſe, & perinde aliis omnibus illi quaſi Dei in terris vicario ſubeſſe cum omni reverentia, ac dein aliis quoque qui per generationem aut alias rationes poteſtatem ſuperiorem nanciſcerentur? Utique ſive hæc officia ex Divinæ Excellentiæ & Monarchiæ imitatione neceſſaria, ſive ex libera ipſius conſtitutione deduxeris, oſtenderunt paſſim gentes per naturalem rationem eorum decentiam ſibi ſatis eſſe perſpectam; quando & *Valerius Maximus* hanc *primam Naturæ Legem* vocavit *Lib.* v. *Cap.* 4. & *Plutarchus de Philadelphia* ſcripſit, ἀλλ' οὐχὶ πάντες ἄλλοι, εἰ μὴ φρονοῦσιν ὕτως, λέγουσι γῦν καὶ ἄδουσιν, ὡς γονεῦσι τιμὴν μετὰ θεὸς πρώτην καὶ μεγίστην ἥτε φύσις ὅτε ἡ φύσιν σώζων νόμος ἀπέδωκε *&c.* ut de ſubjectione neceſſaria ſub aliis qui civitati præſunt nihil nunc addam. Sextum Præceptum, quo *Homicidium* interdicitur, omnino mox in Adamo locum reperit, tum ſui ipſius, tum uxoris, tum & liberorum generandorum reſpectu; ita ut à Deo datam cum ſui Imagine Vitam non licuerit ei ante lapſum magis cuiquam horum eripere quam poſt lapſum, *coll. Gen.* IX. 8. Quod amplius probatur; tum ex comminatione mortis ad transgreſſionem ſecuturæ, quam hinc avertere per naturalem ſui ipſius

amorem tenebatur; tum ex datione victus ad vitam conservandam necessarii, quem ex Dei voluntate habuit sumendum; tum ex ipso mandato multiplicandi genus humanum ex & cum muliere ad Adamum adducta ut hanc arctissime amplecteretur, *Gen.* 1. 28. 11. 23. 24. *&c.* Et sive hoc quoque necessarium judicetur ex Dei vitam nostram servantis exemplo ac glorificatione necessaria super terra, sive arbitrio Dei sapientissimo deputetur, non ignorarunt Gentiles Cædis Humanæ, seu propriæ seu alienæ, indecentiam, adversus quam & leges dederunt & pœnas statuerunt gravissimas. Septimum Præceptum, quod est contra *Adulterium* seu alieni thori violationem & similia monogamiæ adversa scelera, satis clare deprehenditur in Dei facto, unam uxorem uni viro formantis ac jungentis, & in addita seu ab Adamo seu à Deo seu à Mose prima illa Conjugii lege *Gen.* 11. 24. *idcirco relinquet vir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt in carnem unam*, de qua etiam nos egimus *Lib.* 11. *Cap.* 2. Et hinc est, quod, licet libidini & inveteratæ consuetudini plus heic quam Divinæ à majoribus traditæ ordinationi & naturali rationi tribuerint multi Gentiles, alii horum tamen gravissimis pœnis Adulteria coërcuerint non minus quam Judæi, adeo ut ipsius *Solonis* lex fuerit ἐάν τις μοιχὸν λάβῃ ὅτι ἂν βέληται χρῆσθαι, & XII. *Tabb.* siverint *mœchum in adulterio deprehensum impune necare.* Præceptum Octavum, quod *Furto* omni opponitur, minus quidem ad literam convenit Adamo communi creaturarum omnium infra Deum Domino; attamen & ad illud suo modo spectat, quod à fructu unius arboris ipsi non datæ à Deo tanquam minimè suo debuerit abstinere, quodque hortum Hedenis habuerit colendum & custodiendum præ aliis terris in usum suum destinatum. Neque dubium porrò, quin post multiplicatum ex ipso genus humanum, seu communia huic universo bona dedecuerit sibi singulis cum aliorum detrimento rapere, seu divisas sapienter possessiones suas aliis subtrahere; quo utroque modo ordinatio Dei optima cum diffidentia & invidentia palpabili fuisset violata. Unde & Gentilium leges ac pœnæ adversus Furtum constant, adjiciente *Cicerone de Offic. Lib.* 111. *hoc multò magis exigere ipsam naturæ rationem, quæ est Lex Divina & humana; cui parere qui velit, nunquam committet ut alienum appetat, & id quod alicui detraxerit sibi assumat &c.* Nonum etiam Præceptum, vetans ψευδομαρτυρίαν, fundamentum perpetuum habet in Divina tum Judi-

cii

cii tum Linguæ noſtræ ordinatione, atque in ipſa Dei Veracitate, quam homini convenit imitari præ Satanæ à Deo deficientis mendacio, quem eo nomine ſic deſcripſit Servator noſter *Joh.* VIII. 44. ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἕστηκεν ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, uti & hunc textum alias illuſtravimus *EXERC. TEXT. XXXV. Part. I.* Et quemadmodum *improbi hominis* hanc *Cicero* conſtituit notam *mendacio fallere*; ita juramento firmatum mendacium cum judicii ſceleratiſſima corruptione ſeveriſſime ab ævo punitum fuiſſe conſtat.

IX. Supereſt tandem Decimum Præceptum quod *Concupiſcientiæ* internæ opponitur, ita ut oſtendat abſtinentiam ab externis factis probroſis non ſatisfacere Deo, qui pro ſua omniſcientia & ſpirituali ſanctitate cor hominis potiſſimum reſpicit tanquam externorum operum fontem. Neque dubitet quiſquam, quin æque ſemper ſapiens & ſanctus Dominus non minus ante quam poſt humanum lapſum Animam & Corporis interiora cum ea voluerit ſibi conſecrata per decentem à vitiis puritatem, quam corpus cum externis factis quod eſt longe ignobilius quodque ſolum ipſi nunc diſplicet vehementer. Sicuti hinc Gentiles prolixe ſemper commendarunt *mentis puritatem*, animumque liberum, à contemptu, ab ira odio & vindicta, à libidine impura, & maxime à turpi avaritia qua aliena appetamus bona ulla; uti hoc parœmialiter etiam expreſſit *Menander* apud *Clementem Alex. Strom. Lib.* V. Et tandem de Decimo.

- - - - Μηδὲ βελόνης, ὦ φίλτατε,
Ἐπιθυμήσῃς ποτ' ἀλλοτρίας &c.

Ex quo hic paulo ante etiam adduxerat eadem fere ſed contractius, quæ *Juſtinus Martyr de Monarch.* habet latius tribuitque *Philemoni*;

Δεῖ γὰρ τ' ἄνδρα χρήσιμον καθεζόμενον
Μὴ παρθένους φθείροντα, γυναῖκα μοιχεύοντα,
Κλέπτοντα, καὶ σφάζοντα χρημάτων χάριν,
Τἀλλότρια βλέποντα καὶ πιθυμοῦντα,
Ἢ τοι γυναικὸς πολυτελοῦς, ἢ δώματος,
Ἢ κλίνεως, παιδός τε, παιδίσκης, θ' ἁπλῶς,
Ἵππων, βοῶν τὸ σύνολον, ἢ κτηνῶν, τί δή;
Μηδὲ βελόνης ἐκαμμ' ἐπιθυμῇς πάμφιλε,
Ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών &c.

Quæ convenientissima esse, tum Scripturæ communiter, tum verbis Decimi Præcepti speciatim, nemo non legens observabit.

Eadem Lex ad servandam Naturæ Integritatem Primævam Adamum obligavit.

X. Atque ista quidem omnia quando Morali Lege Adamo observanda constituit Deus, omninò etiam voluit, concessam in creatione *Integritatem Naturæ* ab eo decenter servari, nec ullo modo pollui aut mutilari; absque qua scilicet officia reliqua præscripta minimè amplius possent servari, & per quam servatam illa simul servarentur. Quod tenemus contra hypothèses omnes *Pelagianas*, quæ Legem solarum Actionum non autem Habituum & perfectionum naturalium vellent esse Normam, atque ex eo fonte naturæ corruptionem peccaminosam post lapsum quoque tollunt; quasi Actiones ab habitibus heic essent separandæ prorsus, quæ verius sunt conjungendæ tanquam se mutuo producentes, sicuti Dei & in Actionibus & in Perfectionibus Essentialibus unde illæ fluunt decet per ipsius jussum esse imitatores quotquot ipsius imaginem ritè expriment. Quod dudum meritò notavit Ven. Avus *Cloppenburgius de Fœd. Disp. I. §. 23. Conditiones Fœderis Adamo præscriptæ, quæ suam demonstrationem habent ex natura Fœderis jam suppositæ, sunt istæ. 1. Conservatio in natura omnibusque naturæ facultatibus, conformitatis illius omnimodæ cum Lege Dei quam Deus legem ipsi inseverat per Creationem ad suam imaginem. 2. Constans & perpetua ejusdem expressio in actionibus omnibus & operibus &c.* Quin & latius ursit, tracto huc etiam nomine Legis Naturæ, *Exerc. Theol. Loc. VI. Disp. 2. Dicitur autem Naturæ Lex gemina etiologia, quarum illa maxime popularis est, quod ipsa Natura magistra cognita esse queat, etiam illis qui Legem scriptam non habent, juxta illud Apostoli Rom. II. 14. &c. Verum prior & potior est altera hæc ratio nominis, eaque propria hujus loci, in quo scrutamur rem integram, quod per illam Natura omnium actionum nostrarum principium habuerit ab initio definitam normam & canonem seu principium doctrinale divinum sue integritatis & rectitudinis, servandæ cum cura & fovendæ, ac rectis actionibus exprimendæ.* Additque præterea elencticè; *Non impetrant itaque assensum, qui pronunciant subtilius quam verius, Legem personam tantum obligare ad Activam Justitiam, non vero Naturam ipsam ad intrinsecam rectitudinem & Justitiam Naturæ, ac consequenter Justitiam Originalem probari quidem Lege non juberi, ex adverso etiam Injustitiam Originalem Naturæ Lege damnari at non vetari. Lex*, hoc opponit, *nihil probat quod non jussit, nihil damnat quod non*

non vetuit ipſa. Ad Iuſſionem autem divinam non eſt flagitandus preciſe modus loquendi imperativus, ſufficit תורה *doctrina, à qua Legi nomen inditum, recti & pravi index, ubi loquitur Spiritus ipſe Legiſlator &c.*

XI. Reſtat ut verbum adjiciamus de *Modo*, quo Moralis & ſanctiſſima hæc Lex Homini integro lata eſt à Deo. Quem quidem nos in præcipuis ejus partibus definimus *Inſcriptione Naturali* in ipſius animo, per quam pro innata ſua per Dei Imaginem ſapientia & ſanctitate noverat eam Deo gratam & hoc ipſo ſibi ſequendam eſſe decenter & ſimul neceſſario, quemadmodam & in eam omni amore ferebatur quam diu eſſet ipſe integer. Uti vero phraſis illa noſtra convenit cum *Jer.* XVII. 1. ubi *peccatum Jude* dicitur *ſcriptum ſtylo ferri, ſcalpro adamantis inſculptum* על לוח לבם *ſuper tabula cordis eorum*, & cum *Prov.* III. 3. VII. 3. ubi jubemur tum *benignitatem & fidem*, tum *precepta* Dei & *Legem ſcribere ſuper tabula cordis* noſtri, & cum promiſſione Fœderis Gratiæ *Jer.* XXXI. 33. *dabo Legem meam in intimo eorum & ſuper corde eorum ſcribam eam &c.* ita res ipſa certa eſt ex genuina expoſitione Divinæ Imaginis & Rectitudinis primævæ quam antea dedimus; & tam res quam phraſis probatur ex *Rom.* II. 14. 15. ubi de reliquiis Divinæ Legis in hominibus lapſis agitur, *ὅτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν &c.* Unde ſic meritò argumentatur *Cl. Coccejus Sum. Theol. Cap.* XXII. *Si ingentibus eſt Lex inſerta cordibus &c. multo magis in primo homine fuit. Quod enim per peccati conſuetudinem, per odium Dei, per ratiocinationes pravas, per concupiſcentias, in homine malo diminutum eſt aut obſcuratum, aut minus viget, id in homine integro atque recto ſine dubio fuit integrum & ſatis validum.* Sicuti illic poſt longiorem de Conſcientia diſcurſum rem hanc omnem concludit; *Quod igitur homini primum in rectitudine condito dictavit conſcientia & cor ſuum de amore Dei & proximi, deque uſu & abuſu creaturarum Dei, id fuit ea Lex cum qua homo natus eſt.* Uti etiam adverſus *Hug. Grotium* ſubtilius diſputat *Ven. Cloppenburgius*; *Jus Naturale* non debere dici *dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui, ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali, ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem &c. In Convenientia illa*, inquit, *aut diſconvenientia, qua honeſtus actus eſt regulatum, regulans non eſt ipſa natura rationalis à qua eſt rationis dictatum, eſto etiam*

Modus Legis hujus Adamo latæ per Naturalem in Anima Inſcriptionem.

etiam quod poſtulatur ratio recta, verum regulans eſt ſapientia divina patefacta, ut ex Deo, illuminans naturam rationalem & illam informans & docens quid ſit honeſtum & juſtum. Conſequenter ſicut ratio formalis, per quam enunciatio vera eſt aut falſa, non eſt convenientia aut diſconvenientia cum intellectu ſeu conceptu loquentis, ſed cum re enunciata; Sic ratio formalis, per quam actus eſt formaliter bonus aut malus, non eſt convenientia cum ipſa natura quæ dictat actum eſſe bonum aut malum, ſed cum idea boni divinitus præſcripta. Confunditur ergo perperam ipſum Jus Divinum ſeu Lex ipſa Naturæ cum ſcientia humana agnoſcente & approbante Jus Dei & Legem Dei bonam, quæ diſtinguenda docet illud Johannis 1. *Ioh.* 111. 19. *&c.* Id heic utique pro certo eſt habendum, quod inditum mentis Adamicæ dictamen, de eo quod faciendum & fugiendum habebat ut Creatori ſuo decenter placeret, neutiquam reſpuat vel nomen vel veram notionem Legis, ſive propter originem ejus ipſi humanæ Naturæ coævam, ſive propter internam ſuam inſinuationem. Neque enim ad Legem hoc requiritur, ut ei ſubjectus primum ſit Ex-Lex, cum ſub multis humanis legibus etiam nos naſcamur, nec Creatura Dei reſpectu vel ad momentum unum ſine Lege eſſe queat. Et ſicuti non minus Divinus fuit afflatus ac inſtinctus Vatum, quo intus in animo quam quo extus per ſenſus corporeos afficiebantur, dum Deo integrum fuit hoc aut illo modo & parte ſui homines afficere; ita non minus Divina & valida eſt voluntatis ejus ſignificatio per internum naturale mentis lumen quod minus etiam ignorari poteſt quam per externum aliquod ſuperveniens imperium.

Sed & in aliquibus per externa Dei facta & dicta.

XII. Ex antea dictis diſcimus tamen, quod alias quasdam ſuæ Legis Moralis partes etiam factis dictiſque ſuis expreſſerit Deus apud Adamum ſatis clare. Ita nempe, quæ ex naturæ lumine non poterat diſci, Quies Septimi Diei ſancta præſcripta fuit Exemplo & Verbo Dominico, uti antea vidimus. Ita Amorem in ſe & ſuos decentem, quem natura ſatis valide ſuadebat, amplius urſit Deus; tum dato ad ſumendum victu ex animantibus æque ſubjectis quam ex proventibus terræ aliis; tum uxoris formatione ex Adamo & adductione ad Adamum arctiſſima; tum mandato expreſſo, & multiplicandi generis ſui, & colendi, cuſtodiendique horti amœni & abundantiſſimi. Nec illubenter videmus, quo pacto Viri Docti ex conceſſo non tantum homini ſed & ſimul mandato ei Dominio in ter-

terram & in animantia omnia ſubtiliter colligant omne genus officiorum moralium, adverſus Deum Se & Proximum, præeunte inter alios *Cl. Coccejo Sum. Theol. Cap.* xx. *Omnino ad ſapientiam & rectitudinem hominis pertinet, aliquid habere ſupra ſe, nempe Deum à quo factus eſt, alia juxta ſe, nempe & alios homines & ſpiritus non in corpore habitantes, cætera infra ſe, propter quæ ipſe non factus eſt, ſed quæ propter ipſum facta ſunt, ſive ut per illa adjuvaretur, ſive ut ea videns & ſcrutans admiraretur divinam potentiam & bonitatem. Subjectio igitur omnium illorum in eo conſiſtit, ut quæ homo in poteſtatem redigere poteſt, illa ſi iis opus habeat & nondum ſint facta alterius licite redigat in poteſtatem ſuam, non ut illis fruatur & in illis acquieſcat aut fiduciam collocet vel ad vitam vel ullum effectum &c. ſed ut ordinem quem Deus inſtituit, qui ſuppeditatione talium rerum vult hominem ſuſtentari & adjuvare, obſervet, & Deum qui ea fecit & dedit omnibus rebus meliorem & ſolum vitæ auctorem ſolumque ſuum bonum habeat, & per ea charitatem erga proximum exerceat &c.* Scilicet qui ab altero Dominus conſtituitur, hunc utique ſuperiorem Dominum ſemper agnoſcere, & omnia ad ipſius gloriam componere decet, qui dominari creaturis aliis jubetur, is ab harum ſervitute ſubeunda uno vel alio modo prorſus caveat; & cui dominium datur cum omnibus ſuis, is ſibi ſolus omnia cum alterius damno rapere neutiquam debet, ſed in commune bonum linquere vel conferre quæ ipſe ſic à Deo accepit.

CAPUT NONUM.

Quo Fœderis Divini cum Adamo Lex Symbolica tractatur.

Quamquam certiſſime Adamo lata ſit iſta Moralis & Principalis Lex, quæ jam eſt à nobis aſſerta & expoſita, longe tamen clarius Moſes nobis deſcripſit alteram Dei Legem Acceſſoriam & Symbolicam; uti & hoc neceſſarium erat, tum quod ea ex natura indagari vel ex imagine Dei deduci non poſſet, tum quod externus trangreſſionis illius actus nobis alias ſatis conſtare non potuiſſet. Semel enim Moſes ipſum *Jehovam Deum* introducit *præ-*

Ad Legem Principalem addita eſt altera Symbolica, quam ſervare debuit Adam.

cipientem Adamo, dicendo, de omni arbore horti edendo edes, & de Arbore Scientia boni & mali non edes de ea, &c. Gen. II. 15. 16. Atque altera vice Mulieris hanc ad Serpentem narrationem exhibet *Gen.* III. 2. 3. *de fructu arboris horti edemus, & de fructu Arboris quæ in medio horti dixit Deus, non edetis de ea, & non tangetis eam &c.* Quin & tertio hæc legitur Dei ad Adamum lapsum interrogatio *Gen.* III. 11, *an de Arbore, de qua præcepi tibi ne ederes, edisti?* Et quarto in sententia adversus Adamum hæc continentur *Gen.* III. 17. *quia obedisti voci uxoris tuæ, & edisti de Arbore, de qua præcepi tibi dicendo, ne edas de ea, &c.* Unde toties inculcatum Dei Præceptum etiam tractatione nostra dignissimum merito judicamus.

Esus de omni Arbore Horti quo sensu Adamo tributus sit.

II. Non est sane cur diu heic hæreamus in Divini Mandati verbis quæ præmittuntur positivis illis, *de omni arbore horti edendo edes*, seu ἀπὸ παντὸς ξύλου ϛ ἐν τῷ παραδείσῳ βρώσει φαγῇ, *ex omni ligno Paradisi comede*, uti habent LXX. & *Vulgatus*; & pro quibus Mulier recte in plurali numero dixit, *de fructu arboris horti edemus*, seu ἀπὸ καρπῦ ϛ ξύλου ϛ παραδείσου φαγόμεθα, *de fructu lignorum quæ sunt in Paradiso vescimur*, apud eosdem Interpretes. Manifestum enim est, *esum de omni arbore horti*, de cujus præstantia egimus *Lib.* I. *Cap.* XVI. spectare ad ejus fructum esui humano idoneum; nec adeò sequi hinc, quod omnis plane Arbor Horti illius amœni fructus tales tulerit. Unde recte *Bedam* heic redarguit *Ben. Pererius*, qui seu in tota terra ante lapsum seu in Paradiso solo nullam Arborem sterilem admisit, ob hoc præcipue Dei dictum; *Etenim*, inquit, *quam multæ sunt species pulcherrimarum arborum, quæ vel nullum ferunt fructum vel certe ad victum hominis minimè accommodatum? quas profecto credibile non est aut defuisse in exordio mundi, aut ex frugiferis & homini ad cibum utilibus propter peccatum hominis in contrariam naturam esse mutatas. Peccatum enim ne in ipso quidem homine qui peccavit quæ erant ei naturalia ulla ex parte mutavit; quanto igitur minus in stirpibus quas peccatum hominis nequaquam attigit?* Sicuti post laudatum textum *Ezech.* XXXI. quo inter arbores Paradisi commemorentur platanus abies & cedri, *quas constat natura sua non esse humano victui convenientes &c.* monstrat *infirmam esse Bedæ argumentationem*; illud enim significari, *nihil fuisse de arboribus specialiter interdictum, sed factam esse hominibus potestatem & copiam edendi quod-*

quodcunque ſibi deligerent ipſi in cibum, ſcientiam autem internoſcendi ſtirpes quæ cibo hominis conveniebant ab his quæ erant alienæ accepiſſe Adamum à Deo &c. vel omnem arborem intelligi debere non ſimpliciter & abſolutè, ſed cum adjunctione, ſcilicet humano victui convenientem, ad eum nempe modum quo interpretamur illud Pauli 1. *Tim.* IV. *omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur &c.* Qua de re nos etiam aliquid jam diximus *Lib.* I. *Cap.* XVI. Nec hoc quidem admodum obſcurum eſſe judicamus, quod *eſus de omni arbore horti* minime excludat uſum omnis alius victus tum intra hortum amœnum tum extra eundem reperti, tum ex Herbis & Seminibus terræ tum ex Animantibus humano dominio ſubjectis, quem Deus homini dediſſe partim explicite partim implicitè narratur *Gen.* I. 28. 29. & cujus dati repetitio poſt diluvium deprehenditur *Gen.* IX. 2. 3. Quâ de re videri quoque poſſunt quæ ſcripſimus *Lib.* I. *Cap.* XIX. *&* *Lib.* II. *Cap.* V. §. 23. Memoratur enim heic explicite tantum Omnis Arbor Paradiſi, tanquam de qua etiam præſtantiſſima licebat homini edere, ob connexionem ejus majorem cum Arbore Scientiæ de qua interdictum heic adjicitur. Ut non eſſet, cur ad difficultatem hanc amoliendam *Toſtatus Abulenſis* narrationem primam Moſis de humanu victu *Gen.* I. 29. diceret *eſſe non pro ſtatu Paradiſi, ſed pro ſtatu terræ extra Paradiſum*, in quam homo poſt peccatum ejectus eſt; quod ille tamen agit *Queſt.* CCXII. *&* CCXIV. *in Gen.* XIII. Quin & iſtud non eſt ut multis aſſeratur, *eſum* hunc *de omni arbore horti*, licet in ſingulari proponatur uni tum adhuc formato Adamo, omninò pertinere quoque ad creandam ex ipſo vitæ ſociam cum poſteris hinc naſcituris, ſecundum ea quæ latius diximus *Lib.* II. *Cap.* VII. § 9. qua de re etiam late diſſerit *Toſtatus Queſt.* CCXV. *&c.* Tandem, quandò tam emphaticè, cum ſolita verbi apud Hebræos repetitione, dixit Deus, de omni arbore horti *edendo edes* אכל תאכל / q. d. certo, conſtanter, cum delectatione, & cum uſu nutritionis, edes, liquet; hoc non tam dici per modum mandati quam quidem conceſſionis divinæ, ut ſignificetur hoc homini omnino licere; quod Deus ſapienter interdicto ſuo præmiſit, ut oſtenderet hoc minime iniquum eſſe, dum abſque Arbore Scientiæ tam liberaliter homini proſpexerat. Pro qua ſententia, à nonnullis tamen apud *Toſtatum* impugnata, facit non tam eſus hujus extenſio ad omnem arborem, quam quidem naturalis homi-

nis inclinatio ad gratum victum ſumendum, quæ à ſtatu integritatis minimè profecto excluditur, & beneficium Dei in ejus datione. Nec obſtat, præmitti quod Deus ita *præceperit* Adamo; ſiquidem hoc verbum ita directe ad ultimam & præcipuam divinæ locutionis ſubjectæ partem ſpectat, ut omnia quæ per modum introductionis præmittuntur non induant eo ipſo præcepti naturam; unde & verbum ויצו verterunt heic *Tremellius & Iunius* per *interdixit*, atque obſervavit *Piſcator*, Hebraicè legi, *præcepit ſuper hominem*, vel *contra hominem*, *ſic Amos.* II. 12. *præcepiſtis ſuper vel contra Prophetas*, *i. e. interdixiſtis Prophetis*, *& rationem phraſeos eſſe*, *quod interdictum rei delectabilis contrarium eſt naturæ hominis.* Id tamen neutiquam putem negandum, quod iſta conceſſio ſpeciem quandam mandati moralis involvat, de ſumendo ab homine eo victu ad vitæ propriæ fulcimentum & Dei dantis gloriam quem hic in eum finem produxerat & ordinaverat, nec rejicienda prorſus creatura ulla eum in finem à Deo producta & ordinata, quod ingratitudinis & contemptus indecentis foret argumentum conſpicuum. Dum minus probare poſſumus rationes mandati à Deo eius quas *Toſtatus* adduxit; *ut homo* ſcil. *cognoſceret ſe Deo ſubditum &c.* atque *ut ex præcepti excercitatione magis mereretur &c.* Confer cum his primis mandati verbis, ſi placet, id quod in Quarto Præcepto dicitur *Exod.* XX. 9. *ſex diebus operaberis & facies omne opus tuum &c.* Sic enim unum ſibi æquiſſime poſtulaturus diem Dominus liberaliter ſex nobis relinquit, quibus ſi etiam liceat rebus noſtris id ſerentibus ſolenniori cuidam cultui Dei vacare, non tamen decet turpi otio indulgere vi conceſſionis hujus divinæ. *Vulgatus* ob iſtum forte ſenſum conceſſionis dictum Mulieris *Gen.* III. 2. מפרי הגן נאכל transtulit quoque in præſenti, *de fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur;* ex quo alios ſolitam longi temporis praxin concludere monet *Pererius.*

Arbor Una Scientiæ Boni & Mali eximitur.

III. Enimvero à communi adeo conceſſione omnis arboris horti excipitur Arbor, non duplex, uti temere Arborem Vitæ à quibuſdam hoc loco etiam haberi monſtravimus *Lib.* I. *Cap.* XVII. §. 11. ſed una tantum, quæ à Deo ipſo dicitur *Arbor Scientiæ boni & mali*, & à muliere dein *Arbor quæ in medio horti.* De qua nihil heic habemus repetendum, poſtquam de ejus Nomine, Specie, Loco, Uſu, & Fama, eſt à nobis latius dictum *Lib.* I. *Cap.* XVIII. atque hoc in primis monſtratum, quod ea hoc nomen non obti-

obtineat per Prolepſin, vel à triſti ſecuta mali experientia per peccatum, vel à decipiente voce Satanæ, neque etiam à vi ingenerandæ homini Scientiæ majoris, ſed à conſcientia obedientiæ præſtitæ cum præmio exſpectando vel inobedientiæ commiſſæ cum pœna metuenda, cujus in hujus Arboris fructu miſſo aut ſumpto eſſet manifeſtum argumentum. Enimvero hanc Arborem, ſive numero ſive ſpecie unam, non ſufficiebat Deo nomine ſuo deſignare, ſed & poſt interpoſitum verbum Nomini adjecit ille Pronomen demonſtrativum cum Præpoſitione, ממנו / *de ea*, quod prætermiſit quidem *Vulgatus* tanquam pleonaſticum, ſed expreſſit *Onkelos* per מניה / & LXX. per ἀπ' αὐτῆς, nec prætermittendum ſane videtur. Siquidem non tantum Arborem interdictam magis determinat, unam illam, non aliam ullam, & forte ad ipſum hominis viſum, ſed & meritò ſimul eam commendat ut multis modis eximiam, *coll. Gen.* III. 6. & quæ hinc digna eſſet digito monſtrari. Ut taceam de aliorum obſervationibus, qui in hoc vocabulo ſeu de minima quaque parte Arboris ſeu de ejus provenru cogitarunt, notante inter alios *Paulo Fagio*; *Videtur* ממנו *per pleonaſmum redundare, verum Hebrai dicunt, expoſitionis ſive declarationis cauſa additum eſſe, quod vocant* תוספת הביאור / *vel poteſt eſſe diminutivum, quomodo etiam exponit Aben-Ezra*, אפילו מעט לא תאכל ממנו / i. e. *nec parum etiam ex ea comedes, poteſt quoque* ממנו *vel ad arborem vel ad fructum referri, Nachmanni tamen ad fructum referendum eſſe dicit &c.* Hoc utique certum eſt ſatis, quod Arbor ipſa ſpectetur heic, æque quam antea omnis arbor horti, in fructu ſuo qui præ ramis cortice & fronde humano eſui & victui inſervire poteſt, uti Mulier etiam de *fructu* Arboris hujus loquitur; ſive metonymicè ea vis ſignificandi ſit in Arboris voce, *coll.* 2. *Reg.* XVIII. 31. *&c.* ſive in præpoſitione ם ſeu *de* præfixa, ſenſus enim hinc ſurgit prorſus idem.

IV. Interdicit autem Deus Eſum de hac Arbore, *non edes*, לא תאכל / οὐ φάγεσθε, *ne comedas*, apud LXX. & *Vulgatum*, dum etiam *Auguſtinus Lib.* VIII. *de Gen. ad lit. Cap.* 17. pluraliter male legit, *non manducabitis*, uti cum extenſione interdicti ad ſe Mulier dein pluralem numerum non male adhibuit, *non edetis*, ſed Deus ad Adamum iterum iterumque loquens in ſingulari numero hæſit. Ita nempe, qui ad corporis nutrimentum neutiquam ineptus ſed cum & forte præ aliis aptus videbatur, fructus homini eſt à Deo

De qua Eſus homini interdictus, & ſimul Tactus ad Eſum, ex declaratione Mulieris non redarguenda.

interdictus; non tantum ne illum tanquam victum quotidianum iterum iterumque ſumeret; aut ne illum plane cum voluptate deglutiret vel ſemel; ſed ne quidem leviſſime deguſtaret, ſeu ullo modo ore ſuo unquam ſumeret ad eſum. Quam in rem memorabile eſt, quod Mulier interdictum hoc Dei narrans addidit, *& non tangetis eam*, ולא תגעון בו / οὐδὲ μὴ ἅψησθε αὐτοῦ, *& ne tangeremus illud*, apud LXX. & *Vulgatum*, dum *Onkelos* habet, ולא תקרבון ביה / ſenſu *appropinquandi* ſeu etiam *attingendi*. Sive vero ſpectetur ſic *contactus* fructuum arboris per labia dentes & linguam minimus, ſive etiam per manus qui fere antecedere & ad eſum ducere ſolet, *coll. verſ.* 22. videtur ſane talis intelligi qui non eſſet ad alium finem quam ad eſum directus; nec ille præter rem conjungitur, ſi ſpectemus Dei Leges de Cibis immundis *Lev.* XI. 8. *Deut.* XIV. 8. *&c. de carne eorum non edetis, & cadaver eorum non attingetis &c.* & ſuperſtitioſa hominum interdicta ſimilia ex *Col.* II. 21. μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς. In quibus tribus verbis ſubtiliter *Cl. Coccejus* diſtinguit *tria δόγματα, Celibatus, Delectus Ciborum in certis diebus, & Voluntariæ Paupertatis*, exponens; μὴ ἅψῃ *hoc ne tangas, ſcilicet diſtinctum à cibo aut à re quæ habetur ut propria, coll.* 1. *Cor.* VII. 1. tum μὴ γεύσῃ, *ne tangas hunc vel illum cibum guſtandi cauſa vel certo vel omni tempore*, tandem μὴ θίγῃς, *nempe ut tuum quod eſt tuum, habendi & retinendi cauſa, ſed omitte & ſine alios habere.* Sed rectius noſtro judicio alii retulerunt, vel cum *Hammondo*, ἅπτεσθαι ad fœminas γεύεσθαι ad cibos & θίγειν ad illas & hos, vel cum *Grotio*, ἅπτεσθαι & γεύεσθαι ad cibos & θίγειν ad fœminas, vel cum plurimis, omnia tria verba ad cibos, ſive tum per ἅπτεσθαι primo loco metonymicè denotetur eſus, quo pacto vertit *Beza*, *ne eſitaris*, & gradatio hic erit continua à majori ad minus, ſive ἅπτεσθαι ad contactum referatur labiorum, & per quendam regreſſum θίγειν ad apprehenſionem per manus. An Mulier autem præter expreſſa Dei verba habens illud, *& non tangetis eam*, aliquid adjecit ad Divinum mandatum, quod non decebat? Ita ſane inter alios recentiores *Grotius* dixit; *Malè recitat Legem, nam de tactu nihil Deus dixerat, mox tactum experta innoxium, idem de guſtu ſperavit.* Et prolixe *Paulus Fagius*; *Mulier mota oratione ſerpentis, bifariam depravat verbum Dei. Addit enim illi & ſimul detrahit, quod prohibitum eſt juxta illud Deut.* XII. 32. *&c. Addit quod dicit, neque contingetis, nihil enim nocuiſſet Arborem contingere, ſi non de fructu*

ejus

Digitized by Google

ejus comedissent. Detrahit eo quod dicit, ne forte moriamini &c. Sed non est ista observatio nova, verum auctius etiam lecta apud Veteres, inter quos *Rupertus Lib. III. de Trin. Cap. 5.* scripsit; *Hæc verba mulieris jam vitiatæ mentis indicia sunt, nam quantum in se erat depravavit mulier verba præceptoris Domini tribus modis, quibus usque hodie depravare nititur sanctam Scripturam omnis qui est ex parte diaboli, scilicet appositione, diminutione, mutatione. Apposuit namque dicendo, ne tangeremus illud &c. Mutatione autem, quia cum dixerit Dominus, ex omni ligno Paradisi comede, & unum solummodo interdixerit lignum scientiæ boni & mali, hæc ait, de ligno autem quod est in medio Paradisi præcepit nobis &c. & mentita est. Nam & lignum vitæ erat in medio Paradisi, quod Dominus Deus non interdixit. Ergo jam impatienter ferebat & murmurabat, quod quasi parcus vel avarus Deus pretiosa medii Paradisi reservaret, & viliora quæque per circuitum colligenda in cibum homini concessisset &c. Igitur veraciter, antequam per corporeum vel visibilem serpentem Diabolus loqui inciperet, jam per semetipsum intus in aurem cordis locutus fuerat, bonamque voluntatem vel consensum ad exterius peccati opus peragendum fore præsenserat &c.* Quin & *Ambrosius* hanc additionem Mulieris redarguit, quamquam paulò mollius, *Cap. XII. de Parad. In Mandato quidem nullum vitium est, sed in relatione. Etenim, quantum præsens lectio docet, discimus nihil vel cautionis gratia jungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas vel detrahas, prævaricatio quædam videtur esse mandati, &c. Namque hic quid offensionis habet prima specie, quod addidit Mulier, neque tangetis ex eo quidquam. Tangetis enim, Deus non dixerat, sed non edetis. Sed tamen lapsus incipit esse principium. Nam quæ addidit, vel superfluum addidit, vel addendo de proprio semiplenum intellexit Dei esse mandatum &c. Hinc ergo cœpit prævaricatio mandati. Et plerique putant, hoc vitium non esse Mulieris, sed Adæ fuisse; ita Adam dixisse Mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, ut adderet mandasse Deum, neque tangetis ex eo quidquam. Habemus enim, quia Adam non Eva mandatum acceperit à Deo &c. Mihi tamen videtur, à Muliere cœpisse vitium, inchoasse mendacium. Nam etsi de duobus videtur incertum, tamen sexus prodit, qui prius potuerit errare. Adde, quia præjudicio illa constringitur, cujus & postea prior error inventus est. Viro enim Mulier, non Mulieri Vir author erroris est &c. Nunc videamus, utrum præter adjectionem*

quæ

Digitized by Google

quæ mandato eſt applicata, quod additum eſt obfuiſſe videatur. Nam revera ſi bonum eſt, neque tangetis ex eo, & ad cautionem proficiebat, cur Deus hoc minime interdixerit, non interdicendo permiſiſſe videatur? Itaque utrumque quærendum, qua ratione nec permiſerit nec interdixerit. Sunt enim qui dicant, qua ratione quod fecit videri non juſſit & tangi &c. Et ſequuntur iſtam Veterum obſervationem paſſim etiam Papiſtæ, cum *Toſtato*, & *Pererio*, qui pro ea ſic diſputat; *Nam & ſupra & infra, cum illud Dei præceptum Moſes memorat, nullam tactus ſed eſus tantum interdicti mentionem facit. Neque conſentaneum eſt exiſtimare, Moſen illud Dei præceptum non integrum uti fuit, ſed mutilum & diminutum commemoraſſe; nec Deus, cum de violato præcepto hominem objurgavit, de tactu eum ſed tantum de eſu increpavit. Nec profecto in ſtatu innocentiæ opus fuit homini illa cautione, neque enim immoderate propenſus erat magis ad eſum arboris quam ad tactum. Quod ſi ob eam cauſam vetitus eſt illis tactus ejus arboris, propter eandem ſane interdici debuit aſpectus, quippe qui Evæ illecebra fuit comedendi &c.* Sed nec autoritates nec rationes iſtæ hoc efficiunt, ut in narratione de non tangenda Arbore reperiam ego cum aliis, ſeu ſimplicem errorem Mulieris, ſeu additionem ad verba Dei imprudentem, ſeu avaram adverſus Dominum obmurmurationem. Ex adverſo putem, illam bene & feliciter ſic exprimere ſenſum Divini interdicti, de *non edendo* ullatenus, quod præter externum factum etiam abduceret à contactu non quidem qualicunque ſed eo qui erat ad edendum; non enim debent hæc duo magis à ſe invicem divelli, quam illa in Secundo Decalogi Præcepto *Exod.* xx. 4. 5. *non facies tibi ſculptile & omnem ſimilitudinem &c. non incurvabis te iis neque ſervies eis &c.* & alia verba innumera eum in modum connexa ut unum ad aliud per modum finis ſui referatur. Quo magis deinde *Gen.* III. 22. expreſſe dè altera Arbore, quaſi cum aliquo reſpectu ad hanc, dixit Deus; *nunc ne mittat manum ſuam, & ſumat etiam de Arbore vitæ, & edat &c.* Ergo quod implicite dixit Deus, pro ſapientia innata plenius expoſuit Mulier, procul invidioſa exaggeratione omni, qualem adducit heic *Cajetanus*, *mulieris inhibita à marito ne domum exeat, & ad interrogationem cur non exeat reſpondentis, mihi non licet extra cameram meam pedem ponere &c.* Et ſic Moſes non narravit præceptum Dei ipſius mutilum; dum Deus de eſu increpans ejus conatum per tactum minime laudavit ſed ſimul hoc

ipſo

ipſo damnavit ; atque homo non propter actualem ſed poſſibilem propenſionem tam à conatu & gradu eſus quam ab ipſo eſu fuit cohibendus merito; quin & aſpectus non ſimplex vel in alium bonum finem divinæ gloriæ convenientem ſed ad edendum omnino juxta internam concupiſcentiam debet judicari interdictus fuiſſe; & tandem depravati à Muliere Divini mandati argumenta alia, tum ab illo *ne moriamini*, tum in primis ex deſcriptione arboris tanquam *in medio Paradiſi* poſitæ, revera nimium ſunt conquiſita, cum non omnem arborem in medio Paradiſi, neque Arborem Vitæ, ſed aliam illic quoque poſitam Arborem Scientiæ ſic ab ipſa deſignatam eſſe, ex conſecutione hiſtoriæ ac eventu eſus de ea ſatis liqueat. Facit heic etiam in ſumma rei nobiſcum *Aug. Steuchus Eugubinus in Coſmopœia ſua*, monens, quod *verſimile* ſit, *in mandatis traditum, quo magis eſſent cauti & periculi ſecuri, ne tangerent; quorundam enim*, pergit, *vitiorum fuga victoriam aſſequimur, alia eundo obviam & reſiſtendo ſuperamus, voluptates & illecebræ, qui velit ex eis victoria potiri, fugiendæ ſunt atque avertendæ, removendus aſpectus, tactus, quæ prima ſunt, hinc abſiſtit acceſſus, inſanit autem qui ſe putat inter arma & tela poſſe verſari ſecurum & illeſum. Cui autem eſſet à Rege mandatum, à meretrice ſe contineret, nonne tutior eſſet, ſi conſpectum ejus aufugeret, longe autem ſi colloquium, multo autem magis ſi contactum? Nulla igitur ſuperfuit excuſatio; præceperat Deus, ut ne attingerent fructus, ne tactis his & irritata gula comederent. Superius ergo in deſcriptione contactus fuerat omiſſus. Et Mulier totum imperium animo retinebat, ut excuſatio locum non habeat.* Nec aliter in noſtris etiam *Cl. Coccejus ad h. l. Eſt replicatio mulieris, quæ habet repetitionem verbi Dei. Ubi videtur contra præceptum Salomonis Prov.* xxx. 6. *aliquid addi; ne tangatis. Eam ſpeculationem nos libenter omittimus. Poſſunt enim illa accipi ut explicatio. Nam ubi eſus interdicitur, ibi & affectatio interdicitur; quæ per verbum tangere ſignificari poteſt &c.* Dum *Joh. Clericus* id quidem recte obſervat nobiſcum, *Hevam hic quaſi mentitam incuſare ſubtiliores æquo Intt.* ſed haud æque ſolide vult, Evæ *hæc verba eſſe antecedentibus ita ἐπεξήγημα*, ut *tangere* prorſus idem ſit in ſenſu quod *edere*, cum tactus ad eſum tendat, *collato Gen.* xxvi. 11. *Ier.* xii. 14. & loco *Plinii* quo à *Theophraſto* adhibitum ἐφάπτεσθαι per *attingere* expoſuit, *neque* adeo *quidquam addere niſi forte ex repetitione aliqua naſcatur emphaſis.* Nos po-

tius *esum* stricte dictum distinguimus à *tactu* ad eum ducente, & quem Deus sub interdicto esu comprehendit, quam ut *tactus* vocem *esui* heic subjectam minus proprio sensu de eodem esu intelligamus.

Quod Interdictum quo pacto per Copulam priori Concessioni nectatur, ostenditur.

V. Istud porro interdictum quando per *Vau* Copulativum seu Adversativum, uti plerique Interpretes acceperunt, jungitur præmissæ proximæ concessioni esus de omni arbore horti, liquet per se, interdictum hoc esse absolutum, sed concessionem debere intelligi cum limitatione per exceptionem Arboris unius Scientiæ boni & mali. Quod vix opus esset moneri, nisi observarem, antiquitus inanes heic divini verbi torsiones fuisse quæsitas. Sic enim lego apud *Ambrosium de Parad. Cap.* XII. *Sunt hoc loco qui dubitationem habeant, utrum ex omni ligno ita dixerit Deus esse gustandum, aut* (fortè rectius *ut*) *cum de omni ligno ita de scientiæ boni & mali ligno gustaretur; an vero de omni ligno gustandum, de solo ligno scientiæ boni & mali dixerit non esse gustandum. Qui ne id quidem putant inutilis esse rationis, quod, quamvis noxia esca hujus ligni fuerit, tamen si cum cæteris ederetur noxia esse non possit; quandoquidem etiam antidotum theriacum de corpore serpentis confici solere dicitur, quod utique virus corpusque serpentis cum solum sumitur nocet, cum admiscetur aliis sanitati est & saluti &c. Hac igitur ratione plerique putaverunt posse etiam illud intelligi, ut videatur Deus id inhibuisse, ne absque cæteris solum Lignum Scientiæ boni & mali gustaret, non prohibuisse cum cæteris. Et hoc ideo putant dictum, quia ait Deus ad Adam, quis tibi indicavit quoniam nudus es, nisi quia de Ligno à quo præceperam tibi, ab hoc solo ne manducares, manducasti? Quod videretur dare aliquem interpretandi locum, nisi mulier in superioribus, dicente serpente &c. respondisset, ex omni ligno Paradisi manducabimus, de fructu autem ligni quod est in medio Paradisi dixit Deus, non manducabitis ex eo. In quo quamvis mulieris prævaricaturæ fides videatur infirmior, tamen non omnibus Adam spoliabo virtutibus &c.* In quibus jam non tangam, quæ de noxia esca ligni hujus immiscentur, nec inquiram unde irrepserit in Græcum textum *Gen.* III. 11. illud τέτου μόνου pro simplici מכנו / *de quo* hodie apud *Vulgatum*, quod heic respicit *Ambrosius*, & quod forte esse posset ex corrupto לבלתי in לבדי. Utique si illic esset legendum, *ab hoc solo ne manducares*, nemo & hoc facile aliter intelligeret, quam reliquis arboribus concessis illius usum

uſum per eſum ipſi denegatum fuiſſe. Sed neque heic aliquid expreſſum eſt de ſola Arbore Scientiæ; & ſi is, qui ſic apud *Ambroſium* inſinuatur, ſenſus foret verus, jam Arbor Scientiæ juxta alias omnes Adamo ad eſum fuiſſet permiſſa; nec ille in eſu de fructu ejus ſimpliciter peccaſſet; & principalis hujus Legis pars foret verbum de edendo de omni Arbore horti; & videri poſſet, ipſum omnis arboris eſum ſimul eodem tempore debuiſſe jungere, ſaltem ubi de Arbore Scientiæ aliquid ad eſum ſumeret; & quæ plurima inepta ſimilia poſſent dici.

VI. Quando jam hoc interdictum de non edendo de Arbore Scientiæ Deus homini dedit? Utique ſi filum Moſaicæ narrationis, à quo abſque gravi ratione non videtur recedendum, ſimpliciter ſequamur, factum hoc eſt, ſimul ac Adam à Deo formatus & in Paradiſo collocatus eſſet, adeoque ante adducta ad ipſum & nominibus ſuis appellata ab ipſo animantia, & ante creatam junctamque Adamo Evam conjugem, & ante communem viri & uxoris benedictionem ac expreſſam animantium omnium ſubjectionem & conceſſum herbarum ſemen ferentium victum, quæ ante finem ſexti diei memorantur geſta omnia *Gen.* 1. 28. 29. Qui rerum ordo nimium immutatur ab omnibus eis, qui hoc præſens interdictum credunt aut ſupponunt poſterius eſſe ipſa Mulieris Creatione & Lege Cibaria quæ prius memoratur, ex iſthoc fundamento quidam etiam putantes donationem Dei priorem heic jam eſſe ex parte revocatam. Ita ante vidimus *Sim. Epiſcopium Diſp.* XV. *Part.* II. loqui de mandata heic *abſtinentia à certo fructus genere cujus uſus ipſi tanquam Domino jam ante conceſſus veriſimiliter fuerat.* Uti in eadem cogitata plures videntur ducti per hoc quod Mulieris creationem ante hoc interdictum credant contigiſſe, juxta *Lib.* II. *Cap.* VII. §. 9. & hominibus ſimul ac naſcerentur dominium cum cibo neceſſario obtigiſſe. Quamquam ne ſic illud conſequatur; dum non deſunt, qui juxta *Rupertum* putant hoc interdictum cum Lege Cibaria una Dei oratione fuiſſe conjunctum; & dum vidimus nos, eſſe alios qui cum *Toſtato* Legem illam Cibariam poſt lapſum & ejectionem ex Paradiſo demum latam exiſtimant. Enimvero præter illud quod de narrationis Moſaicæ filo jam dictum eſt, non videtur, vel Lex Fœderis Naturalis Operum aliquo notabili ſpatio temporis fuiſſe minus integra aut abſque externo obedientiæ præſtitæ ſeu neglectæ indicio; vel Dominium primum Adami abſque

Tempus dati hujus Interdicti inquiritur.

ulla ejus antecedente culpa imminutum, & quidem tam cito, ut, ſive ipſum hoc reſpectu hujus Arboris Scientiæ uſum eſſe dicamus ſive non, incommoda hinc ſequantur manifeſta.

Iniquitas omnis ab eodem arcetur.

VII. Sed in *Æquitatem* & dein *Rationem* hujus interdicti majus operæ pretium erit diligentius inquiſiviſſe. Non deſunt enim qui cauſentur, minus decuiſſe Deum, ut fructum Arboris utilem & omni modo præſtantem, & qui nec Deo nec ulli alii creaturæ præ homine aptus eſſet natus per ipſius providam curam, in ipſo etiam Paradiſo, illius uſui hoc modo ſurriperet; quæ & ratio fuiſſe magna videtur facilioris humanæ per ſerpentem ſeductionis. Ut taceam *Quæſtionem* quam heic inter alias movet *Ben. Pererius*; *Cur Deus præceptum illud injunxerit Adamo, quod certo ſciebat fore ut ab eo violaretur, ejusque præcepti violationem fore non tantum ipſi verum etiam toti ejus poſteritati calamitoſam atque pernicioſam?* Sed compeſcitur facilè talis hominum perverſorum adverſus Deum iniquitas. Quid enim? An Deus aliquid Homini debebat, qui omnia cum & præ aliis creaturis habebat ab immerito ejus favore? An ullum habebat Homo in alias creaturas Dominium præter Dei communis Creatoris dationem benignam? An non ſatis liberaliter Deus Homini proſpexerat per Animantium, Herbarum, & Arborum gratiſſimarum, copiam vere ſtupendam, niſi & hæc una Arbor Scientiæ illi daretur? Et annon hæc ipſa data quoque à Deo hominis uſui fuit, quando huic licuit illam contemplari ad Dei gloriam, & obedientiam ſuam in ea exercere, ſimul ac divini promiſſi fidem firmare? Utique ſi iſte præcipuus vel unus creaturarum omnium aptarum foret uſus reſpectu Hominis, qui conſiſtit in eſu, jam aliter de mundo noviſſime renovando judicandum quoque eſſet quam nunc quidem ex Scripturis videtur. Nec volunt ipſi modo homines lapſi, quibus eſt fructuum præſtantium copia, eos abſque omni ſelectu carpi & conſumi à ſe vel à ſuis, ſive ad tempus certum ſive ſemper, quando alium ſibi finem in nonnullis horum præſtituerunt. Ad ſuam autem objectionem, quæ adverſus omnem Divinam Legem homini præſcribendam perinde moveri poteſt, ſatis prolixe reſpondit ipſe *Pererius*; *Fuiſſe conveniens, ut Deus ageret cum homine, non ſecundum futurum ejus ſtatum, neque ſecundum quod ille poſtea factnrus erat, ſed ſecundum præſentem ſtatum in quo eum creaverat &c. Nec vero quod eam Legem violaturus erat Adam, propterea non fuit ea Lex ferenda, illo enim modo nul-*

la

Digitized by Google

la Lex hominibus ferenda esset, &c. præsertim vero cum Deus non eo consilio dederit illam Legem, ut Adamus eam non custodiret, nec talem fecerit eum ut non potuerit eam Legem servare, quia fecit eum liberi arbitrii, ad bonum malumque juxta flexibilis, & in cujus potestate esset Legem servare vel non servare. Quin imo fecit eum rectum nullaque ad malum propensione, cumulavit eum præterea abundanti excellentique gratia per quam facillimum ei juncundissimumque fuisset quodcumque bonum agere aut malum evitare, & quamlibet Legem custodire, præsertim illam quam acceperat, levissimam nempe atque observatu facillimam. Ad hæc, licet Deus præviderat peccatum Adæ, attamen simul etiam constituerat illud ad magnum & multiplex bonum convertere, ex eoque innumerabiles atque incomparabiles utilitates elicere, &c. Illud etiam hoc loco advertere Lectorem vult, *in evitandis sive impediendis malis futuris non esse parem aut similem rationem Dei atque hominum; quod homines legibus adstricti & subjecti sint, Deus verò supra & extra Legem omnem sit positus. Duo enim facit Deus, & bene quidem facit, quæ si faceret homo, male profecto faceret; mala enim Deus sinit fieri, quæ si vellet ne fierent facillime posset impedire &c. multa etiam facit Deus, ex quibus ipse certò scit mala quædam consecutura, & complures inde capturos occasionem deterius agendi &c.* Merentur quoque ad hæc legi, quæ alia præcedenti *Quæstione, cur datum si Adamo præceptum non edendi ex illa Arbore Scientiæ boni & mali*, idem habet Autor; fuisse quidem illud præceptum *partim difficile*, quatenus erat de Esu Arboris præstantissimæ, sed & *partim facile ac leve*, quatenus erat de Una tantum Arbore, eaque inter innumeras alias etiam præstantissimas, ut heic nec multitudo mandatorum nec unius difficultas fuerit reperta; unde & *Rupertus Lib.* 11. *de Oper. Trin. Cap.* 30. dixit, *levem in tanta copia fuisse unius arboris continentiam*, & *Augustinus Lib.* XIV. *de C. D. Cap.* 15. locutus est de re hac ut *facili*, de *tanta non peccandi facilitate*; imo de *præcepto nullius difficultatis*, & *Chrysostomus Serm.* XIV. *in Gen.* late diduxit πολὺ τ᾽ ἐντολῆς τὸ ἀνεπαχθές, *&c.*

VIII. Quemadmodum vero æquissime potuit Deus Adamo Esum de Arbore hac Scientiæ interdicere, sic idem non egit absque gravi *Ratione* multiplici, quam ad Divinæ sapientiæ laudem haud illubenter indagamus & illustramus. Ubi procul esse jubemus, non tantum Diabolicam omnem suspicionem de bono aliquo ex esu Arboris

Rationes ejus interdicti ineptæ memorantur & rejiciuntur.

boris homini acceſſuro quod ſic arceret ab ipſo Deus, ſed etiam variorum Patrum ineptias de Cognitione ex hac Arbore fluxura quæ hactenus Adamo non conveniret aut minus utilis eſſet, quas retulit & refutavit *Dion. Petavius Lib.* 11. *de Opif. ſex dier. Cap.* 9. atque alieniſſima cogitata, quæ inter alios nuperrime inſinuavit *Joh. Clericus*, quaſi Arborem hanc unam corporaliter homini noxiam futuram ſciens Deus, ideo fructum ejus interdixiſſet. *Hoc eſt*, inquit ille ad integrum hunc textum, *licet tibi cujusvis arboris fructus comedere, aut omnium quidem arborum quæ in hoc Paradiſo ſunt ſalubres experieris fructus, excepta una.* Addit etiam; *Mirum videri nequit, Deum homines in Paradiſum intromittentem monere, qui fructus ſalubres ſint, qui nocere queant, neque enim hoc aliter ſcire poterant niſi revelatione aut longo rerum uſu. Sic Alexander Macedonibus ſuis Indicorum fructuum ignaris, ne ſpecie deciperentur ex ficu quadam, cujus fructus δηγμὸν ποιεῖ καὶ δυσεντερίαν, ἀπεκήρυξε μὴ ἐσθίειν, ut refert Theophraſtus Hiſt. Plant. Lib.* 111. *Cap.* 4. Sicut apud mortis additam comminationem repetiit; *Non deſunt qui velint hic à Deo vim lethalem fructus illiciti, quæ tamen ejus benignitate ſeſe non exeruit, indicari, adeo ut, niſi obſtitiſſet Deus, ejus rapido veneno, ipſo die quo peccaverant extincti fuiſſent primi homines.* Cum quibus etiam conferri debent ejus verba antea adducta apud Arboris hujus nomen *Lib.* 1. *Cap.* XVIII. §. 8. *Sunt tamen, qui poſt irritos tot eruditorum virorum conatus hancce Arborem venenatos protuliſſe fructus exiſtimant, & dictam fuiſſe Arborem Scientiæ boni & mali, quaſi Arborem quâ deguſtata prudentior homo futurus erat, quippe qui fructus quoſdam eſſe noxios beneque ſe à Deo monitum cognituras erat. Hinc rectè à Joſepho* φυτὸν φρονήσεως *plantam prudentiæ dictam fuiſſe exiſtimant &c. Ut Arbor Vitæ poterat eſſe Arbor, cujus fructus eſſent* ἀλεξιτήριοι *ſeu medicati, ita Arbor Prudentiæ erit Arbor venenata, quam vitare prudentium eſt, & cujus guſtato fructu imprudens ſit prudentior.* Quo pacto, ſi quid video, integra hæc Fœderis Divini cum homine primo hiſtoria evertitur, & Moſis narratio manifeſtiſſime illuditur: ſic enim ſeveriſſimum Dei interdictum, quod continuo apud Moſen habet nomen *præcepti*, commutatur in nudum prudentiæ humanæ monitum de eo quod humanæ ſanitati noceret phyſicè, & mirum profecto debet videri, tum unam modo Arborem in innumeris aliis eſſe de qua relinquenda Deus hominem moneat, cum ipſe *Clericus* adjiciat,

ciat, *hujus generis plures Arbores esse potuisse, quemadmodum plures sunt medicatarum species.* Quin etiam, ut de sapientia Protoloplastorum in fructuum omnium vi mox dignoscenda nihil nunc dicam, id exiguam habere speciem judicari debet, quod Arborem in medio Paradisi juxta Arborem Vitæ constituerit Deus, quam *vidit mulier quod bona* esset *ad esum, & quod desiderium ipsa oculis, & desiderabilis ad intelligendum Gen.* III. 6. quæ adeo clam esset exitialis & per rapidissimum venenum suum lethalis, ut Deus opus haberet hominem rectum de eo præ aliis omnibus tam solicitè monere. Quod si etiam hæc Arbor innatâ virtute fructus sui tantum mortem homini esset illatura, absque Dei judicis sententia ulla propter commissum scelus, jam sequetur, non tantum Hominem primum esse factum mortalem, qui absque ullo peccati actu mori posset, quod *Pelagianum* dogma Scripturis est adversissimum, secundum dicta à nobis *Lib.* II. *Cap.* V. §. 24. *&c.* sed etiam Mortem, tum ipsius Adami, tum nostrum omnium ejus posterorum, non esse huic esui fructus interdicti tribuendam, quoniam in Adamo vis illa Arboris hujus *lethalis Dei benignitate se non exeruit*, juxta *Clericum*, & quia nos de Arbore illa nunquam edimus aliquid ipsi. Et quomodo rursus extenuatur ipsum nomen Arboris? si Scientia boni & mali hic nihil aliud sit quam prudens victus salutaris & noxii discretio; quam sic ex monitione Dei habebat utique prius & verius quam ex Arboris usu Adamus; præterquam quod nec una Arbor eam satis plene præstare posset, si *plures hujus generis arbores esse potuerint*, juxta quas etiam salutarium usus ad plenam discretionem fuisset necessarius. An non etiam observare ad hæc licebit, quod Arbor hæc Insciitiæ & Imprudentiæ verius quam Scientiæ & Prudentiæ fuerit appellanda, quam uti vitare erat *prudentium*, ita sumere ad esum *imprudentium*, & post quam sumptam *imprudens* non poterat *fieri prudentior* propter rapidissimum certoque & cito enecans ejus venenum. Sed cedo argumentum, quo sententia tam aliena vel in speciem firmetur. Nihil utique tale legitur apud Mosen; nec est ejus fundamentum ullum, seu in Nomine Arboris hujus, ex iis quæ etiam modo dicta sunt, seu in addita Mortis comminatione, utpote quæ hinc non naturaliter sed supernaturali divino judicio flueret, & de qua dein suo loco latius dicemus, seu in Eventu, qui etiam aliter se habuit, per *Dei* cohibentem ut vult ille *benignitatem* singularem. Aliquid tamen non

pror-

prorſus his cogitatis diſſimile in producto antea *Ambroſii* diſcurſu obſervare licet. Quin & apud *Lud. Vivem ad Auguſt. Lib.* XIV. *de C. D. Cap.* 15. lego; *Admonuit me Nicolaus Valdanra meus, legiſſe ſe apud ſcriptorem neſcio quem, fructum illum quo Adam interdicebatur noxium ex ſe fuiſſe corpori, quod dicit magis ad augendum crimen Adæ, quam quod aliquid de ea re compertum habeat.*

Meliores petuntur à documentis hinc fluentibus plurimis aptis.

IX. Rectius ab ævo obſervatum fuit, hujus interdicti divini de Arbore Scientiæ rationem poſſe reperiri ſatis manifeſtam, in documentis variis ſalutaribus quæ homo hinc petere poterat, tam ad Deum quam ad Seipſum ſpectantia. Nempe ſic Deus oſtendit ſupremam ſuam in omnia poteſtatem; & fluentem hinc libertatem in dandis iis vel negandis pro ſuo lubitu; quin & juris ſui extenſionem ad omnia mandanda quæ ipſi lubent etiamſi intrinſecam nullam habeant bonitatem; & ſufficientiam ſuam ad hominis beatitatem etiam abſque creaturis quæ cæteroquin illam augere videbantur. Sic Deus ſimul docuit Hominis in omni poſſeſſione & opere ſuo vel minimo à Deo dependentiam, ἵνα εἰδέναι ἔχῃ ὅτι ὑπὸ δεσπότην ἐστὶν ᾧ πρωτίκα αὐτὸν πείθεσθαι καὶ τοῖς ὑπ' ἐκεῖνον τεταγμένοις ἅπασι, inquit *Chryſoſtomus Serm.* XIV. *in Gen.* & neceſſariam omnium præcipue corporalium bonorum derelictionem propter majus divinæ communionis bonum, utpote in quo ſolo vera creaturæ ſalus ſita eſt; & conſummatam nondum felicitatem, utpote qui ab alicujus boni propter ipſum etiam creati uſu uno commodo arcebatur, & quidem per minas minime vanas aut inefficaces. Quorum præcipuam ſummam ſic expreſſit Ven. Avus *Cloppenburgius Schol. Sacrif. Cap.* 11. *Lex de altera Arbore Scientiæ boni & mali ſymbolica fuit, habens hanc Δόξαν, ut exceptione illius Arboris à dominio in creaturas omnes homini divinitus tributo, homo ſe abdicans eſu fructuum ex illa Arbore per modum Anathematis Deo ſacra, teſtaretur iſthoc obedientiæ ſpiritualis ſymbolo externo tanquam homagio, Deum ſupra ſe Dominum, cui omne ſuum dominium acceptum ferret.* Paulo plenius etiam *Cl. Coccejus* hac de re ſcripſit, tum *Sum. Cap.* XXVI. §. 4. tum in primis *de Fœd. Cap.* II. §. 20. *Porro Deus, dum Arbore hac abſtineri juſſit, demonſtravit.* 1. *Se unum rerum omnium Dominum eſſe.* 2. *Dominium quod homo nactus erat abſolutum atque independens non eſſe.* 3. *Verum bonum non eſſe extra Deum.* 4. *Quicquam ab homine appeti non in Deo & ad Deum, malum eſſe &c.* 2. *Omnium rerum extra Deum appetendarum vel fugiendarum*

Digitized by Google

rum regulam ſolam voluntatem Dei tanquam & Domini & Conſervatoris noſtri eſſe &c. 5. Non debere hominem de bono & malo in rebus extra Deum appetendis ex ſuo animo ſed ex ſolo Dei verbo bonam Dei voluntatem ſignificante judicare &c. 7. Obedientiam, qua homo juſtificetur, eam demum eſſe quæ ex toto corde ex tota anima & omni intenſione virium hominis præſtatur &c. qualis obedientia in iis quæ minima videntur ſolicite curandis probatur &c. Præceptum igitur hoc, licet de actu corporis, virtute ſpirituale fuit, quod de Lege dicit Apoſtolus Rom. VII. 14. *&c.* Quæ apud ipſum amplius diducta leges.

X. Una tamen præ his omnibus *Ratio* hujus Interdicti præcipua fuit indubie Exploratio Humanæ adverſus Deum *Obedientiæ;* ad quam in adhibito etiam heic nomine *Arboris Scientiæ Boni & Mali* Deus ſpectaſſe judicandus eſt, ſecundum ea quæ ſcripſimus *Lib.* I. *Cap.* XVIII. quaſi diceret, de ea Arbore non edes ex qua tua bonitas aut malitia hoc modo cognoſcenda erit. Quod ſane non ita eſt capiendum, ac ſi abſque hoc mandato Adam non potuiſſet peccare; habebat enim aliam magis præcipuam Legem ſibi præſcriptam, quam non tantum ſervare ſed & violare poterat, & violavit quoque actu; & niſi illam ſervaret præcipuè, imo propter illam præſtaret hoc mandatum, ſola abſtinentia ab hac Arbore Scientiæ non potuiſſet pro bona & Deo grata Obedientia haberi. Nec etiam hoc ſtatuendum eſt, quod Obedientia Adami non fuiſſet ſatis explorata futura abſque addito hoc ſpeciali mandato, ſeu Deo omniſcio, ſeu Conſcientiæ Adami propriæ, ſeu per illius revelationem & hujus traditionem ac inſecutam pœnam Poſteritati Adamicæ. Sed hoc omnino dicendum, quod in præcepto hoc expreſſo, de re externa, per ſe indifferenti, nec admodum ſic per omnia gravi, ſervato vel violato, clariſſimum adfuturum eſſet argumentum Obedientiæ vel Inobedientiæ humanæ adverſus utramque Legis Moralis tabulam, uti ex præmiſſis modo mandati hujus documentis colligi poteſt, quod Divinum judicium quaſi alta voce poſtularet, & cui nec Adam nec ejus poſteritas ullo modo poſſet obloqui. Nec aliter fere Deus dicitur mandato difficillimo tentaſſe Abrahamum, cujus ille præſciebat obedientiam *Gen.* XXII. 1. 12. quam heic præcepto ſatis facili exploravit Adamum, cujus perſpectam habebat futuram inobedientiam. Quod ipſum exemplum contulit etiam *Auguſtinus Lib.* XIV. *de C. D. Cap.* 15. *Sicut enim Abra-*

Sed præcipua ratio ejus indubie fuit Exploratio Obedientiæ vel Inobedientiæ Adami liquida.

hæ non immerito magna obedientia prædicatur, quia ut occideret Filium res difficillima est imperata, ita & in Paradiso tanto major inobedientia fuit, quanto id quod præceptum fuit nullius difficultatis fuit &c. Legere vero etiam apud eundem inter alios *Augustinum* potes *Lib.* VIII. *de Gen. ad lit. Cap.* 13. quæ de hoc præcepto ut mere positivo in hanc rem scripsit; *Ab eo ligno quod malum non erat prohibitus est, ut ipsa per se præcepti conservatio bonum illi esset, & transgressio malum. Nec potuit melius & diligentius commendari quantum malum sit sola inobedientia, cum ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset non utique peccasset. Nam qui dicit, verbi gratia, noli tangere hanc herbam, si forte venenosa est mortemque prænunciat, si tetigerit sequitur quidem mori contemptorem præcepti, sed etiamsi nemo prohibuisset atque ille tegigisset nihilominus utique moreretur &c. Cum vero illud tangitur quod nec tangenti obesset si non prohiberetur, nec cuiquam alteri quamlibet tangeretur, quare prohibitum est nisi ut ipsius per se bonum obedientiæ, & ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur? Denique à peccante nihil aliud appetitum est nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est in quo ne admitteretur sola deberet jussio dominantis attendi &c.* Et licet præterea conferre ad istum hujus interdicti usum probatorium seu exploratorium, quæ ex Veteribus variis ad nomen Arboris Scientiæ boni & mali dudum adduximus *Lib. I. Cap.* 18. Hoc interim tenere oportet, quod hæ omnes interdicti Divini rationes spectent non tam specialicer ad Arborem hanc præ aliis; quam quidem generatim ad interdictum rei externæ & per se non malæ seu etiam Arboris cujuscunque unius gratæ & præstantis; dum hanc speciatim Arborem ad id selegit Deus pro suo sapientissimo arbitrio, quod tamen rationem suam iterum habere potuit in Arboris situ determinato vel forma vel fructu, quam nos per rerum harum ignorantiam exponere non possumus nec poterimus unquam. Et si lubet scire, quæ per obscuram traditionem de hoc interdicto Divino ad Gentiles ipsos pervenerunt, ea antea apud Arborem ipsam à nobis jam reperies adducta.

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

Quo Modus Obedientiæ Adamo præſcriptæ exponitur.

Præter Legem geminam decet Modum Obedientiæ hujus præſcriptum indagare.

Ex iſta, qua jam defuncti ſumus, tractatione Divinæ Legis, tum præcipuæ tum ſymbolicæ, nondum ſatis plane nobis conſtabit Fœderis Adamici Stipulatio Divina. Siquidem datorum à Deo mandatorum ratio & ſcopus ſæpe admodum variat; quibus adeo homines aliquando vel explorare tantum vel convincere de aliis neceſſariis conſtituit ipſe. Et conſtat utique Legis præcipuæ ſeu Moralis Duratio æterna in & ſub ipſo Fœdere Gratiæ, cujus tamen longe alia quam Fœderis Operum eſt ab homine ſtipulatio. Neque dubium eſſe debet, quin ex bene intellecta ſtipulatione hac pendeat magnopere juſtificatio ſolida viarum Dei cum homine integro & lapſo, agnitio beneficentiæ Mediatoris plena, & everſio felix humanæ ſuperbiæ in erigenda juſtitia propria qua lapſus ille adhuc conſiſtat coram tribunali divino.

Fundamenta ex quibus is cognoſci queat.

II. Obedientiæ ergo à Deo præſcriptæ *Modus* nunc diligentius à nobis inquirendus erit. Quem implicite etiam reperiemus in ipſa *Lege*, qua conſtituit Deus quid ab homine fieri & non fieri deberet. Ea enim licet ex arcano Dei conſilio alium nonnunquam ſcopum habere queat quam ut actu homo illam protinus exſequatur, obligat tamen hominem ad ſubjectionem & conſequentem præſtationem, quamdiu conſilium Dei aliud ipſi non patefit; quemadmodum in exemplo Abrahami apparet, juſſi ut offerret filium, atque hinc ad id agendum prompte cum ſumma Dei laude ſe componentis, etiamſi ab opere ipſo dein valide & perlibenter impediretur. Ea etiam licet ex humana infirmitate, quam peccatum peperit, & ex Dei benevola indulgentia per Mediatoris gratiam, quæ poſt peccatum eſt conſecuta, accipiat magnam rigoris ſui primi remiſſionem, quatenus in Obedientia Mediatoris plena cum proprio ſtudio Obedientiæ omnis eodemque ſincero & perſeverante ſe acquieſcere per Euangelium Electis declarat Deus; aliud tamen longe in prima ſua latione apud hominem integrum & validum dicit, quo nobis Dei jus æque ſanctiſſimum quam ſeveritas dein ejus ir-

reprehensibilis & gratia immensa rectius constaret. Sed & præter Legem ipsam ejus quoque nomen nobis Modum Obedientiæ per eam præscriptæ declarat, ubi illa *Lex Operum* dicitur *Rom.* III. 27. Quod nomen nos satis manifeste ducit ad præstationem Legis plenam & propriam, oppositam fidei Justitiæ Christi ab Euangelio annunciatæ, *coll. Rom.* IV. 5. 6. τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ λογίζεται πίστις εἰς δικαιοσύνην &c. *Phil.* III. 9. καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ, μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου, ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ τὴν ἐκ θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει, &c. Quin tandem præter nomen istud habemus ampliorem Obedientiæ per Legem in Fœdere operum postulatæ declarationem à Mose non tantum & Prophetis, sed & à Christo ipso atque Paulo nobis relictam. Moses enim cum Prophetis ita passim & seriò inculcat *facere & operari* id omne quod Deus exigit, ut nobis reliquerit etiam illam Dei vocem *Lev.* XVIII. 5. *servabitis statuta mea & jura mea quæ faciet homo & vivet in eis*, *coll. Ezech.* XX. 11. 13. Illa enim quamquam apud fideles convictos de sua impotentia Christique justitiam accipientes benigniorem admittat interpretationem, primo tamen suo sensu nos ducit ad propriam operum justitiam, atque sic specie externa hujus fœderis veteris continet stipulationem æque quam promissionem, absque nova tamen ejusdem erectione ulla. Nec alio modo aut sensu vel Christus dixit *Matt.* XIX. 17. *si vis ingredi in vitam, serva mandata*, & *Luc.* X. 28. τοῦτο ποίει καὶ ζήσῃ, &c. vel Paulus illa Mosis verba citavit *Rom.* X. 5. Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς, & *Gal.* III. 12. ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς, &c. Quo magis apud Mosem nos reperimus simul severissimam illam comminationem *Deut.* XXVII. 26. *maledictus qui non firmaverit verba Legis hujus faciendo ea*, quam & Paulus adduxit in eandem nobiscum rem *Gal.* III. 10. ὅσοι γὰρ ἐξ ἔργων νόμου εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσί, γέγραπται γάρ, ἐπικατάρατος πᾶς, ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου τοῦ ποιῆσαι αὐτά, sensum sic verborum Mosis fidelissime tradens; quæ adeo si rursus minus rigoris admittat respectu credentium electorum, non sane propterea in se & primo sensu suo ullatenus extenuanda est.

Requisita fuit in hoc Fœdere ab Adamo Obedientia Universalis Totius Legis.

III. Habemus ergo principia solida, ex quibus de *Obedientia* Fœderali Adami non minus quam posterorum ejus judicemus securè.

curè. Et definimus ante omnia, eam debuiſſe eſſe *Univerſalem*, reſpectu Totius & Omnis Legis quam Deus Adamo quacunque ratione tulerat. Utique quæ Dominus conjunxerat irrefragabili imperio ſuæ voluntatis non licebat ſubjecto ſervo divellere; nec poterat hic id agere, nili hoc ipſo fieret refractarius contemptor majeſtatis, & in Dei ſapientiam æque quam beneplacitum involaret. Conferre in hanc rem licet Chriſti dicta *Matt.* v. 19. ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ μίαν τ ἐντολῶν τύτων τ ἐλαχίςων &c. *Matt.* XXIII. 23. ταῦτα ἔδει ποιῆσαι κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι, &c. & Jacobi illud *Jac.* II. 10. ὅστις γὰρ ὅλον τ νόμον τηρήσῃ, πταίσῃ δὲ ἐν ἑνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος, &c. Ergo debuit Adam præſtare Totam Legem Moralem, in utroque ejus capite, & præceptis hujus utriuſque omnibus ac ſingulis, quomodocunque illa alias diſtinguantur. Non ſufficiebant officia Deo immediate magis debita, niſi accederent illa etiam quæ ad proximum æque quam ad hominem ipſum ſpectabant; neque hæc laudem ullam merebantur, niſi ex illis tanquam fontibus ſuis provenirent. Non ſatis erat à vitiis omnibus interdictis abſtinuiſſe, ſed & virtutes mandatas oportebat exercere; ac virtutum ſtudium cum vitiorum fuga debebat conjungi. Non licebat acquieſcere in illis officiis quæ inſolubilem plane nexum haberent cum Divinis Perfectionibus, quæque ex his ipſe homo intelligere poterat ſe decere, cum agnitione Divinæ æquitatis in his exigendis; ſed & illis ſtudendum erat, quæ Dei præcipientis nudâ niteòantur voluntate in creatione ſeu ſimul cum ea homini in omne ævum præſcripta, quorumque rationem in omnibus non æque perſpectam ſorte haberet. Non oportebat amplius Deum ſolum colere, ſed & hoc agere eo quem ipſe ſignificabat ſibi convenire & placere modo, etiam ſancte habendo ejus nomen, & ſolenniter magis ſtato tempore ipſum glorificando, & non aliqua ſed omnia ſimul amoris in proximum officia addere quæ diſtinctis Tabulæ Secundæ præceptis continebantur. Enimvero accedebat etiam ſtipulatio Obedientiæ adverſus Legem Symbolicam quam Deus adjecerat ipſe. Adeo ut ſi poſueris Obedientiam Legis Præcipuæ plenam, absque hac quoque præſtita poſtquam lata eſſet, (quamvis per rerum naturam ſeparari nequeant,) ea non magis vitam homini dare potuiſſet, quam ſi Lex Symbolica ſola fuiſſet ſervata abſque morali obſequio, quod nec integrè & decenter fieri potuiſſet. Adeò minimè dici debet, promiſſum illud, *quæ faciet homo & vivet in eis*, eſſe diſtinctivum Moralis & Poſitivæ

Legis, ſive ante ſive etiam poſt Lapſum; quando & tum poſt additam Legem aliam Poſitivam quæ Ceremonialis dicitur ſola Lex Moralis homini non magis vitam dare potuit quam hæc ipſa Ceremonialis, ſed utraque ad vitam obtinendam ab hominibus fuit jungenda æque quam utraque Legis Moralis Tabula.

Et Obedientia Totalis Integri Hominis.

IV. Aſſirmus ſecundo, *Obedientiam* Adami debuiſſe eſſe *Totalem*, reſpectu partium omnium ipſum conſtituentium, Animæ nempe cum ſuis diſtinctis Facultatibus, & Corporis cum variis ſuis Membris externis & internis. Non enim Lex à Deo fuit lata, vel Corpori ſoli, quod etiam ſi Animam abſtuleris Legis propriæ dictæ minus capax eſt, vel Animæ uni, quæ Corpus ſibi ad conſtituendam naturam humanam junctum habuit, ſed Homini integro. Et erat utraque hæc pars à Deo creata ac ab ipſo inter ſe unita, ad ſingularem ejus gloriam, quam Obedientiâ Legis ipſius habebat hinc promovendam in utraque illa juncta Homo totus. Quo magis ipſa Legis præcepta quædam equidem ad externa opera ſed & alia ad interna directè pertinent cogitata & deſideria. Nec convenit in Statu Integritatis magis quam in illo Lapſus aut Gratiæ cogitare Deum, tanquam qui externa ſpecie obedientiæ delectetur, dum mens ei reluctatur, aut qui mentis propoſitum velit abſque opere vel fervore operandi perrumpente, tam ad proximi ædificationem quam ad Dei gloriam. Sicuti utriuſque hujus ſuæ partis felicitatem indubie ſtudens promovere homo veram, utramque habuit ducendam per ſemitas obedientiæ. Confer ad hæc Pauli monita 1. *Cor.* VI. 20. δοξάσατε δὴ τὸν θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐϛι τοῦ θεοῦ &c. & vota 1. *Theſſ* V. 23. αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς, καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριϛοῦ τηρηθείη &c. ex quibus utriſque de Integri Adami officio nobis ſatis conſtare poteſt per legitimam ſequelam. Ergo debuit Adam Mente ſua meditari Legem Dei & quidquid illam commendabat abſque oblivione ulla, eandemque approbare non tantum ut decentem, ſed & prorſus amplecti ut omni modo bonam, & ſecundum illam ſe protinus in cogitatis ſuis componere; ne reus ab omniſcio Domino deprehenderetur. Sed & debuit idem Corpus ſuum Divinæ Legi ſubjicere, in omnibus ſermonibus oris, & in omnibus manuum pedum aliorumque membrorum motibus, & in omnibus ſenſuum internorum & externorum operationibus; ne in eo palam de-

Digitized by Google

delinqueret ad Creatoris ſui opprobrium manifeſtum.

Et Obedientia Conſtans abſque intermiſſione aut abruptione.

V. Ponimus tertiò, *Obedientiam* ab Adamo fuiſſe poſtulatam *Stabilem & Conſtantem*, abſque intermiſſione & abruptione ulla. Neque enim illi Lex erat data, quæ ad quædam momenta tantum aliis excluſis obligaret ipſum, & qua dein prorſus eſſet ſolutus. Ex adverſo in ſingula etiam momenta dependebat ille æque quam in ſingulis partibus ſuis à Creatore ſuo ipſum conſervante. Et decebat conſequenter, ut per rationalem Obedientiam ſemper huic eſſet ſubjectus abſque ullius temporis reluctatione. Nec erat hominis abrumpere aut intervertere Deo aliquid de menſura temporis præſcripta magis quam de modo operis mandati. Conferre etiam oportet in hanc rem omnia illa Scripturæ dicta, quæ perſeverantiam ſtabilem in bono exigunt, & defectum temporarium vel perpetuum abeo damnant; quæque ſi in Fœdere Gratiæ adhuc obtinent, à Fœdere operum minime poſſunt cenſeri aliena. Sic prolixe legimus *Ezech.* XVIII. 24. *cum avertetur juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum abominationes omnes quas facit improbus, faceretne & viveret? omnes juſtitiæ ejus quas fecerit non erunt in memoria, in prævaricatione ſua qua prævaricatus eſt, & in peccato ſuo quo peccavit, in iis morietur*, 1. *Cor.* XV. 58 ὥϛε ἀδελφοί μυ ἀγαπητοί, ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι, ἐν τῷ ἔργῳ τ κυρίυ πάντοτε, εἰδότες ὅτι ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔϛι κενὸς ἐν κυρίῳ, *Apoc.* II. 4. ἀλλ' ἔχω κτ σῦ ὅτι τ ἀγάπην ϛε τ πρώτην ἀφῆκας &c. Debuit ergo Adam non modo Septimo Die Quietis, ſed & ſex reliquis diebus, Deo pro ratione voluntatis ejus obedire; debuit ille hoc nocte dieque agere, ſive ſolus ſive aliis junctus eſſet, ſive uni ſive alteri operi incumberet; debuit ille in hoc perſeverare, etiam tentatus & incitatus quacunque ratione in adverſum. Sed maxime debuit ille in hac obedientia perſtare, quouſque promiſſi in Fœdere boni particeps fieret Adam per Dei veritatem & juſtitiam, adeoque currere ad metam uſque & coronæ junctim acceptionem. Ubi animadvertendum eſt, ne tum quidem fuiſſe finiendam omnem ipſius obedientiam in Deum; quoniam hæc ex ipſa natura dependente & rationali hominis ſemper durat in omnem æternitatem, nec minima pars exſpectatæ felicitatis eſt ſanctificationis noſtræ conſummatio. Attamen non eſt ejuſdem perpetuitatis, aut Poſitiva Dei Lex cui obediendum quoque habebat Adam, aut Obedientiæ reliquæ Modus omnis; & eſt longe aliud in ipſius præmii promiſſi fruitione pla-

Digitized by Google

plane immutabiliter facere Dei beneplacitum, aliud eidem per modum officii & conditionis præscriptæ mutabiliter incumbere faciendo. Quod si roges, quantum fuerit spatium temporis quod Deus heic Adamo ad Obedientiam constituerat; non possumus quin profiteamur hac in parte nostram ignorantiam, tacente Mose & Scriptura universa. Quin nec hoc quis cum sufficienti fundamento asserat, quod Deus ipsum illud spatium apud Adamum definiverit; dum ex adverso idem videtur sibi soli servasse, ad eum fere modum quo hodie obligantur fideles ad finalem perseverantiam in bono per omnem vitam etiamsi nesciant quousque illa protendenda sit ex Dei consilio. Qua in re nihil iniqui potest inveniri; dum æternam obedientiam homo Deo suo debet, atque persuasus merito fuit ipse Adam de sapientia & bonitate sui Creatoris, per quam non erat ille nimis longum spatium & curriculum obedientiæ fixurus, aut nimis diu præmium dilaturus.

Et Obedientia perfecta absque ullo vel minimo defectu.

VI. Existimamus quarto, *Obedientiam* Legis Divinæ Adamo incubuisse *Integram* & omnibus numeris ac gradibus *Perfectam*, ut nihil plane in ea ejusve modo à Deo sapientissimo & sanctissimo desiderari amplius posset. Enimverò minimus gradus defectionis à Lege etiam ἀνομία est; atque sic species Inobedientiæ pro Obedientia. Nec licebat aliquid aliquo momento de Lege Divina absque hujus indecora divisione in praxi magis quam in theoria detrahere; uti Totalis hominis Obedientia æquè virium quam partium ejus omnium concursum flagitabat. Quo magis Adam vires sufficientes acceperat à Deo ad Perfectam talem Obedientiam, quas ipsum itaque ad datoris laudes exerere oportebat. Confer ad hæc *Psal.* CXIX. 4. *tu præcepisti mandata tua observare valde*, מאד / σφόδρα, *nimis*, apud LXX. & *Vulgatum*, *Luc.* X. 27. ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου &c. Quæ sicut sonant ex prima Legislatoris intentione *excludunt* ab æstimatione obedientiæ *omnem* παρέσιν *seu veniam conniventiam & dissimulationem*, notante Ven. Avo *Cloppenburgio*. Debuit ergo Adam ita obedire Deo, ut non tantum faceret omne ejus beneplacitum, sed etiam pleniſſimo studio, summo fervore, & maximo desiderio Deum glorificandi magis quam commoda sua obtinendi, quæ tamen ad obedientiam secutura erant & sic secundario heic spectari poterant. Unde pro transgressione debuit jam haberi omnis vel minima

Digitized by Google

nima ad Satanam attentio, & magis quæ hinc fluxit, tam hæsitatio hominis de eo quod ageret ipse, quam omissio confugii ad Dominum.

VII. Tandem quinto addimus etiam, *Obedientiam* Adami debuisse esse *Propriam*, & ab ipso absque Vade ullo alio substituto fuisse præstandam. Declarat enim Lex Fœderis hujus directe, quid non ab alio pro nobis, sed quid à nobis ipsis Deus exigat. Nec vicariis alterius partibus locus est, ubi vires propriæ suppetunt, absque justæ excusationis specie ulla. Et quis alius cogitari heic tandem potest substituendus? ubi præter Adamum non erant nati homines alii, & nascituri secundum communem benedictionem ex se erant ejusdem obedientiæ debitores, & Mediator ex speciali in hominem lapsum gratia tam promissus est dein post Fœdus hoc violatum quam venit suo tempore. Conferre rursus decet, præter illa Mosis & Ezechielis, *quæ faciet homo & vivet in eis Lev.* XVIII. 5. *Ezech.* XX. 11. *&c.* etiam notum illud *Ezech.* XVIII. 4. 20. *anima peccans ipsa morietur*; quod quidem alium illic habet scopum simul, ut nempe specialis Dei indulgentia in non puniendis filiis propter peccata parentum Judæis querulis insinuaretur, sed huc tamen quam maxime ducit, unumquemque ipsum pro se justitiæ studere & injustitiam aversari debere. Debuit ergo ipse obedire, nec per Fœdus illud à pœna potuit liberari si inobediens foret, aut præmium exspectare ex alterius substituti obedientia. Enimvero, inquies, annon antea adstructum fuit *Cap.* VII. §. 10. ab Adamo fuisse in hoc Fœdere repræsentatam tum Evam adhuc creandam tum Posteritatem omnem Naturalem? & si pro aliis obedire potuit & debuit Adam secundum hoc Fœdus, quidni & pro ipso alter aliquis? Sed hæc difficultas non est adeò magna. Quandoquidem existebat vere Adam cum fœdus hoc erigeretur, nemo autem alter; & lubuit Deo cum Adamo Fœdus inire, non cum altero aliquo; & repræsentavit Adam alios præter se, non jam natos & exsistentes aptosque ad accipiendas Fœderis conditiones, qui sic ipsi ab obedientiæ debito liberarentur, sed nascituros demum, & ipsos quoque dein futuros filios Fœderis; quo pacto Repræsentationem illam loco adducto etiam nos antea exposuimus. Unde apparet, quid dicendum videatur seu de Eva seu de Posteritate, si illa aut hæc ad aptam ætatem perducta Obedientiam secundum Legem Fœderis Deo præstitisset. atque Adamus tamen in peccatum lapsus fuisset, Id scilicet in anteceſſum merito notatur, quæstiones omnes

Et Obedientia Propria absque ulla alterius substitutione.

tales minus esse necessarias, ubi per sapientissimum suam providentiam eventus fuit alius, & cum Eva lapsus est Adam ante posteritatem ullam satis adultam. Additur tamen recte, Fœderis hujus istam fuisse rationem, ut ad exemplum Adami quisque alius homo ad Fœdus ineundum aptus teneretur ad propriam obedientiam, nec in communi patre amplius æstimaretur. Quem fere ad modum facit nunc in Fœdere Gratiæ fides pietasque parentum, ut de teneris infantibus ex iis natis bene speremus secundum Divina promissa; sed spes hæc nulla aut vana est de adultis horum liberis, si parentum vestigia haudquaquam premant. Ergo nec pro Eva creata nec pro Posteris adultis obedire ad præmii fruitionem communem potuit Adam; uti hinc ipsius culpa ipsis ad damnum non potuisset imputari amplius. Et præter omnem foret necessitatem ac utilitatem heic velle amplius differere de Nepotibus primis vel secuturis, an in Adamo potius primo Patre an in ipsius Filiis adultis fuissent censendi infantili sua ætate vel ante nativitatem, si per Obedientiam & Inobedientiam Adam à Filiis suis divisus fuisset.

Ad eandem Obedientiam quo pacto nos adhuc obligemur per Fœdus gratiæ.

VIII. Quo pacto à *Papistis* isthæc Obedientiæ data requisita in Controversia de Justificatione quandoque luxentur, indicavit cum aliis Ven. Avus *Joh. Cloppenburgius Exerc. Theol. Loc.* VI. *Disp.* 3. Nos hoc tantum addimus, ad eandem plane Obedientiam vi Divinæ Legis, non quidem illius positivæ sed moralis omnisque quam ipse Deus præscripserit, & Legalis Fœderis Divini, nos naturaliter teneri; quando per transgressionem unam aut multiplicem non potest ulterior obligatio nostra tolli, aut Deo antiquum suum jus eripi. Debemus ergo & nos omni & toti Legi obedire, anima & corpore toto, omni tempore absque intermissione aut cessatione, omni modo & gradu, & quidem ipsi in propria persona; quod nisi esset, aliter agendo non peccaremus nec pœnam ullam mereremur. Quin etiam Resipiscentia nostra quæ cum Fide connexa est non erit vera, nec Sanctificatio cum Justificatione juncta decens, nisi Obedientia nostra fuerit quoque Universalis, Totalis, Constans, & Propria, ita ut ad Perfectionem Graduum tendamus omni nisu, quam heic tamen non obtinebimus sed demum posthac. Sed hæc post abolitum Fœdus Operum per subsecutum Fœdus Gratiæ facta est à Deo respectu Electorum mutatio, quod pro ipsis substitutus sit Christus tanquam secundus Adam & sponsor noster, ut non tantum luat pro Adami primi ipsorumque culpa omni, sed & Obe-

Digitized by Google

Obedientiam Universalem Totalem Constantem & Perfectam Divinæ Legis omnis pro ipsis præstet, & confirmet adeo Fœderis Operum stipulationem totam, excepta sola illa substitutione pro ipsis quam Deus per singularem gratiam suam indulsit miseris peccatoribus. Unde nec ad Obedientiam ullam Legis tenentur amplius credentes in ipsum, ut illa sit ipsis fundamentum juris ad vitam seu Justificationis Causa quacunque ratione Meritoria; uti non possunt de Merito ipso ex Pacto heic cogitare Papistæ, nisi insignem Christi gratiam per Euangelium annunciatam abnegent, & pro novo Fœdere Gratiæ antiquum Fœdus Operum reducant. Quod tantum ex occasione oblata heic notamus.

CAPUT UNDECIMUM

Quo facta à Deo Comminatio Mortis decenter exponitur.

Stipulationis suæ serium declaravit validissime Deus, quando ad interdictum de Arbore Scientiæ boni & mali adjecit *Gen.* II. 17. *quoniam in die esus tui de ea moriendo morieris*, ἧ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγητε, vel φάγεσθε, ἀπ' αὐτοῦ θανάτῳ ἀποθανεῖσθε, apud LXX. pluraliter, *in quocunque enim die comederis ex eo morte morieris* apud *Vulgatum*. Cujus vocis memorem se quoque ostendit Eva *Gen.* III. 3. ita ad Serpentem referens Divinum interdictum ut etiam in fine adjiceret, *ne moriamini*, פן תמתון / ἵνα μὴ ἀποθάνητε apud Lxx. *ne forte moriamur*, mutata persona apud *Vulgatum*; regerente Serpente *vers.* 4. *non moriendo moriemini*, οὐ θανάτῳ ἀποθανεῖσθε, *nequaquam morte moriemini*, apud Lxx. & *Vulgatum*, Et hæc nunc, tanquam explicite adeò narrata præ Vitæ promissione, meretur ante eam quoque nostram declarationem pro instituti nostri ratione uberiorem. Verba Comminationis ex duplici textu adducuntur.

II. Malum ipsum heic denunciatum duabus exprimitur vocibus Hebræis, מות תמות. Posterior certissime Verbum est futurum; heic ex rei natura adhibitum, non sensu præceptivo, aut promissivo, aut etiam simpliciter prædictivo, sed quam maxime comminativo, & qui spectat non ad meram possibilitatem rei, aut gradum modum momentumve ejus speciale, sed ad rem ipsam certò futuram. Phrasis, moriendo morieris, in emphasi sua declaratur.

ram. Prior vero vox ſive habeatur pro Nomine ab iſthoc Verbo derivato, uti fit à Lxx. & *Vulgato*, ſive pro Verbo Infinitivo, parum omnino intereſt. Siquidem conſtat Hebræorum conſuetudo, qua Verba regunt crebro & eleganter Nomen cognatum, uti in *tremere tremore Gen.* XXVII. 33. *luctari luctationibus Gen.* XXX. 8. *flere fletu* 2. *Sam.* XIII. 36. *lætari lætitia* 1. *Reg.* I. 40. *effervere fervore Zach.* I. 2. *&c.* quæque apud Græcos & Latinos perinde in vario caſu obtinet; nec minus familiare eſt Hebræis Infinitivum Verbo ſuo Finito præmittere vel poſtponere, uti heic etiam proxime præceſſit *verſ.* 16. אכל תאכל / *edendo edes*, quod apud Græcos Latinoſque per Participium aut Gerundium exponi ſolet; & ſenſus hinc idem manifeſte oritur. Ubi communi obſervationi Interpretum prolixe ſe opponit *Joh. Clericus*, non tantum ſimpliciter vertens, *morieris*, ſed & ad eam vocem ita excurrens; *Eſt in Hebr. morte aut moriendo morieris, quod multi Interp. volunt de certa morte dici, phraſi ea ejusmodi emphaſin habente. Verum ad examen revocatis innumeris locis in quibus Verbum cum Infinitivo aut Verbali conjungitur, ut hoc loco, comperimus hanc locutionem cum alibi tum in Legibus potiſſimum uſurpari conſuetudine potius linguæ quam propter ullam ἔμφασιν. Infra Abimelechus Cap.* XXVI. 11. *edicit, quicunque Iſaacum aut ejus uxorem attigiſſet, eum morte moriturum. Paſſim in Moſaicis Legibus occurrit, neque exempla quæ ex Concordantiis peti poſſunt proferimus. Sic apud Græcos, & Atticos quidem potiſſimum, Nomina affinia Verbis conjunguntur ſine ulla emphaſi. Homerus Iliad. B. verſ.* 788. οἱ δ' ἀγορῇς ἀγόρευον ὅτε πτολέμοιο θυρῇσι, *illi verò conciones concionabantur ad Priami fores. Ad quem locum Euſtathius,* τὸ δὲ ἀγορῇς ἀγόρευον ἀτλικῶς ἐιρι, ὡς τὸ βυλὴν βυλεύει, καὶ λόγον λέγει, καὶ ὅλως τὸ ἀδιατιθέναι τοῖς ῥήμασι τὰ ἐξ αὐτῶν ὀνόματα, *&c. Rectius dixiſſet, ſi Verba affinia dixiſſet, ut oſtendit H. Stephanus ad librum Corinthi Grammatici de Dialectis Tm.* I. *Quandoque etiam apud Latinos vivere vitam aliaque ſimilia occurrunt, in quibus nullus Grammaticorum emphaſin ullam quærat. Sed in ſacris haud rarò acutiores quam opus eſt ſumus.* Enimvero ſinee à Græcæ & Latinæ linguæ uſu abhorret duarum vocum conjunctio iſta, quid ad omittendam Latine unam harum movit Virum hunc? Et ſi forte apud alios Autores vel etiam ſacros non ſemper ſingularis reperiatur emphaſis in iſta conjunctione, quod non dedit ille hactenus demonſtratum, an propterea ubique illa excludenda eſt? Imo an convenit

Digitized by Google

nit Theologo tam falsè ridere eos, qui divinæ sapientiæ intuitu sensus maximam plenitudinem absque inanibus verbis in Scriptura observant? Sed & quod allegavit ille unum Abimelechi exemplum, illud juxta alterum Legum Divinarum potius ad emphasin singularem nos ducit, si absque præjudicio attendamus, propter comminationis & Legum severitatem. Ergo omnino *moriendo mori* dicit heic Mortis Certitudinem inevitabilem; nec quidquam obstat, quo minus emphasin locutionis hujus heic protendamus ad Mortis tum Severitatem maximam, tum Celeritatem summam, tum Durationem continuam, tum & Speciem variam omnem, de qua deinde agemus. Utique non satisfacit *Symmachus*, Mortem ipsam heic in solam Mortalitatem vertens; etiamsi hoc laudaverit *Hieronymus Quæst. Hebr. in Gen. melius interpretatus est Symmachus, dicens, mortalis eris*; & perinde *Theodoretus Quæst.* XXXVIII. *in Gen.* ἐνταῦθα μέντοι τὸ τῆς θνητότητος ὅρον ὠνόμασε βέλτιον, ἅτε δὴ καὶ ὁ σύμμαχος ἡμερώσας, ἢ δι' ἂν ἡμέρας φάγῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου, θνητὸς ἔσῃ, μὴ δὴ τὴν θείαν ἀποφαίνων καθ' ἑκάστην ὡς ἔπος εἰπεῖν ἡμέραν τὸ θάνατον προσδέχεσθαι, ὅπως οἱ πεπιστευκότες τῷ δεσπότῃ Χριστῷ καὶ σφαττόμενοι ζῶσι, προσμένοντες τὴν ἀνάστασιν καὶ τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν, τῇ δὲ ἐλπίδι ἐσώθημεν, quod exemplum ob perversam hypothesin quoque alienum est. Quamquam nec per omnia sequendus videatur *Ambrosius Cap.* IX. *de Paradiso*, ubi satis prolixè inquirit, *quid interfit* inter *moriemini* & *morte moriemini*, atque ostendere vult *nihil superfluum esse in Dei mandato*, docens tum *quatuor distinctiones, vita vivere, morte mori, morti vivere, vitæ mori*, & concludens; *contra autem morte mori, quid est aliud, nisi cum morte corporis deformitatem significare morientis, cujus & caro communi vivendi munere defraudetur, & anima vitæ æternæ usum habere non possit? &c.*

III. Quo pacto & quam temere Mulier à Veteribus & Recentioribus multis accusetur corrupti Divini Præcepti symbolici ipsius, vidimus *Cap.* IX. §. 4. Sed & illic jam observare licuit, accusationis istius magnam partem pertinere ad hæc verba, *moriendo morieris*, quando ipsa substituit, *ne moriamini.* In quibus est levius quid illa Numeri singularis in pluralem Permutatio; quæ ex justa protensione minarum ad creatam mulierem est profecta, si quidem & eam Adamus certissime repræsentaverat. Gravius autem censeri queat, quod simplex Verbum *moriendi* absque illa duplicatione

Phrasis altera à Muliere adhibita, ne moriamini, confertur in eundem sensum.

Digitized by Google

adhibuerit Mulier, in primis ſi emphaſis ſingularis in illa lateat. Sed idem brevius expreſſiſſe Mulierem cum Deo ipſo, (niſi ſic Moſes contractius ſit locutus, ſenſum ex præcedentibus & ſequentibus ſatis plene judicans conſtare,) monſtrat ipſe Serpens, quando hic rem à Deo denunciatam ex mulieris narratione negans duplicatione verbi uſus eſt לא מות תמתן / *non moriendo moriemini.* Omnium verò graviſſimum hoc cenſetur, quod poſitivam denunciationem Mortis dubiam videatur feciſſe Mulier per ſuum פן / *ne forte.* Sic cum aliis multis *Paulus Fagius*; *In dubium vertit quod aperte & manifeſtè dixerat Dominus.* Sic *Rupertus Lib.* III. *de Trin. Cap.* 5. *Diminuit vero, quia cum certa & affirmativa enunciatione dixerit Deus &c. hæc dubium vel frivolum volens eſſe illud, ne forte, inquit, moriamur &c.* Dum factum hoc Mulieris ſimul excuſat *Cajetanus* tanquam ex dubitatione magis propria quam ex animo falſum referendi profectum; *Quamvis in his mulieris verbis appareat prima fronte manifeſta diminutio divini præcepti &c. ſi tamen perſpicacius conſideratus fuerit ſenſus intentus, apparebit, quod propriam interpretationem mulier inſeruit, referendo divinum præceptum ſecundum ſenſum quo ipſa intelligit illud, hujusmodi enim relatio ſuapte natura pullulat ex diſplicentia præcepti, quod enim nobis diſplicet, ex eo quod elongatur à nobis elongatur quoque à credulitate, quæ enim nobis diſplicent minus credimus. Et hinc effectum eſt, ut, quamvis Mulier non dubitaverit Deum indixiſſe præceptum illud, hæſitaverit tamen, an pœnam mortis appoſuerit Deus comminando, an cum animo eam infligendi, & propterea non animo falſo referendi divinum præceptum, ſed manifeſtando hæſitationem ſuam de ſenſu divini præcepti appoſuit, forte &c.* Ipſi ſic *Tremellius & Junius*, quamquam ſimpliciter verterint, *ne moriamini*, annotarunt tamen; *Hic cæpiſſe videtur mulier labaſcere quum voci certitudinem ſignificanti ſubſtituit dubitandi particulam.* Adducitur autem pro hac obſervatione, non tantum Hebræum פן / quod derivatum à פון / ſeu animi *ſolicita dubitatione Pſal.* LXXXVIII. 16. incertitudinem rei vel animi de ea involvat; ſed & geminatio verbi in ſequenti Serpentis dictione, quæ nempe dubitationem ſupponat. Sed uti valida aſſeveratio Satanæ æque apta fuit ad dubitationem generandam quam fovendam; ita iſtam vim Conjunctionis Hebrææ non agnoverunt Lxx. nec admittunt loca varia alia in quibus legitur, de re ſatis certa ex hypotheſi ſed per actum præmiſſum unicè avertenda *Gen.* XXXVIII. 23. *Num.* XX. 18.

Pſal.

Digitized by Google

Pſal. 11. 12. *Prov.* XXIV. 18. *Jeſ.* XXVII. 3. *&c.* Agnovit hoc cum aliis Lexicographis *Joh. Forſterus* ; פן *idem valet quod Græcis* μήποτε, *id eſt, ne quando, & non eſt omnino dubitantis ſeu hæſitantis, ſed temporis, ſæpeque numero negationem ſimplicem notat.* Et *Buxtorfius* noſter; *Quandoque hæſitantis, ſæpe ſimpliciter negantis particula.* Et validius *Cl. Coccejus; Quidam dubitantis eſſe dicunt, non ita eſt, notat intentionem præcavendi mali &c.* Quin & nuperrime *Joh. Clericus ad h. t.* ſcripſit; *Negativa particula apud Hebræos eſt* פן / *quam* אולי פן *dubitare, anxium eſſe, deducunt, unde colligunt* פן *proprie eſſe, ne forte. Atque hinc caſtiganda Hevæ, quaſi de divina dubitarit comminatione, occaſionem arripiunt. Verum cum non ſemper Etymologiæ conveniat vocum ſignificatio, ex verbi* פן *ſignificatu vix quidquam colligi poteſt, niſi accedant exempla ex uſu petita. Conſtat autem, particulam* פן *plane eſſe ſimilem Latinæ Conjunctioni ne, nec dubitationem tantum ſed quamvis cautionem in futurum ſignificare. Certe non dubitabat ipſe Deus de comminationis ſuæ eventu, cum his verbis Aaroni ejuſque liberis interminaretur, ex oſtio tabernaculi conventus non egrediemini, ne* פן *moriamini Lev.* x. 7. *Vide & Mal.* IV. 6. *Itaque nolim hic Hebræam vocem vertere, ne forte, ut Recentiores nonnulli fecerunt, qui & alibi imitati ſunt Aquilam contentioſum Interpretem, qui non ſolum verba ſed etymologias verborum transferre conatus eſt; verba ſunt Hieronymi ex Epiſt. ad Pammach.* Qua etiam occaſione ipſe excurrit in obſervationem non contemnendam de dictorum ſenſu ſæpe præ verbis ſingulis dicentium in Scriptura relato; quamquam hoc peſſime mox abutatur, *hinc ſequi* monens, *cavendum, ne in excutiendis verbis æquo ſubtiliores ſimus, quaſi eorum qui loquentes inducuntur mens ex accuratiſſima vocum interpretatione non ſine magno acumine cognoſci queat, Hiſtorici Sacri non tantum adhibent verborum delectum &c.* quæ inprimis poſtrema quam inique in Spiritum S. ſint dicta, nemo non animadvertit. Uti vero adverſus mulieris incertitudinem ex reſponſo Serpentis, *non moriendo morieris*, argumentatur *Piſcator*, ita derivat ille פן *à* פנה *aſpexit, reſpexit, quaſi dicatur, reſpectu hujus incommodi evitandi &c.* adjiciens verbum אפנה poſſe deduci à nomine אפן i. e. *rota*, ut ſit *rotor, circumagor, ex qua notatione ſignificatio hujus vocula ſic poterit explicari, quod quatenus notat finem & eventum, nempe propoſitum evitandi eventum malum, hoc ipſo ſignificet metum rotationis ſeu circumactionis cujuſdam, ne ſcilicet*

actio

actio quasi rotetur & circumagatur ad eventum malum &c. Dum *Cl. Coccejus* significationem verbi פן hanc petit ex nostro פן / *qui metuit & sollicitus est cogitat ne forte hoc, ne forte illud eveniat.* Legi heic quoque meretur prolixior excursus *Cl. Gussetii* per loca plurima in quibus vox פן occurrit, & subjectæ de hujus sensu observationes curatæ tres. Cujus tamen annotationem ad hunc locum minime probare possum; *Mulierem credidisse, Arboris fructum venenosa quadam qualitate eam occisurum, & sic ex esu ejus mortem ei prædictam fuisse ut ex causa naturali, nam quamvis initio loquatur de Deo interdicente esum, attamen ipsa interponit contactum, ut ei subnectat* פן *ne moriamini, cavet à morte accersenda per contactum quem certè Deus non vetaverat, & adeò non per vindictam divinam sed per vim rei ipsius nocituram, præter alia ex textus meditatione emergentia pro eadem sententia.* Quid enim, quæso, est in his mulieris verbis, quod monstret ipsam in integritatis statu adeò aberrasse à verborum divinorum sensu, ut comminationem supernaturalem intellexerit ipsa de naturali monitione? dum certe illud פן / *ne*, non magis avertit consecutionem naturalem quam judicialem, vertente hinc *Castalione* liberius, *ne morte plectamur*; dum Tactum Arboris memorat tanquam à Deo etiam interdictum, nec præter Dei ipsius mentem, uti antea suo loco ostendimus; & dum tandem nec ex simplici Tactu Venenatæ Arboris adeò naturaliter poterat videri Mors proventura, nec minus judicialiter ad Tactum quam ad Esum contra Dei interdictum ea consecutura credi poterat & debebat. Hoc adhuc addam; quod, si omnino פן denotet *si forte* cum aliqua eventus incertitudine, hæc non debeat referri ad consequens post positum antecedens, sed ad ipsum antecedens, q. d. non edetis &c. ne id forte agentes sic necessario moriamini. Quod & voluit *Clar. Gussetius*; *Non necesse est subesse dubitationem, nam si causa noxia certo exstat, & efficacia ejus ad nocendum certa est, non agitur de dubitatione notanda, sed de cavendo per remotionem illius causæ. Sed si alterius illarum suppositionum dubitatio subesset, (quæ caderet potius in priorem scil. in causæ existentiam,) tunc per accidens tamen verti posset, ne forte, dubitative, &c.*

De Morte heic transgredienti Adamo denunciata laudantur verba Augustini.

IV. Heic autem cum jam oriatur præcipua illa quæstio de genere Mortis heic denunciatæ, dubito an illa rectius proponi & decidi possit, quam factum est dudum ab *Augustino Lib.* XIII. *de C. D. Cap.* 12. *Cum ergo requiritur, quam mortem Deus primis hominibus*

Digitized by Google

minibus fuerit comminatus, ſi ab eo mandatum tranſgrederentur acceptum nec obedientiam cuſtodirent, utrum Anima an Corporis an Totius Hominis an illam quæ Secunda dicitur, reſpondendum eſt, Omnes. Prima enim conſtat ex duabus; ſecunda ex omnibus tota. Sicut enim univerſa terra ex multis terris, & univerſa Eccleſia ex multis conſtat Eccleſiis, ſic univerſa Mors ex omnibus, quoniam prima conſtat ex duabus, una Anima altera Corporis, ut ſit prima totius hominis Mors, cum Anima ſine Deo & ſine Corpore ad tempus pœnas luit, ſecunda vero, ubi Anima ſine Deo cum Corpore pœnas aternas luit. Quando ergo dixit primo illi Homini quem in Paradiſo conſtituerat de Cibo vetito, quacunque die ederitis ex eo morte moriemini, non tantum primæ mortis partem priorem ubi Anima privatur Deo, nec tantum poſteriorem ubi Corpus privatur Anima, nec ſolum ipſam totam primam ubi Anima & à Deo & à Corpore ſeparata punitur, ſed quicquid Mortis eſt uſque ad noviſſimam, quæ Secunda dicitur & qua eſt nulla poſterior, comminatio illa complexa eſt. Quorum tamen verborum argumentum paulo magis illuſtrare & aſſerere non inutile erit.

V. Ut à poſtrema Morte initium faciamus, non debet dubitari, quin *Mors Æterna* Animæ primum & dein etiam Corporis illi reduniti, ſeu Hominis dolorifica excluſio poſt hanc vitam à Dei fruitione quæ in æternum durabit, heic homini tranſgredienti æque denuncietur quam eadem alias ut peccati pœna proponitur. Non poteſt enim gravior toto genere cogitari vindicta Dei in hominem impotentem per peccatum, quam in eundem viribus inſtructum in integritate. Nec Vitæ promiſſio minoris quam Æternæ etiam facta eſt Adamo, cui oportet ut reſpondeat Mortis oppoſita comminatio. Quin & hoc attendendum, quod Infinita Dei Majeſtas per Peccatum Adami æque quam per alia omnia læſa in homine finito nullam pœnæ compenſationem admittat abſque hujus intenſione poſthac futura & æternitate juncta. Unde hanc Mortem, tanquam dignam ſcelerum omnium pœnam, non tantum ſacræ literæ nobis depingunt, ſed etiam Gentiles plurimi ex conſcientiæ ſuæ dictamine agnoverunt, immiſtis nonnunquam fabulis quas ſapientiores facile exploſerunt. Ad hæc conſiderandum eſt, Mortem heic denunciari non ab homine ſed à Deo, Adamo toti, & quidem geminato Verbo; quod non minus apte Mortem gravem & durantem quam certam & celerem exprimit; & quod utique ad leviorem

Intelligere ſane in ea oportet Mortem Æternam.

Mortis ſpeciem abſque ulla ſpecie reſtringatur. Quæ res omnino obſervanda eſt contra gloſſas *Socinianas*, per quas à vero ſenſu comminationis excludunt Mortem Æternam, heic non niſi *ſecundum myſticam interpretationem* repertam, monſtrante inter alios *Joh. Crellio contra Hug. Grotium de Satisf.* vel Mortem Æternam nominantes per eam intelligunt *manſionem in Morte* temporali ſolam abſque ſenſu mali. Uti hanc phraſin Socinianam latius expoſuit *Simon Epiſcopius in Reſp. ad Quæſt.* LIX. *Mors ambigue Temporalis dicitur, vel quia in tempore homini accidit & ad tempus tantum durat, vel quia in tempore quidem accidit homini ſed tamen ita durat ut nunquam ſit finienda. Nos non iſto ſed hoc ſenſu Mortem iſtam Adamo & Evæ ex vi comminationis divinæ debitam Temporalem dici poſſe credimus. Mors enim iſta aliud nihil erat, quam Animæ à Corpore diſſolutio, quæ pœna ſenſus eſt, & Corporis quidem in pulverem redactio, Anima vero à beata & glorioſa Dei viſione ſeparatio, quæ pœna damni dici ſolet. Hæc Mors in tempore quidem eventura erat homini, ſed ſic tamen ut nullo unquam tempore finienda fuiſſet, niſi gratiam homini Deus facere voluiſſet. Nec enim uſpiam in Scriptura legitur, Deum Adamo æterni ſenſus pœnam comminatum fuiſſe, nec ut eam Deum Adamo comminatum eſſe credatur ratio ſinit; quia alioqui executio comminationis factæ non tam fuiſſet illa, pulvis es & in pulverem reverteris, quam potius hæc, ex pulvere ego te in vitam ſuſcitabo, & in ignem æternum præcipitabo te vivum, ut nunquam non id eſt in æternum ſentias manum meam ultricem.* Quæ perinde inculcantur in *Apologia Remonſtr.* Cap. IV. *Cum de Æterna Morte loquuntur Remonſtrantes in hac de Adamo quæſtione, (de Morte enim Æterna quam actualiter peccantibus atque imprimis contemtoribus Euangelii comminatur Deus jam non agitur,) non intelligunt Mortem illam quæ æterna pœna ſenſus ſive cruciatuum infernalium æterna perpeſſio dicitur, quaſi videlicet eam Deus Adamo vel ſine ulla Morte corporali interventura comminatus fuerit, vel poſt corporalem mortem prius inflictam Adamo ex morte iterum ſuſcitato inflicturus fuerit. Nuſpiam enim pœna hæc Adamo aut denunciata aut inflicta legitur. Sententiam Adami vide, & res liquebit luce clarius. Nec verba, morte morieris, iſtam pœnam vel veriſimiliter poſtulant. Sed intelligunt Mortem Corporalem, ſive diſſolutionem animæ & corporis, quam præcedunt mala omnia ad mortem diſponentia, & quam deinde æterna pœna damni, id eſt divinæ viſionis ſive*

gra-

gratiæ & gloriæ æterna privatio, ſubſequitur. Hæc Mors iſta eſt quam ſententia divina expreſſam credunt. Aliam Mortem, id eſt pœnam æterni ſenſus ut ſtatuant, nulla autoritas, nulla æquitas, nulla ratio cogit, imo ſententiæ divinæ autoritas æquitas & ratio cogunt ut aliam non ſtatuant &c. Repetuntur eadem quoque non minus late & aperte *Cap.* VII. ubi & hoc habent, de præcipitatione Adami in æternos cruciatus *Scripturam ne γεὺ quidem ſane meminiſſe, de iis qui Euangelium & æternam vitæ promiſſionem reſpuunt ac rejiciunt ita loqui Scripturam, at de Adamo ejuſque poſteris nec volam habere nec veſtigium, quin contra &c.* Idem plane tenet *Steph. Curcellæus Inſtit. Lib.* III. *Cap.* 13. ubi ſimul adjicit; *Nec ex eo quod Euangelii contemtores in ignem æternum & inextinguibilem olim conjicientur, ſequitur hanc pœnam in comminatione Adamo facta comprehenſam quoque fuiſſe. In libera enim Dei poteſtate eſt ſitum, quales ipſi videtur peccatoribus pœnas decernere, aliis graviores, aliis leviores, pro criminum diverſitate. Majorem autem ibi eſſe culpam acerbioriquè ſupplicio dignam, ubi major eſt gratia, qualis nobis contingit ſub Euangelio, omnes norunt &c.* Idem inculcavit noviſſime *Phil. à Limborch Lib.* III. *Cap.* 2. hoc præterea urgens; *Nec phraſis illa, morte ſeu moriendo mori nunquam* (debuit dicere *unquam*) *denotat mortem ſpiritualem aut cruciatus æternos, ſed ſemper certo mori. Ita Gen.* XXVI. 11. *Abimelech præcipit, qui tetigerit hominis hujus uxorem morte morietur; & Saul* 1. *Sam.* XIV. 44. *hæc faciat mihi Deus & hæc addat, quia morte morieris Jonatha. Non enim Saul nec Abimelech poteſtatem habebant infligendi mortem ſpiritualem aut cruciatus æternos. Vide ſimiliter Exod.* XXI. 12. 15. 16. 17. *Lev.* XX. 2. 9. 10. 11. 13. 15. *ubi Deus præcipit ut Legis ſuæ tranſgreſſores morte moriantur, id eſt, uti ex textu liquet, à Magiſtratu morte puniantur.* Papiſtarum verò licet non ſit eadem illa per omnia cum Socinianis & Socinianizantibus hypotheſis, aliqui tamen eorum comminationem hanc ad Mortem Æternam vix extendunt, inter quos ipſe *Petavius Theol. Dogm. de Opif. ſex dier. Lib.* II. *Cap.* 10. *Mihi probabilius videtur, ſolam Corporis Mortem expreſſiſſe Dominum &c.* Ut de aliis taceam, quorum de Fœdere Adamico ejuſque Promiſſo hypotheſes huc perinde ducunt. Sed nihil ab his omnibus videmus ſic produci, quod validum ſit adverſus noſtram ſententiam. Utique quando inculcant, *ne γεὺ* de Morte Æterna Adamo denunciata apud Moſen occurrere; videntur hi obliviſci repetitam

Mortis mentionem, quæ cum ſecundum Scripturas alias etiam ſit Æterna aliqua à nobis deſcripta, notionem ejus heic temere in ſeveriſſima comminatione minui putamus ab ipſis. Nec hoc quidquam facit ad rem, quod eadem phraſis integra, *morte moriendi*, alibi hominibus tributa tanquam pœnam hanc ſtatuentibus aut exſequentibus, ad corporalem mortem debeat reſtringi; quandoquidem heic Deus ipſe eſt qui illam ſtatuit abſque demandata hominibus ullis ejus exſecutione judiciali, de qua ipſi tacent Adverſarii. Quam temere & hoc dicatur, *nullam rationem* vel *æquitatem* ſuadere aut pati pœnam iſtam æternam; patet ex iis, quæ de infinita Dei majeſtate per quodvis peccatum læſa, & de primi hominis viribus majoribus, & de Vitæ Æternæ promiſſo, & de naturali cordis dictamine, modo fuere obſervata. Unde & illud concidit, quod de majori contemtus Euangelii gravitate, & pœnæ vario gradu ſecundum delictorum varietatem, adducitur; ſiquidem diverſo reſpectu unum idemque peccatum altero gravius & levius dici poteſt, & varius poenæ gradus non mox infert variam plane ejus ſpeciem. Eſt adeo præcipua objectio quæ ab Exſecutione minarum poſt lapſum petitur, ubi nil præter moleſtias hujus vitæ & corporalem mortem memoretur. Sed unius mali magis expreſſa poſitio nequaquam eſt alterius totalis excluſio, quod alibi in Scriptura copioſiſſime traditur, uti ſuo loco dein monſtrabimus; præterquam quod per ſingularem Dei gratiam ab æterno ſupplicio exemptus quoque fuit Adam, qui in propria perſona corporalibus malis manſit ſubjectus. De ipſa porro Morte Æterna, in quo ſita ſit, & de Poena Damni, poſt hanc vitam non agnoſcenda abſque ejus ſenſu, non licet heic per inſtitutum noſtrum diſputare.

Sed & ſimul Spiritualem, quæ eam antecedit.

VI. Ex principiis antea poſitis, de Deo ipſo minante, homini toti, per verbum duplicatum, concludimus minime etiam ab hoc loco excludi poſſe *Mortem Spiritualem* Animæ, quæ nempe erat pars Adami præcipua & præcipue peccans, ad Corpus ipſum quoque extenſam quatenus ad rationales actiones concurrit; prout hæc dicit ablationem divinæ gratiæ vivificantis ab homine, unde in eo oritur ceſſatio omnis boni & impotentia ad illud totalis, ſeu ſeparationem à Deo, *coll. Rom.* VI. 13. *Eph.* II. 1. V. 14. *Col.* II. 13. *1. Tim.* V. 6. *&c.* eaque in poſteris omnibus Adami ex hujus lapſu naturaliter obtinet. Eam vero Mortem uti deſcripſit feliciter *Auguſtinus in Pſal.* LXX. *ſicut vita corporis anima, ſic vita animæ Deus, quomodo ſi Anima deſe-*

rat

rat moritur Corpus, ſic Anima moritur ſi deſerat Deus &c. ita huic ſpectaſſe videtur poſt *Philonem Judæum* ipſe *Origenes Hom. XV. in Gen.* Atque uti illam inter Latinos alios maxime urſit *Gregorius Epiſt. 31. Lib. VI. ad Eulogium Alex & Anaſtaſium Antioch.* ita cum Græcis aliis inculcavit *Iſidorus Peluſ. Lib. III. Epiſt. CCLII ad Doroth.* εἰ γὰρ μὴ ἦν θάνατος τῆς ἀθανάτου ψυχῆς ἐφίζετο τῇ ἁγίᾳ πνεύματος ἀποφοίτησις, ἡ μὲν καλοικήσασα ἐν σώματι καλάχρεως ἁμαρτίας, καὶ ὅτω νοείσθω, ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα ζῇ παρούσης ψυχῆς, ὅτω καὶ ἡ ψυχὴ παρόντος ἁγίου πνεύματος, καὶ ὥσπερ ἀναχωρησάσης τῆς ψυχῆς νεκρὸν μένει τὸ σῶμα, ὅτω καὶ ἀποφοιτήσαντος ἁγίου πνεύματος ἀπολέσει ἡ ψυχὴ τὴν μακαρίαν ζωὴν, οὐκ εἰς τὸ μὴ ὂν ἀναλυομένη, ἀλλὰ θανάτῳ παντὸς χαλεπωτέρῳ βιοῦσα ζωὴν &c. Quamquam autem horum ratio pro iſthac exegeſi ſolâ non ſit ſatis valida, non reperio tamen apud alios argumenta quæ Mortem Spiritualem heic excludere cogant. Id ſane ſuo diſcurſu non agit *Dion. Petavius*; *Mors Animæ quamvis ſtatim eſt conſecuta, non tamen pœnæ loco ſolet apponi, ſed aliud quiddam quod à peccato differt. Nam peccatum ipſum Mors eſt Animæ. Quod ſi quis illa verba, quacunque die comederis morte morieris, de peccato vellet accipi, non tam pœnæ inflictio cenſenda foret quam determinatio quædam delicti. Quippe fructum ex Arbore illa comedere, ſi abeſſet præceptum, peccatum non eſſet, Deus autem prohibendo fecit, ut jam ſine peccato comedi non poſſet. Ideo mandati ille ſenſus foret; quocunque die comederis, tu me graviter offendes. Sed ea proprie culpæ pœna non vocatur. Quippe pœna eſt ejuſmodi, quam contra Legem facienti Index ipſe, non ſibi reus imponit. At Mortem Animæ citra Judicis voluntatem ſibi quiſque conſciſcit &c.* In his utique non tantum male videtur negari, quod idem ſimul diverſo reſpectu Culpa & Pœna dici poſſit; ſed & Mors Spiritualis nequaquam ut decet exponitur, ab ipſo Peccati primi actu diſtinctiſſima.

VII. Enimverò minime omnium in comminationis Divinæ exegeſi prætermittenda eſt *Mors Corporea*; prout illa inchoatur primum per Moleſtias & Ægritudines omnes hujus vitæ, quam Mortem Calamitatum ſolent appellare, *coll. Exod. X. 17. 1. Cor. XV. 21. 2. Cor. XI. 23. &c.* & prout eadem tandem conſummatur in ſeparatione Animæ à Corpore hujuſque corruptione inſequente, *coll. Rom. V. 12. 14. &c.* Eſt utique hæc Mors, quam vox proprie & primo notat, & quæ in aliis locis plurimis intelligitur ubi phra- Omnino etiam Corporalem cum Calamitatibus omnibus præcedentibus.

Digitized by Google

ſis illa *moriendo mori* occurrit. Eſt hæc Mors malum vere magnum, & maxime terribile, quo homo totus diſſolvitur, quodque Deus variis modis infert poſt commiſſum peccatum. Eſt hæc Mors vere adeo Peccati Poena; eademque non tantum ad Adami tranſgreſſionem ſecuta in ipſo & poſteris omnibus; ſed & ei ut talis denunciata ſimul ac peccaſſet *Gen.* III. 16.... 19. *quoniam pulvis es & in pulverem revertieris.* Quem locum ad exegeſin comminationis anterioris ab ipſis *Socinianis & Socinianizantibus* conferri antea vidimus; etiamſi hi per miram πρόλωψιν non tam complementum quam initia hujus Mortis heic tum iterum velint notari. Ita nempe inter alios *Joh. Crellius Cap. 1. de Satisf. Secundum ſenſum literalem ſeu hiſtoricum Mortis nomine intelligenda videntur omnis generis mala quæ hominem uſque ad mortem ſequuntura eſſent, ſeu vita miſera atque infelix, quæ ipſam quoque mortem celerius quam naturæ conditio poſtulat accerſere ſolet. Nam poſtquam homo peccavit, Deus explicans quodammodo ſe ipſum, & quid per Mortem in comminatione ſua intellexiſſet declarans ait &c. Ubi Mortis non tanquam Pœnæ fit mentio, ſed tanquam Termini ad quem uſque pœna ſit duratura, eique hominem ſubjectum declaratur tanquam rei quæ ipſius naturæ ac materiæ ex qua conſtabat propria ſit & valdè conſentanea &c.* Utique pro intelligenda heic Morte Corporali adverſus *Pelagianos* cum *Auguſtino* ab ævo diſputatum eſt valide, nec male adeo *Petavius* dixit; *Talem Adamus peccati ſui pœnam adeptus eſt, qualem Deus ſententia ſua conſtituit. Unde cum Corporis Mortem velut præcipuam & capitalem pœnam irrogatam illi eſſe Catholici omnes ſentiant, non dubium eſt quin Moriendi vocabulo iſta ſignificetur &c.*

Mors hæc omnis quando cum Eſu fructus vetiti connectitur, eam pro Pœna ad transgreſſionem tantum ſecutura habendam eſſe apparet.

VIII. Atque ita viſo malo Mortis quod Deus minatus eſt Adamo, videre oportet ſimul caſum in quo per illud ipſe premeretur; qui eſt, ſi *de ea*, Arbore Scientiæ boni & mali proxime nominata & ſeverè interdicta, *ederet*, מכלך ממנו. Nempe eſt *de ea* heic tantundem quam de hujus unius determinatæ & eximiæ Arboris fructu vel minimum; & comprehendit *eſus*, per verbum Infinitivum ad modum Gerundii expreſſus, ipſum etiam tactum ad eum ducentem, ſecundum Mulieris declarationem antea à nobis aſſertam *Cap.* IX. §. 4. Ex iſto autem Eſu quandò conſecutura dicitur Mors, viſum antea eſt *Cap.* IX. §. 8. quo pacto hoc ad vim phyſicam fructus tanquam venenati à nonnullis trahatur; ex quo eodem fonte fertur &

ho

hodie esse qui omnem corporum nostrorum ex Adamo ortorum & simul morum intemperiem derivet, procul imputatione peccati primi aut alia vera mentis corruptione intrinseca. Sed & istic adversus *Clericum* jam disputavimus de hac hypothesi, tanquam integram Mosis narrationem de Divino præcepto illudente. Præterquam quod minime conveniat ea cum Arboris hujus laude, quod fuerit *bona ad esum* non minus quam *desiderium oculis Gen.* III. 6. Atque ea stare minime potest, ubi Deus plane tanquam Dominus & Legislator summus pro mero arbitrio suo nobis occurrit, qui simul poenis muniat suum beneplacitum, uti in Lege passim, non tanquam amicus prudentiæ salutaria monita dans; ac ubi de Morte non sola corporali sed & omni alia sic nominata loqui Deum modò monstravimus. Ergò ad Esum de hac Arbore secutura erat Mors per modum Poenæ à Deo judice infligendæ, quam hinc alias non habebat metuendam. Quod tamen non ita intelligendum est, ac si ad solum hunc Esum consecutura esset Mors, in oppositione ad omnem aliam Legem & Transgressionem, quasi vel illam non habuisset vel hæc fuisset ei impunis. Sed ad externum illud interdictum adjecta est comminatio, quia illud symbolicum erat & declaraturum reliquam moralem Obedientiam vel Inobedientiam; & possumus hinc concludere à minori ad majus, si mere arbitrariæ Legis externa violatio tam severe esset punienda, non minorem fore Dei poenam in hominem peccantem contra necessaria prorsus officia alia Deo debita. Enimvero, uti nemo causari debet, poenam hanc omnem Mortis esse nimis gravem ad violationem Præcepti mere Positivi, quando in illa quam maxime læditur infinita Dei majestas & tota Lex Moralis simul violatur, quod apud Adami transgressionem suo loco amplius monstrabimus; ita ipsa natura comminationis & poenæ arguit, Mortem non modo Æternam & Spiritualem sed & Corporalem adeo procul ab Adamo Integro abfuisse, ut nisi peccaret nulla ratione mori posset. Qua de re actum est quoque contra Pelagianas hypotheses Socinianorum in expositione Divinæ Imaginis homini concessæ *Cap.* V. §. 24. *&c.* Utique sicut clarum est, etiam ex collatione sententiæ post Adami lapsum latæ, non tantum initia sed & consummationem Mortis corporeæ per modum Poenæ heic spectari æque quam in aliis textibus multis, nec hanc vel in sola Necessitate Mortis inevitabili, vel in Celeritate majori, vel in Modo magis violento, vel in Du-

Duratione perpetua, abſque vi verbis illata poſſe conſtitui; ita mirum eſt, quam vana *Sociniani & Socinianizantes* quærant effugia, ut contra divinam hanc comminationem Mortem teneant eſſe Naturæ humanæ ſequelam etiam abſque interveniente peccato. Nempe cum aliis urget *Joh. Crellius; Etiamſi homo primus peccato ſuo pœnam mortis incurrerit, non tamen inde conſequi, omnem mortem pœnæ habere rationem.* Quod idem & alio modo proponit mox; *Adde, quod ne illud quidem ſequatur ex vi iſtorum verborum, ſi comederis morieris, alia ratione fieri non potuiſſe, ut is ipſe cui hæc comminatio fuit propoſita moreretur niſi comediſſet, etiamſi comeſtionis nomine omne peccati genus complectaris. Nam ſi, verbi gratia, Dominus dicat ſervo, ſi quid gravius deliqueris, pugnare jubeberis cum beſtiis, non protinus inde ſequetur, eum ſi nihil deliquerit vel ſponte ſua idem facere non poſſe virtutis oſtendendæ & præmii alicujus vel ſaltem gloriæ conſequendæ cauſa, vel à Domino id illi jure imperari non poſſe. Quid ſi enim aut herus ipſe, aut herilis filius, aut amicus, aut denique aliquis ex ſervis Domino charis, in beſtias incidat & de vita periclitetur, non potuerit ſervus iſte jure adigi ut cum beſtiis pugnet & ita illum periculo liberet? Hoc tantum ex hujuſcemodi comminatione conſequitur, eum cui illa proponitur poſſe iſtud malum ſi nihil deliquerit effugere, aut ſi id nihilominus perpetiatur, pœnæ rationem id non habiturum &c.* In quibus verbis illa quæ proxime ante finem exciderunt huic homini bene notari merentur, ſiquidem in iis ponitur ex hac comminatione ſequi quod Adam per obedientiam potuerit effugere malum Mortis, non probabiliter ſed certo, adeoque non mori. Quod plane neceſſarium eſt, niſi comminationem velimus facere ineptam mali, quod ſive obediret ſive non obediret in ipſum irruere poſſet, quin & ex conditione naturæ ſuæ deberet aliquando. Utique non de hoc aut illo formali Mortis tantum agitur in hac comminatione, ſed de illa ipſa ſimpliciter; quæ licet locum in Fidelibus habeat abſque ratione Poenæ ſtrictius dictæ & Satisfactoriæ, in his tamen quoque ſpectanda eſt ut peccati Conſequens adeoque ſpecies Poenæ in ſenſu latiori. Dum exemplum adductum Domini eſt ab hoc Dei verbo Foederali alieniſſimum; quandoquidem pugnare cum beſtiis in ea latitudine non dicit certum pugnantis interitum, uti hinc ſupplicium capitale fuiſſet nominandum pro pugna illa; & homines ſæpe iniquiſſime agunt cum ſervis ſuis, quod in Deum optimum & ju-

juſtiſſimum non cadit; atque ita minatum eſſe Adamo Deum deinde conſtabit ut non delinquenti oppoſitum Vitæ etiam fecerit promiſſum.

IX. Dolemus verò, iſtis quæ de Morte Adamo tranſgredienti in Poenam denunciata hactenus dicta ſunt tantum non ab omni parte ſe oppoſuiſſe *Jac. Altingium*. Is ſcilicet alibi quidem loquitur de Morte Æterna, ut poena ſatisfactoria ex ira Dei *Compenſante*, & de Morte Temporali, tanquam quæ fluat ex ira *Convincente, quæ teſtatur de odio Dei contra peccatum & indignatione ob hujus commiſſionem &c. Conc. XXII. in Rom.* v. 12. quæ cum reſpectu ad fideles ſolos non adeo male forent dicta, ſed generatim non ita concedi poſſunt. Sed *in Epiſtola XXVI. ad Joh. Rud. Weiſtenium* clarius ille mentem ſuam expoſuit de comminationis hujus ſenſu, ut *candide ederet* quid de morte corporali Chriſti ſentiret. Nempe poſtquam nominaſſet Mortem triplicem, Spiritualem, Corporalem, & Æternam, & poſtremum hoc nomen redarguiſſet, ſubjicit; *Atque hic omnino attendendum iſtud eſt, in dicta comminatione non tantum definiri pœnam à Deo judice infligendam, ſed etiam circumſtantiam temporis quando ea infligenda eſſet; & quemadmodum pœnam tranſgreſſori ſtatui poſcit Dei juſtitia, ita eam ipſam pœnam definito temporis articulo ſtatui poſcit Dei veritas &c. Hinc vero talem deduco concluſionem. Ea Mors intelligitur in prima comminatione, quam & primi homines eopſe quo peccarunt die adierunt, & Chriſtus Sponſor loco & vice quorundam ſuſtinuit, & damnati omnes tolerabunt ipſimet qui ſponſore carent & pro ſe ipſis ſolvere cogentur. Cui quidem concluſioni non video quid ſolide opponi queat, quandoquidem Sponſoris ac debitorum reatus uno eodemque modo expiandus eſt; & quod πρωτοπλάσυς attinet, veritatis divinæ intereſt, ne fieret aliter quam illa definierat. Jam videamus*, inquit porro, *de qua Mortis appellatione valeat, quod concluſio iſta flagitat. Prima quidem ſeu Spiritualis intelligi nequit, ſive carentia rectitudinis. Etenim iſta nequit cadere in Chriſtum, aut erit æque peccator & corruptus ac alii, & irrectitudo erit ſolutio pro peccato. Præterea irrectitudo in Adamo non fuit pœna inflicta à Deo, alioqui Deus erit autor peccati, ſi enim ille abſtulit ab Adamo rectitudinem, fecit eum curvum, diſtortum, hoc eſt, peccatorem. Carentia rectitudinis non eſt pœna ſed peccatum Adami Eccleſ.* VII. 29. *qui quantum declinavit à rectitudine tantum peccavit, & poſtquam ſemel ſe curvavit nunquam ſemet ipſum potuit erigere. Secunda non magis hic locum habet, nem-*

Gloſſæ aliæ Viri docti de Morte heic denunciata examinantur.

pe Corporalis. Nam ipſo die Culpa primi homines eam paſſi non ſunt, neque pati potuerunt, utpote quæ ex parte ſubduceret mortis tolerandæ. Etenim qui ipſimet Sponſore deſtituti (quo initio primi parentes carnerunt ante Euangelii promulgationem) pro ſe ipſis debent ſatisfacere, revocandi ſunt in vitam corporalem, ut Mortis ferendæ idoneum ſint ſubjectum. Quod invictum eſt argumentum pro mortuorum reſurrectione &c. Tertia igitur reſtat, quam Hominis dixi, quæ conſtat non ſolum privatione ſenſus favoris & Dei communionis cum eo, ac lætæ acquieſcentiæ in ejus fruitione, ſed etiam habet tormenta & cruciatus, quos ira Dei ejuſque omnipotentia poteſt inferre, quæ ſimul perennat creaturam ut non pereat ſubjectum. Hanc reperire eſt in omnibus illis quos commemoravi, ut judicium inde fieri queat. In primis peccatoribus quidem, nam adventum ejuſdem diei, eo declinante in veſperam, audiverunt vocem Dei indeſinenter obambulantem hortum. Non fuit ea articulata vox, quam antea ſueverat audire, & poſtea ſonantem lubens excepit verſ. 9. ſed qualis in Sinai audita Exod. XIX. 16. 19. *& deſcripta eſt Pſal.* XXIX. *&* LXXVII. 18. 19. *vox tonitrui & fulgurum, teſtis iræ potentiæque Dei inſuperabilis reæ creaturæ, quam tota nocte ſonuiſſe, & fulgetra hanc colluſtraſſe, conjectura mihi eſt, quia ſeptimi diei nulla præcedanea veſpera ſeu nox memoratur, cum tamen hoc non ſecus quam aliis diebus Veſpera anteceſſerit Mane; & Adam ejuſque uxor abſconderunt ſe in denſitate Arborum horti, non ſecus ac damnandi optabunt facere Apoc.* VI. 15. *Tota autem illo tempore donec Deus articulate evocavit, paſſi ſunt tormenta inexplicabilia, non minus quam felicitas ſumma inexplicabilis eſt &c. & hæc vere Mors eſt, uti illa vere Vita. Plura quidem de ea Morte primorum parentum declarata non ſunt; ſed nec opus fuit, cum veritas Dei dilationem non pateretur, & argumenta ea adſint quæ in re incomprehenſibili & inexplicabili ſufficiunt. Enimvero poſtquam paſſi eſſent comminatam Mortem protoplaſti, & ſatisfactum veritati Dei, licet nondum juſtitiæ plenam & ſufficientem compenſationem poſtulanti, intervenit &c.* In quibus poſtremis verbis hoc minus videtur probai poſſe, quod Morti denunciatæ, quæ nec ſpiritualis nec corporalis ſit ſed Æterna alias dicitur, tanquam ex parte compenſanti ipſum mox ſubjicit Adamum; uti nec hoc adeo facile capio, quod ſic veritati Dei minantis vult ſatisfactum, nec tamen ejus juſtitiæ, quaſi hæc plus exigeret quam in comminatione fuiſſet expreſſum. De Terrore ipſo Adami,

Digitized by Google

mi, tonitribuſque & fulguribus per integram noctem, erit ſuo loco dicendum. Enimvero ſi per iſtum Terrorem vel integræ noctis impleta in Adamo fuit comminationis noſtræ veritas, jam certe in ea non intelligitur *Mors* illa *Æterna quæ poſt reſurrectionem damnatis irrogabitur*; quam etiam ex hoc fonte vult *minus commode dici æternam, cum ad ejus eſſentiam non pertineat æternitas durationis, ſiquidem alias Chriſtus eam non ſuſtinuiſſet, ipſe non plenarius ſponſor fuiſſet, & Pater* ἀπαραλλάκτως *judex qui Filio poſſimam pœnam remiſerit, quæ blaſphema arbitratur, ſed tantum per accidens talis evadat ex conditione ſubjecti patientis, quod cum ſuperare nequeat in ea manet perpetuo &c.* Quæ recte quidem ſunt dicta, ſed ad Adamum hominem finitum male applicantur, cui ex æterna Morte ſi hanc ſubiiſſet vere nullus exitus potuiſſet concedi, utique non ſecundum Comminationis plenitudinem in peccatoribus aliis exſequendam. Ego iſtum qualemcunque Adami Terrorem potius ad Mortem Spiritualem retulero, in quam incidit omnino Adam, alias ex ea per gratiam Dei in Meſſia non liberandus. Ad hanc autem Mortem Spiritualem ſi perinde diſtinxiſſet *Altingius* id quod eam directe conſtituit ab eo quod inde in nudis hominibus conſequitur, non nominaſſet heic ſolam *rectitudinis carentiam*, quæ utique in Chriſto locum nec habuit nec habere potuit, ſed etiam & magis ſubtractionem ſoliti divini favoris, qua non obſtante Chriſtus ut ἀναμάρτητος rectus manſit. Quin etiam minus quam decet cum Theologia noſtra conveniunt, quæ heic diſputantur adverſus *Irrectitudinem*, quaſi illa propterea quod peccatum ſit nullo modo pertineret ad Pœnam à Deo inflictam, vel hoc judicialiter ſecundum Scripturas aſſerto Deus ipſe autor peccati conſtitueretur. Adverſus Mortem tandem Corporalem heic intelligendam quod *Altingius* petit argumentum ex *Diei* ejuſdem determinatione, veteris admodum eſt obſervationis, & mox diſtinctius enucleandum. Sed cur ipſo die Culpæ primi homines non potuerint pati Mortem Corporalem, non video; ſi quidem mox poſt eam potuerunt utique reſpectu Animæ ſummis cruciatibus angi, eoſdemque ocyus vel ſerius etiam in reſtitutis corporibus experiri, æque quam ſi ſerius Mortem Corporis ſubiiſſent.

X. Nectitur autem in Comminatione Mors denunciata arctiſſime cum Eſu de Arbore vetita, tum reſpectu Perſonæ agentis & patientis, tum etiam reſpectu Temporis. In eadem enim Perſona Secun- Mors Adamo ipſi & eodem lapſus die quo

da ſingulari Adami compellati agitur de Eſu & Morte, dicitur-
ur que, *in die* eſus *tui* de ea' morienda morieris, tu ſcil. ipſe, ſicuti
ex vario- Fœdus Operum in ſe nullam continet ſubſtitutionem. Ubi præci-
rum ſen- puum eſt ab ævo apud Interpretes dubium de tempore determi-
tentia, cum nato illo, ἧ δ' ἂν ἡμέρᾳ, *in quocunque die*, apud LXX. & *Vulgatum*; quando ipſo illo die non deprehenditur mortuus Adam, ſed
ipſe mor- tuus tum non ſit. ad tam multos adhuc annos & ultra novem ſecula vixit ipſe. Ad hujus ſolutionem fuerunt qui cum *Caſtalione* ביום exponerent per *ſi, coll. Rut.* IV. 5. *&c.* Alii *diem* obſervarunt communius pro tempore etiam longiori poni, cujus determinandi apud Deum judicem fuerit arbitrium, quod alias haud infrequenter fieri putatur, etiam heic *verſ.* 4. *in die quo fecit Jehovah terram & cœlos, &c.* Alii *diem* de mille annis ſunt interpretati intra quos mortuus fuit Adam, *coll. Pſal.* XC. 4. *Iſ.* LXV. 22. *&c.* Nec fuerunt hi tantum Judæorum Sapientes, referente etiam *Jachiade ad Dan.* VII. 25. ſed & Chriſtianorum antiquiſſimi apud *Irenæum Lib.* V. *Cap.* 23. *quidam autem rurſus in milleſimum annum revocant mortem Adæ, quoniam enim dies Domini ſicut mille anni, non ſuperpoſuit autem mille annos ſed intra eos mortuus eſt tranſgreſſionis adimplens ſententiam &c.* ipſe quoque *Juſtinus Martyr in Tryph* τὸ δὲ εἰρημένον ἐν τοῖς λόγοις τούτοις, ἡμέρας δὲ ξύλου *&c.* νενοήκαμεν ὅτι χίλια ἔτη ἐν μυστηρίῳ μείνῃ, ὡς γὰρ τῷ Ἀδὰμ εἴρητο, ὅτι ἧ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου ἐν ἐκείνῃ ἀποθανεῖται, ἔγνωμεν αὐτὸν μὴ ἀναπληρώσαντα χίλια ἔτη, σωήκαμεν ἢ τὸ εἰρημένον, ὅτι δ' ἡμέρα ὡς χίλια ἔτη, εἰς τοῦτο σωάγῃ, *&c.* Nec prætermiſit *Peluſiota loc. cit.* τὸ γὰρ λεγόμενον ἀπόῤῥητόν τινων, ὅτι περὶ τῶν χιλίων ἐτῶν συμπληρώσεως ἐτεθυήκεσιν. γέγραπται γὰρ, μία ἡμέρα κυρίου ὡς χίλια ἔτη, οὐκ ἀγνοούμενον πιθανὸν εἶναί μοι δοκεῖ, καὶ τοῖς ἀπλουστέροις μᾶλλον ἀποδεκτόν. Alii *diem* ad univerſum mundi & vitæ humanæ tempus retulerunt, tractis huc verbis *Irenæi* de *conditionis die uno*. Alii *diem* ſpectarunt eundem ſeptimanæ recurrentem poſt multos annos, quo & Adam mortuus ſit & ad ejus exemplum Chriſtus ipſe, ſecundum *Irenæum*; *Secundum autem circulum & curſum dierum, ſecundum quem alia quidem prima, alia autem ſecunda, & alia tertia vocatur, ſi quis velit diligenter diſcere, qua die ex ſeptem diebus mortuus eſt Adam, inveniet ex Domini diſpoſitione. Recapitulans enim univerſum hominem in ſe ab initio uſque ad finem, recapitulatus eſt & mortem ejus Manifeſtum eſt itaque, quoniam in illa die mortem ſuſtinuit Domi-*

nus

nus obediens Patri, in qua mortuus eſt Adam inobediens Deo. In qua autem mortuus eſt, in ipſa & manducavit. Dixit enim Deus, in qua die &c. Hunc itaque diem recapitulans in ſemet ipſum Dominus, venit ad paſſionem pridie ante Sabbatum, quæ eſt ſexta conditionis dies, in qua homo plaſmatus eſt, ſecundam plaſmationem ei eam quæ eſt a morte per ſuam paſſionem donans. Qui & deinde hoc repetiit; *Sive ſecundum hunc circulum dierum, quia in ipſa mortui ſunt in qua & manducaverunt, hoc eſt paraſceue, quæ dicitur cœna pura, id eſt, ſexta feria, quam & Dominus oſtendit paſſus in ea.* Sed & in *Morte* denunciata alii quæſiverunt potius ſolutionem, nolentes Corporalem heic intelligi, ſed vel Æternam, vel Spiritualem, vel Calamitatum illam. Illud eſt, quod maxime pro ſe urget *Jac. Altingius*, præter ante citata hoc quoque habens; *Eſtque momentum haud leve in ſermone diaboli Gen.* III. 5. *Deus novit, quo die comederitis aperientur oculi veſtri, quod quidem eopſe die tranſgreſſionis factum eſt verſ.* 7. *& diabolus veritatem hic dixit, Deus vero, abſit blaſphemia dicto, mendax erit ſi non ipſo tranſgreſſionis die mortem comminatam adierit homo, maxime cum Deum nihil potuerit impedire quo minus faceret quod dixerat & Paulus teſtetur ſcimus judicium Dei eſſe ſecundum veritatem Rom.* II. 2. Primo etiam loco hoc *Ireneus* poſuit; *Simul cum eſoa & mortem adſciverunt, quoniam inobedientes manducabant, inobedientia autem Dei mortem infert &c.* Et hoc urſit ex Græcis æque *Gregorius Nyſſenus Orat.* II. *c. Eunom.* οὐκ ἦν πᾶς ἐτῶν ἑκατονταέτας ἐπεβίω μὴ τὴν ἐπαγγελὴν ὁ πεντάπολας Θ. ἀλλ' ὁ θεὸς οὐκ ἐψεύσατο εἰπὼν ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ φάγητε θανάτῳ ἀποθανεῖσθε, διὰ γὰρ τὸ ἀποτελεσθῆναι αὐτὴν τῆς ὄντως ζωῆς αὐθημερὸν ἐκυρώθη κατ' αὐτὸ ἡ τοῦ θανάτου ἐπιφασις &c. quam cum aliis Latinis *Gregorius*; *Si enim Adæ qui primus peccavit anima in peccato mortua non eſt, quomodo de Ligno vetito ei dictum eſt, in quacunque die &c. & ecce comedit Adam & Eva de Ligno vetito, & tamen in carne ſua ultra nongentos annos poſtmodum vixerunt, conſtat itaque quia in carne non eſt mortuus, ſi ergo in anima mortuus non eſt, quod dici nefas eſt, falſam ſententiam de illo protulit Deus &c.* Tandem alii paſſim Mortem etiam Corporalem in propria ſua notione heic capiunt, ſed volunt eam poſſe Adamo optime tribui eodem die lapſus, quoniam tum ſententia Mortis in eum lata eſt, atque ipſe ſic non tantum mortalis factus & moriturus certo fuit ſed & cœpit omnino de facto mori virium ſucceſſivo defectu. Atque ita quoque præierunt Veteres;

Digitized by Google

Irenæo ſpectante homines primos ut *ſactos* mox *debitores mortis*; & *Theodoreto* obſervante, ἐνταῦθα μάλιστοι τ τ θνητότητ ὅρον ἐνόμαζε θάνατον &c. & *Peluſiota* notante, ὁ γὰρ κακῶν ἐργ καὶ ὁ αἱδροφόν τότε κυρίως ἀποθνήσκ, ὅταν σὺν νόμῳ ἁμαρτάνῃ, καὶ τὸ ἁμάρτημα ἐργάσηται, κἂν δοκῇ ζῆν, εἰ γὰρ καὶ μὴ τῇ πείρᾳ, ἀλλά γε τῇ ἀποφάσ καὶ τὸ δικαίῳ τέθνηκεν &c. & *Chryſoſtomo* hoc exſequente latius *Serm.* XVII. *in Gen.* εἰ γὰρ καὶ πολὺν ἐτῶν χρόνον ἔζησαν, ἀλλ' ὅμως ἀφ' ἧς ἤκουσαν τὸ, γῇ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, καὶ τ ἀποφασιν ἐδέξαντ θανάτου, θνητοὶ γεγόνασι, καὶ ἐξ ἐκείνου ἂν τις εἶπεν αὐτὸς τεθνηκέναι, τοῦτ ἦν καὶ ἡ γραφὴ αἰνιττομένη εἶπεν, ὅτι ᾗ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγητε θανάτῳ ἀποθανεῖσθε, ἀντὶ θ, τ ἀπόφασιν ἐδέξασθε θνητοὶ λοιπὸν εἶναι ὑμᾶς, καθάπερ γὰρ ἐπὶ τ δικαστηρίων τῶν ἀνθρωπίνων, ἐπειδὰν ἀπόφασιν λάβ δεξάμεν θ κατὰ πάντως τ κεφαλὴν ἀποτμηθῶμεν, εἶτα εἰς τὸ δεσμωτήριον ἐμβληθῇ, κἂν ἐπὶ πολὺν χρόνον ἀφεθῇ, ὀφλὲν ἅμεινον τ νεκρῶν καὶ τεθνηκότων ἀφῖξθ, τῇ ἀποφάσ τεθνηκώς, τ αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ ὅτε ἐξ ἐκείνης τ ἡμέρας, ἐξ ἧς τ ἀπόφασιν ἐδέξαντ τ θνητότητ, εἰ καὶ πολὺν διήρκεσαν χρόνον, ἀλλᾷ τῇ ἀποφάσ τεθνήκασιν. Dum ad initia & gradus Mortis magis in nobis omnibus ſpectavit *Baſilius in Pſal.* CXIV. ante ultimam mortem monens nos ἀποθνήσκειν πολλάκις, atque vitam hominum ἐξ πολλῶν θανάτων συμπληροῦσθαι &c. atque de Adamo & Eva id ſæpius urſit *Auguſtinus*. Vide hunc *Lib.* XIII. *de C. D. Cap.* 23. ubi *eo die mutatam in deterius* dicit *vitiatamque naturam &c. propter quod Apoſtolus non ait, corpus quidem moriturum eſt propter peccatum, ſed ait, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum.* Etiam *Lib.* IX. *de Gen. ad lit. Cap.* 10. ubi de *morte ipſa mox concepta membris velut aliqua egritudine letali* differit. Et *Lib.* I. *de Pecc. Mer. & Rem. Quamvis annos multos poſtea vixerint, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem qua in ſenium veteraſcerent acceperunt. Non enim ſtat vel temporis punctio, ſed ſine intermiſſione labitur, quidquid continua immutatione ſenſim currit in finem, non perficientem ſed conſumentem. Sic itaque impletum eſt quod dixerat Deus, qua die ederitis morte moriemini.* Et merentur conferri hujus diſcurſus de Morte, quæ inchoetur per omnem vitam noſtram, ut *incipiat quiſque mori hoc eſt eſſe in morte ex quo in illo agi cœperit ipſa mors, id eſt, vitæ detractio &c. Lib.* XIII. *de Civ. D. Cap.* 9. 10. *&c.* cum ipſorum Gentilium obſervationibus notis, nos *mori naſcendo*, & *quemadmodum clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit ſed quidquid ante de-*

defluxit, ſic ultimam horam qua eſſe definimus non ſolam mortem facere ſed ſolam conſummare, uti L. Annæus Seneca ſcripſit *Epiſt.* XXIV.

XI. Placent iſta poſteriora præ prioribus multum. Attamen alia videtur jungenda obſervatio, quæ ad Perſonam morituram æquè quam ad Tempus mortis ſpectat. Ea eſt, quod heic nobis proponatur ſumma Fœderis Operum, ex quo pro ſtrictiſſimo ſuo jure Adamum ipſum die eodem omni modo occidere Deus potuiſſet, ſed cui ex Dei gratia ad hujus ſalutem ſucceſſit mox Fœdus aliud; quodque adeo in verbis Dei noſtris ad Adamum non tam ſit prædictio de eo quod ex conſilio Dei futurum erat immutabiliter, quam comminatio de eo quod metuendum habebat nec ipſe ullo conſilio ſuo evitare lapſus homo poſſet. Cum ergo ex natura Dei aut ulla naturali ipſius perfectione non magis flueret, ut eodem lapſus die pœnam omnem ſtatutam Adam ſubiret, quam ut ipſe in propria perſona graviſſimam Dei iram experiretur; potuit ille comminationis ſuæ rigorem non minus temperare per ſupplicii finalis dilationem in maxima ſua longanimitate, quam per ejus translationem in ineffabili ſua gratia. Et hanc utramque virtutem non obſtante comminatione juſtiſſima & veriſſima exercuit adeo Deus, ut ab omni pœna ſatisfactoria pro peccato Adamum cum electa poſteritate immunem in Chriſto præſtiterit; & ut pœnam caſtigatoriam in variis calamitatibus quidem mox immiſerit, ſed Mortis temporalis complementum ad multos annos diſtulerit. Quam tum tamen haberet Adam primus & habent Electi etiamnum ſubeundam, ut *medicinam* potius quam *pœnam*, juxta phraſin *Theodoreti*, uti hanc in bonum electorum per divinam gratiam tendere multis dudum oſtenderunt Patres; inter alios *Greg. Nazianzenus Orat.* XII. ἵνα μὴ ἀθάνατον ᾖ τὸ κακόν, & *Auguſtinus Lib.* II. *de Pecc. Mer. & Rem. Cap.* 31. *poterat etiam hoc donare credentibus, ut nec iſtius experirentur corporis mortem, ſed ſi hoc feciſſet, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo &c.* Sed hæc res alterius eſt loci.

Præcipua dubii hujus ſolutio ad priores adjicitur.

XII. Hoc verbo adhuc dicemus, quod pœnam tranſgreſſioni mandati jungens Deus per interpoſitum כִּי *kî, enim*, apud LXX. & *Vulgatum*, non tam adverſative, aut cauſaliter, aut etiam conſecutive, hanc particulam videatur adhibuiſſe, quam quidem vel ſimpliciter aſſeverativè, vel ſimul ratiocinativè, tanquam adducens rem quæ

Conjunctionis adhibitæ vis in hac comminatione monſtratur.

quæ validiſſime ab eſu fructus vetiti Adamum abducere deberet. Facit enim decens ſui amor, ut homo vitæ ſtudeat ſervandæ & augendæ, atque Mortem ei oppoſitam quam maximè averſetur; unde & fugere debet quod illuc per Dei declaratum judicium certo ducit. Legi in hanc rem quoque poſſunt apud *Ben. Pererium* complures rationes, ob quas Mortem heic præ aliis malis multis temporalibus & dein præ pœnis inferni nominaverit expreſſe Deus; quæ tamen ad Mortem ſolam corporalem ſpectant, ultra quam nomen Mortis heic extendendum eſt omnino.

CAPUT DUODECIMUM.

Quo facta Adamo Vitæ Promiſſio aſſeritur.

Tranſitus ad Fœderis Promiſſionem.

Enimvero ad Fœderis hujus integritatem à parte Dei neceſſaria fuit cum Stipulatione juncta Promiſſio, Adamo obedienti à Deo præſtanda, de qua generatim aliquid dictum fuit in aſtructione Fœderis ipſius *Cap. VI.* §. 6. Eſtque hoc caput, minus explicite à Moſe traditum, tanto magis à nobis tractandum, quantò acrius ab aliis impugnatur. Quod fit fere bifariam; vel per negationem omnis Promiſſi; vel per ejuſdem reſtrictionem ad Vitæ Naturalis continuationem & commoditatem. Quam utramque eſſe iniquam, nunc monſtrabimus.

Quæ à quibuſdam prorſus negatur.

II. Notum ſcilicet eſt, quod *Joh. Volkelius* de religione primi mundi diſſerens ſcripſerit *Lib. II. de Rel. Cap. 8. Reſtat ut de Promiſſis idem fere quod & de mandatis primæ illius religionis brevi dicamus, nempe vix aut ne vix quidem generale aliquod illius ſeculi hominibus promiſſum factum, ſed minas potius tunc illis metuſque propoſitos fuiſſe. Neque enim videmus, Deum Adamo ſi ab Arboris illius fructu ſibi temperet, aliquod obedientiæ præmium polliceri, ſed niſi dicto audientem ſeſe præbeat interitum denunciare &c.* Ad quæ verba merito notavit *Cel. Mareſius; id valde à ſaniori Theologia alienum, quod Volkelius confundit ea quæ pertinuerunt ad ſtatum integritatis & innocentiæ cum iis quæ ſequuta ſunt ſtatum corruptionis &c.* Addidit prior paulo poſt; *Cauſa porro, cur Deus illa ſeculorum ætate ſibi obediri voluerit, nullo fere generali præmio propoſito, hæc eſſe videtur, quod in ipſo ſtatim mundi primordio nihil ſeſe cuiquam debere*

bere ſed omnium rerum abſolutiſſimum Dominum eſſe omnibus oſtendere voluit. Non minus palam dixit verbis antea adductis *Steph. Curcellæus Lib.* III. *Cap.* 13. *Nulla nos in ſacris literis promiſſionis ullius Adamo factæ veſtigia invenire, ac proinde non poſſe nos illud abſque temeritate affirmare.* Quamquam deinde theſin ſuam haud parum videatur reſtringere; *Non quod diffitear, tacitum aliquod inter Deum & Adamum fuiſſe pactum, quo Deus ſe obligabat ad ipſum in felici illo ſtatu in quo poſuerat conſervandum, quamdiu is ſe tali favore indignum contumacia ſua non redderet. Sed iſta felicitas erat tantum animalis & terreſtris; aliam aperte promiſiſſe non video. Niſi quis figurate promiſſum vocare velit, quod Deus illam vitam ei dare apud ſe decreverat, quamvis ſuum ipſi decretum non patefeciſſet, eodem ſenſu quo Paulus dicit Deum nobis vitam æternam ante ſecula promiſiſſe Tit.* 1. 2. *quod forte ideo fecit, ut tanto melius appareret omne bonum quod poſtea ipſi largiturus eſſet nullo modo eſſe debitum ſed à mera ſua gratia proficiſci.* Nec aliter noviſſime *Phil. à Limborch Lib.* III. *Cap.* 2. *Credimus nos, Adamum ſi non peccaſſet non moriturum fuiſſe, mors enim peccati pœna eſt & per peccatum mors intravit in mundum Rom.* V. 12. *imo credibile nobis eſt, Deum explorata ſatis Adami obedientia ipſum in cœleſtem vitam nulla intercedente morte tranſlaturum fuiſſe, nullum autem illius homini feciſſe promiſſum, ſed beneficium hoc conferre voluiſſe ex mera gratia. Nullum enim in Scriptura vitæ æternæ ac cœleſtis exſtat promiſſum, homini ſi in integritate perſtaret factum, ſola Comminationis Divinæ mentio fit.* Et poſt pauca interpoſita; *Dices, etſi nulla in Scripturis mentio fiat promiſſi vitæ æternæ, exinde non ſequitur nullum à Deo factum promiſſum &c. Reſp. Nos ex illo concludere nolle, nullum à Deo vitæ æternæ factum promiſſum, ſed nobis nihil de eo conſtare, ac proinde certo illud affirmari non poſſe.* Quæ locutio poſterior, rem certo à nobis affirmari non poſſe, aliud tamen dicit quam prior, credibile nobis eſſe rem non eſſe factam. Dum liberalior heic vere eſt antea quoque à nobis citatus *Simon Epiſcopius Diſp.* XV. *Part.* 2. *An vero ex oppoſito Lex hæc promiſſione Vitæ ſancita fuerit, etiamſi non liqueat, tamen veriſimiliter vel aſſeritur, vel ſaltem gratioſo & libero Dei favore ſubſecuturam vitæ communicationem fuiſſe, etiam ſine promiſſione, ex æquitatis Divinæ indole ſtatuitur; ſive illa eſſet vitæ ipſius felicis & jucundæ continuatio, mediante Arboris Vitæ qualitate & vi vivifica ipſi indita, ſive tandem aliquando æterna etiam*

Digitized by Google

ſpiritualis & incorruptilibis vitæ collatio. Utroque enim illo bono indigebat homo in ſtatu iſto &c. Male tum iterum ſubjiciens; *Bonum tamen hoc, ſiquidem promiſſum fuerit Adamo obedienti, ut ſtirpi & capiti promiſſum eſſe non audemus ſtatuere, ſed ut perſonæ ſingulari & individuæ, ita tamen ut Deum eadem aut ſimili ratione acturum fuiſſe cum poſteris veriſimile & æquitati conſentaneum exiſtimemus.* Quantoperè vero etiam adverſus promiſſionem omnem Adamo factam ſe opponat *Jac. Altingius*, continuo *meram Legem* heic inculcans, antea vidimus. Quamquam in hac diſputatione dein concedat, *verum eſſe, ſub quaque comminatione contrariam promiſſionem intelligi, & ſub quaque promiſſione contrarium comminationem &c.* exegetice etiam ſubjiciens, *quod ita includitur non poſſe ulterius extendi quam ipſum illud quod expreſſum eſt permittit, quo obſervato promiſſio hic loci admodum reſtricta eſt, &c. implicite itaque promiſſio hac eſt, quando de eo non comederis ſane etiam non morieris &c.* Quæ quo pacto ipſam Viri hypotheſin vere evertant, deinde videbimus.

Quorum hypotheſis plurib us modis convellitur.

III. Sed nihil magis alienum ab Optimo Deo debet judicari, quam quod Obedientiam velit unquam, abſque præmio non tantum ullo, cui Natura æque apud Gentiles quam Scriptura apud Chriſtianos reclamat, ſed & abſque præmii indicio omni, quo bonitatem ille ſuam declaret homini. Quo in caſu relinqueretur homo etiam plane incertus de laboris ſui fructu, nec Obedientiæ ſuæ jungere poſſet Spem ſolidam quæ non confundat, quam tanquam alterum Religionis actum præcipuum & neceſſarium conſiderant alias ipſi Adverſarii. Nec ſpeciem habet ullam, juſtæ ſeveritatis adverſus transgreſſorem gloriam Deum voluiſſe declarare Adamo in comminatione, cum neglectu infinitæ ſuæ bonitatis quæ non minori celebratione digna erat. Quo magis hoc de humano ingenio perſpectum habebat Deus, illud ex inſito ſui amore non minus impelli poſſe ad officii præſtationem per boni acquirendi ſpem quam per mali avertendi metum, in primis in felici illa conditione prima; dum de lapſus ſtatu magis forte verum eſt, quod monuit *Pererius, majorem vim ad commovendos animos noſtros habere metum quam ſpem, comminationem pœnæ quam mercedis promiſſionem, dolorem denique quam voluptatem.* Imo quo magis res heic erat Deo cum Adamo Integro, & ſic per imaginem Dei magis apto ad bonitatis quam ad iræ divinam declarationem; dum apud ipſum dein Caji-

num

Digitized by Google

num peccantem haud obſcure bonitatem ſuam teſtatus eſt *Gen.* IV. 7. הלא אם תיטיב שאת / *annon ſi benè feceris exaltatio*, vel *acceptio*, vel *condonatio &c.* Quem locum ipſe ſibi objecit *Volkelius loc. cit. Niſi forte illud unum quod Cajino Deus fecerat generatim ad omnes reſpicere volumus. Videtur enim eam rem continere quæ nequaquam unius ſit propria, nimirum ſi recte ageret futurum fuiſſe ut in gratiam reciperetur, & non minus quam Abel divinam benignitatem experiretur &c.* Conferre quin etiam licet Satanæ factum, quando hic hominem ab officio ſuo abducturus, promiſſum magnum ei propoſuit ſimilitudinis cum Deo gratæ *Gen.* III. 5. qui ſic Dei ſimiam videtur egiſſe, vel ſaltem non tentaſſe modo adverſus quem per Dei promiſſionem magnam non eſſet munitus homo boni naturaliter avidus. Non poteſt quoque Fœdus ipſum Operum conſiſtere, cujus veritatem antea adſtruximus, abſque omni promiſſione, quam Deus præſtanti ſtipulationem præſtet; in primis ſi ejus alibi in Scripturis factam declarationem ſpectemus, per illud, *quæ faciet homo & vivet in eis*, quod homini impotenti propoſitum ſed valenti tacitum fuiſſe abſque ulla ſpecie fingatur. Nec minus urgere heic licet argumentum Fœderis Gratiæ, quatenus per illud excepta Vadis ſubſtitutione renovatur & firmatur Fœdus Operum antecedens, atque id promiſſionem ſtipulationi junctam habet. Minime vero negligenda eſt heic ipſa Dei Comminatio de Morte ad tranſgreſſionem ſecutura, quæ illam abſque tranſgreſſione abfuturam cum vitæ æternitate arguit. Quod uti generatim non potuit diffiteri *Altingius*, ita miſere eludere conatur *Limborgius. Dices*, inquit, *ſub comminatione mortis, ſi homo tranſgrederetur, tacite comprehenſa fuit promiſſio vitæ ac cœleſtis, ſi homo in integritate perſiſteret, Reſp. Nullo modo id ſequi, ſequitur quidem hominem non moriturum fuiſſe, non autem Deum ſeſe aliquo promiſſo homini obſtrinxiſſe, eum nunquam moriturum, multo minus eum in cœleſte gaudium transferendum.* Utique, miſſa adhuc ſpecie promiſſi de qua dein videbimus & de qua ille ultimo loco non egerat *ſola comminationis divinæ mentione* facta, ſi plane *ſequatur* ex hac *hominem non moriturum fuiſſe* etiam *ſequitur tacite comprehenſam ſub ea fuiſſe promiſſionem* hanc, atque adeo Deum ſe hoc promiſſo homini obſtrinxiſſe implicite, agnoſcere hinc illud coacto *Altingio.* Præter hæc omnia tandem debet laudari, tum nomen *Arboris Vitæ* ad Arborem Scientiæ appoſitæ, quod ab obſignatione Divini promiſſi fluxiſſe antea aſſerui-

Digitized by Google

mus *Lib.* I. *Cap.* XVII. falſis hinc ipſis *Socinianis* in *Compendio*, *Arborem Vitæ Symbolum quoddam vitæ æternæ fuiſſe ſed obſcurum*; tum vocem Dei de hac Arbore poſt lapſum *Gen.* III. 22. *ne mittat manum ſuam & ſumat etiam de Arbore Vitæ edatque & vivat in æternum.* Quod utrumque urſit *Ven. Cloppenburgius*; *Arborem Vitæ aſſerimus non quoddam tantum obſcurum, h. e. ex mente illorum, Adamo non intellectum ſymbolum Vitæ Æternæ fuiſſe, ſed verbo Promiſſionis in Fœdere Operum adjectum Sacramentum. Nulli enim uſui fuiſſet Symbolum viſibile Adamo propoſitum, ſi citra Fœderis conventionem voluiſſet Deus hominem ſibi ſubjicere, eumque ſolo imperio regere. Et hiſtrionicum erit quod poſteriori loco legitur de hominis lapſi prohibitione ab acceſſu aut contrectatione & manducatione iſtius ſymboli vitæ æternæ, niſi intelligatur Deus hoc ſymbolo externo repræſentaſſe & exſecutus eſſe viſibiliter Fœderis ſui cum Adamo ſpiritualis antiquationem, & interdictionem Sacramenti quo firmata fuerat & obſignata promiſſio Fœderis principalis de vita æterna coeleſti &c.* Ex quibus perinde concidit, quod *Limborgius* primo rationem nominis Arboris ſacramentalem negat, ad *vim homines in vita ſuſtentandi* illud unicè referens, dein verò concedens *dici poſſe quod fuerit figura vitæ æternæ.* Et quid tandem adverſus promiſſum Adamo factum objicitur? Unum hoc, quod Moſes ejus mentionem non fecerit. Quod ſi intelligatur de explicita narratione, qualis in comminatione nobis occurrit, verum quidem eſt, ſed fundamentum ſolidum non poteſt judicari, ex quo vel Promiſſum omne negari vel ejus aſſertio improbari debeat. Quæ enim per legitimam conſequentiam ſeu ex Moſis hiſtoria ſeu etiam ex aliis Scripturæ partibus educuntur de Adami conditione, eadem quoque nobis revelata & conſequenter fide certa tenenda ſunt. Quemadmodum Mandata ſingula Legis Moralis apud Adamum integrum perinde non ſunt nobis à Moſe expoſita, quæ tamen ipſum obligaſſe ſolide adſtruximus *Cap.* VIII. & Repræſentatio poſteritatis naturalis omnis in Adamo non minus certa eſt, cum Æternæ Mortis comminatione, licet ea capita totidem verbis non memoret Moſes, juxta dicta *Cap.* VII. §. 10. *Cap.* XI. §. 5. Quæ exempla præ aliis ſibi objecit etiam *Limborgius*, *nec Scripturam quicquam habere de prohibitione mendacii, perjurii, &c. nec de comminatione mortis æternæ tam Adamo quam poſteris ejus facta*, reſponditque ſatis leviter; *Non conſtat, interdictum mendacii & perjurii primo homini eſſe factum*

tum, nec erat neceſſarium, ratio ſola ſufficiebat, quæ hominem in ſtatu integritatis in officio continebat. Quod porro de comminatione Mortis Æternæ Adamo & poſteris ejus facta addunt, notatu dignum eſt; ſi enim illius comminationis nulla mentio ſit in Scriptura, ergo quicquid de ea docetur commentum ſolum modo humanum eſt. Uti certe in poſterioribus his oſtendit errorum ſuorum ſervitutem contumacem; ita in prioribus non niſi cavillatur diſtinctione interdicti & rationis humanæ, nec obſcure ſibi obloquitur, interdictum mendacii ac perjurii negans, & tamen abſtinentiam ab his inter *Officia* hominis ponens. Enimvero haud difficulter apparebit attendentibus nobis ratio, cur comminationem explicite magis memoraverit Moſes quam Promiſſionem Divinam Adamo factam; quod nempe iſta præ hac per eventum ſit firmata in Adamo, atque hunc prolixius narraturus dein Moſes fundamentum ejus primum hiſtoricum noluerit negligere; & quod præterea forte bonitatis ſuæ Deus in ſtatu integritatis data majori demonſtratione quam ſeveritatis, hinc declarationem ejus verbalem explicitam per promiſſa ſeu apud Adamum ipſum ſeu apud nos minus judicaverit neceſſariam. Inepta utique eſt ratio illa *Volkelii*, cur Deus nullum fecerit initio promiſſum, quam ab oſtendendo abſolutiſſimo Dei *Dominio* & libertate Dei ab omni *Debito* petiit, quemadmodum de *mera gratia* etiam cum *Curcellæo* loquitur *Limborgius*. Decuit enim Deum ab initio non ſolam poteſtatem aut libertatem ſuam declarare, ſed & ſimul juſtitiam ac bonitatem magnam, quam utramque perinde agnoſcendam habebant homines. Et recte præterea obſervavit ad iſta *Cel. Mareſius*, doctrinam hanc non uno modo erroneam eſſe; *Nam etiam poſt tam liberalia promiſſa, qua Deus nobis facere dignatur, certiſſimum eſt illum nihil cuiquam debere, & manere Dominum abſolutum univerſi, patet ex Luc. XVII. 10. & Rom. XI. 35. Eo ipſo quod Promiſſa ipſius ſunt mere gratuita, ſatis liquet ea compleri non ex debito ſed ex gratia. Et tantum abeſt ut aliquid per illa deteratur de abſoluto Dei Dominio, ut è contrario abſolutiſſimum ſe demonſtret Dominum univerſi in illis faciendis & præſtandis. Ut nullo modo hæc poſſit fingi cauſa, cur Deus nullum generale præmium hominibus priorum ſeculorum propoſuerit. Alias eadem de cauſa nihil porro debuiſſet promittere; cum ſemper noſtra interſit ſcire quod nihil cuiquam debeat & omnium rerum abſolutiſſimus Dominus ſit.* Hypotheſis autem *Altingii* alia, quod beatitas

Adami jam tanta fuerit, ut acceſſionem ulteriorem ne minimam quidem admiſerit, vanitatis antea eſt dudum convicta *Cap.* VII. §. 8. nec evertit etiam omne Promiſſum, quod de continuatione ejus Deus facere ſane potuit.

Promiſſio Adami ab aliis negatur fuiſſe Vitæ Æternæ, ponitur vero vel mere Temporalis, vel ſimul Spiritualis Felicitatis continuandæ.

IV. Ex ipſis autem Adverſariorum adductis verbis cognoſcitur ſatis, quod ipſi non tam Promiſſum omne quam quidem Vitæ Æternæ & Cœleſtis impugnent in Adami hiſtoria. Hoc nempe *ad Ultima Meſſiæ tempora ſpectare* tantum, cum *Volkelio* clamant perpetuo *Sociniani*; quorum etiam *Compend. Cap* 11. hæc eſt *Theſis* 4. *Spem vitæ Æternæ negant primo homini propoſitam fuiſſe, imo nec* (rectius &) *ulli alii ante Chriſti Euangelium.* Quin & notum eſt quo pacto hi urgeant, ad gloriam Domini noſtri hoc neceſſarium eſſe quam maxime, ut nullum Vitæ Æternæ promiſſum in Veteri Lege & ante ipſum agnoſcatur, uti inter alios agit *Val. Smalcius de Div. J. Chr. Cap.* VII. *Vitam Æternam promiſſum eſſe Euangelii proprium, quantumvis hodiè pauciſſimi id intelligere videantur, adeo veritati conſentaneum eſt ut aliquid non minimum ad veram Domini Jeſu & Muneris ejus cognitionem deeſſe illis jure affirmari poſſit qui hoc vel ignorant vel de eo dubitant &c. Quæ igitur hæc amentia eſt, Chriſtianos, quorum hoc minus intereſt quam Judæorum, an in veteri Fœdere promiſſum extet vitæ æternæ, imo quorum intereſt Chriſti Domini ſui & ſuæ etiam præ populo Iſraelitico præſtantiæ rationem habere, velle tamen ex Sacris literis Vet. Teſt. probare, quod Deus in illo veteri Fœdere vitam æternam promiſerit &c. Demonſtrare tantum voluimus breviſſime, Domino Jeſu ſoli & primo acceptum eſſe ferendum quod promiſſionem & ſpem certam vitæ æternæ habeamus; unde appareat, noſtros cœtus, licet Chriſtum blasphemare dicantur, rectius hac in parte eum cognoviſſe quam omnes alios Chriſtiani nominis profeſſores. Noſtri enim cœtus confitentur & demonſtrare parati ſunt validiſſimis teſtimoniis & rationibus, Jeſum Chriſtum primum & ſolum tantæ rei fuiſſe præconem &c.* Nec mirum adeo, horum hominum veſtigia multum premi in hoc capite, tum ab aliis *Pelagianizantibus*, tum à *Remonſtrantibus*, qui etiam *in terminis promiſſionem Vitæ æternæ in Vet. Teſt. extare* negant *Apol. Cap.* XV. atque latius ſcribunt *Cap.* XII. *Promiſſionem Vitæ Æternæ à Deo ſub V. Fœdere factam, aut Lege Moſis comprehenſam fuiſſe, non ſolus nec primus Socinus, ſed eadem multis retro ante ſeculis negavit Antiquitas; utrumque hoc prolixe varii probarunt, iique antiqui-*

tiquitatum peritiſſimi ſcrutatores, neutrum affirmant Remonſtrantes, neque ut affirment neceſſarium putant &c. Sed hoc ægre dudum tulerunt noſtri, quod Vir Clar. *Moſes Amyraldus* communem heic viam deſeruerit in *Diſp. Salmur. de Tribus Fœderibus Div. §. XI. &c.* Ubi ſententiam ſuam de Fœdere Adamico ita declarat; *Promiſſio quæ officio ex adverſo reſpondet conſiſtit in vita perpetua & affluente omni bonorum genere quæ cum in animum tum in corpus hominis in ſtatu integræ naturæ conſtituti competere poſſunt, eaque in Paradiſo terreſtri fruenda.* Et mox *nihil quicquam præterea eo fœdere promiſſum fuiſſe, ex eo verſimile eſſe* dicit. 1. *Quod de vita ſpirituali in cœlis agenda Scriptura tacet in toto hoc negotio, non taciturа tamen tam eximiam promiſſionem ſi ulla foret, cum præſertim unice facere poſſet, & ad benignitatem Dei erga hominem depradicandam, & ad traducendum ſtultum & ingratum hominis ingenium qui ſpem tantam ultro aſpernatus abjeciſſet.* 2. *Quod Fœdus illud Naturale & fuit & etiamnum ab omnibus appellatur. Propemodum autem abſurdum eſt, Naturale Fœdus ea promiſſione conſtare quæ naturæ modum infinito intervallo ſuperat.* 3. *Quod debuit eſſe analogia quædam inter Officium ipſum & Promiſſionem. Quamvis enim præmium in Fœdere Naturæ non promittatur ex merito, quippe creatura de Creatore nihil promereri poteſt, manat tamen ex ea bonitate atque ex eo amore Dei erga creaturam qui in perfectione moralicreaturæ acquieſcit & ei eſt veluti σύμμετρον, docuimus autem perfectionem eam naturalem fuiſſe, quapropter & præmium naturale eſſe videtur conſentaneum.* Pergit tum amplius pro iſta ſententia argumentari ex *ratione, qua Fœdus iſtud promulgatum eſt, quamque cum ipſius ingenio convenire neceſſe fuit, hoc eſt eſſe Naturalem*, quoad promulgationem tum Externam tum Internam &c. *Objecto ergo nihil exhibente ſupra naturæ modum, Facultate nihil præterea per ſe divinare valente, neſcio an neceſſe ſit quicquam ultra comminiſci.* Addit; *Procul omni dubio ſi quid ſupra naturæ modum ea promiſſione comprehenſum eſt, id oportuit homini innoteſcere &c. Qui factum eſt igitur, cum in omni Fœdere contrahendo Deus habeat præcipue ac primario rationem promiſſionis, interminationis ac pœnæ non niſi ſecundariò tantum &c. diſertis verbis tamen Deus homini mortem interminatus ſit ſi peccaret, nullius præmii ſpem oſtenderit, ſi præmium in re ſupernaturali collocatum ſit. Adde quod longe facilius homini fuit per ſe intelligere quæ pœna ipſum maneret ſi peccaret, quam de*

præ-

Digitized by Google

præmio ſupernaturali quidquam vel leviſſime ſuſpicari, alterum enim natura ipſa docere potuit, alterius nullam dedit ſignificationem. Necdum ratiociniorum finis; *Quid quod omnes uno ore meritò conſentiunt, Arborem Vitæ, cujus uſus permiſſus erat in Paradiſo, Fœderis Naturalis Sacramentum fuiſſe? Sacramentum autem illud certe Naturale fuit, nec ullam promiſſionem obſignare aut ullius vitæ ſpem facere potuit præter Naturalem, niſi acceſſiſſet peculiaris quædam ad eam rem inſtitutio quæ Adamo diſerte declararetur. Nam Adamus vitæ cœleſti donari non potuit, quin funditus immutaretur; quia, ut inquit Apoſtolus, σὰρξ καὶ αἷμα etiam citra eam corruptionem quæ à peccato eſt βασιλείαν θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύναται. Rem autem tantam & quam Paulus poſt tot de cœleſti vita deque reſurrectione corporis tam luculentas promiſſiones μυστήριον appellat, uſque adeo remota eſt ab hominum nativo captu, ſignificare non potuit, nedum reipſa præſtare Arbor, niſi adjecta aliqua expreſſa promiſſione ex edito oraculo, quod Scriptura Sacra factum eſſe nuſquam diſerte docuit. Verum,* ſic finit tandem, *quid multis opus eſt? Fœdus Naturæ nullum Mediatorem habuit, nullam aliam vim conciliatricem præter eam communionem quæ à Natura eſt, inter Creatorem qua talis eſt, & Creaturam quæ ab integritate ſua non deſcivit. Quicquid ſupra eſt, obtineri non potuit niſi ex vi alicujus alius Fœderis, cujus conciliator eſſet Mediator ſupra naturæ conditionem evectus, & apud Deum extra ordinem favorabilis.* Annectit tamen adhuc objectionem, quam ſolvat; *Nec quemquam movere debet, quod ejusmodi beatitudo ſi cum cœleſti comparetur tam præſtantem hominis naturam haud ſatis decere nonnullis videtur. Nam ſi abhorret ab excellentia naturæ humanæ eo tantum genere beatitudinis frui, abhorrere debuit ab eadem in eo ſtatu creari. Si potuit in ſtatu Naturæ à Deo optimo & ſapientiſſimo condi, quod nemo negabit ſine crimine, non modo abſurdum non erat eam ſic beari, ſed & omnino fuit convenientiſſimum. Quid ergo? hoccine videtur eſſe uſque adeo deſpicabile, hominem vitæ integerrimum cum incredibili gaudio ex amoris divini ſenſu & Angelorum conſortio perpetuo perfundi, tum vivere vitam immortalem ſejunctam ab omni malo & omni bonorum genere abundantem, in loco affluente deliciis, non modo favente rerum omnium natura ſed & ſummiſſe obſecundante?* Atque his ſic ſatis valide diſputatis concludit paulo mollius; *Scimus tamen præſtantiſſimorum Virorum nonnullorum diverſam eſſe ſententiam, à qua ſane non exiſtimamus eſſe ab-*

abhorrendum. Nam in iis rebus, in quibus Scriptura nihil admodum expreſſe ſtatuit, quidquam nimis præfracte vel negare vel affirmare alienum eſſe debet à Theologo, quem Veteres θεοφόν eſſe voluerunt. Operoſius autem iſta omnia deſcripſimus, ne quidquam vel rei vel aſtructionis videremur diſſimulare. Nec prætermittere heic poſſumus *Jac. Altingium*, qui ita integrum Fœdus Operum cum Adamo initum impugnavit, ut in Promiſſionem Vitæ alterius Cœleſtis quam maxime impetum fecerit. Nempe inculcat ille multis in ſpeciali *Diſſertatione*; *Felicitatem*, Morti denunciatæ oppoſitam, *non proponi ut in futuro acquirendam, ſed ut jam præſentem quam homo haberet neque amittere deberet; Mori nihil aliud eſſe quam vitam perdere, atque adeo fieri non poſſe ut aliquis moriatur qui non vivit, & moriendo illam vitam amittere quam habet, non vero aliam quam non habet &c. Vitam vero quam Adam in creatione accepit eſſe Vitam Dei, quæ conſiſtit in fruitione Dei & beatitudinis illius quæ animum conſummato gaudio & tranquillitate beat, & à nulla creatura in cœlo aut in terra dependet, cum Deus ſit omniſufficiens ad ſummam uſque perfectionem, vide Pſal.* XVI. 11. & LXXIII. 25. 26. *Hanc Vitam*, inquit, *homo retenturus erat quo die de vetito fructu non comederet &c. Habebat itaque Adam hanc beatam vitam, & Promiſſio in comminatione comprehenſa illum certum reddebat, ipſum non peccantem eadem non privatum iri neque illam amiſſurum ſed eandem in perpetuum poſſeſſurum &c. Promiſſio itaque non ulterius extendebatur quam ad continuationem & ad perſeverantiam in præſenti ſtatu, quemadmodum Angeli qui non ſunt lapſi in priori ſuo ſtatu à Deo ſunt confirmati, qui illos in eo reddidit immutabiles. Nihil vero continebat de alia vita in cœlis agenda. Hujusmodi ſententiæ adverſantur verba comminationis, quo die de vetito ederis morte morieris, adeoque quo die de eo non comederis in cœlum ſublevaberis ad glorioſam vitam. Ecquis vero dicere auſit, Adamum uno die in obedientia tranſacto illico ex terra in coelum fuiſſe transferendum? circumſtantia enim temporis unum æque exigit ac alterum &c. Verum enim vero ſiquidem univerſam rationem hominis in ſtatu creationis probè animadvertamus, nullus ejuſmodi gloriæ locus erat. Etenim priuſquam Deus homini creando manus admoveret, declaravit cujuſmodi illa creatura futura eſſet Gen.* 1. 26. *&c. De futura inhabitatione cœli ne verbum quidem, quod adeo eſt præter ſcopum Dei revelatum. Et pro hac ſua declaratione creavit hominem &c. Porro*

Gen. II. 1. *legitur, ita ſunt perfecta cœlum & terra & omnis exercitus illorum. Duo loca memorantur, Cœlum & Terra, reliquæ omnes creaturæ in hæc duo loca ſunt diſtributæ ut ipſorum exercitus conficiant. Homines pertinebant ad exercitum non Cœli, hujus enim erant Luminaria in Expanſo & Angeli in ſupremo Cœlo, ſed Terræ &c. Quodnam hic eſt fundamentum iſtius modi mutationis, ut homo exercitu terræ exemptus in exercitum Cœli transferretur? tum certe dici non poſſet, omnia hæc conſummata vel perfecta fuiſſe, ſiquidem homo a peccato immunis minimeque deturpatus adhuc debuiſſet ad perfectionem perduci &c. Perfectio illa quam Deus in principio in illos contulit ne minimam quidem acceſſionem admittit ſalva ſapientia & potentia Dei, conſtantia conſilii, & veritate verborum ejus. Ad ullam autem mutationem aſpirare erat condemnatio actionis divinæ, ut & querula obmurmuratio de ſtatu ſuo, & oppoſitio adverſus Deum ut ex ipſo alium faceret. Atque id Satanæ peccatum fuit Jud. verſ. 6. Erant enim in exercitu cœli, ſed deſeruere ſtationem ut terræ dominio potirentur, homine qui dominus conſtitutus erat devicto, idque illis pro peccato ducitur illoſque pœna obnoxios reddidit. An igitur homini liberum ſolutumque fuiſſet ad cœleſtem habitationem aſpirare, cum à Deo inter exercitus terreſtres eſſet collocatus? Id Serpens Mulieri ſuaſit Gen. III. 5. eritiſque ſicut Elohim, Dii, quorum habitatio non eſt cum carne Dan. II. 11. ut qui excellentioris ſunt naturæ & habitationis. Hoc mendacium Diaboli fuit &c. Non potuit itaque promiſſio Dei eſſe, fore ut ad eam eveherentur, neque mandatum ejus, ut eo adſpirarent & annitterentur. Veruntamen licet Adamo hic cœleſtis ſtatus negetur, nihil tamen perfectæ illius felicitati derogatur &c. Et Deus fruitionem ſui quæ mentem expleat illi concedens, non minus familiarem ſe illi præbebat in terra quam Angelis in cœlo &c. Tandem denique habitatio & ſtatus Cœleſtis non eſt beneficium Creationis ſed Redemptionis, quæ à Chriſto parta, ut lapſum hominem non tantum in integrum reſtituat, ſed etiam ad multo ſublimiorem ſtatum evehat, & ex incola terræ faciat civem & incolam cœli, in locum illum quem Satanas deſeruit &c. Etenim* I. Cor. XV. 48. *primus Adam ut à Deo creatus eſt Terreſtris appellatur, oppoſitè ad Cœleſtem illum ſtatum quem Chriſtus ſecundus Adam Dominus ex cœlo electis ſuis conferet. Adeo ut homines hanc gloriam ſoli gratiæ Dei in Chriſto Mediatore & Redemptore acceptam debeant, quam natura atque ordo illius ipſis nunquam dediſſet,*

disset, quantum quidem revelatum Dei verbum nos de eo edocet. Cui nos inhærere & in quo acquiescere debemus, illicitum existimantes arcana Dei quæ in sua potestate reservavit investigare & pro nostro ingenii captu definire. Ex quibus omnibus adductis apparet, ex quam diversis hypothesibus, & quam variè, tum Hæretici tum Notrum aliqui Promissionem Æternæ & Cœlestis Vitæ Adamo integro denegent.

Quo pacto Vitæ Corporalis & Spiritualis Vitæ continuatio Adamo promissa dici queat.

V. Enimvero, uti antea Mortis nomen, ita nunc oppositum illud *Vitæ* in sua accipimus latitudine; nec excludimus adeò prorsus à Promissione Adamo facta Vitæ tum Corporalis cum suis commodis tum Spiritualis simul quam possidebat continuationem felicem, durante explorationis & præscriptæ Obedientiæ curriculo, in cujus etiam fine Mortem ullam non haberet metuendam; attamen præcipue spectamus Vitæ Æternæ & Cœlestis, nobis post hanc Vitam promissæ, novam dationem postquam curriculum ille suum absolvisset plenè. Quod enim ad Vitam Corporalem attinet, ea per calamitates & mortem eripi Adamo à Deo non poterat nisi in pœnam transgressionis, qua se eâdem indignum fecisset prius; prout Mors hæc est vere peccati stipendium, & nec justitia nec sanctitas nec bonitas Dei admittit vindictam ullam absque scelere. Et si *pietas* vera nunc *ad omnia utilis* sit tanquam *habens promissa vitæ* etiam τῆς νῦν præsentis seu ejus *quæ nunc* est 1. *Tim.* IV. 8. *&c.* quis eam isthoc pacto non utilem esse agnoverit in primo illo majoris perfectionis statu? Erat utique status Adami tum talis, ut corporalibus istis benedictionibus non adversaretur; & Dei bonitas haudquaquam minor quam nunc est in iis & præstandis & promittendis. Nec male adeò hoc respectu scripsit *Ven. Cloppenburgius Disp. I. de Fœd. Habuit porro Adamus, ultra Promissionem illam Vitæ Æternæ Cœlestis, promissiones illas hujus vitæ omnes, quas synoptice expressas Josepho precabatur Jacob Gen.* XLIX. 25. *Benedictiones cœlorum superne, pluviam & rorem destillantium, Benedictiones abyssi subjacentis, id est fontium rivorum & pinguedinis soli, denique Benedictiones uberum & vulvæ. Etenim commemorantur amenitas & fertilitas Paradisi, quatuor fluminum scaturigine irrigui &c. dominium in creaturas &c. liberorum propagatio in matrimonio &c. Spectant Benedictiones illa cuncta earumque promissiones ad vitam hanc Animalem &c.* Quæ etiam latius repetiit *Exerc. Theol. Loc.* VI. *Disp.* V. postquam præmiserat; *Vitam & Beatitatem ac Benedictio-*

nes cum prima creatione Adamo donatas tales esse, *propter quas lucrandas aut merito acquirendas dici non potest facta Fœderis conventio, erat enim acquisitionis negotium hic non pendens sed perfectum, atque hoc tantum pacto pœnali quod foederi adjectum cautum fuit, ne jure jam quæsito homo excideret suo demerito &c.* Subjiciens adhuc deinde; *Complectitur quidem Promissio Foederis etiam hujus Vitæ benedictiones, verumtamen non est in iis sita principalis promissio qua Fœdus sancitur, ista conventione, ut post decursum aliquod curriculum, obedientiæ mercede illa auctior sit beatitudo hominis quam ante decursum curriculum exspectabat. Adeoque iis benedictionibus tantum constat* τῆς Δεύτερης θεσθήκης, *Foederis additio seu accessio & adjectio Matt.* VI. 33. *Ioh.* VI. 27. *cum Luc.* XXII. 29. *&c.* Idem autem ferè judicandum est de Vitæ Spiritualis in Adamo continuatione, quod de Corporali jam dictum; siquidem nec homini obedienti influxum interiorem sui favoris Deus justissimus sanctissimus & optimus subducere poterat, nec hujus Vitæ, verè ab Adamo per integram Dei Imaginem possessæ, præstantiâ præ corporali magna quemquam latere potest, nec Vitâ hac tandem à Deo ablatâ ad conditiones Fœderis præstandas idoneus ultra relinqueretur Adam. Unde licet in primo momento lapsus Adami considerari debeat Deus ut non dans gratiam suam ad illum obedientiæ actum, non tamen in eo spectari potest ut habitualem gratiam subtrahens; nec possemus hodie nasci mortui in peccatis, nisi ob communem Adami reatum nobis imputatum dum nascimur. Et errant heic adeo longe gravius Hæretici, qui Vitam Spiritualem Adami ignorantes vel negantes ad Corporalem solum promissa restringunt, quam illi ex nostris qui de Spiritualis simul & Corporalis Vitæ continuatione perpetua disserunt.

Vitæ Æternæ promissum Adamo factum esse monstratur.

VI. Sed de Vita Æterna, qualem nos in Cœlis post hanc præsentem Spiritualem & Corporalem exspectamus, dicendum est copiosius; de loco ipso Cœli dein aliquid etiam adjecturi. Intelligimus autem in ea fruitionem Dei respectu Animæ & Corporis lætissimam, immediatam, plenè satiantem, & prorsus immutabilem; quæ in omni præstantia sua ante ejus usum à nobis cognosci nequit, dum in eandem protenduntur nostra desideria. Atque hanc omnino fuisse promissam Adamo, colligimus ante omnia ex Legis Divinæ & Fœderis Legalis obvia passim descriptione. Nempe Dei sunt præcepta *quæ faciet homo & vivet in eis Lev.* XVIII. 5. *Ezech.*

XX.

xx. 11. *coll. Rom.* vii. 10. *&c.* & *in observatione eorum merces multa Pſal.* xix. 12. quam & Deus ipſe conſtituit *Gen.* xv. 1. *Pſal.* lxxiii. 25. 26. *Thren.* iii. 24. *&c.* Atque hinc illa ſumma Fœderis, ὃτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς *Rom.* x. 5. *Gal.* iii. 12. *Matt.* xix. 17. *Luc.* x. 28. *&c.* Quibus in locis omnibus ineptum eſt cogitare vel ſolum vel præcipue de *Vita* corporali, aut etiam ſpirituali, in his terris multis modis imperfecta calamitoſa & breviſſimæ durationis, quæ neque ſemper ad obſervationem mandatorum ſequitur, neque obſervantibus propria eſt; ubi promiſſa ampliſſima animamque ſatiantia proponere voluit Deus, & morti denunciatæ per omnia oppoſita. In primis ubi res Deo erat cum hominibus, qui melioris & cœleſtis vitæ deſiderium ac ſpem cum terreſtris hujus contemptu dictis factiſque ſuis copioſe ſunt teſtati, notante etiam Paulo *Hebr.* xi. 10. 13. 14. 16. *&c.* Ac ubi Deus ipſe de ſe ut præmio ſuorum ampliſſimo ac inamiſſibili exegeticè alias loquitur. Potiſſimum autem, ubi Chriſtus ipſe Vitam illam in Lege promiſſam de Æterna & Cœleſti expoſuit manifeſte; roganti enim, *bone magiſter*, τί ἀγαθὸν ποιήσω ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον, reſpondit ſecundum Legem Dominus noſter, εἰ δὲ θέλεις εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν, τήρησον τὰς ἐντολάς *Matt.* xix. 16. 17. quin & dein addidit *verſ.* 21. καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ. Unde & Paulus *pietati* tribuit *promiſſum* ζωῆς τῆς μελλούσης 1. *Tim.* iv. 8. Enimverò ubi hæc Vita nobis proponitur tanquam obedientiæ mandatorum præmium conſtans ac indivulſum, & quidem in ipſo Operum Fœdere promiſſum, quis adeò ineptiat amplius, ut eam neget apud hominem integrum locum habuiſſe, cum præſtari potuit obedientia illa, & cum Fœdus operum vere erectum fuit, ſed poſt contractam per lapſum impotentiam demum velit obtinuiſſe, Deo ſic hominibus quaſi illudente? Sed hoc ſecundo loco addamus, quod & alibi ſatis expreſsè eadem hæc Vita conſideratur tanquam Legis præſtationi annexa ante peccatum; quandò ſic Paulus v. g. loquitur de τῇ ἐντολῇ τῇ εἰς ζωὴν, ipſi juxta omnes homines per concupiſcentiam & peccatum facta *ad mortem Rom.* vii. 10. quemadmodum memorato τῷ ἁγιάτῳ & νόμῳ generatim ſubjicit, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, ſeu *viribus* hominem vivificandi Legem *deſtitutam* eſſe *per carnem*, h.e. hominis peccaminoſam corruptionem quæ ab Adami lapſu utique cœpit. Neque hoc tertio prætermittendum eſt, quod Fœdus Gratiæ pro principali ſuo promiſſo habeat Vitam Æternam, non minus frequenter ſub ſimplici illo nomine veniem

Digitized by Google

tem quam cum hoc epitheto *Matt.* VII. 14. XVIII. 8. 9. *&c.* ex quo Fœdus Operum æſtimari debet, quando non eſt uſquam hoc ab illo diſtinctum in bono propoſito præcipuo ad quod tendit homo, ſed in modo illuc perveniendi, per propriam nempe aut per alterius Sponſoris obedientiam, docente per diſputationes prolixas Paulo *Rom.* X. 5. 9. *Gal.* III. 11. 12. *&c.* Accedit quartò ipſa apud Moſen lecta comminatio Mortis, quam de Æterna etiam & maxime intelligendam eſſe ſuo loco monſtravimus; unde vi oppoſitorum æſtimanda venit Vita promiſſa, quæ certe non minor aut vilior eſſe debebat in ſuo genere, niſi iniquitatis vel ſaltem minoris bonitatis majoriſque ſeveritatis maculam Deo aſpergere lubeat, quæque ſi non ſupra præſentem Adami ſortem attollatur, nihil ille utique novi præmii obtinuiſſet. Nec tacenda heic quinto eſt *Arbor Vitæ*, cujus hoc nomen collatum cum voce Dei *Gen.* III. 22. ad Vitam Æternam per eandem obedienti obſignatam adeoque verè promiſſam quam maxime ſpectare, monſtravimus dudum *Lib. I. Cap.* XVII. faſſis hinc ipſis *Socinianis*, uti ſupra quoque dictum, Arborem hanc *Symbolum quoddam Vitæ Æternæ fuiſſe*, *Compend. Cap.* II. §. 5. Quin & aſcendendum ſexto nobis videtur; tum ad hominis innatum & decentiſſimum ſimul deſiderium, in Vitam illam Æternam protenſum nec abſque ea unquam ritè ſatiandum, quod ex promiſſo Dei derivandum eſt & per illud viciſſim implendum, ne fruſtra creaturam occupet & angat; tum ad infinitam Dei majeſtatem & bonitatem, quæ minus aliquod quam Vitæ Æternæ præmium vix admittit, etiam ſi conſideremus Chriſti pro Vita illa & Reſurrectione argumentum quod ex communi formula illa Fœderali petiit, *ego ſum Deus Abrahami & Deus Iſaaci & Deus Jacobi*; οὐκ ἔστιν, inquit, ὁ θεὸς θεὸς νεκρῶν ἀλλὰ ζώντων *Matt.* XXII. 32. Cujus quidem argumenti vis, ab ipſis Judæis cum ſtupore agnita, conſiſtit non adeò in temporis præſentis uſu, quam in Dei excellentiſſima præſtantia, etiam in maxima ſeque digna retributione fœderatorum ſuorum neceſſario demonſtranda ad ſuam gloriam. Quam ob rem nec eos ſequi poſſum, qui hoc Vitæ Æternæ promiſſum ex nudo & indifferenti Dei placito magis quam ex naturali ejus bonitate derivant; quo magis Mortis Æternæ pœna juſtitiæ ejuſdem eſſentiali meritò tribuitur. Inter hos tamen deprehendo ipſum Ven. Avum *Cloppenburgium Exerc. Theol. Loc. VI. Diſp.* V. *Flagitat Foederis conventio libera voluntatis remunera-*

tionem

Digitized by Google

tionem ac liberalitatem majorem quandam & abundantiorem, seu tantam quantam homo sibi polliceri non poterat ex jure Dei per Legem Naturæ cognoscibili. Atque omnino foederalis quæcunque promissio, qua habet restipulationem officii, tanta est, ut illam non possis imputare Amori illi qui naturalis est proprietas in Deo, ex quo suapte natura inclinat in remunerationem aliquam debiti à creatura officii, sed superabundanti liberalitati, liberrimè tantam compensationem decernenti supra exspectationem &c. Sed non video ego, cur à Fœderali insinuatione magis aliena sit promissio fluens quoad speciem suam ex naturali Dei bonitate, quam ipsa nostra natura docet, ac comminatio ex Dei essentiali justitia proveniens, imo ac Lex ipsa in qua sanctitatis & perfectionis Divinæ est necessaria expressio. Dum hoc tamen tenendum, quod illa promittendæ & præstandæ obedientibus Vitæ Æternæ necessitas non sit deducenda ab homine, ac si hic ex se jus exigendi à Deo haberet cui omnia etiam absque præmio debet, sed à Deo solo ipsiusque infinita perfectione; quod in omni vel minimo Dei promisso perinde obtinet. Neque est doctrina hæc de Vita Æterna Adamo post præstitam obedientiam promissa, vel nova, vel Theologis paucioribus peculiaris. Ex adverso de ea inter alios plus quam semel locutum deprehendimus *Augustinum*. Vide eum *Lib.* XIII. *de Civ. Dei Cap.* 1. *Ita condidit Deus homines, ut perfunctos obedientiæ munere, sine interventu mortis, Angelica immortalitas & beata æternitas sequerentur, &c.* Sicuti etiam dixerat *Lib.* XII. *Cap.* 21. *Hominem vero cujus naturam quodammodo mediam inter Angelos bestiasque condebat, ut si Creatori suo tanquam vero Domino subditus præceptum ejus pia obedientia custodiret, in consortium transiret Angelicum sine morte media, beatam immortalitatem sine ullo termino consecuturus &c.* Et deinde dicit *Lib.* XIV. *Cap.* 10. *Ista permanente felicitate, donec &c. alia major daretur, qua beatissimis Angelis data est, ubi jam esset certa securitas peccaturum neminem morituramque neminem, & talis esset vita sanctorum, post nullum laboris, doloris, mortis experimentum, qualis erit post hæc omnia in incorruptione corporum, reddita resurrectione mortuorum.* Haud dissimiliter ille loquitur *Enchiridii ad Laur. Cap.* CIV. de Deo tanquam qui *voluisset primum hominem opportuno tempore post genitos filios ad meliora perducere, ubi jam non solum peccatum non committere sed nec voluntatem posset habere peccandi &c.* Imo *Cap.* XXV. post citatam divinam mortis comminatio-

tio-

tionem ſubjecit; *Sic enim munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio, atque in Paradiſi felicitate tanquam in umbra vitæ, unde juſtitia cuſtodita in meliora conſcenderet, collocavit.* Atque hanc eandem Vitæ promiſſionem ſpectavit omnino *Catecheſis Heidelberg. Queſt.* VI. ubi ad Dei Imaginem conditus dicitur homo primus, ut non tantum Deum creatorem recte cognoſceret & ex animo diligeret, ſed & conſequenter *cum eo beatus in æternum viveret &c.* Sicuti ipſe *Zach. Urſinus*, ad quem heic provocat *Jac. Altingius*, monuit in his *ſubordinari agnitioni Dei felicitatem & beatitudinem hominis, quæ eſt communicatio Dei & fruitio bonorum cœleſtium &c.* Atque idem inculcavit Vir Clar. *Henricus Altingius*, Jacobi pater, *in Explicat. Catech. Denique ipſius hominis beatitudo, ut cum Deo æterna felicitate frueretur, qua poſſeſſione Paradiſi ei adumbrata & ſacramento Arboris Vitæ ei obſignata fuit &c. Uſus & finis Imaginis Dei, homini in creatione collatæ, certe fuit Vita beata ſacramento Arboris Vitæ ipſi obſignata. Neque hoc quiſquam Doctorum Reformatæ Eccleſiæ negat &c. Agitur de uſu & fine Imaginis Dei, quem Deus in Vitæ Æternæ beatitudine propoſuerat, homo autem adepturus fuiſſet, ſi quidem imaginem Dei conſtanter retinuiſſet, & in obſequio & cultu Creatoris ſui perſeveraſſet &c. Licet Deus ſub conditione perſeverantiæ in primigenia integritate hominem ad ſalutem condiderit, &c.*

Objectionibus Socinianis breviter ſatisfit.

VII. In hypotheſin *Socinianam*, per quam Vitæ Æternæ promiſſum ab omni tempore Veteris Teſt. excluditur, atque ultimis Meſſiæ temporibus tanquam proprium vindicatur, convellendam non eſt ut heic late excurramus. Eſt enim alius ſtatus Adami Integri, de quo heic diſſerimus, & alius ſtatus ejuſdem cum poſteris lapſi; & poſſet forte promiſſio inſignior illi prius eſſe facta, quæ deinde poſt mutatam conditionem non æque foret repetita. Sed & palam ſatis eſt, quod de Chriſto Mediatore ut Vitæ Æternæ autore unico & præcone maximo ſacræ docent literæ, id ad hominem non integrum ſed lapſum prorſus pertinere. Utique ſpem Vitæ Æternæ Adamo Integro fuiſſe propoſitam, licet in his ipſis terminis non dicat Moſes, argumentis tamen ſufficientibus putamus jam evictum. Et dant alias plures argumentorum claſſes Theologi noſtri, quibus Patribus quoque poſt lapſum ante Chriſti adventum promiſſionem Æternæ Vitæ juxta nobiscum factam, & per fidem acceptam, cum actualis ſalutis fructu, monſtrant. Quorſum referri quoque poteſt ipſum Proteuangelium de Semine Mulieris contrituro Caput ſerpentis, & fatum

Digitized by Google

fatum Henochi poſt ambulationem cum Deo aſſumpti ab ipſo ad ſe, etiamſi hoc quoad modum ſuum fuerit ſatis extraordinarium, quatenus nempe in eo oſtendit Deus ipſo facto quid poſt hanc vitam decenter actam pii habeant exſpectandum & hinc præcipue quærendum. Ex quo concidit ſponte cavillatio *Joh. Volkelii*; *Quod ſi forte quispiam Enochi in cœlum elationem ejuſmodi promiſſionis loco ducendam exiſtimet, qua omnibus cum pietate viventibus eadem felicitas pacta fuerit, is nimirum vehementer errat, cum ſimplex hoc factum nulla adjecta ejuſdem beneficii oblatione promiſſum appellari nequaquam poſſit. Adde, quod res ipſa nequaquam hominibus illis ex eo quod Enocho ſingulari de cauſa contigerat promiſſum generale elicere permittebat, cum multi quos Deus propter ſingularem pietatem admodum charos habuit in cœlum rapti nequaquam fuerint.* Enimvero non explicitum ſed implicitum promiſſum, non modi extraordinarii ſed rei præcipuæ & ordinariæ, ad veram fidem & pietatem ſecuturæ, eſt quod in hoc Henochi eventu ſeu factum ſeu firmatum reperient haud difficulter qui rite & abſque præjudicio attenderint. Et mirari profecto ſubit, quod de promota gloria Chriſti per negatum Veteribus Patribus Vitæ Æternæ promiſſum gloriari audeant *Sociniani*; ſiquidem nemo non intelligit, longe magis glorioſum eſſe Domino noſtro, quod ipſe ſuo merito & virtute tam Patribus ante ſe in carne natum quam nobis poſt ipſum Vitam Æternam promitti & præſtari ex liberaliſſimo promiſſo fecerit, quam quod ipſe Vitæ Æternæ nudus ſuerit præco primus, & quidem ultimo demum mundi tempore; dum nobis præ Veteribus contingit non tantum actualis Vitæ iſtius acquiſitio per fuſum Chriſti ſanguinem, ſed & longe clarior ejuſdem manifeſtatio, & latior ad populos quoſvis extenſio, in quibus melioribus hactenus bonis eſt quod merito gloriemur. Unde parum faceret ad rem, ſi *in terminis* adeo expreſſis promiſſio *Vitæ Æternæ* in Vet. Teſtamento non extaret, dummodo in eo vere comprehenderetur ſub aliis vocibus, & ſub nudo nomine *Vitæ* proponeretur, quod ſolum in ſua emphaſi acceptum toties etiam in Novo Teſt. pro Vita Æterna ponitur *Matt.* XIX. 17. *Joh.* III. 36. V. 29. XX. 31. *Act.* XI. 18. *Rom.* V. 18. *Phil.* IV. 3. 2. *Tim.* I. 10. *&c.* Sed & in Vet. Teſtamento *Vitæ Æternæ* promiſſio ſatis expreſſa extat, tum *Pſal.* XXII. 27. *vivet cor veſtrum* לעד *in æternum*, tum *Dan.* XII. 2. *& multi è dormientibus terræ pulveris expergiſcentur* / אלה לחיי עולם

illi ad vitam æternam; præter periphraſes clariſſimas *Pſal.* XVII. 15. *Prov.* XII. 28. *Jeſ.* XXVI. 19. *Hoſ.* XIII. 14. *&c.* Nec veritas rei ipſius heic magis quam alibi æſtimanda eſt ex perverſa mente, ſeu incredulorum & excæcatorum Judæorum, ſeu antiquorum quorundam Chriſtianorum; quam nec ipſam generatim æſtimari debere ex peculiari aliquorum opinione aut duriori phraſi quandoque adhibita, dudum oſtenderunt noſtri, ut non opus ſit id heic nunc agere.

Objectiones Amyraldi etiam ſolvuntur.

VIII. Enimverò admodum levia quoque ſunt argumenta, quibus adverſus communem ſententiam heic pugnat *Clar. Amyraldus* noſter, quæque late dudum excuſſit *Cel. Coccejus de Fœdere* §. 30. Silentium ille *primo* cauſatur Scripturæ de Vitæ Æternæ promiſſione, ad Dei gloriam & hominis humiliationem plurimum faciente ſi facta fuiſſet. Sed varie eam in Scriptura traditam eſſe, ex dictis conſtat; data etiam ratione, cur in Adami hiſtoria magis explicite memoretur oppoſita comminatio. Nomen Fœderis Naturalis *ſecundo* urget, tanquam quod promiſſum Supernaturale prorſus excludat. Sed ea *appellatione* nos *poſſe carere*, monuit *Ven. Cloppenburgius*; nec ſpectare eam apud Theologos ad promiſſum in Fœdere bonum, ſed ad coævam Naturæ originem primam, & conforme ejus dictamini argumentum, antea à nobis eſt dictum; quo ſenſu Fœdus Naturale Dei cum homine potius exigit promiſſum ſupernaturalis beatitatis, cujus nempe obtinendi innatum eſt homini deſiderium, & dandi in Deo ſupremo & optimo decentia ſumma. Analogiam exigit ille *tertio* inter officium conveniens perfectioni naturali Adami & inter præmium. Sed nec inter homines nudos pactorum paciſcentium cum aliis immeritam liberalitatem ſemper præmium officio adæquatum eſt; & inter obedientiam Adamo præſcriptam ac promiſſum Vitæ Æternæ non omnis analogia eſt neganda, ſi Dei remuneraturi majeſtatem ac bonitatem ſummam hominiſque conatum laudabilem in obedientia ſpectemus; nec fuit Officium Adami ita Naturale, ut non Deum ſupra naturam omnem conſtitutum pro præcipuo ſuo objecto habuerit, & Naturæ conceſſas vires debuerit exercere per Obedientiam perfectam tam ſymbolicæ & Supernaturalis quam Naturalis Legis, quin & vires ad bonum à natura ipſa humana qua tali ſimpliciter debeant diſtingui omnino. Urget ille *quarto*, (quamquam ipſe nullâ ulteriori numerorum diſtinctione nunc porro utatur,) promulgationem Fœderis tam externam quam internam quæ fuerit mere Naturalis, in

vic.

Digitized by Google

virtutum divinarum notis illuſtribus quas operibus ſuis indidit, & in ratione incorrupta eaſdem contemplante, unde & Fœdus ipſum ſit Naturale. Sed mere naturalem illam promulgationem gratis iterum ſupponit Vir Doctus, ubi certiſſime interdictum Arboris Scientiæ & myſterium Arboris Vitæ fuit ſupernaturale; atque ipſa integra hominis ratio, cum intuitu virtutum operibus Dei expreſſarum, ad Æternæ Vitæ præmium hominem ducere poterat. Pergit ille *quinto*, nullam præmii, ſed ſolam pœnæ eſſe factam mentionem. Sed hoc non niſi de explicita mentione verum eſt, quæ cur pœnæ magis quam præmii ſit facta, antea expoſuimus; dum hoc argumentum non minus adverſus naturale quam ſupernaturale præmium videtur facere; atque abſurdiſſime dicitur pœnam ita homini naturaliter conſtitiſſe ut de præmio ſupernaturali quidquam vel leviſſime ſuſpicari vix potuerit, quaſi bonitatem Dei infinitam non æque quam ſeveritatem ejus juſtam perſpicere potuiſſet homo integer. Inſtat ille *ſexto*, quod Arbor Vitæ Sacramentum Naturale fuerit, nec abſque peculiari & diſerta inſtitutione alterius quam naturalis vitæ promiſſionem obſignare potuerit, ubi Adamus non abſque totali & admodum incomprehenſibili mutatione ad vitam æternam potuit pervenire. Sed abſque peculiari inſtitutione Dei nullius promiſſæ Vitæ ſignaculum iſta potuit eſſe Arbor, unde debet illa pro Sacramento non Naturali, quod nos in Divino Fœdere proprie dictum non admittimus, ſed Supernaturali hactenus haberi; & quæcunque ac quanta in Adamo mutatio fuerit neceſſaria ad vitam æternam, ad quam dictum Pauli *de carne & ſanguine* corrupto & corruptibili parum admodum facit 1. *Cor.* xv. 50. illa vel etiam illius intelligendæ difficultas ejuſdem promiſſionem divinam & exſpectationem certam ad præſtitam obedientiam ab Adamo integro minimè arcet. Concludit ille *ſeptimo*, ex eo quod in hoc Fœdere nullus fuerit Mediator nihil præter communionem Dei Naturalem ex eo potuiſſe haberi. Sed ubi nullum eſt hominis à Deo divortium per peccatum, atque obedientia propria ei præſcripta ad obtinendum præmium, nos, quidquid alii nonnulli temere judicaverint, non videmus Mediatori eſſe locum ullum; nedum eundem eſſe neceſſarium ad hominem ſupra naturæ conditionem evehendum, ad quod ex divino pacto & liberaliſſima bonitate hominis ipſius obedientia ſola requirebatur. Vult ille tandem *octavo* per modum reſponſionis ad objectionem, felicitatem Adami præ-

ſentem non dedecuiſſe hunc in perpetuum per modum præmii promiſſi, ſi eundem non dedecuerit in ea primo creari & conſtitui à Deo. Sed quidquid ſit tandem de humana decentia poſſibili, nos decentiſſimum Deo & homini ſimul fuiſſe judicamus, ut præmium ei propoſitum ad præſtitam obedientiam excelleret præ felicitate quam inter obediendum poſſidebat, de cujus cæteroquin magnitudine & juſto encomio nihil volumus detractum. Interim tam operoſa adverſus Vitæ Æternæ promiſſum diſputatio Viri Doct. an à nimis præfracta negatione queat excuſari, judicandum aliis linquimus.

Argumenta ab Altingio objecta etiam ſolvuntur.

IX. Videre etiam decet valorem *Altingianæ* diſputationis, quatenus illa pertinet ad ipſam Vitam Æternam, magis adhuc quam ad Cœleſtem hujus locum. Atque ſic res omnis illuc redit, felicitatem iſtam, quam Vitæ Æternæ nomine ſolemus deſignare, ab Adamo actu fuiſſe poſſeſſam, adeoque per modum acquirendi boni non potuiſſe ipſi promitti. Enimvero ſi illud daretur, an non tamen promiſſio Vitæ Æternæ poſſet Adamo tribui, non modo ſimpliciter continuandæ in futurum, quod à præſenti poſſeſſione differt quadantenus, ſed & ita confirmandæ ut eadem plane immutabilis & inamiſſibilis foret, quod longe maximum pondus præſenti poſſeſſioni addebat? ſicuti in hanc rem Angelorum non lapſorum exemplum ipſe Vir Doct. adduxit, quos dicit in priori ſuo ſtatu ita confirmatos à Deo, ut illos in eo reddiderit immutabiles. Et quis, hoc poſito, non tenetur heic agnoſcere promiſſum veriſſimum & præſtantiſimum Dei, quod ad Fœderis cum Adamo integritatem ſit ſufficientiſſimum? Sed vix aliud quam cavillationum nomen puto mereri ipſa ratiocinia, quibus felicitatem nullâ promiſſâ vitâ æternâ ſuperandam ab Adamo actu poſſeſſam aſtruit; in primis quando ipſe in fine de noſtro *ſtatu* differit in Chriſto tanquam *multo ſublimiori* quam fuit primus Adami ſtatus, & de *gloria* tali noſtra, quam *natura atque ordo illius nunquam dediſſet* hominibus. Cum quibus conciliari rite velimus priora ipſius dicta, quod *perfectio illa quam Deus in principio in illos contulit ne minimam quidem acceſſionem admittat, ſalva ſapientia & potentia Dei, conſtantia conſilii, & veritate verborum ejus &c.* Uti hæc ſane nullo modo probari poſſunt, ſi conſideremus non modo Adamici ſtatus mutabilitatem quam eventus triſtis palam oſtendit, ſed & fruitionem Dei mediatam in vita Adami animali cum ſpirituali juncta ac ejus actionibus omnibus, eandemque adeo nequaquam ita per-

perfectam ut non ulterius meritò ſuis deſideriis & conatibus ſe protenderit Adam ſeu in re ipſa ſeu in ejus gradu, æque quam in manſionis loco feliciori adhuc quam erat ipſe Paradiſus ad vitæ animalis commoda ſatis plene inſtructus. Qua de re vide dicta à nobis *Cap.* VII. §. 8. Quid vero ille adverſus hæc habet pro conſummata jam Adami beatitate? Comminationem *primo* Mortis quæ ſolet dici Æterna, quia ſcilicet moriens amittit Vitam, & hanc quidem ſolam quam habet. Quaſi Adam per peccatum amittens in perpetuum præſentem Dei in maxima gratia communionem, quæ in fruitionem ejus glorioſam & æternam exiviſſet certo abſque interveniente peccato per divinum promiſſum, non ſic optime diceretur Morte æterna mori; neque ſic perinde cavillari liceret, nullam poſſe eſſe in quoquam mortem Æternam, quia hæc Vitam Æternam nempe prærequirit in qua nulla Mors poteſt locum habere. Utique Mortis nomen, proprie corporis ab anima derelictionem & lapſum dicens, cum ad hominis totius æternum exitium denotandum transfertur, non omnia etiam quæ in morte corporali obtinent huc neceſſario ſunt transferenda, ſed ſufficit ſeparatio dolorifica à glorioſa Dei fruitione, etiamſi hæc poſterior antea homini adhuc actu non fuerit conceſſa. Adfert ille *ſecundo* optimam nobiliſſimamque Dei vitam in Adamo ad ejus imaginem, quæ conſiſtat in fruitione Dei & beatitudinis illius, quæque animum conſummato gaudio & tranquillitate beet &c. Sed non poteſt iſta concedi Adamo eo modo graduque imo & ſpecie qua poſtea in cœlis obtinebit, ubi ſatietas erit abſque ulteriori deſiderio ullo, & Deus ſolus omnia in omnibus. Unde & *Amyraldus*, non obſtante maxima Adamici ſtatus commendatione, urſit, ad vitam cœleſtem debuiſſe Adamum *funditus immutari*; & de noſtro poſthac *ſublimiori ſtatu* ac *gloria* ipſe differit *Altingius*. Pugnat hic *tertio* ex determinata ad diem lapſus comminationis exſecutione, quali hinc ad diem ſingulum non commiſſi peccati ſequeretur datio promiſſi præmii, atque hinc idem non aliud quam præſentis Vitæ Adamicæ continuatio fuiſſet. Qua diſputatione nulla poteſt cogitari ineptior; ſiquidem inobedientiam interdicens & obedientiam mandans ad majus aliquod temporis ſpatium Deus, recte quocunque die aut momento inobedientiæ in illo ſpatio minatur pœnas, ſed non ideo ſimul ad unumquemque diem & momentum unum obedientiæ promittit ilico præmium oppoſitum; imo ex adverſo vi iſtius, quo-

cunque die peccaveris morieris, ſequitur, ſi omni die conſtanter obedieris vives demum meliori modo. Judicat ille tandem *quarto*, ad nullam mutationem aſpirare potuiſſe Adamum, abſque condemnatione actionis divinæ, ut & querula obmurmuratione de ſtatu ſuo, & oppoſitione adverſus Deum ut ex ipſo alium faceret, ad Satanæ exemplum &c. Sed hæc alieniſſima ſunt præjudicia; quando & debuit Adam hoc per viam obedientiæ decenter agere, ut non tantum ex præſenti ſtatu in deteriorem non prolaberetur, ſed & ut extra omne lapſus talis periculum aliquando conſtitueretur, ac obtineret felicitatem majorem quam nunc quidem habebat; quo ipſo non condemnabat ſed approbabat Dei ſecum vias, nec adverſus eum obmurmurabat ſed ei ſe protinus cum gratiarum actione ſubjiciebat, nec per oppoſitionem ſed per ſequelam à Deo meliorem ſtatum quærebat, adeoque minime Satanam in ſua defectione à Deo ſequebatur. Apage ergo iniqua id genus vituperia officii decentiſſimi, quæ haud diſſimili prorſus ratione ad noſtrum præſentis gratiæ ſtatum transferri poſſent.

Cœli quoque inhabitationem Adamo promiſſam fuiſſe aſſeritur & defenditur.

X. An vero etiam Cœlum ſupremum loco Paradiſi terreſtris fuerit Adamo propoſitum in locum obtinendæ Vitæ ac Felicitatis Æternæ, declarandum adhuc reſtat. Quod quidem ut aſſeramus, non eadem urgemur neceſſitate; quando Deus ipſe per ſe eſt ſufficientiſſimus ad hominis plenam & conſummatam beatitatem, neque hæc à loco ullo plane dependet, in primis in Paradiſi elegantia & mundi inferioris incorrupta & incorruptibili integritate quæ primum obtinebat. Non dubitamus tamen, quin hæc quoque exſpectatæ à nobis felicitatis pars Adamo obedienti promiſſa fuiſſe recte dicatur. Fuit enim Cœlum iſtud non demum poſt lapſum ſed à primo initio à Deo electum & factum in thronum ſuum glorioſum, in qua majeſtate ſua illuſtriori modo præſens ab Angelis jugiter coleretur *Jeſ.* LXVI. 1. *Pſal.* CIII. 19. *Matt.* XVIII. 10. *&c.* unde fruitio ejus pleniſſima illic potius quam alibi tum quoque ab homine glorificato fuit exſpectanda. Et quantacunque erat Paradiſi inferioris præſtantia, erat ea ſane per terræ proventus & animantia ad vitæ animalis cum ſpirituali junctæ magis quam glorioſæ uſus accommodata; nec æqualis poterat cenſeri elegantiæ ineffabili Cœli ſupremi, quâ primus homo hinc præ nobis non videtur fuiſſe privandus. Neque conſtat nobis poſt lapſum ex Fœdere Gratiæ alia quam cœleſtis beatitas, ad quam per Chriſtum nos aſpiramus *Ioh.* XIV. 2. 3. 2. *Cor.* V. 1. *Phil.*

Digitized by Google

Phil. 1. 23. III. 20. *&c.* unde alia in Fœdere Operum etiam non videtur à nobis conjicienda esse, quia discrimen horum Fœderum non est in præmio promisso, sed in Modo ad illud perveniendi. Et quemadmodum post lapsum cito admodum in Henochi translatione cœlesti ostendit Deus quis veræ beatitatis foret locus; ita ipsum Adamum primo creatum introducens in Paradisum, per hunc tanquam egregium typum vel symbolum satis clare designavit cœlum, ut locum à terra omni distinctum, ornatissimum, abundantissimum, & in quo familiarissima Dei fruitio obedienti homini aliquando contingeret, *coll. Luc.* XXIII. 43. 2. *Cor.* XII. 2. 4. *Apoc.* II. 7. *&c.* Quæ argumenta nostra tanto sunt validiora, quo infirmiores leguntur objectiones apud *Jac. Altingium*, qui se illi sententiæ quam maxime opposuit. Nempe observat ille *primo*, beatitudinem hominis à nulla creatura in cœlo aut in terra dependere, atque hinc Deum non minus familiarem se præbuisse Adamo in terra quam Angelis in cœlo. Sed notamus nos; licet Deus solus ubique etiam in locis maxime horridis posset creaturæ sufficere ad beatitatem, aliter tamen ipsi placuisse agere cum homine post finitum obedientiæ curriculum, & loci cœlestis præstantiâ suam quoque ei declarare benignitatem; dum Adamo in Paradiso per omnia idem contigisse quod Angelis in cœlo, ex vana tantum hypothesi dicitur. Observat ille *secundo*, Deum, cum esset hominem creaturus & crearet secundum Imaginem suam, ad dominium terræ, non autem ad inhabitationem cœli, dici destinasse eundem. Sed notamus nos, ex conditione prima illa hominis creandi, quæ magna parte etiamnum in nobis nascentibus obtinet, minime sequi nullam aliam fuisse deinde insecuturam per ulteriorem Dei benignitatem, quam utique nos ad terræ inhabitationem primò nati posthac in cœlo exspectamus. Observat ille *tertio*, cœlum & terram perfecta esse cum omni illorum exercitu, qui exercitus hinc & inde tum non fuissent consummati, si homo aliquando ab exercitu terræ in exercitum cœli fuisset transcribendus. Sed notamus nos, per illam phrasin perfectorum exercituum cœli & terræ nihil aliud significari, quam opera in istis totius mundi partibus contenta ad istam consummationem fuisse perducta quam Deus in iis creandis sibi proposuerat ad suam gloriam; nec quidquam adeò obstare, quo minus vel homines per singularem gratiam aliquid ulterioris perfectionis deinde naneiscantur, vel ex uno loco mundi in alium transferantur. Observat ille *quarto*,

fuisse

fuiſſe Satanæ peccatum, quod ex cœlo in terram ſe receperit, unde non licuerit homini de terra ad cœlum aſpirare. Sed notamus nos, illam cœli deſertionem cum deſertione Dei & officii ſui in Angelis fuiſſe junctam; à qua plurimum ſane differt Cœli exſpectatio & ſtudium ſecundum Dei voluntatem apud hominem primum. Obſervat ille *quinto*, ſerpentem ſuaſiſſe mulieri ut ad habitationem cœli tenderet, dicto illo, *eritis ſicut Dii*, quod ſequens mulier peccaverit, id itaque Deum non promiſiſſe aut mandaſſe. Sed notamus nos, ſimilitudinem Dei non de cœleſti habitatione ſed de divina cognitione exponi à Serpente ipſo, & ſuaſionem decipientem Satanæ fuiſſe utique ad eſum fructus veriti tanquam medium ſimilitudinis; dum conſtat Deum nequaquam inobedientiam ſed obedientiam ſuaſiſſe tanquam viam cœleſtis manſionis & majoris ſecum ſimilitudinis, quam utramque ſic promiſit. Obſervat ille *ſexto*, habitationem & ſtatum cœleſtem non eſſe beneficium creationis, ſed redemptionis per Chriſtum partæ, unde extra Chriſtum Mediatorem Dominum ex cœlo locum nullum habeat. Sed notamus nos, neque ex creatione nos ſed ex obedientia eam ſecutura derivare habitationem & gloriam cœleſtem; quam dum non præſtitit Adam, per ſolum Chriſtum illa nobis lapſis contingere poteſt, in quo veriſſimum eſt nos non ſimpliciter in integrum reſtitui, ſed & ſimul acquirere actuale jus beatitatis cœleſtis, quod tamen ſic non eſt negandum Adamo ad præſtitam obedientiam fuiſſe promiſſum. Sunt utique iſtæ Viri Docti rationes nobis tales, ut dubitari poſſet an ſerio ab ipſo eſſent adductæ, niſi ipſe in fine adjeciſſet adhuc, per eas ſe *cogi non aliter ſentire neque loqui.*

Modus factæ Adamo Promiſſionis additur.

XI. Poſt ipſam Fœderis Promiſſionem ſic adſtructam declaratam & defenſam, quæri etiam poteſt de Modo quo ea Adamo facta ſit; ſicuti antea de Modo latæ Legis Foederalis egimus *Cap.* VIII. §. 11, 12. Ubi plura videntur merito jungi, nempe & mentis ſapientiſſimæ inſitum dictamen, & externorum objectorum ſenſus multiplex, & Dei ipſius accedens quoque revelatio. Scilicet, dum natura corrupta noſtra etiamnum teſtatur de Dei bonitate infinita tanquam certiſſime demonſtranda in bonos, an dubitare poterimus, quin Adam integer pro ſapientia ſua magna agnoverit facile eandem Dei bonitatem in ſe obediente abſque omni dubio exercendam per vitæ æternæ à ſe deſideratæ dationem. In quam rem ſcripſit etiam *Cl. Coccejus de Fœd.* §. 23. 24. *Promiſſio Conſcientiæ bonæ pollicitatione*

tione, ceu vice Dei, cujus bonitas & veritas naturaliter nota est, homini ad ſpectandum fuit intimata &c. Naturaliter homo intelligebat, ſi perſeveraret in rectitudine ſua, ſe ut minimum perennaturum in ea felicitate & vita in qua conditus erat, quia Dei ſapientiæ & conſtanti bonitati non congruit opus manuum ſuarum ſpernere & deſtruere &c. Præterea quæcunque extra ſe videbat facta homo ad ſuos uſus, præcipue Paradiſus integer cum præſtantiſſimis ſuis proventibus, ea teſtimonium ineffabilis divinæ bonitatis clariſſimum dabant; quæ ſi in obedientiæ curriculo tantopere demonſtraretur, utique poſt hoc finitum longe amplius exſerenda erat. Sed ad hoc internum & externum Divinæ bonitatis teſtimonium acceſſiſſe omnino videtur ulterior Dei ipſius revelatio, ſive externa ſive interna voce facta; faciente in eam rem tam comminatione ſimili Mortis ad Arboris unius interdictum adjecta, quam appellatione Divina alterius Arboris Vitæ, de qua dictum eſt latius *Lib. I. Cap.* XVII. §. 8. Unde etiam *expreſſum Dei verbum* primo loco heic nominat *Cl. Coccejus*, & ſcripſit *Ven. Cloppenburgius*; *Verbum promiſſionis Adamo factum ſupernaturaliter quamvis directe in hiſtoria non habeamus expreſſum, omnino tamen implicitum habemus in ſacramento Arboris Vitæ in medio Paradiſi.* Hos autem tam varios promiſſionis modos ſi jungamus cum rei ipſius argumentis antea adductis, tanto magis apparet veritas obſervationis *Cl. Cocceji Summæ Theol. Cap.* XXII. *§. 37. mirum in modum aberrare quoſdam, qui negant obedientiæ Adami præmium aliud futurum fuiſſe quam manſionem in Paradiſo cum incolumitate &c.*

Meritum quale hinc in Adamo Obediente videatur admittendum.

XII. Ex hac porro ſic firmata & declarata doctrina de Promiſſione Vitæ Æternæ ac Cœleſtis, Adamo obedienti facta, apparet; eam jure creationis & vi infuſæ charitatis non fuiſſe Adamo jam debitam, uti contendunt *Pontificii* aliqui, eundem ut Filium Dei Adoptivum ſic ſpectantes; ſed eandem ab Adamo recte dici promerendam, ſeu per modum meriti ipræmii ad obedientiam fuiſſe conſecuturam. Quod non eſt intellgendum tamen de Merito quod *Papiſtæ* vocant *ex Condigno*, quod cum Dei ſuprema majeſtate hominiſque dependentia & vitæ promiſſæ magnitudine nequaquam convenit; ſed de Merito *ex Pacto* liberaliſſimo, in quo fundamentum hoc vere eſt præmii poſtulandi; & ſimul de Merito *ex Congruo*, ſive Dei majeſtatem & bonitatem, ſive hominis decentiſſimum deſiderium ſpectemus. Quale nos etiam agnoſcere ſolemus in Angelis perſeverantibus atque hinc

in beatitate inamiſſibili conſtitutis. Nec habuit adeo heic locum ullum *Mediator*, qui Paulo teſte *non eſt unius* Gal. III. 20. ſed diviſionem ſupponit. Quamquam aliter judicaverint quandoque aliqui etiam noſtrum, & *Calvinus* ipſe ſcripſerit *Inſtit. Lib.* II. *Cap.* 12. *Quamvis ab omni labe integer ſtetiſſet homo, humilior tamen erat ejus conditio quam ut ſine Mediatore ad Deum penetraret.* Quæ ſatis difficulter concilio cum iis quæ ibidem habet Vir hic maximus, tum de Neceſſitate Humanæ Naturæ in Mediatore, *ita Filium Dei fieri nobis Immanuel oportuit, id eſt, nobiſcum Deum, & hac quidem lege ut mutua conjunctione ejus divinitas & hominum natura inter ſe coaleſcerent, alioqui nec ſatis propinqua vicinitas nec affinitas ſatis firma unde nobis ſpes fieret Deum nobiscum habitare &c.* tum de Incarnatione Chriſti abſque lapſu non futura, *his ut par eſt conſiderandis qui ſedulo attentus erit, vagas ſpeculationes facile negliget quæ leves ſpiritus & novitatis cupidos ad ſe rapiunt, cujus generis eſt, Chriſtum etiamſi ad redimendum humanum genus non fuiſſet opus remedio, futurum tamen fuiſſe hominem &c.* Si utique Mediator debuit eſſe homo, nec Filius homo futurus fuerit homine non peccante, etiam Adamo integro non potuit ille eſſe Mediator.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quo de Fœderis Divini cum Adamo Signaculis agitur.

De Signaculis Fœderis Operum generatim agitur.

Vidimus itaque, quid Deus ab Homine fuerit ſtipulatus in Fœdere Operum, & quid viciſſim Homo obediens à Deo exſpectandum habuerit. Licet autem Dei promiſſio nuda fidem certam mereatur, dum eſt ille vere ἀψεύδης in ſuis promiſſis maximis omnibus *Tit.* I. 2. *&c.* lubuit tamen ipſi in Fœdere Gratiæ Signa & Sigilla quædam realia addere, quibus maxima promiſſa illa firmaret, hominibuſque adverſus infidelitatem æque quam inobedientiam potenter ſuccurreret, præter alios uſus theoreticos & practicos. Neque dubium eſt, quin iſta Signa, Sacramentorum nomen vulgo gerentia, in Fœdere Gratiæ ſint magis neceſſaria; tum propter Redemptionis arcanum, quod ex ſola Dei natura non poteſt deduci ſed libero ejus beneplacito nititur; tum propter hominis imbecillitatem ex peccato, quæ ad incredulitatem & inobedientiam ipſum facil-

Digitized by Google

facillimè abducit. Attamen ratio nulla eſt, cur & in Fœdere Operum ea non agnoſcamus. Utique & heic Deo fuit integrum bonitatem ſuam ejuſque fructum certum amplius teſtari, quam abſolute homini neceſſarium eſſet. Et ſi integer nunc eſſet Adam, erat tamen in ſtatu adhuc mutabili, nec ipſius beatitatis immutabilis particeps, poteratque adeo in incredulitatem & inobedientiam incidere, docente id triſti eventu; adverſus quam hinc muniit eum merito Deus, ſic minus excuſabilem futurum in defectione ſua. Id vero heic prænotamus, ita late Signaculorum Foederis nomen accipi, ut illud fere æquipolleat voci ſignorum, ſymbolorum, typorum, emblematum, &c. quibus Deus Foedus ſuum quocunque modo homini confirmavit; nec debere adeo heic quæri omnia illa requiſita, quæ in Sacramentis Foederis Gratiæ diſtinctis à Sacrificiis aliiſque ritibus ſolent alias à Theologis rectiſſime numerari.

II. Variat autem apud Theologos horum Signaculorum numerus, ſeu quaternarius, ſeu ternarius, ſeu binarius, dum alii non niſi unum agnoſcunt. Nempe ſpectavit etiam dudum *Cl. Witſius* noſter Septimi Diei ſpecialem Sanctificationem & Quietem, tanquam promiſſæ beatitatis ſacramentalem apud Adamum figuram. Ubi nunc merito à nobis ſupponitur, quod antea adſtructum eſt *Cap. VIII.* §. 7. eam abſque ulla Prolepſi hiſtorica pertinere ad primum quoque Diem Septimum; nec aliud eſſe ejus Diei Benedictionem & Sanctificationem quam elationem præ aliis ſeptimanæ diebus per ſegregationem ad ſanctiſſimum uſum Divini ſolennioris cultus cum abſtinentia neceſſaria ab opere alio quotidiano omni. Quo pacto Diem unum & ultimum ſeptimanæ ſanctificare eodemque quieſcere erat quidem officium hominis morale, ſed ex Dei ſapientiſſimo arbitrio magis quam ex ejus natura aut naturali aliqua perfectione fluens. Sed hoc non obſtante, ratio heic aliqua myſtica ſimul potuit ſubeſſe, ſpectans ad Æternam Vitam poſt hanc præſentem eo ipſo præfiguratam. Scilicet nunc Adam habebat laborandum adhuc ex Dei per ſextiduum exemplo in colendo & cuſtodiendo horto; ſed poſthac omnis ille labor perinde ut in die illo ſeptimo erat ceſſaturus. Nunc Adam Deum jugiter quidem colebat ſecundum Legis ipſius præſcriptum; ſed poſthac futurum erat illud longe illuſtriori modo in magna electorum omnium hominum & Angelorum panegyri coram Dei glorioſè præſentis throno ipſo, uti diei ſeptimi id erat opus præ aliis ſex diebus. Nunc præcedebat Adami labor

Pro tali non in merito habetur Sanctificatio & Quies Diei Septimi.

corporalis cum particulari & feliciter inchoato Dei cultu; ſed ſecutura in fine dierum conſtituto beata quies & ſanctiſſima coeli occupatio, uti ſeptimus dies ſequebatur poſt ſex priores operarios. Tantò autem magis hæc Septimi Dici Sanctificationiſque & Quietis ejus analogia cum promiſſa Æterna Vita attendi meretur, quod Sabbathum poſt lapſum apud Iſraelem certiſſime Signum Foederale fuerit, per quod non modo gratia Novi Teſtamenti olim Eccleſiæ futura, ſed & gloria coeleſtis Eccleſiæ utrique communis fuit adumbrata, *coll. Exod.* xxxi. 17. *Ezech.* xx. 12. 20. *Hebr.* iv. 9. *&c.* Heic vero licet fuerit alia via perveniendi ad illud bonum magnum quam ante lapſum, eſt tamen idem omnino bonum in Foedere Operum, cui adumbrando utrobique Quies & Occupatio Septimi Dici pariter apta; unde non eſt, quod ſignificationem eam demum à lapſu aut longe ſerius inchoemus. Nec eſt fere quem amplius lateat, quo pacto myſterium durationis hujus mundi per ſex millenarios cum ſeptimo ſpatio ſeculi futuri ex ſex diebus creationis & inſecuto tum ſeptimo quietis divinæ eduxerint cum Judæis Chriſtiani veteres paſſim. Uti ſic in ipſi *Barnabæ* tributa *Epiſtolâ* antiquiſſima legimus; προσέχετε τέκνα τί λέγει, τὸ συνετέλεσεν ἐν ἓξ ἡμέραις, τοῦτο λέγει, ὅτι συντελεῖ κύριος ἐν ἑξακισχιλίοις ἔτεσι τὰ πάντα *&c.* ϛʹ οὖν τέκνα ἐν ἓξ ἡμέραις ἐν τοῖς ἑξακισχιλίοις ἔτεσι συντελεσθήσεται τὰ πάντα, καὶ κατέπαυσε τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ, τοῦτο λέγει, ὅταν ἐλθὼν ὁ υἱὸς αὐτοῦ καταργήσει τὸν καιρὸν τοῦ ἀνόμου, καὶ κρινεῖ τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ ἀλλάξει τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας, τότε καλῶς καταπαύσεται ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ. *&c.* Atque ad hæc annotavit *Clar. Le Moyne pag.* 848. *Cum dixiſſet, Deum ſex diebus omnia conſummaſſe, aliud ingerit Hexaemerum, nimirum Hexaemerum dierum millenariorum, quorum ſex millenariorum ſpatio debeat mundus durare & conſummari, & Deus millenario ſequente quieſcere. Hæc fuit ſententia omnium fere Patrum, ad quam Platonici & Pythagorei proxime videbantur accedere. Suam vero iſtam doctrinam ab ipſis Hebræis hauſiſſe, nullus eſt paulo humanior & litteratura Judaica & Cabbaliſtica imbutus, qui hoc facile non ſibi perſuadeat &c.* Ac dein *pag.* 860. *Nam ſeptem ἑπτάδας ſibi fingebant Veteres. Sex primas durationi mundi tribuebant, ultimam vero vel judicio ultimo, vel quieti animarum, vel reſurrectioni. Septimam vocabant Seculum futurum, ſeculum ſecundum; ſex vero priores figuratas putabant ſex diebus creationis, & his ſex millia annorum durationis mun-*

mundi repræsentari existimabant. Uti non defuerunt ab ævo plures, qui etiam hoc, quod Septimo Dici *vespera* nulla tribuitur in Mosis textu, retulerunt ad *Sanctorum requiem* quam *nullus terminus claudet*. Ex istis autem uti apparet, ad futuram æternitatem in ipsa Divina Quiete prima septimi diei spectásse ab antiquissimo tempore cum *Judæis* multitudinem omnem *Christianorum*; ita cogitandum damus, quanto magis in dici istius quiete & sanctificatione Adamo ipsi mandata ad lætam hominum in Dei quietem ingressurorum æternitatem prospicere nos deceat.

III. Juxta Symbolum hoc promissæ Felicitatis, quod Tempus certum Adamo præbebat, imo & forte præ eo, heic considerare decet Locum, in quo Deus eum creatum constituerat, & quem plures longe heic nominant Theologi. Is fuit *Hortus Hedenis*, alias *Hortus Dei* seu *Jehovæ*, & *Paradisus* communissimè dictus, cujus descriptionem satis amplam dedimus *Lib. I.* Atque hunc tanquam Cœli ipsius emblema luculentissimum nobis plus quam semel proponit ipsa Scriptura. Dixit enim ipse Christus ad Latronem rogantem, *Domine memento mei ubi veneris in regnum tuum*, ἀμὴν λέγω σοι, σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ *Luc.* XXIII. 43. Et Paulus, cum dixisset, se ἁρπαγέντα ἕως τρίτου οὐρανοῦ, subjecit, ὅτι ἡρπάγη εἰς παράδεισον, sive integrum illud cœlum sive mansionem ejus peculiarem sic exegetice designans 2. *Cor.* XII. 2. 4. Quin & Christus ipse dixit *Apoc.* II. 7. *Vincenti dabo illi edere de Arbore Vitæ quæ est in medio τοῦ παραδείσου τοῦ θεοῦ*, cum majori respectu ad Cœlum, in quo post consummatam fidelium victoriam præmii complementum est, quam ad Ecclesiam tanquam Paradisum aliquem inferiorem. Nec est qui non videat summam inter Cœlum beatorum & Paradisum veterem convenientiam. Est enim illud instar Paradisi speciale & eximium Dei opus, qui hinc dicitur ejus τεχνίτης καὶ δημιουργὸς *Hebr.* XI. 10. Est illud amœnitate & abundantia omni, non quidem corporali quæ ad animalis vitæ commoda facit, sed spirituali & meliori, instar Paradisi vere excellentissimum, plus quam nos exprimere aut comprehendere nunc quidem valemus, *coll.* 2. *Cor.* XII. 4. *Apoc.* VII. 15. 16. 17. &c. Est illud habitaculum sanctissimum, in quo nulli impuro locus est, sed sanctitate consummatis spiritibus & hominibus solis felix mansio procul à reliqua terra contingit, eaque cum præsentissima & familiarissima Dei fruitione, instar Paradisi quoque veteris, *coll. Apoc.* XXI. 27. &c.

Ipsum Paradisum fuisse Adamo Cœli & Felicitatis futuræ Signaculum, monstratum.

Eſt illud etiam, in quod ex terra primum facti & dein in terra iterum refecti homines erunt tandem transferendi, tum Anima tum etiam Corpore, plane uti Adam ex & in terra reliqua primum formatus & dein à Deo in Paradiſo collocatus fuit, *coll. Ioh.* XIV. 3. *&c.* Eſt illud tandem, quod homines non tantum poſthac in ejus actuali inhabitatione ſed & heic in ejus olim habitandi jure colendum & cuſtodiendum habent, jugi meditatione, fide, ſpe, deſiderio, & ſalutis ſuæ viæque illuc ducentis cura; plane ſicut non Deus Adamum, ex Latini textus malo intellectu apud *Auguſtinum Lib.* VIII. *de Gen. ad lit. Cap.* 10. ſed Adam Paradiſum præter inhabitationem colendum & cuſtodiendum accepit, non ſane moraliter tantum per ſolam Divinæ Legis obſervantiam, quam heic deſignari cum aliis Veteribus ponit *Theophilus Antioch. Lib.* II. *ad Autol.* οὐκ ἄλλῳ τινὰ ἐργασίαν δηλοῖ ἀλλ' ἢ τὸ φυλάττειν τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, ſed & phyſice per corporalem operationem & agriculturam, *non* quidem *labore ſervili ſed honeſta animi voluptate*, uti *Auguſtinus* dixit *Lib.* VIII. *de Gen. ad lit. Cap.* 9. quam & ipſam ad virtutis ſtudium cum *Ambroſio* Veteres allegoricè tranſtulerunt. Fecit vero tam multiplex Paradiſi cum Cœlo convenientia, ut ipſi Judæi *Talmudiſtæ* aliique dudum appellationem Horti Hedenis & Paradiſi ad locum beatitatis ſeu animæ ſeu hominis totius poſt hanc vitam tranſtulerint; qua de re vide quæ ex *Grotio* adduximus cum obſervationibus noſtris *Lib. I. Cap.* II. 7. Merito hinc ſcripſit quoque *Clar. Coccejus Summæ Cap.* XXIII. *Eccleſiæ Iſraelitice ſolenne fuiſſe cœleſtem habitationem & locum gloriæ induendæ appellare* גן עדן *hortum Eden &* עדן *Eden, unde & nunc de piis mortuis dicunt,* נחו בעדן *qui requieſcit in Eden &c.* Poſtquam præmiſerat; *Porro illa habitatio terreſtris habet analogiam cum manſione meliori, nempe cœleſti, in qua ſe Deus propius oſtendit beatis. Omnia enim quæ tunc agebantur imperfectionem ſuam fatebantur. Quæ vero bona & ſuavia erant ſenſibus, ea pollicebantur bonum quo animus exſatiaretur. Si homo tentandus & explorandus in tam bona conſtitutus fuit habitatione, quis futurus erat ipſius locus, quis ſtatus, quæ felicitas, ſi rectitudinem ſervaſſet & per obedientiam perpetuæ amicitiæ Dei jus ſibi paraſſet? Ita enim & nunc poſt peccatum docet nos ratiocinari Scriptura, ut Ier.* III. 19. *quomodo te ponam in filiis? quem locum, putas, quem honorem, quod decus, quam lætitiam & gloriam darem tibi in filiis quos adoptabo, quos ut filios libertate & hereditate dona-*

donabo! Unde poſt alia interjecta concludit, *Paradiſum etiam Sacramentum & Pignus fuiſſe illius patriæ in qua juſtitia & gloria habitat*, imo *etiam ipſum Paradiſum hortum Dei ſine dubio ſacramentum eſſe &c.* Quod utique ad ſtatum Integritatis primæ adeoque ad Fœdus Operum referri debet; cum deinde Paradiſi decus perierit, & homo ab eo expulſus ſit, nec quidquam in antea dictis deprehendatur quod ad gratiam Mediatoris habeat reſtrictionem.

IV. Nominantur autem in Paradiſi ornatu & copia ſpeciatim Arbores duæ, quas tanquam Fœderis ſignacula ſpectare etiam ſolent Theologi. Una harum fuit dicta *Arbor Scientiæ Boni & Mali*; de qua & de cujus appellatione hac copioſe egimus *Lib. I. Cap.* XVIII. ſicuti interdictum ad eam ſpectans illuſtravimus cum rationibus ſuis *Lib. II. Cap.* IX. Ea vero Arbor dudum conſiderata eſt à multis tanquam figura quædam illuſtris harum & illarum rerum ſive bonarum ſive malarum, quod heic eſt extra noſtrum inſtitutum; & ſimul tanquam Signaculum Divini Fœderis primi, quod etiam merito placuit *Clar. Witſio* noſtro. Scilicet huc nos ducere poteſt ipſum nomen *Scientiæ* non ſolius Mali ſed & oppoſiti *Boni*, quæ ex hac Arbore poterat haberi vere. Eſt hoc *Bonum* quidem primò & præcipue illud quod honeſtum dicitur, & per Obedientiam Divinæ Legis conſtituitur; cujus facti & minime neglecti *Scientiam* hæc Arbor præbebat certam ſi ab ejus fructu abſtineretur. Sed eſt hoc *Bonum* conſequenter etiam jucundum & utile, quod tanquam præmium lætum ex obedientia erat conſecuturum; cujus dandi *Scientia* ſolida ex priori Boni honeſti ſcientia utique debebat ſequi. Quod ſi ergo felicitatem ſuam per modum præmii ſecuturam ex hac Arbore cognoſcere poſſet homo, quis Sacramenti vim ei cum ratione neget amplius? Sed ad nomen accedit etiam res ipſa, quandò mortem denuncians Deus homini de Arbore hac edenti, ſic eundem per Arborem hanc ipſam certum reddidit, eum non moriturum ſed ex adverſo vi oppoſitionis victurum, ſi non ederet ſed per abſtinentiam Deo obedientem ſe præſtaret & demonſtraret conſtanter. Quamobrem non video rationem juſtam, quæ Viros alios doctos movit, ut negarent valide hanc Arborem *datam fuiſſe in vitæ ſymbolum ac pignus vel in Fœderis Sigillum*, ſecundum phraſin *Clar. Burmanni*, quin & hoc ab aliis dici ſatis ægre quandoque ferrent. Sponte utique ex dictis concidit, quod non Vitæ promiſſionem ſed Mortis comminationem ad hanc Arborem Deus adjecerit; quan-

Arborem Scientiæ Boni & Mali non malè etiam pro Sacramento Fœderis agnoſci, docetur.

quandoquidem hæc ad Arboris hujus abuſum per eſum tantum ſpectavit, & comminatio explicita promiſſionem oppoſitam manifeſte involvit, ſicuti promiſſiones per noſtra etiam Sacramenta obſignatæ legitime utentibus non excludunt graves minas in contemptores aut indignos tractatores. Quod idem repetendum eſt, ſi malum ipſum urgeatur quod Arbor hæc non niſi per abuſum ſuum Adamo peperit; eodem modo ut Sacramenta noſtra agunt, *coll.* 1. *Cor.* XI. 27. 29. 30. *&c.* Neque magis ſolida eſt objectio præcipua, quod Sacramentale Signum exigat ſui Uſum, dum Arboris hujus Eſus & Tactus ad eum interdictus fuit. Si quidem non debet Uſus omnis cum ſolo Eſu confundi, dum utimur rebus multis, non tantum illis quæ per modum victus ſumi nequeunt ſed & aliis ad victum aptis quoque, per viſum olfactum & tactum abſque Eſu aut ejus propoſito; ſicuti hinc uſus ſacramentalis fuit olim Iridis non ſolius, ſed & Holocautomatum quæ ex carne eſui apta conſtabant, eſtque hodiè ſimilis uſus Aquæ Baptiſmalis quæ pro potu ſumi poſſet, abſque ſumptione ulla ad victum. Si roges, quis ergo fuerit Sacramentalis uſus hujus Arboris; dicam eum conſtitiſſe in Contemplatione ejus corporali & mentali, conjuncta cum Abſtinentia ab omni Eſu & Tactu ad eum. Quod quo minus mirum videri debeat cuiquam, adduxit meritò *Clar. Witſius* quorundam diſſentientium proprias hypotheſes; tum de Excluſione Adami lapſi à Paradiſo & Arbore Vitæ habenda pro Sacramento Fœderis Gratiæ, de qua deinde ſuo loco agemus; tum de ipſa Arbore Vitæ homini ad Eſum non conceſſa aut concedenda ante finitum Obedientiæ curriculum, quo ſane durante habebat illa potius quam deinde rationem Sacramenti, quam nos antea ſufficienter redarguimus *Lib. I. Cap.* XVII. §. 11.

Pro Sacramento Fœderis Adamici communiſſime tandem habetur Arbor Vitæ cujus ſignificatio & ſignificandi Modus declaratur.

V. Conſenſus tamen longe communior heic deprehenditur in altera *Arbore* dicta *Vita* habenda pro Fœderis Adamici vero Sacramento. De ea ipſa ejuſque appellatione late diſputavimus *Lib. I. Cap.* XVII. & monſtratum illic quoque eſt, non fuiſſe Adamo ab ejus eſu abſtinendum ſed omnino edendum de ea. Scilicet oſtendimus, hanc Arborem nomen ſuum habuiſſe, non unicè aut præcipue à Vita Naturali quam phyſice juvaret cum & forte præ alio victu omni, ſed longe magis à Vita Spirituali heic feliciter continuanda, & à Vita Æterna tandem ei ſecundum hominem totum ſubſtituenda, quam moraliter ea Adamo de fructu edenti potius quam ſimplici-

pliciter intuenti significavit & obsignavit per modum Sacramenti. Sicuti ad eam rem quoque spectat, quod *Socinianos* ipsos vidimus *Compend. Cap. II. §. 5. fateri Arborem Vitæ Symbolum quoddam Vitæ Æternæ fuisse, & probabile simul esse, Deum daturum fuisse homini, si in obedientia perseveraſſet, cœlestem & perrennem vitam, intercedente vel morte vel saltem mutatione.* Quo posito, solet amplius inquiri, quid distinctè ipsa Vitæ Arbor Adamo integro repræsentaverit. Ubi plurimi sane ab ævo nominant Filium Dei tanquam unicum omnis veræ Vitæ fontem, uti & ille propterea videtur venire sub nomine τ ξύλυ τ ζωῆς ὃ ἐστιν ἐν μέσῳ τ παραδείσυ τ θεᾶ *Apoc.* II. 7. *coll. Prov.* III. 18. *&c.* Atque hos sequitur etiam *Cl. Coccejus Sum. Cap.* XXIII. *Quem enim per Lignum sive Arborem Vitæ intelligemus, nisi eum in quo est Vita, & qui est ἡ ζωὴ vita Ioh.* I. 4. XIV. 6. *&c. Arbor Vitæ dicitur, tum ea Arbor quæ fuit in medio Paradisi terrestris, tum Filius Dei. Et Arbor quidem illa magis proprie est Arbor; sed Filius Dei magis proprie est Arbor Vitæ, quia non Arbor è terra nascens est causa vera vitæ, sed* צמח ἀνατολὴ *sive Germen quod ex alto est vere est veræ vitæ causa &c. Neque absurdum videri debet, Filium Dei Adamo manifestatum fuisse in symbolo & sacramento ut causam vitæ; quia etiam ab initio conveniebat Deo, eum quem diligit & propter cujus gloriam omnia fecit ac facit, imo cui monstrat omnia quæ facit ut ea ipse similiter faciat Ioh.* V. 19. *homini vitæ auctorem per symbolum demonstrare; ut si non statim, certe aliquando, quando ut Servator & Sanator ipsius manifestandus erat, Adam & filii ipsius eum in ipso initio per Symbolum demonstratum recognoscerent. Quemadmodum factum est, ut, qui credunt Mosi ac Prophetis & Euangelio, recognoscant, in initio non fuisse vitam nisi in ipso propter cujus gloriam in salutis negocio asserendam terra quoque fundata est &c.* Sed quemadmodum antea non deprehendimus rationem ob quam Filius potius quam Triunus Deus ut Adami Fœderatus debeat spectari *Cap.* VII. §. 2. ita neque heic videmus, cur de Uno Filio magis quam de Triuno Deo repræsentato in Arbore Vitæ sit cogitandum; cum Triunus ille vere Vitam in se habeat, & Vitam illam veram hominis esset operaturus non minus quam naturalem per creationem & providentiam, imo & eandem sui lætissima communione constituturus. Utique si in *Apocalypsi* aut alibi, quod necdum invicte demonstratum est, Filius ut Arbor Vitæ nobis proponatur, id respectum suum certissime habet

Digitized by Google

ad ipſum ut Chriſtum & hominum laptorum Mediatorem unicum præ Patre & Spiritu; quo pacto Adamo integro proponi ille ad Fidem non potuit, nec conſequenter ab ipſo ſpectari. Et eſt eadem ratio locorum in quibus Vitam habere & Vita eſſe dicitur Chriſtus; etiamſi in eis Vita Filii Divina ſupponatur quæ ipſi cum Patre & Spiritu communis eſt. Et eſt hæc mira Filii ut auctoris Vitæ demonſtratio per ſymbolum apud hominem integrum, ſi non neceſſario ſtatim ſed forte demum poſt laptum & Euangelii manifeſtationem Adam cum filiis in eo ab initio eundem demonſtratum recognoſcere potuerit. Sicuti gloria Chriſti in actualis ſalutis hominum negotio aſſerenda, propter quam terra ipſa fundata eſt, indubie non eſt illa ipſius qua Filii ſimpliciter ſed omnino qua ſimul Mediatoris. Imo ſi quid video, haud leviter convellitur præcedens Viri Clar. aſſertio per ſubjectas proxime voces; *Satis quidem fuit Adamo per tale ſymbolum doceri eſſe vitam extra ipſum, quæ poſſeſſa excluderet omnem mortem, eumque faceret ἄφθαρτον* 1. Cor. XV. 50. 52. 53. 54. *coll. Gen.* III. 22. *ad quam invitaretur, quamque quæreret, quaque conſiſteret in communione ejus qui vitam habet in ſe, (ut recte Suidas in* Ἰησοῦς, ζωῆς τὸ θανάτῳ μὴ ἀλλοιουμένης ἡ γλυκύτης τ̃ θείας μετέξεως τοῖς μεταλαμβάνουσι μεταδιδοῦσιν,) *quemadmodum homo alitur & vivificatur & roboratur cibo aſſumpto, qui quum in ipſo eſt vitæ ipſi cauſa eſt, eumque tanquam cibum quærendum eſſe & manducandum, hoc eſt, aſſumendum, ut unicum animæ oblectamentum. Ea de cauſa perceptio beatitudinis in Deo ſive Dei ad beatitudinem in ipſo cum aſſumtione cibi comparatur. Nec ſane aliud in pietate primi eſt, quam Deum qui habet vitam in ſe ipſo pro cibo ſuo habere, & nec ab alio nec per aliud vitam exſpectare, nec in alio vitæ cauſam reponere. Nobis autem, qui in peccato nati ſumus, & non tantum promiſſionem Dei ſed etiam Euangelium audivimus, clara ea oſtenſio eſt, in eodem nobis dari juſtitiam, in quo vita Adamo, ſed cum conditione operum fuerat propoſita. Ex quo etiam liquet, eum ipſum ſpretum eſſe peccato, & ei ipſi debitores nos eſſe factos, qui peccata noſtra portavit, & cui illa laborem impoſuerunt.* Quæ illuc nobis videntur tendere, quod in Arbore Vitæ Adamus Deum quidem communiter ſpectaverit, ſed nos determinate Chriſtum ſpectare queamus; quod de ipſo ut Deo Adamum vivificante cum Patre & Spiritu, & ut Mediatore noſtro analogiam cum Arbore iſthoc etiam habente, non negamus. Ergo Arbor Vitæ repræſentavit Adamo Deum

Deum Triunum, tanquam vere Vivum & per donorum ſuorum ac ſui fruitionem unice Vivificum. Atque hanc non ſolum intuens homo ſed omnino de ejus fructu edens, quamdiu per peccatum ab eo non excludebatur, à ſola Arbore Scientiæ tum abſtinere juſſus, accipiebat ſic non tantum ſymbolum conſpicuum præſentis ſuæ cum Deo unionis arctiſſimæ in vita animali & ſpirituali lætiſſima, ſed & ſimul pignus certum futuræ poſt hanc vitam fruitionis Dei immediatæ & conſummatæ quæ ipſi obedienti promiſſa erat. Quæ antea citato loco ſufficienter firmata deprehendentur.

VI. Non eſt porrò exiſtimandum, iſthæc Divini Fœderis Signacula ita de Promiſſione Dei certum reddidiſſe Adamum, ut non ſimul eundem impellerent ad officii ſui præſtationem decentem. Erat enim Divina Promiſſio non abſoluta, ſed ad conditionem præſcriptæ obedientiæ prorſus reſtricta; unde illam non poterat ſibi ad ſymbolorum horum uſum magis quam ad Dei verbum tribuere homo, niſi & ad hanc ſe obſtrictum agnoſceret etiam per illa ſymbola. Quemadmodum idem etiamnum in Sacramentis Fœderis Gratiæ obtinet; cujus tamen promiſſa magis ſunt abſoluta, utpote neutiquam ſuſpenſa ab aliqua in homine Conditione dubia. Nec eſt aliquod ex dictis quatuor Adamicis Symbolis, in quo non ſpeciatim conſpicua ſit iſta vis humanæ obligationis. Septimi ſane Diei Sanctificatio & Quies hominem Deo jubebat conſtanter adhærere; nec potuit ille Deum eo ſolennius colere, niſi ſe ipſum quoque in futurum Deo obſtringeret denuo. Paradiſi perinde inhabitatio felix incitabat ad avertendam expulſionem & quærendam cum omni induſtria ſuperiorem manſionem quæ lætior adhuc longe & Deo propior eſſet. Arboris Scientiæ intuitus ab ipſius Eſu & omni tranſgreſſione interiori circa ipſam abſtrahebat hominem validiſſime, ne Malum ipſum per eam innoteſceret, ſed ut Bonum ipſa ſuum ex adverſo proderet. Quin & Arboris Vitæ guſtatus fructus ſua dulci præſtantia Deum jugiter quærere & ſibi arctiſſime unire ſuabebat, ad Vitæ humanæ felicem conſummationem. Confer cum his etiam, ſi placet, præſtantiſſima documenta moralia, quæ in ſymbolis iſtis monſtravit deprehendi *Clar. Witſius* noſter *in Oeconomia Lib.* I. *Cap.* VI. *&* VII.

Obligatio Adami annectitur, quæ juxta Promiſſionis Divinæ Confirmationem fuit in his Symbolis.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo Adami Conſenſus in Fœderis Divini Stipulationem & Promiſſionem exhibetur.

Conſenſus Fœderalis Adami Duo Actus.

Traditum eſt hactenus à nobis, quid à Deo tanquam una & principali Parte Fœderata actum ſit, ſtipulando & promittendo. Nunc itaque, cum Fœdus hoc vel ex ipſis illis Dei actibus appareat eſſe verè διαθήκην, de iis agendum eſt quæ Adam ut altera & minor Pars Fœderata heic egit, convenientia iſtis Dei actibus, adſtipulando & reſtipulando. Quæ voces in hoc argumento ſolent adhiberi recte, ad deſignandum; ab una parte Promiſſionem Obedientiæ præſcriptæ factam Deo ab Adamo; ab altera autem Poſtulationem Boni à Deo promiſſi ad obedientiam, ne illo ad hanc præſtitam Adam deſtitueretur, in illo dando & ſic exſpectato acquieſcens. Atque his duobus actibus cum abſolvatur Fœderalis Adami Conſenſus, iis aſſertis Fœdus heic habebimus integrum.

Adſtipulatio Adami ex ejus Humana Natura & præſenti Rectitudine educitur.

II. Præmittere decet Adami *Adſtipulationem*, quæ reſpondet Divinæ Stipulationi antea à nobis quoque præmiſſæ. Conſiſtit hæc in eo, quod Adam in ſe ſuſceperit Legem omnem Dei, tum Moralem, tum Symbolicam illam, ut huic utrique integræ integram & perfectam Obedientiam conſtanter in propria perſona præſtaret; ad eum fere modum quo dein dixerunt Iſraelitæ *Exod.* XXIV. 3. *omnia verba quæ locutus eſt Jehovah faciemus.* Qualem dictionem Adami licet explicite non narret Moſes, ſolidè tamen educere poſſumus ex conſideratione tam Naturæ quam Conditionis Adami, collata cum Dei Majeſtate & Bonitate cum quo ipſi heic res erat. Nempe quantopere per Creationem primam Adam excelleret ſupra alia Dei opera, erat ille tamen Creatura ejus juxta alia opera omnia, & ſic tanquam plane à ſupremo illo Domino dependens ad voluntatis ipſius ſuſceptionem obligata; imo quatenus rationis uſu excellebat, per eam non poterat non conſcius eſſe hujus ſui officii, ſimul & æquitatis ejus ſummæ, & benignitatis maximæ Dei in jubendo & promittendo æque quam minando. Nec habebat Adam ſolum Naturam hanc Humanam, ſed & ſimul in ea Divinæ Imaginis Integritatem, quoad Intellectus ac Voluntatis Rectitudinem

Digitized by Google

nem ſeu Bonitatem neceſſariam. Erat ergo vere Sapiens, ut poſſet diſcernere bonum à malo, æquum ab iniquo, decens ab indecenti, utile ſibi ab inutili. Erat vere Prudens, ut perverſo nullo judicio malum & noxium ſub ſpecie boni & utilis ipſe ſui reſpectu præferret ei quod communiter bonum & utile eſſe intelligebat. Erat etiam vere Sanctus, ut amaret Deum & Legem ejus ſupra creaturam omnem hujusque lubitum, adeoque ſe in deſideriis & motibus ſuis omnibus componeret ad Dei nutum, ſic felicitati ſuæ continuandæ & augendæ æque quam gloriæ Divinæ promovendæ incumbens. Quæ quidem cuncta ex data antea Divinæ Imaginis expoſitione heic jam ſupponimus. Et rogamus tantum, an quisquam ſit qui non clare percipiat, ex iſtis ſimul prælentibus & durantibus in homine neceſſario ſequi ipſius promptam ſubjectionem ſub Dei æquiſſimam & optimam ſtipulationem, ex qua nihil perfectionis ad Deum, ſed plurimum beatitatis ad hominem ipſum accederet?

III. Sed præter iſta ratiocinia, quæ ex Moſaica creati Adami hiſtoria petuntur, conferre decet ipſam Legis Adamo latæ & ab Eva narratæ hiſtoriam. Utique quando Deus dixit ad Adamum *Gen.* II. 15. 16. *de omni Arbore horti edendo edes, & de Arbore Scientiæ boni & mali non edes de ea &c.* nullius plane reluctationis Adamicæ Moſes meminit. Quod indicium eſt ſatis manifeſtum, illum hac in parte ſe non minus Deo ſubjeciſſe, quam in animalium appellatione & Evæ acceptione non tantum quæ expreſſe memorantur, ſed etiam in Horti cultu & cuſtodia, & Animantium dominio, & Cibi dati uſu, in quibus de Adami obedientia nihil adeo expreſſe annotatum legitur. Hinc porro, quando Eva Serpenti narravit *Gen.* III. 2. 3. *de fructu Arboris Horti edemus, & de fructu Arboris quæ in medio Horti dixit Deus, non edetis de ea & non tangetis eam ne moriamini*, non ſolum ſic videtur ſignificaſſe ſimplex Dei mandantis & comminantis verbum, ſed & ejus ſuſceptionem propriam à ſe & Adamo factam; quando nempe ad Diaboli interrogationem de Dei mandato ipſa reſpondet tam in prima perſona, *edemus*, ex Dei verbo & noſtro conſenſu, quam in ſecunda, *non edetis &c.* Nec male in hanc ipſam rem puto conferri Adami & Evæ pudorem ac metum magnum *Gen.* III. 7. 8. 10. qui certe majus uterque fundamentum habet, ſi non tantum ex cognitione divini mandati ſed & ex ejuſdem propria ſuſceptione fuerunt pro-

Sicuti & aliis ex Moſe argumentis eadem probatur.

ne ἀναπλόγητοι & αὐτοκατάκριτοι. Ad quæ omnia hoc vel maximè accedit, quod ex narratione Moſis primum externum Adami peccatum fuerit Eſus fructus vetiti; pro quo hic minime haberi poſſet, ſi non paratiſſimè Dei imperio ſeſe ſubjeciſſet antea Adamus, ſed vel minimum fuiſſet reluctatus ipſius æquiſſimæ & utiliſſimæ ſtipulationi, facinoris ineptiſſimi & audaciſſimi ſic jam tum reus futurus. Quemadmodum ſi proterve recuſaret accipere ſubjectus edictum benigniſſimum Principis, vel filius optimum placitum patris, vel ſervus facile imperium Domini; ſic indubie magis accuſandus, quam ſi poſt acceptionem promiſſis ſuis minus conſtanter ſtaret.

Annectitur Adamicæ Reſtipulationis certitudo.

IV. De *Reſtipulatione* promiſſi boni ab Adamo facta minor adhuc eſt dubitandi ratio. Neque enim dubitet quiſquam, ſpectata juxta naturam rationalem integritate prima Adami; vel de Sapientia Adami, qua ſui & præſentis ſui ſtatus imperfectionem, ac Dei ſolius ſufficientiam ad ſuam beatitatem conſummatam noverit; vel de Amore ipſius, quo ferretur in Dei communionem arctiſſimam ad felicitatis ſuæ propriæ conſummationem, uti eſt homini naturalis iſte ſui ipſius Amor, quem etiam perverſiſſimo modo in Eſu fructus vetiti Adam deinde prodidit. Ergo non repudiavit Adam bonum promiſſum quod ipſi à Deo factum eſt, ſed lætus idem accepit, niſi ineptum mire & impium in ſe & in Dei bonitatem ipſum fingamus. Nec potuit etiam Deo promittenti non habere fidem pleniſſimam, quæ exſpectationem boni certam pareret, quamdiu pro indita ſibi ſapientia agnoſceret Dei ſufficientiam infinitam, bonitatem inexhauſtam, & conſtantiam in promiſſis ſervandis ſummam, nec incredulitatis adeo inexcuſabilis ſe reum faceret, uti deinde ad Satanæ tentationem vere demum contigit.

Quo ipſo Jehovah fœderaliter factus eſt Deus Adami.

V. Enimvero abſque dicta illa Adami Adſtipulatione & Reſtipulatione non poſſet etiam conſtare veri nominis Fœdus, quod à nobis ante latius adſtructum eſt à Deo cum Adamo omnino fuiſſe initum *Cap. VI.* Et per illam utramque, reſpondentem Divinæ Stipulationi & Promiſſioni, vere Jehovah Adami Creator & Conſervator factus etiam amplius eſt ipſius *Deus*; qui non tantum ipſi imperaret abſolutiſſime, ac bene facturus erat pleniſſime; ſed & cui ipſe ſe ſubjiceret paratiſſime, ac cui fideret uni hilariſſime. Quemadmodum iſtos Fœderis Dei cum Iſraele mutuos actus indicavit etiam Moſes *Deut.* XXVI. 17. 18. *Jehovam dicere feciſti*, vel juxta alios

con-

condixiſti, hodie, ut eſſet tibi in Deum, & ut tres in viis ejus, & ut ſervares ſtatuta ejus & præcepta ejus & jura ejus, & ut audires vocem ejus; Et Jehovah dicere fecit, vel *condixit, te hodie, ut eſſes ei in populum peculii, ſicuti locutus eſt tibi, & ut ſervares omnia præcepta ejus.* Quamquam enim hoc certum ſit, poſt lapſum in juſta ſenſus plenitudine Jehovam Deum alicujus eſſe & dici tantum, cum reſpectu ad Fœdus Gratiæ, in quo ſit ille peccatoris gubernator & remunerator beatus cum inimicitiæ omnis depoſitione, *coll. Gen.* XVII. 7. *Exod.* III. 6. *Ier.* XXXI. 33. *&c.* non eſt tamen negandum; vel in minori aliqua emphaſi illam phraſin quoque adhiberi poſſe, de externis quibuſdam imperii & beneficentiæ actibus, ſeu ſimpliciter exercitis, ſeu etiam ab homine agnitis; vel illam perinde aptam eſſe ad Fœdus Operum cum Adamo integro exprimendum, quamdiu nempe illud ſtetit, dum in Fœdere Gratiæ Jehovah ſuorum Deus eſt magis abſolute & ſemper manet. Unde olim hac in parte contradicere debui Viro, tum vehementer urgenti; & phraſin illam unice ad Fœdus Gratiæ, neutiquam autem ad Fœdus Operum cum Adamo initum poſſe applicari; & ipſum nomen אלהים ad *Conſilium Gratia Triunius Dei* eſſe prorſus reſtrictum, nec de ipſo Deo creante uſurpatum *Gen.* 1. 1. niſi quatenus Creatio ad exſecutionem & delineationem iſtius Conſilii ſpectaret. Sed & obſervavi deinde, eundem ab iſta hypotheſi haud parum receſſiſſe, cum ſcripſit; אלהים *ſignificare Deum illius naturæ eſſe & majeſtatis, qua juſtum ipſi ac fas eſt, ut medium beatæ cum ipſo communionis acquirendæ ſpernentem aut negligentem execretur, adeoque ſub execratione id medium homini proponat, ſive id ſit imaginem Dei integram ſervare eaque juxta præſcriptum Dei digne ambulare, ſive oblato ſeſe redemtori in fiducia committere &c. Summa Theol.* Cap. II. §. 24.

Adſtipulationis & Reſtipulationis defenſio additur.

VI. Utique non poſſum ullatenus capere, quo pacto in mentem venerit *Jac. Altingio*, ut Fœderalem Adſtipulationem Obedientiæ & Reſtipulationem majoris Felicitatis tam alienam utramque judicaverit ab Adamo integro; quaſi per priorem officia abſque ea deſinerent eſſe neceſſaria, & per poſteriorem ipſe in Deum & ordinationem ejus bonam rebellis conſtitueretur. Prius illud tamen inculcat ille iterum iterumque; *Fœdus*, inquit, *eſt contractus minimum duorum, qui de certis conditionibus paciſcuntur, ad quas mutuo præſtandas ſeſe libere obligant. Conditiones Fœderis ſive ab una tantum par-*

te

te proponantur, ſive ab utraque, vim obligandi non habent priuſquam eædem ab utriſque ſint acceptæ, & tum Leges fiunt, quæ æque ab una quam ab altera parte auctoritatem ſuam habent, quandoquidem utriuſque voluntas & conſenſus tantundem conferunt ad id ut Fœderis Leges fiant. Aliæ Leges robur & auctoritatem ſuam à ſola dignitate & poteſtate Legislatoris derivant, qui quid ab inferioribus ſibique ſubjectis factum velit ſimpliciter edicit, non exſpectans dum declarent ſe illud obſervare paratos, aut alio quocunque modo mentem ſuam de eo exponant. Quando itaque Deus Creator memorata verba prolocutus eſt, conditiones Fœderis non tulit, quas Adam declarare deberet, acciperene vellet an non, Fœdusne cum Deo paciſci an voluntaria iſtiuſmodi obligatione liberum & ſolutum eſſe, ſed meram Legem præſcripſit, cui unicus ille Legislator qui abſolutum in creaturas ſuas imperium habet, his eo ipſo quod creaturæ ſunt ſimpliciter obligatis in omnibus obtemperare, & nequaquam ipſorum arbitrio re permiſſa, in totum an ex parte leges illas admittere an rejicere vellent. Quare ſimulac hæc verba ex ore Dei erant audita, Lex erat Adamo inviolabilis, cujus conſenſus neque rogabatur, neque exſpectabatur, qui tamen ad veri nominis Fœdus neceſſario requiritur &c. Atque ex hoc fonte eſt, quod idem *ad Hebr.* VIII. 6. ſcribit, *aſſenſum ejuſmodi ſeu aſtipulationem circa increata principia pietatis & juſtitiæ ne quidem potuiſſe habere locum &c.* Sed licet iſta, quæ ſic inculcantur, locum habeant inter Homines Æquales & à ſe invicem minimè dependentes, non tamen neceſſaria ſunt apud ipſos Homines Inæquales, nedum apud Homines ubi Fœdus cum Deo ineunt; cui ita illi aſſentiuntur libere per voluntariam aſtipulationem, ut tamen ad hanc ſimul obligentur prorſus, præcipuè quidem in officiis moralibus quorum æquitatem ipſi ſponte agnoſcunt, ſed & in omnibus reliquis quæ à ſupremo Domino pro lubitu ſuo mero præſcribuntur. Nec alias admitti poſſet ullum Dei cum Hominibus Fœdus, quando ad illud omne quod Deus ſtipulatur illi ſemper hoc ipſo tenentur, nec aſſenſum ſuum fœderalem abſque magno crimine negare vel ad momentum cohibere poſſunt. Et debet in hac materia etiam bene attendi ad naturam Libertatis, quatenus hæc nequaquam in Indifferentia totali ſed in Spontaneitate rationali omnino conſiſtit; unde teneri ad aſſenſum Dei ſtipulantis & libere adſtipulari neutiquam inter ſe pugnant, vel in nobis vel in Adamo. Et quod ad Reſtipulationem attinet porro, tantum abeſt ut hæc dicat relu-

reluctationem indecentem adversus Deum creatorem Adami in illo statu præsenti, ut ex adverso tam Dei consilio quam verbo ille se se opposuisset, si non ad majorem felicitatem decenti modo ipsius desideria & conatus omnes protensi fuissent, sed in illa per creationem data plane acquievisset, juxta *Cap.* XII. §. 4. & 9.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quo tandem de Fœderis Divini cum Adamo Antiquatione differitur.

Non est heic adhuc locus agendi de Duratione Felicitatis primæ Adamicæ, quæ deinde ex Tempore Lapsus ejus æstimanda erit, & generatim illic deprehendetur non admodum longa fuisse. Sed videre heic decet, an adhuc duret Fœdus illud Primum Dei cum Adamo, an vero antiquatum seu abolitum idem sit; & quousque, tum rei, tum temporis respectu, illa Abolitio tum extendatur non tantum; sed & à quo & quomodo eodem facta dici debeat. Quarum rerum brevis tractatio nequaquam inutilis erit.

Triplex de Fœderis Primi Antiquatione Quæstio proponitur.

II. Ad primam illam Quæstionem dicendum omnino est, non durare amplius primum illud Dei cum Adamo Fœdus quod hactenus descripsimus, sed esse illud vere antiquatum. Quod constare potest liquidissime ex præsenti consideratione Dei & Hominis post perpetratum ab Adamo scelus primum. Nempe non est amplius Deus Fœderatus amicus hominum, sed per sanctitatem & justitiam suam ab iis aversus; eo usque etiam, ut præstantibus modo conditionem Adamo præscriptam bonum ei promissum absque satisfactione pro priori culpa præstare nequeat. Nec habent Homines amplius vires, quibus vel possint vel velint astipulari Divinæ stipulationi primæ, nedum eandem præstare; absque quibus nec Deo dignum esset, nec hominibus possibile, illud inire vel in illo olim ab Adamo inito perseverare. Accedit verò etiam consideratio Novi Fœderis Gratiæ cum Hominibus Electis, dum Deus reliquos absque Fœdere ullo à se & à salute sua finit divagari. Hoc enim tale est per Sponsoris obedientis & patientis pro ipsis Hominibus substitutionem, ut sic prius Operum Fœdus tollat, in quo ipsius Hominis propria requirebatur Obedientia, & transgredientis propria ac subita denunciabatur pœna. Atque sic licet heic cum Paulo dicere *Hebr.* VIII. 13. ἐν τῷ λέγειν καινὴν, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην, τὸ δὲ παλαιούμενον καὶ γηράσκον ἐγγὺς ἀφανισμοῦ. Etiamsi enim il-

Fœdus illud vere Antiquatum esse monstratur.

lic Paulus dir. Ἀὲ agat ex Jeremia de Vetere & Nova Oeconomia Fœderis Gratiæ, obtinet tamen heic eadem argumenti vis, quatenus per alterum Novum Fœdus antiquatur & evaneſcit unum Vetus; quo magis in Veteri illa Oeconomia fuit etiam externa ſpecies quædam Fœderis Veteris Operum, & in Nova apertius exhibetur Fœdus Novum Gratiæ. Atque hoc modo cum aliis præiit *Ven. Cloppenburgius Diſp. II. de Fœd. Fœderis Veteris Operum cum Adamo primo antiquationem docet ipſa Veteris & Novi Fœderis appellatio, coll. Hebr.* VIII. *&c. Si ergo dicimus Novum Fœdus Gratiæ, dicimus Antiquatum Vetus Fœdus Operum, non minus quam antiquatam dicimus Veterem Oeconomiam Fœderis Gratiæ Moſaicam & Veruſtiſſimam ante Moſem, quando Novam vocamus Oeconomiam Euangelicam ejuſdem Fœderis Gratiæ poſt Chriſtum exaltatum.* Poſtquam præmiſerat *Diſp. I. §.* 19. 20. *Hic præcognoſcendus τρόπος παιδείας inſtitutionis modus, Scripturæ S. familiaris, maxime in Epiſtolis ad Galatas & ad Hebræos, ut quod ἀντιλεξὲι metonymice enunciatur de externa Veteri aut Nova Oeconomia Fœderis inſtaurati, id propria loquutione verificetur in prima Veteris antiquati & Novi inſtaurati Fœderis Spiritualis differentia; propter parabolam ſeu repræſentationem ſpiritualis Veteris & Novi Fœderis variè temperatam variata viſibili œconomia. Propria ergo, non metonymica, appellatione Vetus Fœdus vocamus Fœdus explicatum, applicatum primo homini, in primæva ejus ad imaginem Dei creatione: ac veſtuum certa ac limitata œconomia, quæ Deo viſa fuit conveniens primæ Fœderis initiationi, & quæ lapſu primi hominis antiquata eſt cum ipſa Fœderis antiquatione.* Ex quo fundamento etiam ſcribit *Exerc. Theol. Loc. VII. Diſp.* 2. *Antiquationem hanc docet frequens in Scripturis appellatio Veteris ac Novi Fœderis, quomodo argumentatur Apoſtolus Hebr.* VIII. *Quamvis enim antiquatio Veteris non dicat Novi ſubſtitutionem, dicit tamen Novi ſubſtitutio Veteris antiquationem factam.* Enimvero hanc ipſam Antiquationem Fœderis Operum urget ille *Diſp. II. de Fœd.* adverſus hoc *nonnullorum poſtulatum, Fœdus illud quo Deus cum annexa reſtipulatione ab initio exigebat jus ſuum ab homine puro & integro minime fuiſſe temporarium ſed æternum &c.* qui & *primi illius originalis Fœderis æternitatem conentur exprimere ex vulgata appellatione Fœderis Naturæ.* Unde *emergit alterum poſtulatum, habere illos qui ſola Naturæ luce ducuntur ſine verbo ſupernaturaliter facto per reliquias cognitionis in mente hominis lapſi non tantum quo cohibeantur, ſed etiam quo ad Chriſtum adducan-*

tur

tur &c. Hoc autem uti eſt maximum abſurdum, quod ex Fœderis Operum æternitate neutiquam putamus conſequi; ita verius ex ea flueret hominis juſtificatio ex propria obedientia, quam tanquam Euangelio adverſiſſimam ubique redarguit Scriptura. Nec eſt illuc trahenda appellatio Fœderis Naturæ extra Scripturam adhibita, ut manente hominis Natura idem ſemper maneat, ſed ut Fœdus hoc intelligatur eſſe coævum Naturæ Adami, ejuſque olim ereĉti argumentum ſatis conforme dictamini Naturæ humanæ. Sicuti obſervavit etiam *Ven. Cloppenburgius*; *Appellationem Fœderis Naturæ inde enatam eſſe, quod Fœdere Veteri Operum obligaretur primus homo, ut Legem ipſe impleret per vires ipſi cum Naturæ creatione donatas ad ſpiritualem Naturæ perfectionem, excluſa omni venia aut ſubſtitutione Sponſoris, & quod ſecundum Naturæ Legem fieret ſtipulatio obedientiæ, hujus quidem ergo Legis Naturæ æternitatem notari iſta Fœderis Naturæ appellatione, minime autem vel ſtipulationis negotium illud vetus quo excludebatur Sponſor, nedum reſtipulationem annexam ſpem facientem vitæ æternæ* (quod diſtincto ſenſu probari vel improbari poteſt) *indicari æterna & immota divinitus manere una cum æterna & immota Legis obligatione.*

III. Sed aſſertam modo Antiquationem Foederis Operum diſtinctius noſſe decet, quouſque illa extendi debeat. Ubi primum procedemus κατ' ἄρειν, quatuor diſtinctis obſervationibus. Quarum *prima* eſt, manere poſt Adami lapſum, & ſemper quidem, Legem Fœderis Operum, ad quam homo obligetur; non quidem Symbolicam illam de non edendo fructu Arboris Scientiæ, quæ ad explorationem unius Adami data erat, & non repertâ vel ſaltem non cognita amplius ea Arbore ſponte concidit, licet ejus Legis loco alia poſitiva mandata dare potuerit & dederit dein aliquibus hominibus Deus, ad quæ intuitu divinæ majeſtatis homo tum ſimiliter tenetur præſtanda abſque ulla exceptione; ſed Moralem integram. Neque enim Legem hanc ſtatuit Deus ad lapſum uſque tantum, ſed in perpetuum, convenienter ſuo juri ſupremo in creaturam rationalem, qua declararet partim naturam ſuam ſanctiſſimam partim æternum ſuum & immutabile beneplacitum; unde & ſecundum illam homines lapſi ſe componere tenentur, etiam in ipſo Fœdere novo Gratiæ. Quod niſi concedatur, potuit ſane per ſuum ſcelus homo Deum privare ſuo jure, & ſua violatione unica Legem omnem tollere, atque adeò per unum peccatum facere, ne vel ipſe amplius peccare poſſet, vel in peccatum aliquod inciderent ejus poſteri, vel

Per Antiquationem Fœderis Operum non eſt tamen ſublata Lex Fœderis præcipua.

Digitized by Google

peccatorum ulla esset imparitas; dum sublata Lege aut Legis obligatione nulla supereſt transgressio. Unde hallucinationi isti se opposuit dudum *Ven. Cloppenburgius*, *hominem peccatorem non obligari simul obligatione utraque sed tantum alterutra, aut ad perfectam Legis obedientiam, aut ad Pœnæ solutionem &c.* Et recte latius heic disputavit *Cl. Witsius* adversus *Jac. Arminium*, cujus etiam argumenta pro opposita sententia ex *Epist. ad Joh. Uitenbogardum* solide diluit; quod scilicet homo post peccatum non amplius sit Dei fœderatus, nec præmii exspectandi aut pœnæ ullius metuendæ capax; quod homini propter peccatum ademtæ sint vires Legem præstandi, Creatore indignum illum æstimante à quo velit obedientiam, quod sit summæ pœnæ loco; quodque à Lege mandata officia, ut sunt Deum habere pro Deo suo, illum amare, honorare, revereri, &c. non conveniant peccatori extra Dei gratiam. Uti autem per illam hypothesin illuc tendit *Arminius*, ut pessimè neget Christum pro nobis Obedientiam Legis præstare debuisse; ita argumentorum horum vanitas facile patet. Primum certè, quod ille vocat *peremptorium*, nullum est; si quidem absque Fœdere homo obligatus est ad Creatoris sui obedientiam, etiamsi sit in illo statu ut præmium amplius æternum consequi non possit, sed poenæ certò subjaceat; & nec post peccatum homo extra spem qualiscunque præmii minoris aut metum gravioris poenæ constitutus est. Alterum argumentum haud multò validius est; si quidem hominis impotentia ipsa est voluntaria ac plane culpabilis; nec est indignitas creaturæ aut poena talis fingenda, per quam illa ab imperio æquè quam ab actuali obedientia Domini sui eximatur. Tertium denique infirmissimum est; si quidem adducta Legis Moralis officia omnia vere incumbunt, sed ordine decenti, peccatoribus, qui si singula præstare propter vitium & defectum suum nequeant, id pertinet etiam ad ipsorum culpam.

Neque debitum Obedientiæ Perfectæ.

IV. Hoc *secundo* etiam addimus, ita durare semper Legem Fœderis Operum, ut hæc homineni quoque non desinat obligare ad Obedientiam Universalem, Totalem, Constantem, & plane Perfectam, imo & Propriam, quamdiu est & spectatur extra Fœdus Novum Gratiæ. Istæ enim omnes qualitates Obedientiæ, à nobis expositæ *Cap.* X. ex Lege simpliciter in latione sua absoluta spectata fluunt. Et nisi semper locum habeant; non peccabit homo, qui aliquâ earum vel omnibus eis destitutus fuerit, qualicunque modo ad Legem Dei se tantum componens; & non tenebitur homo ad ob-

Digitized by Google

obedientiæ perfectionem omni nisu tendere, cum imperfectionis suæ durantis deploratione; & non necessaria erit Obedientia Christi perfectissima prò nobis, quam apertissime docet Scriptura, & ad quam arcendam monuimus supra *Arminium* disputare contra durantem Legis obligationem. *Quod si*, inquit ille *loc. cit. in statu peccati homo non tenebatur ad obedientiam Deo præstandam, an dici potest, Christum pro nobis illam præstare debuisse? non arbitror.* Adeo sunt illa connexa inter se; & struunt hinc manifeste viam ad propriæ justitiæ erectionem, qui plenam Legis Obedientiam nobis extra Christum ad justitiam, imo & post fidem in eum ejus sectandæ studium, incumbere negant. Nec concipi potest, Deum vel in minori quam summa à se præscripta perfectione velle aquiescere hominem, vel post transgressionem quidquam remittere de suo quod semel præscripsit jure sanctissimo, nisi quatenus electis impotentibus succurrit per Sponsorem aptissimum in Novo Fœdere. Et conferre in hanc rem licet etiam textum *Gal.* v. 2. 3. χρισὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει &c. ὅτι ὀφειλέτης ἐστὶν ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι &c. quatenus sic homines à Christo alieni spectantur ut totius Divinæ Legis debitores, ex qua sic tantum sint justificandi.

V. *Tertium* quoque hinc consequens est, durare etiam semper vim præcipuam comminationis, de Morte omni ad transgressionem minimam secutura; non quidem ipso peccati die aut momento, cujus contrarium ex Dei longanimitate fluit; non etiam semper in ipso homine peccante, dum electorum poena omnis proprie dicta in Christum ut Sponsorem transfertur persingularem Dei gratiam; sed serius vel ocyus, in ipso homine aut vade, ita ut peccatum non tantum omne & semper per se mereatur mortem sed & actu ipso pariat. Quod certum esse debet intuitu justitiæ Divinæ hinc, & naturæ peccati omnis in Dei majestatem incurrentis inde; nec aliter esse potest, nisi solum primum peccatum Adami velimus facere mortale, & varios omnes poenæ gradus in variis hominibus qui communiter de Adami peccato participant tollere, & Christi ipsius pro nobis satisfactionem ad illud unum restringere. Adeo vanum est, quod *Arminius l. c.* dixit; *Qua pœna sanciet Legem, quum propter inobedientiam jam præstitam pœnæ sit obnoxius &c.* Quasi non Scriptura ubique clamaret tam poenæ quam peccati gradus admodum diversos, ut tolerabilius sit futurum his quam illis, per multas aut paucas plagas, *Matt.* XI. 22. 24. *Luc.* XII. 47. 48. *&c.* secundum Dei intaminatam justitiam qua unicuique suum tri-

Neque pœna Mortis ad transgressionem omnem.

buet & ſingulis reddet ſecundum opera ſua.

Neque Præmium Vitæ ad plenam Obedientiam.

VI. Tandem & *quarto* illud addi meretur, quod ipſum etiam vinculum plenæ perfectæque Obedientiæ cum Vita Æterna ſit æternum; adeo ut non abſque plena Obedientia, ſeu ab hominibus ipſis ſeu à Sponſore præſtita, ad Vitam illam detur aditus, per Dei ſanctitatem & veritatem; nec viciſſim plena Obedientia iſthoc præmio carere queat, per Dei juſtitiam & bonitatem. Inde nempe eſt certa ſalutis noſtræ ſequela ad Chriſti pro nobis conſummatam Obedientiam, cum ipſius paſſionibus pro peccatis noſtris junctam. Imo inde ſunt illæ commendationes obedientiæ à vita conſecutura *Lev.* XVIII. 5. *Matt.* XIX. 17. *Luc.* X. 28. *&c.* quas utut accommodare etiam liceat ad Obedientiam Euangelicam ex Fide in Chriſtum provenientem, directe tamen ſpectare ad plenam Obedientiam Legalem, vix poteſt attendentibus eſſe dubium, uti certum eſt ad homines lapſos eas fieri. Ubi tamen illud probe tenendum, quod plena perfectaque Obedientia heic intelligi debeat abſque ulla tranſgreſſione etiam antecedente; cum hæc Obedientiæ plenitudinem tollat, & pœnæ æternæ hominem ſubjiciat, adeoque ſpem omnem æternæ vitæ eo ipſo auferat, licet per impoſſibile ponatur homo in futurum prorſus Obediens. Unde illas conditionatas Vitæ ad Obedientiam Promiſſiones nexum ſolum utriuſque oſtendere ad hominum convictionem apparet.

Quo ſenſu itaque Antiquatio Fœderis Operum ſit intelligenda.

VII. Annon ergo, inquies, tollitur omnis Foederis hujus primi Antiquatio, & illud integrum etiamnum durat? Neutiquam ſane. Quando, non obſtante illa partium ſingularum hujus Foederis duratione, ceſſat verè ipſa partium foederatarum mutua in eas conventio, in qua vis Foederis omnis ſita eſt; dum nec Deus amplius per Obedientiam in hoc præſcriptam propriam, tum ſymbolicam tum moralem, ſcit quemquam poſſe aut etiam vult ad vitam pervenire; nec Homo poſt primum lapſum poteſt aut vult ſub ejus ſtipulatione eſſe aut manere. Quod & obſervavit *Ven. Cloppenburgius*; *Antiquatio Veteris Fœderis Operum dicit primo & principaliter abolitam Fœderis rationem formalem, quæ ſita eſt in conventione ejuſmodi, qua debitorem ſe fecit homini facienti debitum officium, per promiſſionem liberalem vitæ æternæ cœleſtis acquirendæ merito perfectæ obedientiæ propriæ.* Nec aliter in re *Cl. Witſius*; *Antiquatio iſta Divina in eo ſita eſt, quod Deus declaravit, neminem hominem vi hujus Fœderis amicitiam ſecum habere poſſe, aut vitam æternam conſequi. Adeo ut promiſſione Fœderis, ac ſpe promiſſi illius juxta id Fœdus potiundi, omnes excidiſſe pronunciet. Hoc eſt quod Apoſtolus di-*

dicit, non dari nunc Legem quæ possit vivificare, ita ut justitia ex Lege sit Gal. III. 21. *Huc pertinet τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, quod inculcat Rom.* VIII. 3.

VIII. Arque sic antiquatum semel hoc Fœdus Operum nec cum Adamo primo nec cum ipsius posteris unquam etiam denuo erigi aut iniiri potuit aut potest à Deo. Quod liquet ex illis argumentis, quæ pro ipsa Fœderis antiquatione dedimus §. 2. dum nec Dei justitia satisfactionem pro peccato commisso exigens, & æquitas nihil supra vires concessas de novo poscens, nec hominis summa per peccatum aversio à Deo, & contracta sic impotentia obediendi, id ullatenus permittunt. Præterquam quod tum Fœderis Gratiæ ad Electorum salutem nulla fuisset necessitas, *coll. Gal.* II. 21. *&c.* atque idem vere æternum cito post lapsum erectum rursus fieret irritum, *coll. Gal.* III. 15. 16. 17. *&c.* Hoc tamen omnino tenendum, quod ipsius primi Fœderis Operum sit exsecutio satis plena in Fœdere Gratiæ, si propriam tantum Obedientiam eximas, per Mediatoris passionem pro transgressione nostra & Legis Obedientiam nostro loco, quæ utraque ex Fœdere Operum liquidò fluxit, *coll. Rom.* VIII. 3. III. 31. *&c.* ut hactenus etiam ex prima illa conventione Vita nostra deduci queat. Nec minus certum est, antiquari Fœderis conventionem merito hominibus proponi, ad id ut se ipsos condemnare Christique justitiam ad divinæ gratiæ laudem apprehendere oblatam tanto rectius discant. Unde sunt frequentes illæ locutiones de obedientia ad vitam ducente *Lev.* XVIII. 5. *Matt.* XIX. 17. *Luc.* X. 28. *&c* & descriptiones justitiæ legalis operum *Rom.* X. 5. *&c.* & ipsa potissimum externa Species Legalis Fœderis Sinaitici cum Israele infante & hinc sub rigidiori oeconomia constituendo erecti; quam aliqui hodie male à peccato vitulino demum repetunt, sed nos etiam mox ab initio Divinæ Legislationis & actionis cum populo per Mosen deprehendimus. Neque possunt nobis illi objicere, per istam Legalem Fœderis Speciem poni à nobis vere denuo erectum Fœdus Operum, nisi suæ doctrinæ propriæ idem imputare velint, quando momentum paulo citius aut serius rei ipsius variationem nullam heic adducit; dum utrinque est consensus de durante Fœderis ipsius Antiquatione, absque ulla ejus nova erectione.

Antiquationis hujus Perpetuitas asseritur.

IX. Ex dictis non amplius obscurum est, à qua parte & quibus modis Fœdus hoc antiquatum sit. Scilicet incepit antiquatio illa non à Deo fidelissimo, sed ab *Adamo*, quando ille conditionibus Fœderis non stetit peccans, & hoc ipso ostendit sibi stipulationem illam non amplius placere, *coll. Hos.* VI. 7. imitantibus eundem in hac protervia jugiter posteris, *coll. Ier.* XXXI. 32. *&c.* Verum secuta etiam est antiquatio

Ejus Modus Actusque adduntur.

tio à parte *Dei*; quando hominem antea fœderatum eſt averſatus ob tranſgreſſionem, & vitam illi porro omnem per propriam obedientiam negavit, abſciſſa ſic ejuſdem ſpe, & detecta nuditate à ſignaculis Foederalibus excluſit per ejectionem ex Paradiſo & excluſionem ab Arbore Vitæ, in quibus *Deum repræſentaſſe & ſymbolice exſequutum eſſe Foederis antiquationem* dixit *Ven. Cloppenburgius*, & Fœdus tandem Novum Gratiæ apud Electos ſubſtituit, reliquis hominibus in miſeria derelictis. In quibus actibus Dei nihil eſt injuſtitiæ aut indecentiæ quod carpamus; ſed plurimum ſapientiæ & benignitatis quod celebremus.

Gradus Antiquationis plures ſecundum Cl. Coccejum.

X. Enimvero notum eſt, *Cl. Coccejum* qui argumentum hoc integrum cum ſingulari cura tractavit *Antiquationem* ſeu *Abrogationem Foederis* hujus ſtatuiſſe *procedentem quinque gradibus*. Ut nempe facta illa ſit. 1. *Quoad poſſibilitatem vivificandi, per peccatum.* 2. *Quoad damnationem, per Chriſtum in promiſſione propoſitum & fide apprehenſum.* 3. *Quoad terrorem, ſive efficientiam metus mortis & ſervitutis, per promulgationem Foederis Novi, facta peccati expiatione. Qua facta, is qui redemti ſunt ſunt ſub Lege Redemtoris. Ita ut eadem Lex in Redemtore abolita ut Lex peccati fiat Lex Servatoris & juſtitiam adducat iis qui ſunt ipſius &c.* 4. *Quoad luctam cum peccato, per Mortem corporis.* 5. *Quoad effecta omnia, per reſurrectionem ex mortuis.* Atque hoc eſt conſequenter argumentum integrum Opuſculi *de Foedere & Teſtamento Dei*; quod ſecundum illud filum eſt conſcriptum. Quamquam autem haud illubenter unicuique Methodi & digeſtionis ſuæ arbitrium relinquamus, licet tamen conſiderationes noſtras de ea dare, potiſſimum ubi in ſpeciem dogmatis ea tranſit apud alios. Atque ſic dudum obſervavimus nos; Fœdus Operum proprie non eſſe antiquatum niſi per mutuæ conventionis partium fœderatarum ceſſationem, quam antea adduximus; reliqua non tam dicere abolitionem Foederis hujus, quam tranſgreſſionis ejuſdem cum peſſimis ſuis fructibus, quæ multum ab ipſo Fœdere differt; & pertinere hæc adeo ad Fœdus Gratiæ ejuſque beneficia, in quo præter unicam ſubſtitutionem Vadis Fœdus Operum re ipſa confirmatur, & quod cum ſit principale argumentum tractationis, vix videtur ad Fœdus Operum per modum Abrogationis ejuſdem tantum debere referri. Qualibus obſervationibus præiit heic dudum *Cl. Witſius*. Nec placent etiam nobis admodum, quæ de Terrore Metuque Mortis uſque ad factam expiationem per Chriſtum immiſcentur; ut & de Fidelibus tunc demum ſub Lege Redemtoris conſtitutis; de quibus ſeu hypotheſibus ſeu locutionibus incongruis heic non eſt dicendi locus.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ PARADISI ILLUSTRATÆ LIBER TERTIUS.

Qui Lapsus Humani historiam exhibet.

CAPUT PRIMUM.

Quo Lapsus Adami, respectu Nominis & Rei, declaratur summatim.

Status Miseriæ Humanæ proponitur.

Quem huc usque Felicem admodum possessione & spe vidimus Hominem, eundem nunc porro contemplari debemus Miserrimum, per Fœderis Divini violationem & insecutam Dei vindictam. Qui ejus & naturalium posterorum *Status* non tantum *Miseriæ* dici solet, uti talis ob præsens & futurum Malum tam Culpæ quam Pœnæ est, etiam durante Humanæ Essentiæ excellentia præ inanimatis & irrationalibus creaturis, & accedente externa prosperitate magna ex communi Dei bonitate; sed & *Destitutionis*, propter ablationem prioris cum Deo communionis & ortæ inde felicitatis magnæ; & *Lapsus*, cum respectu vel ad peccatum primum, quod ejus unicus fons & prima pars simul est, vel ad depressionem omnem insecutam; & *Naturæ*, in oppositione ad novam supernaturalem Gratiam, quod in hoc nascamur hodie, & hunc ab & cum Natura habeamus omnes communiter, *coll. Eph.* II. 3. καὶ ἡμεθα τέκνα φύσει ὀργῆς ὡς καὶ οἱ λοιποί, *&c.* Et

ſolet porro *Miſeria* hujus humanæ, quam variis appellationibus & ſimilitudinibus nobis inſinuat Scriptura, nec etiam homo naturalis ad ſe attendens ignorare poteſt, duplex conſtitui pars, ſecundum duplicem præcipuam Mali ſpeciem, quæ ſub nomine *Culpæ* & *Pœnæ* venit ac ſæpiſſimè in Scripturis jungitur, *Rom.* III. 23. πάντες ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τ δόξης τ θεῦ, *Rom.* V. 12. δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τ κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, *Rom.* VIII. 2. ὁ νόμος τ πνεύματος τ ζωῆς ἐν χριστῷ ἰησοῦ ἠλευθέρωσέ με ἀπὸ τ νόμου τ ἁμαρτίας καὶ τ θανάτου, &c. Uti nemo dubitare etiam poteſt, quin & Peccatum cum Pœna in Hominibus nunc deprehendatur communiter; & utrumque hoc Malum ob receſſum ab optimo Deo & Dei averſionem junctam vere hominem faciat miſerum.

Qui fluxit ab Adami prima Tranſgreſſione.

II. Non fert inſtitutum noſtrum, ut heic communiter de hominum iſta Miſeria ſeu peccato & pœna diſſeramus; ſed ejus *Originem* primam in Adami Hiſtoria Paradiſiaca modo illuſtrabimus breviter. Quam non eſſe à Deo repetendam, docet non tantum ipſius ſumma bonitas & intaminata ſanctitas, ſed etiam Creatio prima hominis in ſtatu Integro, & Erectio benevola Fœderis cum eo per quod perficeretur immutabiliter ejus beatitas. Quam vero eſſe culpabilem & voluntariam Adami in Deum inobedientiam, violata Fœderis initi æquiſſima conditione, per externum etiam & publicum ſcelus, tam reliqua omnis docet Scriptura, quam Moſes cum ſingulari cura nobis primum expoſuit; nec plane in oblivionem venit apud Gentiles, qui ex majorum traditione aut Judæorum conſuetudine etiam heic habuerunt antiquiſſimæ & certiſſimæ veritatis reliquias quas fabulis ſuis variè corrumperent, ſecundum ea quæ apud Arborem Scientiæ à nobis ſunt adducta dudum *Lib.* I. *Cap.* XVIII. §. 17. Quibus jungere licet Bachi apud Gentiles Orgia, ſecundum ea quæ de his nobis reliquit *Clemens Alex. in Protrept. ad Græc.* Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζειν βάκχοι, ὠμοφαγίᾳ τ ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ πλίσσειν τὰς κρεωνομίας τ φόνων, ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, ἐπιλελύζοντες εὐάν, εὐὰν ἐκείνην δι' ἣν ἡ πλάνη παρεκολούθησε, καὶ σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ πεπλεγμένος, ἀνύπαρκα γὰρ ἡ τ ἀκεφάλῳ τ ἐβδόμων φωνὴν τὸ ὄνομα τὸ εὐὰ δασυνόμενον ἑρμηνεύειν ὄφις ἡ θήλεια &c.

Nomen Tranſgreſſi-

III. Inchoamus autem hanc tractationem à Nominibus non Peccati adeo communiter, quam quidem hujus Adamici ſpecimen, quæ no-

nobis in Scriptura occurrunt. Inter hæc indubiè eminet *Transgressio Fœderis* cum *Prævaricatione* seu *Perfidia* in Deum juncta *Hos.* VI. 7. Quæ illic ita tribuitur Israelitis, ut prius tamen ponatur in Adamo, secundum ea quæ diximus *Lib. II. Cap.* VI. §. 2. & 3. quæque haud parum ad aggravationem hujus peccati facit, tanquam non commissi adversus simplex præceptum sed contra Fœderalem de eo conventionem cum legitimo Domino, *coll. Ier.* XXXI. 32. *&c.* Sed prætermitti etiam non debet commune nomen חטא *Peccati* Hebræum, quo de Adamo usus à multis creditur rectè Deus *Ies.* XLIII. 27. אבין הראשן חטא *pater tuus primus peccavit*, dum alii de eo heic minime cogitant. Scilicet nomen singulare *Patris* à nonnullis collective aut distributive capitur de patribus omnibus & singulis, seu majoribus quibuscunque; qui porro *primi* dicantur, seu simpliciter tanquam ætate priores & superiores, seu etiam præ aliis insecutis maximè antiqui, cum respectu ad *Ios.* XXIV. 2. *trans flumen habitarunt patres vestri à seculo, Terah pater Abrahami & pater Nahor, & coluerunt Deos alios.* Uti & LXX. heic habent, *οἱ πατέρες ὑμῶν πρῶτοι*, quod tamen ad propiores patres captivitatis mala meritos applicat *Theodoretus*; imò non ad *πρεσβύτας* seu *majores* sed ad Sacerdotes & Antistites alios trahit *Cyrillus Alex. τὰς περὶς ἱερωσύνην ἐξαλλαγμένας σοφὰς π καὶ νομοίσοφας καὶ παιδαγωγεῖν ἱκανὰς*, seu *τὰς ἐν τάξει πατέρων κειμένας.* Iterum qui singularem sensum in nomine *Patris primi* retinent, ad Pontificem spectant quidam, vel ad Regem præsentem tanquam dignitate primum, seu Achazum seu Manassem, vel ad Regem primum tempore, seu Saulum seu Jeroboamum. Imo in naturali & singulari *Patris primi* notione qui hærent, hi quandoque non tam de Adamo hominum omnium patre, quam de Abrahamo cogitant, tanquam gentis Israeliticæ speciali patre primo & præcipuo de quo illi maxime gloriabantur, *coll. Ies.* XLI. 8. LI. 2. *Matt.* III. 9. *Ioh.* VIII. 33. 39. 53. 56. *&c.* cujus tum heic memoratum peccatum aut collective capitur, aut designative, vel de juvenili ejus idololatria, vel de uxoris abnegatione dein repetita, vel de signi facta ab ipso petitione *Gen.* XV. 8. *&c.* Enimvero, dum præstat singularem & naturalem vocis significationem heic retinere, neque Abraham solet adeo proponi in exemplum inobedientiæ quam fidei & obedientiæ, longe potius credimus Israëlem heic duci ad ipsum Adamum, hujus populi non minus quam aliarum gentium omnium patrem, cujus ut talis & ut peccantis ad-

sionis Fœderis & חטא quod peccato Adami datur.

Digitized by Google

versus Deum illi nequaquam debebant oblivisci, & cujus illi se filios veros per peccatum quoque demonstrabant magis quam fidelis & obsequentis Abrahami. Habet vero sic magnam emphasin additum Nomen Adjectivum ראשון / *primi* vel *primi illius*, sive ad nomen *pater tuus* sive ad verbum *peccavit* sive ad utrumque simul referatur; quando fuit ille verè uti dicitur ὁ πρῶτος ἄνθρωπος *primus homo* omnium 1. *Cor.* xv. 47. *&c.* & primus omnium quoque peccavit, ut ingressum sit per ipsum peccatum in mundum *Rom.* v. 12. *&c.* imò & peccatum ejus primo mundi tempore est commissum ἀπ' ἀρχῆς *Ioh.* viii. 44. *&c.* Nec est alienum, ut in aggravando Israëlis scelere de hujus primi patris peccato injiciatur cogitatio; tum propter primum populi hujus in ipso contractum reatum; tum propter impietatis Israëliticæ similitudinem cum illo Adami scelere, quam conjunctio per copulam *Vau* cum Israelis prævaricationibus designare apta est heic æque quam in modo adducto textu *Hoseæ* illud agit *Caph* præfixum nomini Adami. Istius ergo primi patris pessimum factum designatur heic per verbum חטא / *peccavit*. Quo constat satis notari aberrationem à recto propositoque scopo, & simul à via illuc ducente; uti sic corporaliter capitur de Benjaminitis lapide jacientibus ad capillum ne aberrarent *Iud.* xx. 16. ubi pro ולא יחטא / habent LXX. καὶ οὐκ ἐξαμαρτάνοντες, & latius *Vulgatus*, *& nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur*, atque *Syrus* ex *capillo* fecit *turbinem*; & uti spiritualiter illuc spectat peccatorum institutio de *via* & ductio in eam *Psal.* xxv. 8. 9. li. 15. *&c.* Quemadmodum autem *aberratio* talis est aliqua per se in omni peccato, tanquam per quod à Deo & Lege ad illius communionem ducente receditur, & nequaquam in solis peccatis pueritiæ infra annum vigesimum aut etiam iis quæ per ignorantiam fiunt, juxta *Kimchii* observationem; ita maxima in Adami transgressione ea est agnoscenda, ubi à Dei fruitione proposita & obedientia illuc ducente adeò proterve ipse recessit, & secum omnem posse itatem suam naturalem prorsus perdidit.

Nominum פשע & עון applicatio ad Adami peccatum.

IV. Alter ad Adami transgressionem spectans locus in Vet. Test. est etiam *Iob.* xxxi. 33. *si operui sicut Adam prævaricationes meas, abscondendo in amore meo*, vel *in abdito meo*, *iniquitatem meam*: Ubi *Vulgatus* quidem cum aliis pro כאדם habet, *quasi homo*; sed sensu longe minus claro & apto, quam si de primo homine nomen *Adam* antonomasticè capiatur. Hujus utique, à Jobo vere distincti,

&

Digitized by Google

& cum eo ſanguine connexi, hominis tranſgreſſio notiſſima erat, æque quam ipſius tranſgredientis latitatio & excuſatio vana, quam ſe neutiquam imitatum eſſe Jobus proteſtatur. Oppoſuit ſe tamen noviſſime etiam *Cl. Guſſetius*, morem naturæ humanæ hunc proprium & exercitum in omnibus ſolo naturæ inſtinctu heic reperiens; *Iſtud plurale* פשעי *peccata mea melius convenit cum mea expoſitione, quoniam non plura peccata Adam occultaſſe ſcribitur. Adde, quod Job renovaret culpam ſui parentis, cum nihil inde proficiat, aut ad ſuam levandam, aut ad aliud quidquam.* Sed non ſtringunt iſthæc argumenta; quando pluralis nominis unius numerus apud Adamum ex hoc dicto non ſubintelligitur neceſſariò, qui tamen propter delicti magnitudinem & variorum vitiorum in uno facto externo concurſum illic quoque ſatis commodus eſt; & quando ad ſui commendationem hoc quam maxime facit, quod Jobus ſe in malo non imitatum dicat Adamum, dum ex renovatione culpæ communis hominum non magis cæteroquin proficeret ipſe quam ex renovatione culpæ Adamicæ. Nomina autem duo, פשע / plurale, & עון / ſingulare, *peccatum meum* & *iniquitas mea* apud *Vulgatum*, ἡ ἁμαρτία μου ſimpliciter apud LXX. directe quidem referuntur ad Jobum, ſed per iſtam ſimilitudinem Adami negatam una cum tota enunciatione ad hunc quoque debent applicari, qui adeò habuit peccatum aliquod tale quod operiret & abſconderet. Prius nempe פשע / *prævaricationem* dicit indecentem, vel *defectionem* à legitimo domino & officio, vel *rebellionem* adverſus ipſum; & poſterius עון / *perverſitatem*, ſive *iniquitatem* facti. Tale autem ſi ſit omne peccatum vere, magis adhuc talis eſt Adami tranſgreſſio; peſſime ſe opponentis adverſus Deum, ab hoc Domino ſuo optimo per creationem & fœdus deficientis, & in ipſum rebellantis, non minus perverſe quam inique. Conferri quoque poſſunt, quæ de his & aliis pluribus peccati nominibus Hebræis adduxit *Cl. Coccejus de Fœd. Cap.* III. §. 60.

V. Emphaticas admodum appellationes eſſe ſimiliter Græcas obſervant, quibus Paulus Adami peccatum expreſſit *Rom.* v. 12... 19. Plus quam ſemel eſt illic nomen τῆς ἁμαρτίας, quod in notione *aberrationis*, à recto ſcopo & via illuc ducente, cum Hebræo חטא convenire paſſim notatur, tanquam veriſimiliter factum ex α privativo & μάρπω, *ſcopum attingo*. Dixit etiam Paulus παράβασιν *tranſgreſſionem* verſ. 14. καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς

Græcorum nominum, ἁμαρτίας, παραβάσεως, παρακοῆς, & πταίσματος.

heic adhibitorum vis.

τ παραβάσεως ἀδάμ, *coll.* 1. *Tim.* 11. 14. ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε. Quo vocabulo exprimitur sic *gressus*, vel ultra limites nobis constitutos, vel præter regulam Legis datam, per recessum ab ea, *coll. Rom.* 11. 23. IV. 15. *&c.* Unde ejus applicatio ad Adamum, violantem constitutos dominii sui limites, & recedentem à mandato Domini, facilis est. Habet præterea Paulus παρακοήν, *inobedientiam*, *vers.* 19. ὥσπερ γὰρ διὰ τ παρακοῆς ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ *&c.* Quod vocabulum, cum παραβάσει junctum *Hebr.* 11. 2. plus dicere videtur quam simplicem non-obedientiam, nempe positivum simul contemptum vel rejectionem mandati, adeoque reluctantem animum cum opere adverso, per quem nolit audire homo. Atque id rursus in Adamo deprehendimus, qui voluit contra Dei interdictum agere, seu lubens volensque plane peccavit contra vires concessas. Tandem & παράπτωμα apud Paulum legitur *vers.* 15. ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα οὕτω καὶ τὸ χάρισμα, εἰ γὰρ τῷ τ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον *&c. vers.* 17. εἰ γὰρ τῷ ἑνὶ παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τ ἑνὸς *&c. vers.* 18. ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα *&c. Vulgatus* reddit *delictum*, dum *Syrus* dixit modo שורעא / modo סכלותא / *Beza* noster *offensam*, alii cum *Piscatore lapsum*, *&c.* Redarguit vero etiam *Beza* interpretationem *Erasmi* per *peccatum*, & *Vulgati* per *delictum*, tanquam *vocabulum nimium dilutum &c.* ipse *putans*, † ἁμαρτίαν *in hac quidem disputatione ita distinguendam ab eo quod Paulus* παράπτωμα *vocat, ut effectum à causa distinguimus, nam* παράπτωμα *dicitur ipsa Adami ruina, unde manat* ἡ ἁμαρτία, *id est, tum reatus ille tum corruptio in omnium hominum natura hærens &c.* Sed contextus Pauli vix videtur istam observationem admittere; & notio *offensæ* ipsa, sensu activo minus Græcæ voci conveniens, passive mollior est longe quam illa vocis Græcæ. Utique non derivatur παράπτωμα à παρὰ & ἅπτω acsi *aberrantem contactum* diceret; aut à παρὰ & πάω *impingo*, præpositione significatum amplius adhuc minuente; sed indubie ex παραπίπτω *Hebr.* VI. 6. seu παρὰ & πίπτω, hoc est, *præterlabor*, vel potius *prolabor*, notante etiam *Piscatore*, ut sic ad imitationem Græcæ vocis Latine dici queat *prolapsus* vel *prolapsio*. Enimverò, quidquid aliqui hanc vocem, de quibusvis peccatis passim usurpatam *Rom.* IV. 25. *&c.* velint ex se delicta minora maxime notare, ideo non puto probandum; quando *prolapsio* nos magis ad magnum de-

se-

Digitized by Google

fectum ſtantis vel euntis ex officio hominis ducit, atque ſic nomen hoc applicatur ad præſentem infeliciſſimam Judæorum incredulitatem *Rom.* XI. 11. 12. uti in hanc rem etiam conferri meretur illud Pauli *Hebr.* VI. 6. παραπεσόντας, quod illuſtramus *EXERC. TEXT. Part. III.* Sic autem nomen hoc in ſumma emphaſi competit tranſgreſſioni Adami, tanquam lapſui gravi & contumaci ab officio, qui etiam cum lapſu ex felicitate magna in ſummam miſeriam junctus fuit.

VI. A Nominibus his veniendum eſt ad ipſum Adami Factum indecens, per ea expreſſum. Quod conſiſtit omninò in violatione externa Legis Symbolicæ, de fructu Arboris Scientiæ boni & mali non edendo, neque ad eſum tangendo. Siquidem hunc tentationis Mulieris per ſerpentem eventum refert Moſes *Gen.* III. 6. *& ſumſit de fructu ejus & edit, deditque etiam viro ſuo ſecum & edit.* Cui facto convenit dein Dei interrogatio ad Adamum *verſ.* 11. *an de Arbore de qua præcepi tibi ne ederes ediſti?* Atque Adami confeſſio *verſ.* 12. *mulier quam dediſti mecum ipſa dedit mihi de Arbore, & edi*; juxta illam Mulieris *verſ.* 13. *ſerpens ſeduxit me, & edi.* Et tandem ſententia ſubſecuta Dei ad Adamum *verſ.* 17. *quia obediiſti voci uxoris tuæ, & ediſti de Arbore, de qua præcepi tibi dicendo, ne edas de ea &c.* Ubi res ipſa ſatis plana eſt, ex collatione eorum quæ de divino interdicto antea ſuo loco diximus. Nempe *de Arbore* Scientiæ, non ipſa reſpectu ligni ſui uti nugantur quandoque *Judæi* ex *verſ.* 12. ſed *de ejus fructu*, non tangendo aut edendo ſecundum Dei interdictum, Mulier *ſumpſit* manu ſua, decerpendo in ſuum uſum, quod ipſa conſequenter non tantum *edit*, ſed & *datione* ſeu traditione ſua actuali potius quam nuda commendatione fecit ut *vir ſuus ſecum* ſumeret, & perinde *ederet.* In quo verbo licet non ſit determinata copia abſumpti per eſum fructus, ſit tamen veriſimile ſatis, tum ex ipſo edendi verbo potius quam altero guſtandi adhibito, tum ex fructus viſa atque guſtata præſtantia, tum ex deſiderio boni quod ex eſu fluxurum ſtultè putabatur, eſſe ab homine plene ſatisfactum ſuo deſiderio pravo, atque ita tam animo quam opere ſatis plene violatum Dei interdictum, ſine reliquo prætextu ullo, vel erroris circa Arborem non bene viſam aut animadverſam, vel facti præter propoſitum, vel tentaminis nudæ rei abſque ejus conſummatione. Nec eſt hoc adhuc locus de facti ſpecialibus circumſtantiis agendi.

Ipſe externus Peccati Adami Actus proponitur.

VII.

Facti hujus Fœditas damnabilis breviter annectitur.

VII. Istud autem factum non debere adeò leve æstimari, uti fit quandoque ab impiis irrisoribus, dudum cum aliis monstravit *Augustinus*, tum alibi, tum *Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 12. *&c. Si quis hoc movetur, ut dixi, non ideo debet existimare leve ac parvum fuisse illud commissum, quia in esca factum est, non quidem mala nec noxia nisi quia prohibita. Neque enim quicquam mali Deus in illo tantæ felicitatis Paradiso crearet atque plantaret.* Observat ille in eam rem merito ante omnia Dei præcipientis majestatem, quæ per obedientiam erat prorsus agnoscenda, nec per inobedientiam spernenda; *Sed obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodam modo est omnium custosque virtutum, quandoquidem sic facta est ut ei subditam esse sit utile, pernicioſum autem suam non ejus à quo creata est facere voluntatem.* Urget ille dein ipsius præcepti levitatem, tanquam per quam peccatum augeatur; *Hoc itaque de uno tibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea subsecutum est, tanto majore injustitia violatum est quanto faciliore posset observantia custodiri.* In ipsis illis verbis insinuat quoque Adami statum integrum ac virtutem quam adversus transgressionem per Dei imaginem nactus erat præ lapsis posteris omnibus, unde per ejus abusum longe gravius evadit delictum. Quemadmodum hoc expressit etiam clarius *de Nat. & Grat. Cap.* XXV. *Iniquitatem peccati tanto graviorem, quanto facilius homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna justissima subsecuta est &c.* Præ aliis vero rebus omnibus, quæ ad Lapsus locum modum & tempus faciunt, considerari heic debet connexa omnis interior Adami impietas, quam varie tradere & digerere ab ævo solent, addito etiam agendi modo quem hic in examine divino dein observavit. Ita etiam *Augustinus Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 13. *In occulto autem mali esse caperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium quod potuit esse nisi superbia? &c.* Sicuti dein *Cap.* 14. *pejorem damnabiliorem que superbiam* reperit in humanis prætextibus, ad quos ipse; *Nusquam hic sonat petitio venia, nusquam imploratio medicinæ &c.* Et concludit ille tandem post hæc omnia, *Cap.* 15. *Quia ergo contemptus est Deus jubens, qui hominem creaverat, qui*

ad

ad ſuam imaginem eum fecerat, qui cæteris animalibus præpoſuerat, qui præceptis nec pluribus nec grandibus nec difficilibus oneraverat, ſed uno breviſſimo atque leviſſimo ad obedientiæ ſalubritatem adminiculatus fuerat, quo ſuper eam creaturam cui libera ſervitus expediret ſe eſſe Dominum commonebat, juſta damnatio ſubſecuta eſt &c.

CAPUT SECUNDUM.

Quo cum externo Eſu juncta Adami Perverſitas diſtinctius exponitur, Sceleriſque integri Magnitudo amplius declaratur.

Perverſitas Adami cum hoc facto externo juncta monſtrari debet.

Quam indecens fuerit factum ipſe Fructus vetiti Eſus, longe tamen fœdior is apparebit, ſi ſpectemus diſtinctius reliquam Adami perverſitatem, quæ illi conjuncta fuit & in illo ſe prodidit palam. Quod cum aliis Veteribus & Recentioribus obſervavit quoque *Ven. Cloppenburgius Exerc. Theol. Loc. VII. Diſp. I. Æſtimandum eſt ergo & ponderandum peccatum hoc primum, non ſola vetiti ſymboli uſurpatione, ſive externo illo actu corporis, aut precio rei contrectatæ aut uſurpatæ, quando decerptum de Arbore fructum homo comedit, ſed defectione ab univerſali Legis Regiæ juſtitia, & violatione Fœderis Legalis, cui inſerviebat initio Lex illa Symbolica.* Hoc vero ipſum tam ex Moſe quam ex rei natura nunc paulo diſtinctius monſtrandum etiam eſſe videtur.

Quæ ex ſeductione Evæ poteſt colligi; dum tamen Adamum ex amore in Mulierem peccaſſe volunt multi.

II. Quod ad Moſis narrationem attinet, eam ita nos omnino capiendam exiſtimamus, ut hiſtoria peccati Adami ex illa Evæ ſuppleatur, nec adeo ex alio fonte aut principio Vir ederit quam Mulier. Ineptire enim putamus, qui ex ſermone Serpentis ad Mulierem ſolam directo, & ex datione fructus Adamo facta à Muliere ſimpliciter, quam dein ſolam nominavit abſque ſeductionis mentione ulla etiam Adam, & ex verbis Apoſtoli *1. Tim. II. 14. ἀδὰμ οὐκ ἠπατήθη &c.* colligunt, ejuſdem infidelitatis, ſuperbiæ, & libidinis fructus, cum Eva neutiquam fuiſſe reum Adamum, ſed ex alia longè ratione eum de fructu vetito ediſſe. Quam etiam plures conſtituunt Amorem datæ ſibi à Deo conjugis, quam nolebat relinquere, vel etiam ſolam eſſe miſeram. Ita ipſe *Auguſtinus Lib. XIV. de Civ. D. Cap. 11. Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabri-*

candum non conſenſit inductus ſed ceſſit obſtrictus, nec Salomonem credibile eſt errore putaſſe idolis eſſe ſerviendum ſed blanditiis fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum, ita credendum eſt, illum virum ſuæ fœminæ uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei Legem tranſgrediendum, non tanquam verum loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe. Non enim fruſtra dixit Apoſtolus, Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta eſt, niſi quia illa quod ei Serpens locutus eſt tanquam verum eſſet accepit, ille autem ab unico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati &c. Sed inexpertus divinæ ſeveritatis in eo falli potuit, ut veniale crederet eſſe commiſſum. Ac per hoc in eo quidem quo Mulier ſeducta eſt non eſt ille ſeductus, ſed eum fefellit, quomodo fuerat judicandum quod erat dicturus, mulier quam dediſti mihi ſociam &c. Et dein Cap. 13. *Ut ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque ſe venialiter tranſgreſſorem eſſe præcepti, ſi vitæ ſuæ Sociam non deſereret etiam in ſocietate peccati, &c.* Etiam *Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 42. *Ita & Adam poſteaquam de Ligno prohibito ſeducta mulier manducavit, eique dedit ut ſimul ederent, noluit eam contriſtari, quam credebat poſſe ſine ſuo ſolatio contabeſcere, ſi ab ejus abalienaretur animo, & omnino interire diſcordia. Non quidem carnis victus concupiſcentia, quam nondum ſenſerat in reſiſtente lege membrorum legi mentis ſuæ, ſed amicali quadam benevolentia, qua plerunque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuiſſe divina ſententia juſtus exitus indicavit. Ergo alio quodam modo etiam ipſe deceptus eſt, ſed dolo illo ſerpentino quo Mulier ſeducta eſt nullo modo illum arbitror potuiſſe ſeduci in illo modo quo illa potuit. Hanc autem proprie ſeductionem appellavit Apoſtolus, qua id quod ſuadebatur cum falſum eſſet verum eſſe putatum eſt, id eſt, quod Deus ideo lignum tangere prohibuerit, quia ſciebat eos ſi tetigiſſent velut Deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret qui eos homines fecerat. Sed etiamſi virum propter aliquam mentis elationem, qua Deum internorum ſcrutatorem latere non poterat, ſolicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum Mulierem videret accepta illa eſca non eſſe mortuam, ſecundum ea quæ ſuperius tractavimus; non tamen eum arbitror, ſi jam ſpiritali mente præditus erat, ullo modo credere potuiſſe, quod eos Deus ab eſca illius ligni invidendo vetuiſſet.* Nec aliud in re ipſa volunt *Pontificii* plurimi, qui hic cum *Pererio* loquuntur de *ſummo Amore* Adami in Evam inde orto, *quod eſſet*

prop-

propter eximia corporis & animi ornamenta ſumme amabilis, quod unica eſſet mulier in toto terrarum orbe, quod ſua eſſet uxor ex qua prolem ſuſceptura totumque genus hominum propagatura eſſet, quod ſibi à Deo in ſociam eſſet data, denique quod ſua eſſet ex carne oſſibuſque formata, unde *putaverit* ille *hanc rationem*, præter rei levitatem & perſonæ ſuæ dignitatem, *ſatis valido futuram obtentui ad peccati admiſſi excuſationem &c.* quem tamen *amorem* non poſſunt non dicere *inordinatum* & *immoderatum*. Imo ſunt ex noſtris quoque Theologis, qui hoc ſequantur cum *Cel. Burmanno Syn. Theol. Lib.* II. *Cap.* 6. *Quari ſolet, quo modo Adam adductus fuerit ut comederet? an iiſdem rationibus quibus* Eva *decepta fuit, quæ procul dubio colloquium cum ſerpente habitum marito narravit, ſuoque exemplo in vanum ex fructus ejus eſu mortem timeri firmavit? an vero alia ratione ad id permotus fuerit? Quod Apoſtolus potius affirmare videtur* 1. *Tim.* II. 14. *&c. Quæ verba innuere videntur ipſum potius amore conjugis ipſum, cujus animum affligere nolebat; adeoque etſi præcepti Dei conſcius & Satanæ fraude intactus, tamen ne eam in iſto ſtatu deſereret, oblatum ab ipſa fructum etiam libavit, forte credens affectum hunc ergo Sponſam ſuam à Deo ipſi datam ſi quid hic peccatum foret facile excuſaturum. Sicut huc collimare videtur ejus ad Deum reſponſio, qua non in ſerpentis mendacium ſed in mulierem quam dederat ipſi Deus culpam rejicit. Mulier autem ſeductam ſeſe à ſerpente queritur &c. Ex quo fœmina & intellectum & voluntatem corruptam, virum vero non tam errore in intellectu ſeductum quam affectui ſuccumbentem in peccatum ruiſſe, conſici videtur.* Dum Cl. Coccejus *Sum. Cap.* XXVI. §. 30. tractationem hujus quæſtionis cum magna indignatione declinat; *Hic humana curioſitas exultat & quærit, quomodo Adamus adductus fuerit ut comederet? numquid per eaſdem rationes quas ſerpens ſuggeſſerat mulieri? an quod viderit Evam necdum mortuam? an quod putaverit eſſe peccatum veniale quod peremtorium erat &c. an quod nun voluerit uxorem ſuam contriſtari &c.* Σκαιότης *obliquitas animæ noſtræ eſt, omiſſis iis ad quæ ſcrutanda nos conſcientia impellit, animum languentem & famelicum* περιεργίᾳ *curioſitate paſcere &c.* Simul teſtatus, *vehementer* ſibi *placere Auguſtini* clauſulam hujus tractationis *Lib.* XI. *de Gen. ad lib. Cap.* 42. *Perſuaſum eſt illud peccatum ſicut perſuaderi talibus poſſet, conſcriptum eſt autem ſicut legi ab omnibus oporteret, etſi à paucis hæc intelligerentur ſicut oportet.*

Sed præter rationem ſolidam & ſpeciem ullam.

III. Enimvero non video, quid heic ſit curioſi ratis adeò indecentis in eo, quod ex Moſe inquiritur cum modeſtia modus & proceſſus Adamicæ tranſgreſſionis, atque ſic ejus gravitas magis detegatur ad juſtitiæ divinæ gloriam & noſtram humiliationem. Nec cerno etiam; vel cur ab errore omni Adamus præ Eva, imaginem Dei & rectitudinem eandem nactâ, debeat immunis præſtari; vel quod ab errore gravi ille ſic vere excuſetur, dum ipſe ineptè putavit, aut Mulieri præ Deo eſſe adhærendum ex officio, aut peccatum ſuum fore veniale quod Deus ſub pœna Mortis tam rigidè interdixerat, aut Mulieris ſequelam in peccato juſtam eſſe excuſationis cauſam apud Deum, aut ex eſu mortem non eſſe conſecuturam; vel quod affectui heic ſuo ſuccumbere potuerit Adam integer, abſque magna Intellectus obſcuratione & Judicii perverſitate; vel quod tranſgreſſio ejus ullo modo ſic minuatur, qui præ muliere ſciens volenſque in ſuum ruit exitium, ut vel hanc retineret ſecum, vel à triſtitia nimia ſervaret, ipſo hinc notante *Auguſtino*, quod *nec ideò minus reus* fuerit Adam *ſed ſciens prudenſque peccaverit.* Ego autem, quamquam ſic indecentiſſimi contemptus Dei & amoris inepti in mulierem reum videam conſtitui Adamum, hoc neutiquam mihi de illo per ſapientiam & ſanctitatem hactenus integro perſuadere poſſum, quod ipſe ex nudo affectu in uxorem miſeram, vel ſibi ſervandam, vel ſocietate ſua mali erigendam, ſeſe culpæ & pœnæ bene prævisæ devoverit ſciens, cum vana forte veniæ ſic obtinendæ ſpe; quod nec uſquam dicit Moſes, qui notaſſet, ſi ex tam diverſo fonte Adam peccaſſet. Et infirmiſſima deprehendo argumenta illa, per quæ deceptionem & ſeductionem Satanicam ab Adamo arcent Viri magni. Seducens, inquiunt, ſermo Serpentis ad ſolam Mulierem fuit directus. Sed minime deſunt, qui ex ipſa datione vetiti fructus à Muliere mox facta, & ex locutione ſerpentis plurali, *non moriendo moriemini &c.* & ex oppoſita irriſione Dei, *ecce homo factus eſt ſicut unus ex nobis cognoſcendo bonum & malum &c.* & ex phraſi illâ *verſ. 6. dedit etiam viro ſuo nxy ſecum &c.* colligunt, Adamum præſentem ſeductionis Satanicæ fuiſſe auditorem; uti ad poſtremam hanc annotavit P. *Fagius*, *hinc colligere Hebræos, Adamum præſentem fuiſſe quando ſerpens Evæ locutus fuit eamque ad peccandum incitavit, taxari ergo negligentiam & ignaviam Adami qui non fecit ſuam officium avocando mulierem à malo &c.* & latius ratiocinatur quoque pro Adami præſentia

ſentia ex ejus amore conjugali *Thomas Gatakerus Adverſ. Miſc. Lib. II. Cap.* 2. ſi lapſus eodem creationis die contigiſſet, quod ille ex hoc fonte non admittit. Hoc verò efficiunt certiſſime argumenta modo adducta, quod ſermo ſerpentis innotuerit quoque Viro, ſi non præſenti tum, utique abſenti per Mulierem, unde in Adamo ortum illud vanum ſtudium ſimilitudinis cum Deo quod Deus deinde riſit; ſicuti hinc agnovit *Cel. Burmannus, procul dubio colloquium cum ſerpente habitum marito narraſſe* Evam; dum ex adverſo inepte ſcripſit *Pererius, non eſſe veriſimile Evam narraſſe Adamo dicta & promiſſa ſerpentis, ſi enim ea aperuiſſet, facile Adamum animadverſurum fuiſſe technas frandeſque damonis ſibique cauturum &c.* Mulier, pergunt alii, dedit viro de fructu, & dationem hanc ſolam, non autem ſeductionem ejus, adduxit pro ſe rogatus Adam. Quaſi dediſſet ipſa de fructu plane muta, nec verba addidiſſet quibus eſum ejus commendaret; quæ utique longe veriſimilius ex ſermone Satanæ fuerunt petita, ad utrumque hominem pluraliter ſpectante, quo ipſa ad edendum mota erat, quam ut conſtiterint, ſeu in aliis *blanditiis*, ſeu in *importunis precibus quibus ſignificabat ſe niſi in eo gratificaretur ſibi pra triſtitia & marore nunquam tranquillo & hilari animo futuram*, *coll. Iud.* XVI. 16. uti has nominat *Pererius*. Iſta ergo loquela in datione huic omnino ſubintelligitur utroque loco; ſeductione Adami paſſiva liquente ex ipſo eventu & agnito eſu. Attamen, hoc potiſſimum urgent alii, Paulus plane negat Adamum ſeductum eſſe. Fateor; ſed apparuit jam ex oppoſitis conjecturis de Adami lapſu, quo pacto omnem errorem mentis ab Adamo arcere nequeant Viri Docti, in quo ſemper eſt ſeductionis aliqua ſpecies. Unde ſenſum Paulini dicti reſtrictum eſſe, ab ævo intellexerunt; ut dicatur Adam non ſeductus, vel expreſſa Moſis narratione, vel à Serpente immediate, vel à Muliere cum animo decipiendi, vel primus ante Mulierem, *coll. verſ.* 13. vel denique ita ut alteri quoque cauſa tranſgreſſionis activa ſeductione eſſet; uti eas interpretationes omnes ex Veteribus ipſe adduxit *Pererius*. Favet autem poſtremæ connexio ſequentium vocum Pauli, *ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε, ſed mulier ſeducta cauſa tranſgreſſionis fuit*, interprete *Beza*, qui aliam expoſitionem de Eva tranſgreſſionis rea judicat *inertem & frigidam*; *maluit igitur ἐν παραβάσει accipere pro εἰς παράβασιν, ut Eva ſeducta fuiſſe dicatur ut Adamo eſſet peccandi cauſa, ita enim uberiorem eſſe ſenten-*

tiam & melius cohærentem. Et præiit ita ipſe *Auguſtinus Lib. XIs de Gen. ad lit. Cap. 42. Mulier autem ſeducta in prævaricatione facta eſt, id eſt, ut per illam etiam vir prævaricaretur, nam & ipſum dicit prævaricatorem &c.* Neque poteſt iniri numerus Veterum, qui protoplaſtis ſimul ſeductionem paſſivam tribuunt cum Infidelitate & Superbia, quique de Adamo ſeducto etiam determinate teſtantur cum ipſo *Ignatio, Irenæo, &c.*

Infidelitas cum Eſu juncta in Adamo notatur.

IV. Ergo in Adamo edente de fructu vetito oportet agnoſcere, ex exemplo ſeductionis Evæ, magnam *Infidelitatem* in verbum Divinum explicitæ comminationis & implicitæ promiſſionis. Ubi enim Deus edenti minatus erat Mortem, ſic ſimul non edenti Vitam promittens, Serpens dixit, *non moriendo morieminí*; plane oppoſitum inſinuans ejus quod Deus dixerat, adeoque hoc volens, non tantum quod non adeò neceſſario, aut miſere, aut ſubito, aut in perpetuum, aut omni ſpecie mortis, morituri eſſent, ſed quod neutiquam nec ullatenus Mortem ex eſu hoc haberent metuendam, imò Vitam potius inde exſpectandam. Et niſi fidem divini verbi veraciſſimi reliquiſſet homo, ac mendacium hoc diaboli ut verius accepiſſet, nunquam ille ſane ad eſum noxium adeo fuiſſet inductus, nec ulterius quidem Satanæ verba admiſiſſet; ſive illa Infidelitas fluxerit primò ex ſuſpicione arcanæ cujuſdam in Deo malitiæ, ſive ex conſcientia bonitatis ipſius, difficilius cum ſevera comminatione conciliandæ, ſive tandem etiam ex dubitatione aliqua ſuborta de ſua recta perceptione divinæ vocis. Ex quocunque autem fonte provenerit iſta in Dei vocem Infidelitas, fuit certe magnum ſcelus, Dei ipſius teſtimonium non recipere conſtanter, ſed illud rejiciendo ipſum facere mendacem; in primis ubi natura ipſa de iſthac pœna ad inobedientiam & de iſthoc præmio ab obedientiam ſatis clare teſtabatur.

Et Superba Divinæ Similitudinis affectatio.

V. Oportet præterea in Adamo æquè quam in Eva *Superbiam* Infidelitate non minorem admittere. Sciens enim Serpens, eam quæ metu pœnæ ſublato à malo vitando poterat videri abducta ad illud faciendum optime poſſe pertrahi per felicitatem ſic exſpectandam, hanc quoque addidit magnam, à qua quærenda per hanc viam obſcurata jam mens non foret amplius averſa. Dixit ergo, *Deum* ipſum ſatis *noſſe*, quod ad *eſum de iſta Arbore oculi* ipſorum eſſent *aperiendi*, ipſique *futuri* כאלהים *ſicut Deus, cognoſcentes bonum & malum.* Quæ fallaciſſima promiſſio, deinde in hiſtoria ſeductionis di-

distinctius exponenda, sic alludit ad Arboris interdictæ nomen; ut rem naturaliter admodum desideratam complectatur, homine datas sibi intellectus vires solito protendere ad abdita quæque per curiositatem minime laudabilem; & ut rei seu modum seu gradum dicat supremum, qui creaturæ minimè convenit, sed uni sapienti Creatori est relinquendus. Et hæc denuo ita reperit in Adamo fidem, ridente post infelicem eventum Deo, ut Esus sui opere ipso ostenderit, se superbo divinæ excellentiæ potiundæ desiderio ferri, & ad eam interdicta etiam via velle tendere, qui ad magnam similitudinem per obedientiam Divinæ Legis potuisset cæteroquin pervenire. Qualis superba sui ipsius elatio si dedeceat subjectum respectu principis, servumque respectu domini sui, quanto majus censendum est scelus esse in Adamo respectu Dei sui creatoris & fœderati? Atque hæc est illa Superbia Adami, de qua cum aliis antiquis tam multa habet *Augustinus*, etiam *Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 13. *Porro malæ voluntatis initium quod potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est. Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio sibi quodam modo fieri atque esse principium. Hoc fit cum sibi nimis placet. Sibi vero ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit quam ipse sibi &c.*

VI. Sed nec Corporalis fructus Libido atque intemperans *Gulæ Desiderium* abfuit, quod ad Esum fortiter pellexit; siquidem post callidum Serpentis sermonem dicitur Mulier *vidisse quod bona Arbor ad esum, & quod desiderium ipsa oculis, & desiderabilis Arbor ad intelligendum*, atque hinc tandem secutus esse Esus deca. Ista sane verba, in quibus curiositatem, voluptatem, & vanitatem Evæ solent notare Interpretes, directe illuc ducunt, ut agnoscamus fructus externam & quæ hinc colligebatur internam præstantiam edendi desiderium in ea consummasse, ut sic non amplius se cohibere posset ipsa ab esu. Quod sequentem in modum declaravit olim *Rupertus; Vidit igitur, id est, consideravit, diligenter intuita est, curiosius attendit, & judex eorum quæ audierat ipsa esse voluit. Audierat quod dixisset Deus, in quocunque die &c. audierat Serpentem è contrario dicentem, nequaquam moriemini. Inter hæc anceps, naturam ligni propriis sensibus dijudicare voluit, ut sciret, cui potissimum, Deo videlicet vel Serpenti, palmam concederet veritatis. At illi qui de hoc judicare debuerant interiores oculi exteriorum jam erant oculo-*

Et Intemperans Gelæ Desiderium.

lorum concupiſcentia præpediti, ut non viderent neque ſolam mortem corporis, vel quod duplicem illatura eſſet mortem, non natura ligni ſed tranſgreſſio mandati. Itaque ſolis exterioribus oculis naturam ligni conſideravit, & deprehendit male cauta quod in fructu ligni non eſſet venenum mortis, erat enim bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectu delectabile. Hæc enim ſermoni quem dixerat Deus repugnantia judicavit eſſe, magis ſermoni Serpentis concordare, veramque aſſertionem ejus demonſtrare &c. Dum alii differunt, de *vitiata parte ſuperiori per ſuperbiam*, ad quam *continuo perverſa & corrupta pars inferior, flagrantiſſime expetendo vetitum ſibi fructum &c.* Quomodocunque ſane proceſſerit hæc res, apparet præſtantiâ fructus deſiderabili abductum quoque fuiſſe hominem ad eſum ejus, cum perditione longe majoris boni. Quod i digniſſimum factum comparavit inter alios *Ven. Cloppenburgius* cum *Eſavi profanitate, quæ tanto erat major, quanto vilius fuit edulium quo vendidit τὰ πρωτοτόκια αὐτῦ primogenituram ſuam Hebr.* XII. 16

Et Deſectio ab Officiis Tabulæ Primæ & Secundæ moralibus.

VII. Ex iſtis autem tribus fontibus quæ fluxit Divini mandati æquiſſimi nec difficilis adeo *Inobedientia* manifeſta, an non prodit palam receſſum Adami ab illo quem moraliter Deo creatori & benefactori fœderato ſuo debebat amore, honore, timore, cæteriſque decentis cultus actibus cunctis, adeoque protervam à Deo & totalem defectionem? Nec minus ſimul ob ipsō violatum eſſe argumentum Tabulæ Secundæ liquet, ex ſui ipſius & poſteritatis omnis ſuæ perditione non concilianda cum debito ejus amore; ut de ſingulis ejus Tabulæ Præceptis ad literam vel per myſticam accommodationem violatis nunc ſpeciatim nihil addam. Vide in hanc rem locum quem ex *Tertulliano* deſcripſimus *Lib. II. Cap.* VIII. §. 3. & confer quod *Auguſtinus* ſcripſit *Enchirid. ad Laur. Cap.* XLV. *Quamvis & in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum &c. poſſint intelligi plura peccata, ſi ipſum in ſua quaſi membra dividatur. Nam & ſuperbia eſt illic, quia homo in ſua potius eſſe quam in Dei poteſtate dilexit. Et ſacrilegium, quia Deo non credidit. Et homicidium, quia ſemet ipſum præcipitavit in mortem. Et fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanæ ſerpentina ſuaſione corrupta eſt. Et furtum, quia cibus prohibitus uſurpatus eſt. Et avaritia, quia plus quam illi ſufficere debuit appetivit. Et ſi quid aliud in hoc uno admiſſo diligenti conſideratione inveniri poteſt.* Accumulare quin etiam ſolent Theologi plurima alia vitia, quæ in Adamo

jux-

Digitized by Google

juxta Evam edente obſervari poſſunt; ſcilicet iners otium, incuriam & minorem attentionem ad Deum ejuſque verbum, præſumptionem de ſe ſuiſque viribus nimiam, precum neglectum, tentationis admiſſionem facilem, dubitationem hinc ortam de officio & beatitatis vera via, curioſitatem, ratiocinationem vanam, &c. Quæ hic latius perſequi, & depingere ad noſtram cautelam adverſus graviora ex illis initiis etiamnum fluentia ſcelera, non fert noſtrum inſtitutum præſens.

Priorne Infidelitas an Superbia in Adamo peccante debeat judicari.

VIII. Paucis tangenda eſt quæſtio à *Papiſtis* heic mota de Ordine, quo modò memorata animi vitia, inprimis autem Infidelitas & Superbia, ſe invicem exceperunt. Scilicet non ſolus *Lutherus* de *Infidelitate* tanquam priori locutus eſt, ſed & *Calvinus* noſter ſcripſit *Inſtit. Lib. II. Cap. I. Proinde Infidelitas radix defectionis fuit, hinc autem emerſit ambitio & ſuperbia, quibus annexa fuit ingratitudo &c. Denique Infidelitas ambitioni januam aperuit, ambitio verò contumaciæ fuit mater, ne homines abjecto Dei metu ſeſe projicerent quo ferebat libido &c. Nunquam enim repugnare Dei imperio auſus fuiſſet Adam, niſi ejus verbo incredulus &c.* Hoc autem ægrè ferunt *Papiſtæ*, qui *Superbiam* anteponunt, adductis in eam rem plurimis *Auguſtini* & aliorum Patrum teſtimoniis. Præter quæ *Bellarminus Lib. III. Cap. 4. de Amiſſ. Grat.* laudat pro iſta *communi Catholicorum ſententia*; tum loca Scripturæ, & Apocryphæ, *Sirac. X. 13. 14 initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo quoniam ab eo qui fecit eum receſſit cor ejus, initium omnis peccati ſuperbia*, Tob. IV. 14. *ſuperbiam nunquam in tuo ſenſu aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio*, & Canonicæ, *Rom. V. 19. ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi &c.* cum non Infidelitas ſed Superbia mereatur nomen Inobedientiæ; tum rationes, quod actus mentis circa finem propriæ excellentiæ præceſſerit actum circa media quæ appetuntur propter finem, quod error intellectus non potuerit locum habere ante averſionem à Deo, quod ex ſuperbia vulgo adhuc oriatur infidelitas, quod converſio ad aliud in conceptu præcedat averſionem qualis ſit à Deo in Infidelitate. Enimverò non eſt hæc quæſtio magni admodum ponderis, ubi abſque longæ moræ ſucceſſione iſta nominata vitia tantum non ſimul invaſerunt hominem. Attamen ſi ordinem ſequimur Tentationis Satanicæ quam narravit Moſes, debemus Infidelitatem ſpectare ut quadantenus priorem Su-

perbia. Refert enim prius illa Serpentis verba, *non moriendo moriemini*, quam illa, *eritis ſicut Deus*; unde & effectum infidelitatis illa videntur peperiſſe, prius quam ex his flueret ſuperbia. Et eſt ille ordo ſatis naturalis, ut prius homini fuerit perſuadum, nihil mali ex eſu præſtantis fructus ipſi eſſe metuendum, deinde autem per gradum ulteriorem homo ſit adductus ut crederet, velletque bonum oppoſitum. Nec aliud volunt plerique Patres de Superbia loquentes, quam hanc anteceſſiſſe & peperiſſe non Infidelitatem ſed externum Eſum, quod nemo negat; uti hinc eodem fere modo alias de Infidelitate loquuntur, etiam *Auguſtinus Lib. XIV. de Civ. D. Cap. 17. Hoc itaque cognoverunt quod felicius ignorarent, ſi Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas & inobedientia quid nocerent.* Textus etiam Apocryphi ex *Siracide* & *Tobia* ſicut apud nos nullam habent autoritatem Divinam ad convincendum, ita & à ſcopo ſuo manifeſte abducuntur; ſiquidem non agunt de Adami Superbia & Peccato hinc orto, ſed de Superbia hominum communiter, tanquam mali multiplicis alius initio & fonte certiſſimo, quo pacto illa quoque in Adamo ſpectari poteſt. Nec eſt quidquam clarius, quam *Paulum* per Inobedientiam Adami deſignare ſcelus ipſius integrum per quod damnatio juſta ad nos pervenit, non autem internam ejus radicem primam ſolam; dum Infidelitas ipſa quoque poteſt & debet ſpectari juxta Superbiam ut Inobedientiæ iſtius pars conſtitutiva, Deo per verbum promiſſionis & comminationis ſuæ fidem exigente ab homine. Rationes tandem quatuor objectæ nullius ſunt roboris; ſi quidem Infidelitatis actum in Adamo ſe habuiſſe per modum medii quo tenderet ille ad Superbiam male ſupponitur, etiamſi res ita à parte aſſutè ſeducentis Satanæ conſiderari queat, dum potius actus Infidelitatis & Superbiæ ſpectari ſimul debent ut media ducentia ad interdictum Eſum; ſiquidem averſio à Deo non tantum in Superbia ſed & Infidelitate eſt agnoſcenda; ſi quidem hodie Superbia ita frequenter parit Infidelitatem, ut non minus frequenter hæc in peccatoribus ex ea & ſpreto per eam Dei verbo proveniat; ſiquidem tandem in ipſa Infidelitate antecedenter ad ſuperbam Divinitatis affectationem non minus converſionem ad Satanæ verba quam averſionem à Deo conſiderare poſſumus & debemus.

Quo pacto Peccatum Adami ab

IX. Quomodocunque autem iſte Infidelitatis & Superbiæ proceſſus in Adamo ſeſe habuerit, debemus iſthæc in Adamo vitia

agno-

agnoſcere; nec cogitare adeo, vel de intemperante ejus aliqua in uxorem libidine, vel de nimio uxoris amore, de quibus nihil nobis ex Moſe liquet, etiamſi amor datæ ſibi à Deo conjugis, quæ fructum à ſe ſumptum obtulit, aliquid potuerit forte cooperari ut in Infidelitatem & Superbiam & Eſum ipſum ille facilius pertraheretur. Nec opus eſt porrò, ut ad agnitionem Gravitatis Tranſgreſſionis Adamicæ illi amplius tribuamus; vel *Hæreſin* proprie dictam, qua voce alio communiori ſenſu heic uſus videtur *Tertullianus Lib. II. adv. Marcion. Cap. 2. quis dubitabit ipſum illud Adæ delictum Hæreſin pronunciare, quod per electionem ſuæ potius quam divinæ ſententiæ admiſit? &c.* vel *Idololatriam* ſimilem, de qua apud nomen plurale אלהים cogitavit *Ambroſius de Parad. Cap. XIII. in quo licet advertere Idololatriæ authorem eſſe Serpentem, eo quod plures Deos induxiſſe in hominum videatur errorem quadam Serpentis aſtutia &c.* ad quam alio modo ducimur apud *Auguſtinum Quæſt. Vet. & N. T. LXXXIII. cum acerbe peccaverit homo aſſentiens ei contra mandatum creatoris, fieri ſe Deum idololatria admiſit per quod in Deum peccaverat &c.* & quam facilius forte adhuc invenire poſſemus in Fide Serpenti pro vero Deo habita; vel ipſius *Filii Dei* determinatum *Contemptum* in Arbore Scientiæ præ Arbore Vitæ dilecta, quem Recentiores aliqui heic etiam nominant, ex iſthac hypotheſi, quod illa Arbor Filium Dei præ Patre & Spiritu repræſentaverit, quam probare antea non potuimus *Lib. II. Cap. 13. §. 5.* præterquam quod hujus non ut Filii ſed ut Mediatoris contemptus hominum lapſorum peccatum demum aggravet vere. Enimverò hoc mirari licet, quod, dum Gravitas Tranſgreſſionis Adamicæ adeò conſpicua eſt, *Pontificii* tam inaniter heic diſputent vulgo, an Adam in ſtatu primo ſuo potuerit aliquod *Peccatum Veniale* ex ſe admittere? quod & multi affirmare non verentur, contra generalem peccati naturam non modo, ſed & contra expreſſas Mortis minas ad minimam ejus tranſgreſſionem. Qua de re pro *Thoma* adverſus *Scotum* vide diſputantem *Bellarminum Lib. III. Cap. 8.* tam ab Effectu quam à Cauſa Peccati Venialis, quæ in Statu Integritatis præter Lapſum ex eo adeoque Mortale Peccatum non potuerint habere locum; adductis etiam verbis *Auguſtini ex Lib. XIV. de Civ. D. Cap. 10. Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliunde malum, quod contriſtaret irruebat. An forte cupiebant prohibitum lignum ad veſcendum contingere, ſed mori metuebant, ac per hoc &*

aliis temere augeatur, dum de poſſibili ipſius delicto Veniali inepte differunt Papiſtæ.

cudipitas & metus jam tunc illos homines etiam in ipſo perturbabat loco? Abſit ut hoc exiſtimemus fuiſſe, ubi nullum erat omnino peccatum. Neque enim nullum peccatum eſt, ea quæ Lex Dei prohibet concupiſcere, atque ab his abſtinere timore pœnæ, non amore juſtitiæ &c. Quibus haud diſſimilia & in nonnullis validiora ſunt apud eundem *Cap.* 26. ubi de ſancta felicitate hominum in Paradiſo viventium ipſe diſſerit ex profeſſo.

Peccatum idem Adami quo ſenſu Graviſſimum queat appellari.

X. Solet heic adhuc diſputari, an deſcripta Adami *Tranſgreſſio* poſſit & debeat dici *Graviſſima*, non tam in ſe, quod ſic admodum gravis ſit, quam comparatione cum aliis Peccatis gravibus facta, ſeu jam Angelorum, ſeu Hominum ſolorum. Ad quam quæſtionem reſponſurus *Pererius*, notat rectè in anteceſſum: *Gravitatem peccati multis ex rebus æſtimari ſolere, vel ex ipſa ſpecie peccati, ſic adulterium gravius eſſe ſimplici fornicatione, vel ex intentione affectus peccantis, ut ſi quis vehementiori ſtudio & intenſiori affectu rapiatur ad peccandum, vel ex effectu peccati, id eſt damno quod peccatum conſequitur, ſic homicidium gravius eſſe furto, vel ex variis circumſtantiis peccato adjunctis quæ gravitatem ejus ampliſicant, ut ſunt qualitas perſonæ locus tempus & id genus alia.* Nec difficulter aſtipulamur huic Autori cum aliis multis, quod omni plane reſpectu peccatum protoplaſtorum peccatorum omnium non fuerit graviſſimum; ſive fiat collatio cum ſcelere primo Angelorum, qui citius abſque alio ſeductore & ex felicitate haud ſane minori lapſi ſunt; ſive cum peccatis commiſſis adverſus Euangelium & Spiritum Sanctum illud clare inſinuantem, in quibus hinc ſimul nullam remiſſionem admittit rigor divinæ juſtitiæ. Nequeo tamen per omnia adſtipulari iis quæ proxime ſubjecit *Pererius*; *Si ſpectatur ſpecies peccati primorum hominum, non utique fuit omnium graviſſimum, gravius enim fuiſſet ſi peccaſſent per blaſphemiam, per infidelitatem, per contemptum, aut odium Dei. Nec dubitanter dixerim, Judam, Arium, Lutherum ſecundum ſpeciem peccati gravius peccaſſe quam Adamum, peccavit enim contra Legem poſitivam, non contra Legem naturalem, & contra præceptum de re indifferenti non de re per ſe mala. Nec affectus peccandi fuit in illis intenſior vehementior pravierque quam in ullo eorum qui poſtea peccaverunt.* Utique hoc falſum eſt, in Adami ſcelere non adfuiſſe vel blaſphemiam realem & odium Dei, vel certe infidelitatem & contemptum; unde prudentius locutus eſt *Bellarmi-*

Digitized by Google

Iarminus, peccatum primi hominis non fuit proprie odium Dei, ſed ſuperbia, inobedientia, infidelitas, &c. Nec minus falſum eſt illud, ita peccaſſe Adamum contra Legem poſitivam, ut non ſimul violaverit Legem Naturalem. Quid ergo? Non abſolute ſed ſecundum quid peccatorum omnium humanorum *Graviſſimum* dicere cum *Thoma* debemus illud Adami & Evæ; ſive ſpectemus *Statum peccantium*, qui intus lumine & non peccandi viribus præ omnibus poſteris erant inſtructi, & extus ſimul ac intus omni felicitate optabili fruebantur præ iiſdem; ſive conſideremus *Locum peccati* feliciſſimum, cum quo nulla terræ maledictæ plaga etiam abundantiſſima & ornatiſſima à poſteris Adami habitata conferri poteſt; ſive attendamus *Tempus ſceleris*, quando nulla adhuc præceſſerat tranſgreſſio alia humana in facti hujus exemplum, nec tentario repetita Satanæ, imo recens plane creationis maximæquæ divinæ beneficentiæ erat memoria; ſive obſervemus tandem, ut alia plura mittam, *Ruinam* maximam ex hoc peccato præ aliis omnibus ſecuturam & *ſecutam*, non ſolorum hominum peccantium ſed & omnis poſteritatis naturalis tanquam ab Adamo fœderaliter repræſentatæ, non ſalvandæ ex ea niſi minimo numero per ipſius Filii Dei maledictam mortem. In quam rem ipſe *Auguſtinus*, monſtraturus, *quantum nefas in illa prima prævaricatione commiſſum ſit*, ſcripſit *Lib.* XXI. *de Civ. D. Cap.* 12. *Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto majore impietate dereliquit Deum; & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe perimit bonum quod eſſe poſſet æternum. Hinc eſt univerſa generis humani maſſa damnata, quoniam qui hoc primitus admiſit cum ea quæ in illo fuerat radicata ſua ſtirpe punitus eſt, ut nullus ab hoc juſto debitoque ſupplicio niſi miſericordia & indebita gratia liberetur &c.* Cum quibus conferri ſolet *Enchirid. ad Laur. Cap.* XXVI. *Hinc poſt peccatum exul factus, ſtirpem quoque ſuam, quam peccando in ſe tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis & damnationis obſtrinxit; ut quicquid prolis ex illo & ſimul damnata per quam peccaverat conjuge per carnalem concupiſcentiam in qua inobedientiæ pœna ſimilis retributa eſt naſceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloreſque diverſos, ad illud extremum cum deſertoribus angelis vitiatoribus & poſſeſſoribus & conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium &c.* Unde & primo loco habet *Pererius*; *At enim graviſſimum fuit illud peccatum, ſi penſes damnum ex eo conſecutum, id eſt, jacturam tot*

tantorumque bonorum nunquam deinceps recuperandorum & tot tantorumque malorum quæ peccatum illud peperit necessitatem. Neque damnum illud proprium modo fuit illorum hominum, sed universi generis humani &c. Sicut & *Bellarminus* in hoc effectu peccati disputationem hanc claudit; *Peccatum in eadem specie tanto majus est, quanto pluribus nocet. Nullum autem fuit unquam peccatum, quod pluribus noceret quam peccatum Adæ. Si quidem universum genus hominum damnationi addixit, &c.* Rem istam vero heic supponimus magis quam probamus ex professo.

CAPUT TERTIUM.

Quo de Adamo cum & præ Muliere Transgressionis primæ Reo disseritur.

Peccantis personæ consideratio etiam necessaria est.

Atque sic vidimus quidem Factum fœdissimum à quo omnis humana miseria fluxit. Sed & in Facientem hominem oportet studiosius oculos nostros conjicere; ut mali nostri autorem distincte cognoscamus qua talem, nostræque hinc fluentis miseriæ æquitatem simul agnoscamus. Ubi adeo agendum est, non de Angelis lapsis, qui Naturæ ejusdem communionem nobiscum non habent, & ex quorum hinc lapsu noster per se non sequebatur; sed de Muliere & Adamo, quibus æque communis fuit Esus de Arbore interdicta cum connexa Malitia omni, quam Natura Humana & nostrum omnium progeneratio.

Quæ primò fuit Mulier.

II. Cœpit utique scelus à Muliere, quæ se Dei Lege & Fœdere juxta Adamum obstrictam agnovit suo ad Serpentem primo responso *Gen.* III. 2. 3. uti tanquam creatura rationalis non potuit à Dei imperio morali eximi, & Adamo proposita Fœderis stipulatio ad vitæ sociam ex ipso nascituram & futuram generis integri matrem omnino quoque pertinuit, juxta ea quæ diximus *Lib. II. Cap. 7. & 8.* De hac utique *Muliere*, האשה / fert Moses, ante ullam adhuc factam Viri mentionem similem, post alia ad tentationis historiam spectantia *Gen.* III. 6. *& sumpsit de fructu ejus & edit*, ותקח מפריו ותאכל / καὶ λαβοῦσα ἀπὸ, vel ἐκ, τ καρπ αὐτ ἔφαγε apud LXX. *& tulit de fructu illius & comedit* apud *Vulgatum &c.* Nec ignoravit Mulier dein factum suum pessimum, pudore & metu juxta Adamum correpta magno; sed & fassa est idem *vers.* 13. *serpens seduxit me & edi*, & audiit hinc divinam Judicis sententiam *vers.* 16. Et spectavit

vit huc Paulus cum dixit 1. *Tim.* II. 14. ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε, sive ultimâ illa phrasis ad reatum propriæ transgressionis spectet, sive ad viri insecutam seductionem qua dein scelus suum magnopere adauxit ipsa; utique ex eo urgens necessariam subjectionem sub viro, juxta sententiæ divinæ in eam argumentum. Unde & *Siracides* dixit *Cap.* XXV. 29. ἀπὸ γυναικὸς ἀρχὴ ἁμαρτίας, καὶ δι' αὐτὴν ἀποθνήσκομεν πάντες, quem locum *Augustinus* quoque cum aliis Veteribus laudavit. Et constat, quam collationem Evæ cum Maria ex hoc ipsius scelere inter alios fecerit *Irenæus Lib.* III. *Cap.* 33. *Consequenter autem & Maria virgo obaudiens invenitur dicens, ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Eva vero inobediens, non obaudivit enim, adhuc cum esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam virgo tamen adhuc existens &c. inobaudiens facta & sibi & universo generi humano causa facta est mortis; sic & Maria habens prædestinatum virum & tamen virgo obaudiens, & sibi & universo generi humano causa facta est salutis &c. Sic autem & Eva inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem &c.* Uti hanc eandem collationem latius adhuc persecutus est *Lib. V. Cap.* 19. *Quemadmodum quæ jam viro destinata erat Virgo Eva per Angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum prævaricata verbum ejus, ita & jam sub viro Virgo Maria per Angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est ut effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem, æqua lance dispositâ virginalis inobedientia per virginalem obedientiam &c.* Quæ tamen non nisi cum prudenti interpretatione videtur accipienda, etiam in vocabulo illo *advocata*; ex quo hoc posito sensu *patrona* nondum sequi specialem intercessionem & invocationem Mariæ in cœlis, sed quod tamen hoc poni longe verius pro *consolatrice*, optime cum aliis monuit *Joh. Ernestus Grabe*, tum ex vi vocis Græcæ παράκλητος, sensum consolandi non minus quam intercedendi admittentis, tum ex *Tertulliano*, qui etiam pro *consolari lugentes Jes.* LXI. 3. dixit *advocare languentes Lib.* IV. *c. Marcion. Cap.* 14. Enimverò quod prima per Esum fructus vetiti transgressa Dei Legem sit Mulier, id ex Serpentis in eam Tentatione fluxit indubie

bie, per quam peccandi proxima occaſio ipſi ante virum oblata fuit; uti communiter in eo quoque obſervant Theologi Satanæ aſtutiam, quod Mulierem præ Viro, & quidem ſolam, ſit aggreſſus, tanquam vas debilius, de quo deinde ſuo loco agetur. Etiamſi non ſit illa Mulieris virtus nimium minuenda, nec Viri perinde augenda, acſi ille à Satana ſeduci non potuiſſet; ſicuti hoc utrumque fieri videtur apud *Auguſtinum Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 42. *Illud magis movet, ſi jam ſpiritalis erat Adam, quamvis mente non corpore, quomodo credere potuerit, quod per ſerpentem dictum eſt, ideo Deum prohibuiſſe ne fructu ligni illius veſcerentur, quia ſciebat eos ſi feciſſent futuros ut Deos propter dignoſcentiam boni & mali, tanquam hoc tantum bonum creaturæ ſuæ creator inviderit; hoc mirum, ſi homo ſpiritali mente præditus credere potuiſſet. An quia hoc credere ipſe non poſſet, propterea Mulier addita eſt, quæ parvi intellectus eſſet, & adhuc fortaſſe ſecundum ſenſum carnis, non ſecundum ſpiritum mentis viveret, & hoc eſt quod ei Apoſtolus non tribuit imaginem Dei &c. Non quod mens fœminæ eandem imaginem capere non poſſit, cum in illa gratia nos dicat nec maſculum eſſe nec fœminam; ſed quod fortaſſis illa hoc nondum perceperat quod ſit in agnitione Dei, & viro regente ac diſpenſante paulatim fuerat percepturæ &c.* Dum tamen agnoſcit *Pererius*; *Quod ſi per Evam Adami conſtantia non fuiſſet labefactata, alias nihilominus rationes oppugnandi Adamum, initurum fuiſſe Dæmonem, nihilque intentatum atque intactum relicturum quo eum poſſet ex illo felicissimo ſtatu deturbare.*

Apud hanc ſi ſubſtitiſſet peccatum, non videtur reatus ad poſteritatem fuiſſe ſpectaturus.

III. Quid vero, ſi heic ſubſtitiſſet Mulieris Tranſgreſſio, nec ejus tranſgreſſæ tentatio apud Virum ſequelam ſimilis tranſgreſſionis habuiſſet? An rei in hac communi matre etiam fuiſſent poſteri, vel omnes vel aliqui, atque hinc corruptioni peccaminoſæ & pœnæ ſubjecti, vel non? Ita ab ævo rogatum fuit per curioſitatem haud admodum utilem, ubi Divina providentia ſapientiſſima alium ordinaſſe eventum deprehenditur. Et reſpondent aliqui affirmative; quia ex Muliere non minus tanquam matre communi quam ex Adamo tanquam patre originem omnes trahunt homines, & matrum vitia ſingularia æque quam patrum ad liberos tranſire deprehenduntur, quin & conditio fructus etiamnum ex ventre ſolet æſtimari. Quod & deducere ſolent *Papiſtæ* ex ſupra citato *Siracide* dicto, Ἀ αὐτὴν ἀπεθάνομεν πάντες, uti notavit inter alios *à Lapide*; *Probabi-*

babiliter hinc colligunt nonnulli Theologi, ex Eva ſola peccante, etiamſi Adam non peccaſſet, omnes tamen poſteros contracturos fuiſſe peccatum originale, licet alii contrarium ſentiant cum S. Thoma &c. Dum ad illum locum apocryphum ſpectans *Auguſtinus Lib. I. de Peccat. Mer. Cap.* 16. dixit; *Sive à Muliere ſive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet, quoniam Mulier ex Viro eſt, & utriuſque caro una eſt &c.* Et hoc verè dici debet, quod non tantum *à Muliere ſit factum initium peccati*, ſed *& per illam omnes moriamur*, quatenus ipſa Virum quoque ſeduxit ad malum. Nos utique nihil in Scripturis legimus de Eva poſteros omnes aut quoſdam repræſentante in primo fœdere, quod ante hanc creatam cum Adamo videtur initum fuiſſe, ſed de ſolo Adamo ut Capite totius generis humani, in quo lapſo illud cenſitum fuit, loquitur illa palam *Rom.* v. 12. *&c.* Unde rectius putamus eos judicare, qui à ſola Mulieris unius tranſgreſſione non audent poſteritatis exitium deducere. Sicuti *Pererius* habet *ad Quæſt. II. de Grav. Pecc. prim. Juſtitiæ originalis & immortalitatis amiſſio, neceſſitas moriendi & innumerabilia mala perpetiendi, contagioque peccati in omnem tranſfuſi poſteritatem, denique totius corruptela naturæ, non ob Evæ ſed Adami peccatum conſecuta ſunt. Si enim Adamus non peccaſſet, nihil peccatum Evæ aut ipſi Adamo aut poſteris ejus nocuiſſet.* Additque, illud *Siracidis* de morte omnium *per* vel *propter mulierem* intelligendum eſſe *occaſionaliter, non cauſaliter ſeu meritoriè.* Nec aliter ipſe *Bellarminus Lib.* IV. *de Amiſ. Grat. Cap.* 9. *Heva occaſionem dedit perditioni generis humani, ſed Adam vera ac propria cauſa fuit ejus perditionis. Nam ſi ſola Heva peccaſſet, non propterea corruptum eſſet genus humanum, ſiquidem per unius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, & in uno homine, Adamo videlicet, omnes peccaverunt Rom.* v. *&c.* Nec quidquam æquius videtur, quam ut ex patre cognito & legitimo, qui mulieris caput eſt, potius quam ex matre communi, æſtimetur poſteritas omnis apud Deum.

IV. Sed non ſubſtitit Eva in propria Sumptione & Eſu fructus vetiti; nam *& ſuo Viro*, Adamo ex quo ipſa formata, cui in conjugem data, à quo dilecta, & cui cum dilectione adhærens erat, *ſecum* unito vel eſuro, *dedit*, de ſumpto fructu, *etiam*, præter eſum proprium, ויתן גם לאישה עמה / καὶ ἔδωκε καὶ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς μετ' αὐτῆς apud LXX. *deditque viro ſuo* apud *Vulgatum.* Sicuti dein hoc Mulie- Sed dedit etiam Mulier Viro ſuo ſecum.

Digitized by Google

Mulieris factum pro se allegat Adam *vers.* 12. *Mulier quam dedisti mecum ipsa dedit mihi de arbore.* Et hoc quoque est in Viri sententia *vers.* 17. *Quia obedisti voci uxoris tuæ.* Notare heic ante omnia oportet verum sensum vocis עמה *secum*, cui respondere videtur in Adami sermone אשר נתתה עמדי *quam dedisti mecum.* Nempe solet illud referri ad conjunctionem personarum harum; vel per vinculum arctissimum matrimonii ejusque effectum; vel per habitationem ejusdem Paradisi; vel per loci in eo præsentiam, sive cum ederet Mulier apud Arborem, sive post esum illum cum ad Virum accessisset aut eundem advocasset ipsa; vel per sumptionem & esum fructus, sive successivum, ut juxta Mulierem & ad ejus exemplum ageret Adam, sive simultaneum, tum demum vel denuo edente Muliere quando Viro ad edendum dedit. Tam multæ autem dum sunt expositiones non incommodæ hujus vocis, liquet infirmitas argumenti, quod Judæos hinc petere pro præsentia Adami apud Evæ tentationem, antea ex *Fagio* audivimus. Utique ad loci præsentiam propinquam spectans *Piscator* vertit, *deditque etiam viro suo quum esset apud ipsam*; & annotavit simul, *puto cum supplemento dicendum, qui erat secum, hoc est, quam primum ille ad ipsam venisset, sermocinatione serpentis jam absoluta, & ut videtur Serpente jam elapso, quem tamen Deus postea in conspectum primorum parentum retraxit, quum & ipsi & illis pœnas esset denuntiaturus.* Simplicissima autem videri posset interpretatio illa, quæ illud *secum* ad societatem fructus sumpti & edendi refert, absque necessaria temporis ejusdem notatione; uti in hanc rem *Picherellus* notavit, *cum aliquando servire similitudini*, *coll. Eccles.* 11. 16. *Gal.* 111. 8. *Rom.* V111. 17. *&c.* atque *Clericus* nuper post traditas expositiones alias maxime acquiescit in hoc sensu, *æque ac*, *coll.* 1. *Paral.* xxv. 8. *& Eccles.* 11. 16. Quo magis esset hoc certissime propositum Mulieris in datione, ut sicut ipsa ederat ita etiam ederet Vir. Sed quando dein Adam ad descriptionem Mulieris simile quid adjecit, *quam dedisti mecum*, seu *quam dedisti mihi sociam* uti habet *Vulgatus*, dubito fere, annon præstet heic etiam עמי habere pro descriptione Viri, tanquam cum Muliere per naturæ humanæ communionem & conjugii vinculum arctissime uniti. Huic autem secum Viro quando *etiam* præter esum proprium *dedisse* fertur Mulier, manifestum est satis, id spectare ad Arboris interdictæ fructum de quo ipsa sumpserat & ederat, secundum proxime

ximè præmiſſam narrationem, & de quo conſequenter edit Adam. Cui minime repugnat, quod dein Adam dicit, Mulierem ſibi dediſſe *dè Arbore*; ſiquidem ea ipſa phraſis, in divino interdicto adhibita *Gen.* 11. 17. omnino ad ejus fructum, ſive per præpoſitionem ſive per metonymiam in nomine nos ducit. Ut non debuerint Judæi ex iſta Adami dictione nugari, quod cum Adam conſtanter recuſaret eſum fructus ſibi ab uxore oblati, ipſa tandem *avulſo ramo ſive baculo ex Arbore tam diu maritum percuſſerit donec comederet*; uti ex *Orach Chajim Cap.* 11. narrat *Joh. Buxtorfius Synag. Iud. Cap.* xv. ubi in rationem Lucernarum Sabbathinarum à Mulieribus accendendarum inquirit. Nec eſt quidquam præterea clarius, quam *dationem* hanc fructus vetiti fuiſſe conjunctam cum verbo, non imperii, ſed rogationis & commendationis, præcipue quidem per ea quæ ipſa de hac Arbore audiverat à Serpente & viſu ſuo in eadem obſervaverat, ſed & dein per ſuavitatis minime hactenus nocentis experientiam propriam. Neque enim adeò facilis in lapſum præ Muliere debet cenſeri Adam, ut ipſe ſola oblatione fructus ad eſum fuerit motus; dum Mulier illud indubie adduxit ad ipſum movendum quo ipſa mota fuerat prius, & quod per adhibitum numerum pluralem ad Virum quoque ſpectabat. Qua de re ut nequeamus amplius dubitare, facit generatim Dei illa vox *verſ.* 17. *quia obediiſti voci uxoris tuæ*, & ſpeciatim Dei inſecuta irriſio *verſ.* 22. *ecce homo*, vel *Adam, factus eſt ſicut unus ex nobis, cognoſcendo bonum & malum*, quæ manifeſte ad vanam ejus exſpectationem ex Satanæ voce ſpectat Unde & *Auguſtinus* dixit *Lib.* xi. *de Gen ad lit. Cap.* 30. *Dedit viro ſuo ſecum, fortaſſis etiam cum verbo ſuaſorio, quod Scriptura tacens intelligendum reliquit*, addens tamen, *an forte nec ſuaderi jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non eſſe cernebat?* Contrarium vero minime aſtruitur ſolidè per abbreviatam mentionem *dationis* ſolius, utpote per quam *vox* addita & dein à Deo ipſo memorata minime excluditur; dum alia multiplex vox Mulieris, quam fuit illa Serpentis ad Mulierem & ad illam per eventum ſpectans, à *Pererio* aliiſque inaniter ſomniatur. Hoc autem peſſimum Mulieris factum in Virum omnino etiam occaſionem dediſſe videtur Judæorum nugamentis de priori ante Evam uxore Adami moleſtiſſima *Lilith* ſeu *Lilisha*, matre dæmonum & ſpirituum malignorum, quam ex *Ben Sira* & ex *Speculo Ardente* exhibet *Joh. Buxtorfius Synag. Iud. Cap.* iv. &

adversus quam nocturnam dæmoniſſam puerperas cum fœtu ſuperſtitioſe à Judæis præſervari ibidem addit.

Quo animo & inſtituto hoc egerit Mulier.

V. Quid autem ſit illud, quæritur, quod Mulierem impulit, ut de fructu Arboris vetitæ etiam Viro ſuo daret ſumendum & edendum. Non defuerunt ſane, qui putarent, Mulierem jam ſenſiſſe ipſam tranſgreſſionis ſuæ malum & infelicitatem in quam ſic lapſa erat, ſed declarato aut diſſimulato hoc ſenſu noluiſſe ſolam eſſe miſeram, vel viro & poſteritati invidiſſe oppoſitam beatitatem. Quod videntur eduxiſſe ex tranſgreſſionis malo fructu immediato, quem non potuit non videre mulier, in primis cum Dei ſimilitudinem contrariam in cognitione boni & mali ipſa non experiretur; itemque ex familiari peccantium praxi, qui alios quoque pellicere & aliis invidere ſolent. Hinc eſt, quod *Judæi in Orach Chajim* apud *Buxtorfium* conſiderant Evam, tanquam quæ *certiſſimis indiciis agnoſcens ſibi moriendum eſſe* virum ſuum quoque voluerit mori, dixeritque etiam, *ſi mihi moriendum eſt mecum moriaris oportet.* Sicuti in *Capitulis R. Eliezer Cap.* XIII. hoc etiam deprehendimus paulo aliter, quod ante actum dè eventu bono vel malo dubitans Eva dixerit accedens ad Arborem; *Forſan jam moriar, & Sanctus Benedictus parabit illi aliam uxorem, ſed dabo quoque Adamo & cauſa illi ero ut edat mecum, ut ſi moriamur ambo ſimul moriamur, ſi vivamus ambo quoque in vita maneamus.* Et videtur fere tale quid ſupponi ab iis, qui cum *Pererio* loquuntur, tum de *nimiis* Evæ *blanditiis*, tum de *importunis* ejus *precibus*, imo *triſtitia & mœrore* præ quibus *nunquam tranquillo & hilari animo foret* niſi Adamus ederet; viam illuc ſternentibus Veteribus, qui cum *Auguſtino* putarunt ad avertendam Evæ triſtitiam & ne contabeſceret ipſa prorſus Adamum de fructu ediſſe vetito. Enimvero longe mihi fit veriſimilius, non ſimpliciter in ſui ipſius ſolatium ex miſeriæ ſocietate exſpectatum, nedum ex malo invidoque in Virum & in poſteritatem animo, ex quo fonte tentaverat Satanas, ſed ex conjugali affectu operatam heic eſſe Mulierem, ut ejuſdem boni præſentis in uſu præſtantiſſimi fructus, & futuri quoque in ſimilitudine Dei per illum, particeps ſecum fieret Vir. Et hoc ſatis clare innuit Moſes, quando poſt conſummatum Viri Eſum demum utriuſque tam Mulieris quam Viri oculos refert apertos fuiſſe ad agnitionem ſuæ nuditatis *verſ.* 7. quam ergo nec antea Mulier agnovit. Nempe eo uſque per peccandi impetum & Dei judicium cohibiti fuere oculi tam Mulieris quam Viri,

Digitized by Google

Viri, quæ hactenus quoque videbat se non mori ex esu, & promissam Dei Similitudinem adhuc exspectavit tanquam fructum qui non ipso esus momento sibi debebat contingere sed forte paulo post. Nec malè adeo *Pererius; Quia post esum fructus vetiti experta fuerat se non esse mortuam, credidit verum fuisse quod ei Serpens dixerat, nequaquam moriemini. Unde spem etiam concepit, verum fore alterum illud ejusdem serpentis promissum, eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Qui & ulteriorem conjecturam nequaquam improbabilem addidit; *An illud quoque credibile est, Serpentem Mulieri suasisse, ut Maritum ad edendum adduceret? locutus enim est pluraliter dicens, si comederitis, & eritis, denuncians non posse tantum bonum alteri sine altero contingere.* Utique est absque adaucta Mulieris culpa per animum malum in Adamum satis magna *ignominia primi delicti & invidia perditionis humanæ*, quam a luctum & pœnitentiæ habitum Mulieribus in memoriam vocans *Tertullianus*, simul addidit gravissimas voces; *Tu es Diaboli janua, tu es Arboris illius resignatrix, tu es Divinæ Legis prima desertrix, tu es quæ eum persuasisti quem Diabolus aggredi non valuit, tu Imaginem Dei hominem tam facile elisisti, propter tuum meritum, id est mortem, etiam Filius Dei mori habuit, Lib. I. de Cultu Femin. Cap. I.*

Viri insecutus Esus de Fructu Vetito ad dationem & vocem Mulieris.

VI. Enimvero *& edit* Adam, ויאכל / καὶ ἔφαγον pluraliter apud LXX. *qui comedit* apud *Vulgatum*; licuti dein ad Dei interrogationem, an de Arbore interdicta edisset, habemus confitentem reum *vers.* 12. *Mulier quam dedisti mecum ipsa dedit mihi de Arbore & edi*, atque sententia Dei in Virum amplius nobis rem istam exponit *vers.* 17. *quia obedivisti voci uxoris tuæ, & edisti de Arbore de qua præcepi tibi dicendo, non edes de ea &c.* Quando heic solus iterato memoratur *Esus* absque Sumptionis mentione, non hoc ipso significatur, Mulierem Viro fructum in os ingessisse invito vel volenti absque interveniente manuum hujus usu; sed exprimitur tamen, Adamum non sumpsisse fructum de Arbore eundem carpendo vel avellendo, uti videtur egisse Mulier, cui à Serpente commendatum sed neutiquam datum eum esse legimus, verum accepisse ab uxore seu adductum seu oblatum. Utique putavit Adam, sic minui admodum suam culpam; qui tamen sciebat, Esum fructus qualemcunque sibi directe vetitum esse, & ut videtur omnem ejus tactum ad edendum. Edit autem, non ex sola contemplatione præstantiæ fructus oblati, aut ex Mulieris absque damno eden-

tis exemplo nudo, aut ex ſimplici curioſitate experiendi quid tandem de hac Arbore & divino circa eum interdicto foret, nedum ex perverſiſſimo amore conjugis à qua plane ſeparari aut quam ſolam miſeram eſſe nollet, ſecundum ea quæ latius diximus *Cap. II. §. 2. 3.* ſed potiſſimum ex uxoris ſuæ perſuaſione valida, cujus ille hinc *vocem* id ſuadentem dicitur à Deo *audiviſſe*, perceptione attentione & ſequela actuali, ſeu quod idem eſt ei *obediviſſe*. Etiamſi autem vocis iſtius argumentum non expoſuerit nobis directe Moſes, non poſſe tamen dubitari antea monuimus etiam, quin fuerit in rei ſubſtantia idem quod Mulier à Serpente audiverat, de non ſecutura ad Eſum Morte ſed Similitudine Dei; quoniam nulla poterat efficaciori ratione Eſus ille urgeri, hac ratione imbuta & affecta admodum erat Mulier, ea in numero plurali tanquam ad utrumque hominem ſpectans à Serpente erat propoſita, & ejus conſcientiam in Adamo prodit Dei irriſio *verſ.* 22. Neque conſequenter dubium eſſe debet, quin non ſciens prudenſque ſed in Infidelitatem & Superbam Ambitionem ſeductus, immediate à Muliere mediatè à Serpente, dici queat & debeat ediſſe Adam; non obſtante dicto Pauli 1. *Tim.* II. 14. ἀδὰμ οὐκ ἠπατήθη, ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε, cujus ſenſum uno vel altero modo reſtringendum eſſe monſtravimus *Cap. II. §. 3.* Dum utique omnis ſeductio ab Adamo peccante abſolute arceri non poteſt, ſi vel ille ediſſe judicetur ex Mulieris amore, aut ex perſuaſione veniæ propter hunc obtinendæ, aut ex opinione Mortis non ſecuturæ propter vitam uxoris durantem. Quo modo locuti ſunt ab ævo Patres, cum *Ignatio ad Trall.* ἔχ Διαβόλε γάρ εἰσιν ἐφόδια ἔχ κρυπτὰ ὄφεως, ἔχ δὲ τὴν γυναῖκα ἀπατήσαντο Ἀδὰμ τὸν πατέρα ἔχ γένος ἡμῶν, cum *Irenæo Lib. III. Cap. 37. ab altero enim ſeductus Adam ſub occaſione immortalitatis*, cum *Epiphanio Har.* XXXVIII. *Cajan.* ἐπειδὴ γὰρ αὐτὸς ὁ Διάβολος τῷ φθόνῳ ἀπατᾷ τὴν δι' ὧν τὸν ἀδὰμ, ἔπειτα αὐτὸν ἐπέων λέγων, καὶ φιλίαν πρόσχημα ἐνδεικνύμενος, cum *Ambroſio Cap. IV. de Parad. mulier enim prior decepta eſt & virum ipſa decepit, &c.* Hoc adhuc addi poteſt, quod per hoc, quod Adam dicitur ſimpliciter *ediſſe* & *obediviſſe voci uxoris* ſuæ, inſinuetur haud obſcure; tum facilis ſatis conſenſus Adami, abſque longa aut difficili adverſus ſcelus reluctatione, quam nec Adamus ipſe nec Moſes alias tacuiſſet; tum & facilitatis illius occaſio, quod eſſet ſeducens vox & actio Mulieris, quam generis & vitæ ſociam

ipſe

ipse Deus illi dederat, & à qua nihil mali poterat exspectare, quod nec in ipsa post esum observabat hucusque. Quo respectu observare passim solent hanc per Mulierem Tentationem Adami fuisse graviorem illa Mulieris per Serpentem; licet non desint alii, qui de Mulieris hoste tanquam fortiori & de Viri aggressore tanquam longe debiliori quoque differant, cum *Ambrosio*.

VII. Ad hunc Viri Esum, non autem Mulieris illum, spectavit omnino Paulus, quando de Uno Homine & Uno ejus Peccato disseruit *Rom.* v. 12. *&c. coll.* 1. *Cor.* xv. 21. 22. ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον *&c.* ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος *&c.* εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον *&c.* καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα, τὸ μὲν γὰρ κρῖμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα *&c.* εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνός *&c.* ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα *&c.* ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοὶ *&c.* Quem locum cum historia Mosaica, Mulieris etiam & quidem ante Virum lapsæ per eandem cum Viro inobedientiam, conciliaturi, Theologi multi observare solent Unitatem Adami & Evæ, non modo Naturalem per ejusdem humani generis communionem, sed & Conjugalem, secundum quam hi duo arctissime uniti erant facti in carnem unam, *coll. Gen.* II. 24. *&c.* Muliere tanquam inferiori potius comprehensa sub Viro, quam hoc superiore sub muliere, uti & *Hebræos non solere* γυναικολογεῖν *per feminas* heic annotavit *Grotius*. Ita cum aliis *David Pareus*; *Unus ille homo fuit Adam cum conjuge Heva, sexu duo, natura unus, conjugio una caro, & una peccaverunt, mulier seducta à serpente & vir inductus à muliere. Ambo igitur censentur unus homo, etiam apud Mosen dicente Deo, faciamus hominem ad imaginem nostram. Sic non est necesse disputare, Adam an Heva hic intelligatur, tametsi non negandum præcipue hominem marem intelligi, quia vir caput mulieris, & quia propagatio ad virum pertinet.* Sed dubito tamen, an hoc sit satis solidum, quando unio conjugum non tollit personarum pluralitatem; nec vel Evæ peccatum Adamo vel Adami scelus Evæ potest tribui ex isthoc fonte, dum heic-

Locus Pauli de Uno Unius Hominis Peccato tanquam perditionis omnis causa, ad Adamum, non ad Evam, spectans declaratur.

heic & de Adamo ut uno homine & de una hujus inobedientia manifeste agitur, nec Adamus cum Eva sed ipse solus Christum repræsentavit in oppositione ad electos per eum justificatos. Mihi hinc longe magis placet aliorum observatio, de Peccati in mundum ingressi atque Mortis transitu ad omnes loqui Paulum, qui non debet Mulieri sed Adamo imputari tanquam cum quo Fœdus Dei immediate fuit initum, & qui omnes alios præ muliere repræsentavit. Quo pacto *P. Fagius* heic notavit; *Emphasin habet, & comedit. Nam Mulieris prævaricatio nihil ad posteritatem attinuisset, sed transgressione Adæ, etiam qui non ad similitudinem illius peccarunt, peccato & morti obnoxii redditi sunt. Nam in hoc tanquam capite tota natura humana dum præceptum daretur erat.* Et jam antea vidimus, quomodo ex hoc principio etiam *Pererius* & *Bellarminus* asserant; *Si Adamus non peccasset nihil peccatum Evæ aut ipsi Adamo aut posteris ejus fuisse nocitura.* Sicuti *Bellarminus de Amiss. Grat. Lib. IV. Cap.* 13. *omnes* dicit *convenire, peccatum proprie dictum non fuisse trajiciendum in posteros si sola Heva peccasset &c.* quod ex Adamo ut unico posterorum omnium principio activo ipse illic deducit. Unde tamen minime debet educi, quod ipsa peccati naturalis corruptio vel per Adamum solum Evâ excluſa, vel per patres dein solos matribus excluſis, propagetur; uti aliqui male illuc progressi sunt

Utrius peccatum, Adamian Evæ, gravius sit dicendum.

VIII. Tangenda adhuc paucis est quæstio familiaris quidem sed minus forte gravis, *Utrius Peccatum Gravius fuerit, Adami an Evæ?* uti eam proponit *Pererius.* Ubi sunt qui comparatione facta minuunt culpam Viri præ illa Mulieris; quatenus ille peccavit posterior, incitatus à muliere ipsa, absque alterius ad peccandum activo impulsu, non sumpto fructu de Arbore, nec ex infidelitate adeo aut superbia uti addunt quam quidem ex amore in uxorem aut spe veniæ propter hunc. Quam sententiam, *plerisque Scholasticorum in Sec. Sentent. Dist.* XXII. tributam à *Bellarmino*, commendant autoritate *Chrysostomi*, qui postquam disseruisset de Adamo tanquam qui ἀπατήθη καὶ παρελογίσθη παρὰ τῆς πονηρᾶς δαίμονος, subjicit in ostensione divinæ benignitatis *Homil.* VII. *ad Pop. Antioch.* Καὶ σκέψαι θεοῦ χηδεμονίαν, οὐκ ἐκάλεσε τὴν ἔναν, οὐκ ἐκάλεσε τὸ ὄφιν, ἀλλὰ τὸν ἀπάντων κυρίως ἁμαρτηκότα, τοῦτον εἰς τὸ δικαστήριον εἰσάγει πρότερον, ἵνα ἀπὸ τῆς δυναμένης συγγνώμης ἀπολαύσῃ πρὸς ἀξίαν, ἧττον εἰσῆγε τὸν ψῆφον, &c. Sed & alii augent scelus

Ada-

Adami præ Evæ facto malo; quatenus cum Adamo ipso expressius Fœdus suum Deus inierat, atque ille tanquam donis uberioribus consideratur instructus, & potestas ipsi competebat in formatam ex se uxorem quam hinc à malo omni avocandam potius quam in eo sequendam habebat, & ab ipso pendebat totum genus humanum, & quæ plura forte addi possent, præter ea quæ ex examine Dei post commissum peccatum & ex pœna insecuta tam hinc quam inde adduci solent. Dum vix ad Mulierem solam pertinent plurima, quæ *Cajetanus* habet, ad *primum humani generis peccatum* considerandum malè tanquam *minimum; tum ex radice, affectu libertatis, tum ex ratione peccandi, appetitu assimilationis ad superos, tum ex re appetita, scire, tum ex specie actus exterioris, comedere fructum arboris bonum & pulchrum, tum ex causa peccati, seductione, tum ex conditione peccantis, quia mulier, tum ex Lege violata, quia positiva.* Illa autem de Muliere levius peccante sententia, quam & *Bellarminus* suam facit, laudatur nomine *Ambrosii Instit. Virg. Cap.* IV. *Mulier excusationem habet in peccato, vir non habet. Illa à sapientissimo omnium serpente decepta est, tu à muliere, id est, illam superior creatura decepit, te inferior, &c. Culpa tua illam absolvit. Si de merito culpæ dubitas, interrogemus sententiam, quandoquidem si Adam quod à Domino Deo audierat servare non potuit, quomodo potuit servare Mulier quæ audivit à Viro? Si illum Dei vox non confirmavit, quomodo istam vox firmaret humana? Denique Adam conventus, quod contra divina quæ coram audierat præcepta gustasset, nihil habuit quod diceret nisi quod sibi Mulier dedisset &c. Quanto major Mulieris absolutio? Ille arguitur, hæc interrogatur. Adde illud, quod & prior culpam fatetur. Etenim quæ se dicit esse seductam, testatur errorem &c. In judicio ipso quanto clementior mulier viro? Ille mulierem suam accusavit, ista serpentem; hoc est, nec accusata crimen retorsit, sed ipsum accusatorem maluit si posset absolvere quam ligare &c.* Enimvero fuit revera idem peccatum Adami & Uxoris, tam externum quam internum, sicuti & in verbis Mulieris, *serpens seduxit me & manducavi*, observavit *Augustinus imparem* quidem *sexum* sed *parem factum*, *Lib* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 35. Atque hactenus illud quidem æquale in ipso opere malo potest ex alia atque alia consideratione utrumque gravius & levius recte dici. Ita ut consideratio Adami tanquam Capitis repræsentantis præ Eva totum genus humanum præter Christum,

quod hinc in ipso lapsum est, jubeat in primis Adami facinus præ illo Evæ detestari. Vide amplius, si placet, *Bellarminum*, qui post expositos septem actus malos viri & fœminæ sed non omnino eosdem subjicit; *Jam vero si conferamus actus ipsos malos inter se, inveniemus peccatum viri æquale esse, aut aliquanto gravius peccato mulieris. Si conferamus personas peccantes, inveniemus in multis peccatum viri esse gravius, in pauciſſimis gravius esse peccatum mulieris &c. Actus igitur mali per se considerati magis virum quam mulierem damnant. Quod si personas consideremus, aliasque actuum illorum circumstantias, longe clarius apparebit, majorem viri quam fœminæ culpam esse judicandam, &c.*

CAPUT QUARTUM.

Quo Modus declaratur Humani Lapsus, & neutiquam Deo sed Homini ipsi Culpam ejus tribuendam esse, monstratur.

Textus Salomonis de Origine Mali breviter illustratur.

Certissima pariter & utilissima est ista Salomonis post justam attentionem observatio, quam nos etiam bene vult tenere, *Eccles.* VII. 29. *quod fecit Deus hominem rectum, & ipsi quæsiverint inventiones*, vel *cogitationes*; vel *ratiocinia multa*, vel *magna*, vel forte *multorum*, aut *magnorum*. Spectat ista indubie ad *Hominem* primum, seu jam unum Adamum, seu hunc cum Uxore collective, dum nomini האדם respondet pronomen הוא plurale juxta verbum עשׂו / plane sicut fit quoque *Gen.* I. 26. 27. in quo etiam omnis posteritas sic repræsentata fuit; quandoquidem post initium illud Rectitudo memorata homini per sanctissimum Dei judicium in formatione sua non amplius tribuitur. Istum autem *Hominem Deus* pro sapientia & potentia sua non tantum *fecit*, sed & eundem pro bonitate & sanctitate sua fecit *Rectum*, seu Divinæ Imagini & Gloriæ convenientem, per Sapientiam & Sanctitatem decentem, secundum vim vocis ישר / antea à nobis expositam *Lib. II. Cap.* V. §. 11. & 17. Sed perditio ipsius fuit à primo homine ipso cum uxore sua, quando hi *ipsi*, non autem posteri demum multiplicati, בקשו חשבונות רבים / ἐζήτησαν λογισμοὺς πολλούς, apud LXX. seu *ipse se infinitis miscuit quæstionibus* secundum *Vulgatum*. Quas ipsas voces red-

Digitized by Google

reddidit quidem *Chaldæus* in fine, *& ipſi quæſiverunt ut invenirent rationes multas ad inducendum plagam ſuper habitatores terræ*; ſed & præmiſit poſt memoratam creationis primæ rectitudinem, *& Serpens & Eva ipſum ſeduxerunt ad edendum de fructibus arboris, de cujus fructibus comedentes ſapiunt ad cognoſcendum inter bonum & malum, & effecerunt ut irrueret in eum dies mortis & in omnes habitatores terræ*, ut ſic oſtendat quorſum ſpectet. Ducit autem illa locutio non communiter ad laudabile aut illaudabile aliquod ſcientiæ humanæ augmentum, oppoſitum rudi ſimplicitati; ſed vel ad Scientiam ipſam Divinam, quæ magni illius Dei ſimulque multa & magna eſt, quam prorſus illaudabili modo affectarunt primi homines, uti volunt Viri quidam Docti; vel ad viam variarum cogitationum vanarum, quæ illos ad affectationem Divinæ illius ſapientiæ duxit, & quam à Serpente moniti ſolicite quæſiverunt, uti ſtatuit cum pluribus quoque *Cl. Coccejus*; q. d. *converterunt ingenium ſuum ad ratiocinationes aut colores excogitandos, cur facere contra monitum Dei neque pro gravi peccato neque re periculoſa haberent*. Cujus tamen conjecturas additas neſcio an perinde probare debeamus; *Fingere enim poſſumus, Evam primitus verbum Dei de abſtinentia certi fructus ita accepiſſe, quaſi is fructus venenatus & peſtifer per ſe etiam tactu eſſet, deinde hac opinione ei demta exiſtimaſſe, quod Deus voluerit hunc fructum ἰσοθέν ſapientiæ differre, neque eſſe adeo periculoſum ante tempus tantum bonum conſequi, &c.*

Ea in Status primi Mutabilitate & Arbitrii Humani Indifferentia primum eſt quærenda.

II. Verum haud parum difficultatis habet, quo pacto Homo Rectus non tam ad Actum externum Peccati quam quidem ad Infidelitatis Superbiæ & Gulæ motus internos, ac connexa cum his vitia alia, potuerit prolabi. Quæ res ab ævo magna exercuit ingenia, nec aliter expediri generatim poteſt, quam juſta conſideratione Mutabilis ſeu Amiſſibilis in homine æque quam in Angelis Divinæ Gratiæ, Libertatiſque ſimul Arbitrii quæ in ipſo ut creatura rationali obtinebat, cujuſque reſpectu *Siracides* dixit *Cap.* xv. 14. 15. ἀυτὸς ἐξ ἀρχῆς ἐποίησεν ἄνθρωπον, καὶ ἀφῆκεν ἀυτὸν ἐν χειρὶ διαβουλίου ἀυτοῦ, ἐὰν θέλῃς συντηρήσεις ἐντολάς, καὶ πίστιν ποιῆσαι εὐδοκίας, ſeu, *Deus ab initio conſtituit hominem & reliquit illum in manu conſilii ſui, adjecit mandata & reliquit illum in manu conſilii ſui, adjecit mandata & præcepta ſua, ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere*, uti pro Græ-

eis illis eſt illic apud *Vulgatum*. Nempe poſſedit Homo per creationem ad Dei Imaginem Sapientiam & Sanctitatem habitualem; ſed conſervationem ejuſdem perpetuam & excitationem neceſſariam ad actus omnes non promiſerat illi Deus, ſicut nobis in media imperfectione noſtra eam pollicetur; nec abſque promiſſo per naturales ſuas perfectiones aut per æternum conſilium eandem illi debebat, qui aliter in illo poterat & volebat glorificari. Unde erat in actibus ſuis tam Sapientiæ quam Sanctitatis liber homo, non modo ut tanquam creatura rationalis cum rationali ſpontaneitate & electione propria operaretur, quod & modo agunt peccatores in inſuperabili ſervitute peccati & in immutabili ſanctitate cœlites; ſed etiam ut ſecundum ſapientiam & ſanctitatem ſuam ac adverſus hanc utramque agere poſſet ab ea deficiendo, adeoque ad utrumque ſe convertere oppoſitorum, ſecundum eam ſpeciem Libertatis quæ Indifferentiæ Moralis dici ſolet. Ad cujus rei illuſtrationem adduxerunt dudum Magni Theologi ſimilitudinem Lancis ſeu Bilancis in Æquilibrio, quæ apta nata eſt tam horſum ferri quam illorſum. Quæ quidem ſimilitudo heic per omnia nequaquam locum habet, quandoquidem durante Integritate ad bonum unice actu determinatus fuit Adam, nec vel ad momentum creatura rationalis in ſtatu moralis indifferentiæ cogitari poteſt; ſed unice hinc reſtringi debet ad poteſtatem hominis ſe tam in malum quam in bonum determinandi continuo, ſub cura & ductu tamen communi & ſpeciali Divinæ Providentiæ. Qualem Libertatem heic in Homine primo etiam cum aliis ſpectavit nimis valide loquens *Tertullianus Lib. II. c. Marcion. Cap.* 5. *Liberum & ſui arbitrii & ſuæ poteſtatis invenio hominem à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in illo animadvertens quam ejuſmodi ſtatus formam. Neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expreſſus eſt, ſed in ea ſubſtantia quam ab ipſo Deo traxit, id eſt, animæ, ad formam Dei reſpondentis, & arbitrii ſui libertate & poteſtate ſignatus eſt. Hunc ſtatum ejus confirmavit etiam ipſa Lex tunc à Deo poſita. Non enim poneretur Lex ei, qui non haberet obſequium debitum Legi in ſua poteſtate; nec rurſus comminatio Mortis tranſgreſſioni adſcriberetur, ſi non & contemptus Legis in arbitrii libertatem homini deputaretur.* Imo quam Libertatem Adami ita prædicat *Auguſtinus*, ut ejus culpabilem abuſum heic ſolum taxet, tum alibi, tum *Cap.* XI. *de Corrept. & Grat. Sic*

&

Digitized by Google

& Hominem fecit cum Libero Arbitrio, & quamvis ſui futuri caſus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. In quo ſtatu recto ac ſine vitio ſi per ipſum Liberum Arbitrium manere voluiſſet, profecto ſine ullo meritis & infelicitatis experimento acciperet illam merito hujuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinem qua & ſancti Angeli ſunt beati, id eſt, ut cadere non poſſet ulterius & hoc certiſſime ſciret &c. Quia vero per Liberum Arbitrium Deum deſeruit, judicium Dei expertus eſt, ut cum tota ſua ſtirpe quæ in illo adhuc poſita tota cum illo peccaverat damnaretur, &c. Sicuti brevius idem dixit *Enchirid. ad Laur. Cap.* xxx. *Libero Arbitrio male utens Homo & ſe perdidit & ipſum.*

Modus quo inde Lapſus proceſſiſſe videtur.

III. Hoc vero, quod de Amiſſibilitate Sapientiæ & Sanctitatis atque Arbitrii juncta Indifferentia in Adamo primo dictum eſt, quodque ex eventu planiſſime conſtat, generatim præmiſſo, cogitandum eſt ſpeciatim; ad primum Humani Lapſus initium non niſi minimum actum aliquem averſionis à Deo & converſionis ad Serpentem fuiſſe neceſſarium, quem facile exciperet porro ulterior receſſus, per interveniens quoque averſi Dei judicium. Quam in rem faciunt etiam illa *Auguſtini Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 13. *Spontaneus eſt autem iſte defectus, quoniam ſi voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut videret & accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc tenebreſceret, & frigeſceret, ut vel illa verum crederet dixiſſe Serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem &c.* Nempe exigebat Deus ab homine obedientiam curatiſſimam & adhæſionem arctiſſimam; nec vel minima adverſa cogitatio in ipſo poterat oriri, quin per eam ex alto felicitatis faſtigio præceps fieret in exitii barathrum, & reus ſimul coram Deo conſtitueretur, qui eum hinc juſtiſſime non retraheret ſed ſineret pro peſſimo lubitu labi quo vellet & quo ferret impetus inſanus. Ergo nihil eſt ut cogitemus citius in Homine peccante quam ſubitam cum voluptate aliqua attentionem ad vocem Tentatoris, quæ ab attenta Dei & Fœderis ejus conſideratione ipſum ad illud momentum avocavit; & quam in mutabilis felicitatis ſtatu potuiſſe obrepere abſque priori radice aliqua malæ concupiſcentiæ, neutiquam mirabitur qui ad ſuam rite attenderit propriam naturam ubi hæc per gratiam Dei inſignem magnopere etiam reformata eſt. Effecitque tum porro

porro haud difficulter iſta ad vocem unam attentio indecens cum alterius neglectu culpabili, ut, Deo deſinente illuminare & ducere ex veteri more, laberetur Homo in eos mentis errores & affectus pravos ſe mutuo trahentes, unum poſt alium, ex quibus tandem externum quoque ſcelus provenit. Ut prudenter intelligi debeat interrogatio *Auguſtini Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 30. *Quando*, vel *quomodo, his verbis crederet Mulier a bona atque utili re divinitus ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda?* ita ſcilicet, ut ille amor propriæ poteſtatis & ſuperba præſumtio non anteceſſerint vel tentationem omnem Serpentis, vel attentionem ad eam, ſed hanc utramque demum ſint ſecuta. Nec male adeo peccati hujus proceſſum expoſuit *Cl. Coccejus Sum. Cap.* XXVII. §. 27. *Vacavit ſermoni vano. Is excuſſit memoriam verbi Dei & timorem, quo ſervaret ordinem & nihil ſine Deo auderet. Allubuit non tantum bonum oſtentatum, hujus enim appetitus maxime naturalis eſt, ſed & Dominium & ἐξουσία ſive poteſtas in bonum, ut adipiſcendum proprio arbitratu & ope. Ad hanc ἀνυπευθυνίαν poteſtatem abſolutam ſtatim voluntas non ſatis frenata timore Dei adhinniit. Hinc* Διαλογισμοὶ *ratiocinationes, & ut Sapiens dicit Eccleſ.* VII. 29. חשבונות רבים / λογισμοὶ πολλοὶ *cogitationes plures. Voluntas enim non ſatis munita timore & perſcrutatione verbi titillata libidine apparentis boni prima defecit, & pro charitate concupiſcentiam admiſit, imperavitque intellectui, ut rationes ad conſummandam tranſgreſſionem comminiſceretur. Tentata à Deo* (annon æque recte legendum *adeo?*) *à diabolo, ſe ipſa denique tentavit Mulier; ut tentaret Deum, atque periculum faceret patientiæ & potentiæ atque omnium virtutum ejus in re illicita, quæ debebat periculum facere bonitatis ejus in obedientia & timore &c.*

Culpa Lapſus hujus Homini ipſi eſt tribuenda omnino.

IV. Conſequitur ex dictis, Culpam Lapſus hujus veram unice Homini ipſi eſſe tribuendam. Ille ſcilicet ſuo Dei Lege & Fœdere erat conſtitutus, cujus ſtipulationi lubenter & merito ſubſcripſerat. Ille contra Legem eam & ejus Adſtipulationem fœderalem perfide egit prorſus. Ille hoc egit cum propria animi lubentia, procul intrinſeca quadam naturæ neceſſitate, qualis eſt in irrationalium creaturarum motibus, & procul omni externa coactione, cui neque voluntas ſubeſt dum eligit. Et quis tandem coëgiſſet Hominem ad volendum & faciendum malum? Non ſane Corporis aliqua neceſſi-

ceſſitas; iſti enim ſatis valido & ſplendido per abundantiam Paradiſi ſufficientiſſime abſque una Arbore Scientiæ erat proſpectum. Non item aliquis Mentis defectus; iſta enim erat prorſus integra, & viam aliam conſummatæ felicitatis habebat perſpectam. Non etiam Fructus ipſe vetitus; ille enim nec ſe ipſum cum impetu in os hominis ingeſſit nec in illud ingeſtus eſt ab alio quoquam, ſed ſumptus manibus propriis & eſu lubenti porro abſumptus fuit. Non ſimiliter Serpens; iſte enim poteſtatem vel potentiam iſtam in Hominem non habuit, nec aliter quam externa ſuaſione operatus eſſe deprehenditur, quæ ipſa humani arbitrii libertatem comprobat in peccando. Non tandem Deus ipſe; is enim ſeveriſſime interdixerat, eique non obediit ſed reluctatus eſt homo peccans, nec admittit porro Dei intaminata ſanctitas ut ullam vel minimam mali labem ipſi affricemus. Et loquitur etiam à poſterioti ipſa divina vindicta, cui Lapſus Humani Culpa ſit imputanda; quando hæc exercita quidem eſt in Serpentem ob indecoram mali ſuaſionem, ſed ſimul in Hominem ob ejus perpetrationem, nec injuſtus debet fingi Deus qui pœnam decernat & inferat inſonti creaturæ. Nil ergo mirum, quod *ipſos* homines heic accuſavit Salomon cum Dei excuſatione *Eccleſ.* VII. 29. quodque *Adami* fœdus tranſgreſſi mentio fiat *Hoſ.* VI. 7. *&c.* Sicuti hinc Hominem ut ſuæ perditionis autorem per abuſum liberi arbitrii paſſim conſiderant Veteres cum *Auguſtino*, qui etiam hac de re ſubtilius philoſophatur *Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 13. *Non enim malum opus factum eſt, id eſt, illa tranſgreſſio ut cibo prohibito veſceretur, niſi ab eis qui mali jam erant. Neque enim fieret ille fructus malus niſi ab arbore mala. Ut autem eſſet arbor mala, contra naturam factum eſt, quia niſi vitio voluntatis quod contra naturam eſt non utique fieret; ſed vitio depravari niſi ex nihilo facta natura non poſſet. Ac per hoc ut natura ſit, ex eo habet quod à Deo facta eſt, ut autem ab eo à quo facta eſt deficiat, ex hoc quod de nihilo facta eſt. Nec ſic defecit homo, ut omnino nihil eſſet, ſed ut inclinatus ad ſe ipſum minus eſſet, quam erat cum ei qui ſumme eſt inhærebat. Relicto itaque Deo eſſe in ſemet ipſo, hoc eſt, ſibi placere, non jam nihil eſſe eſt, ſed nihilo propinquare &c.*

Non autem Deo, vel quod Hominem fecerit Mutabilem.

V. Enimvero, cum ſoleat caro corrupta Deum in culpæ hujus ſocietatem omni niſu trahere, ſi non eandem integram in ipſum tranſcribere queat, & cum vetus ſit doctrinæ noſtræ ſanctiſſimæ calum-

calumnia, quod non tantum qualemcunque ſed veram propriam & unicam mali omnis cauſam faciamus ipſum Deum; non poſſumus, quin culpam omnem heic paulo diſtinctius arceamus ab iis Dei actibus, qui heic in conſiderationem venire poſſunt & veniunt frequenter. Qualis actus eſt ante omnia, quod *Deus fecerit Hominem Mutabilem*, quem immutabiliter rectum haud minus facile creare potuiſſet ab initio; *talem, inquiunt, faceret hominem qui nollet omnino peccare*, apud *Auguſtinum Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 7. Sed hæc res omnis, quam eſt certa, partim per eventum, partim per Dei ſufficientiam, tam parum facit ad culpæ aliquid Deo affricandum. Hoc ipſo enim, quod fecit Deus Hominem Mutabilem, ponitur ipſum feciſſe Rectum & abſque actuali vitio ullo; quod ſequitur quidem dein ex mutabilitate, ſed non per ſe, nec neceſſario, verum per intervenientem ab homine arbitrii propriam determinationem perverſam, abſque divina ad perverſitatem ipſam cooperatione. *Ecce*, inquit *Auguſtinus*, *nos concedimus meliorem eſſe naturam quæ omnino peccare nolit, concedant & ipſi non eſſe malam naturam quæ ſic facta eſt ut poſſet non peccare ſi vellet, & juſtam eſſe ſententiam qua punita eſt quæ voluntate non neceſſitate peccavit.* Si dicas, hominem tamen non fuiſſe peccaturum niſi mutabiliter bonus eſſet factus; nihil ſic probabis, niſi quod Deus pro potentia ſua peccatum omne procul potuiſſet arcere ex mundo, quod eſt extra omnem plane controverſiam. Dum in eo Dei conſilio, de homine primum creando mutabiliter bono, obſervarunt ab ævo Divinæ Libertatis & Sapientiæ & Bonitatis gloriam factam per eventum longe magis conſpicuam, quam ſi in immutabili prorſus rectitudine ab initio homo eſſet creatus. Quam in rem ſatis notabilia ſunt verba *Auguſtini Lib.* XXII. *de Civ. D. Cap.* 30. *Nam primum liberum arbitrium quod homini datum eſt, quando primum creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare; hoc autem noviſſimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non ſuæ poſſibilitate naturæ, &c. Servandi autem gradus erant divini muneris, ut primum daretur liberum quo non peccare poſſet homo, noviſſimum quo peccare non poſſet, atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit iſta natura, quum peccare potuit, largiore gratia liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit &c.* Et perinde ea quæ leguntur *Enchirid. ad Laur. Cap.* CV.

Sic

Digitized by Google

Sic enim oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle posset & malè, epostea vero sic erit, ut male velle non possit &c. Sed ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale quod etiam peccare possit, quamvis sit melius quod peccare non possit; sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit, in qua posset etiam mori, quamvis major futura sit in qua non possit mori. Confer porro, si placet, cum hac nostra doctrina vera de Hominis prima Mutabilitate communem illam *Papistarum* de Concupiscentia Homini in ipsa creatione indita, quæ per superadditum frænum aureum Justitiæ Originalis fuerit compescenda, & sic manifeste pro vitiosa agnoscitur, secundum Dei Legem expressam cui adversatur. Et vide tum, quo pacto Deus per eam vere ipsius illius vitii causa constituatur, æque quam transgressionis quæ inde per se fluxit, non obstante remedio addito, adversus quod tanquam insufficiens malum in eventu prævaluisse sane deprehenditur.

Vel quod Lapsum ejus immutabiliter ab æterno decreverit.

VI. Secundo adversus Deum heic urgetur, quod mutabilis ita creati *Hominis Lapsum* ille *decreverit*, & sic ad Lapsum eundem plane determinaverit æterna & immutabili sua voluntate, cui nulla creatura resistere queat. Et est ista vere nostra doctrina, quam Scriptura & Ratio ipsa invicte probant. Siquidem hinc constat, à Dei independentis & plane immutabilis consilio æterno fluere omnia quæ in tempore sunt & fiunt quocunque modo, etiam maxima, minima, & pessima, *coll. Act.* IV. 27. 28. *Eph.* I. II. *&c.* Unde non potest ab hoc Decreto eximi primus Adami Lapsus, qui malí omnis reliqui fons est, & necessario supponitur in omni consilio & opere Gratiæ novæ quam in Mediatore Homini lapso Deus præstat plane certo & immutabiliter, *coll. Rom.* XI. 32. *&c.* Verum hoc simul bene tenendum est, quod Decretum Dei de Malis communiter, adeoque etiam de hoc primo Adami Lapsu speciatim, non sit aut à nobis constituatur Effectivum, sed Permissivum tantum & Directivum, per quod voluit illum sinere fieri ad suam gloriam, convenienter naturæ rationali & statui mutabili Adami, adeoque per hujus liberam electionem; qui etiam nec noverat Dei hoc de se consilium ullatenus, nec vel ejus exsequendi intuitu peccavit, vel ei se opponere ab altera parte minimum conatus est. Atque sic apparet, per Decretum hoc manere Deum extra omnem culpam, nisi eam in Permissione quæsiveris temere, de

qua mox agetur. Quid vero, ſi tu *Pelagiano* more urſeris, non Decretum ſed Præcognitum tantum à Deo eſſe Lapſum Adami cum aliis peccatis omnibus? Sic ſane, ſi Præcognitio illa certa erit qualis Deum decet & ex Decretis de gratia lapſis conferenda neceſſaria deprehenditur, intrinſeca aliqua in Homine peccandi Neceſſitas debebit agnoſci, quam Deus pro infinita ſua perſpicacia obſervet & quæ in Deum hominis creatorem cum illa neceſſitate rurſus erit refundenda, ad ipſius graviſſimam accuſationem. Non poſſum quin addam heic quæ *Tertullianus* habet *Lib.* II. *adv. Marcion. Cap.* 5. *O canes quos foras Apoſtolus expellit, latrantes in Deum veritatis, hæc ſunt argumentationum oſſa quæ obroditis. Si Deus bonus & præſcius futuri & avertendi mali potens, cur hominem & quidem imaginem & ſimilitudinem ſuam, imo & ſubſtantiam ſuam, per animæ ſcilicet cenſum, paſſus eſt labi de obſequio Legis in mortem, circumventum à diabolo? &c. Quod ſi evenit, abſolutum eſt, è contrario Deum neque bonum credendum, neque præſcium, neque potentem, &c. Ad hæc prius eſt iſtas ſpecies in creatore defendere quæ in dubium vocantur, bonitatem dico & præſcientiam & potentiam &c. De Præſcientia vero quid dicam? quæ tantos habet teſtes quantos fecit prophetas. Quamquam quis præſcientiæ tumulus in omnium auctore, qua univerſa utique diſponendo præſciit & præſciendo diſpoſuit. Certe ipſam tranſgreſſionem; quam niſi præſciſſet, nec cautionem ejus delegaſſet ſub metu mortis. Igitur ſi & fuerunt in Deo iſtæ facultates præ quibus nihil mali evenire homini aut potuiſſet aut debuiſſet, & nihilominus evenit, videamus & hominis conditionem, ne per illam potius evenerit quod per Deum evenire non potuit. Liberum & ſui arbitrii & ſuæ poteſtatis invenio hominem à Deo inſtitutum &c.*

Vel quod Legem Homini dederit quam tranſgrederetur.

VII. Tertium Divinæ accuſationis caput eſt, quod non obſtante Mutabilitate Hominis & ſua Lapſus Præſcientia *Legem Homini dederit*, non Moralem tantum ſed & Symbolicam illam, adverſus quam facile peccare poſſet, quæque peccati ſic foret occaſio quin & incitatrix; uti de hac re etiam antea aliquid occurrit *Lib. II. Cap.* IX. §. 7. Verum quis tu es, ô homo, qui per tuam malitiam Deo vis eripere ſuum imperii ſupremi jus? qui tua contumacia illi vis legem figere, ne tibi ullam ferat? & qui ſic tibi ſumis poteſtatem, non tantum in te ipſum, ſed & in tuum Creatorem & Dominum, peſſimo perfidiæ inauditæ ſcelere? Utique adver-

adverſus ea facta leges ferunt homines, quæ fiunt & cognoſcunt futura, non autem adverſus ea de quibus futuris nullus eſt metus; & ſi vel ex occaſione interdicti humani fiat tranſgreſſio citius aut magis, id minime Legiſlatori ſed transgreſſoris malitiæ imputandum eſt. An aliter ergo heic de Deo judicandum eſt? cui, non obſtante præviſione humanæ malitiæ, prorſus integrum imo & decentiſſimum fuit creaturæ ſuæ rationalitet præeſſe, officium decens ei monſtrare, & ſic ejus neglectum quoque palam prodere. Imo vero, nec foret homo Mutabilis, nec Deus vere præſcius Lapſus ejus, niſi Lex à Deo ferretur à qua deficere & labi ille poſſet; ut per hanc firmentur illa duo priora, & ſic amiciſſime cuncta inter ſe conſpirent. Vide etiam *Pererium Quæſt.* IV. *ad Gen.* II. 16. 17.

VIII. Quarta accuſatio Dei major eſt, quod data Lege qua à Lapſu avocaret *Tentationem Hominis permiſerit* tamen Serpenti; quæ ſi non contigiſſet, vel prorſus non vel ſaltem non tam cito & facile lapſus eſſet Homo, & quæ directe fecit ad id ut Homo laberetur. Sed per hanc ipſam accuſationem juſtificatur Deus, quando non ipſe proprie tentavit hominem, qui ſumme bonus eſt, ὁ δὲ θεὸς ἀπείρατός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ οὐτὸς ἕνα Jac. I. 13. &c. ſed tantum ſivit ipſum tentari liberrime ab alia creatura mala, quæ ſic magnopere ſuam adaugeret culpam quoque. Enimvero talis erat hæc Tentatio integra ad malum, ut homo viribus ſufficientibus adverſus eam à Deo eſſet inſtructus, & ſic ea homini ad virtutis exercitium ac laudem majorem cedere poſſet viribus ſuis rite utenti, nec damnum ullum ipſi adferre niſi ſponte concedenti in malum ad quod tentabatur. Unde nulla ex Tentatione erat peccandi in Homine neceſſitas; quam Deus hinc abſque ulla ſua culpa fieri ſiviſſe debet dici, etiamſi nos hujus Divini conſilii ſapientiſſimam rationem non haberemus perſpectam, præeunte *Auguſtino Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 4. *Si ergo quæritur, cur tentare permiſerit hominem, quem tentatori conſenſurum eſſe præſciebat, altitudinem quidem conſilii ejus penetrare non poſſum, & longe ſupra vires meas hoc eſſe confiteor; eſt ergo aliqua cauſa fortaſſis occultior, quæ melioribus ſanctioribuſque reſervatur, illius gratia potius quam meritis eorum.* Nihil interim *Auguſtinus* iniqui vidit in illa tentationis Permiſſione *Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 27. *Ac per hoc propter meritum primæ malæ voluntatis ita damnato atque obdurato Angelo malo, ut jam bo-*

Vel quod tentari eum à Serpente ſiverit.

nam voluntatem ulterius non haberet, bene utens Deus cur non permitteret, ut ab illo primus homo, qui rectus hoc est bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur? quandoquidem sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret, si autem creatorem atque adjutorem Deum superbe sibi placendo desereret, vinceretur &c. Imo ex adverso rationes & ipse dedit permissæ à Deo hujus Tentationis varias. Qualis minus rectè petitur ab aliqua animi in Adamo *elatione comprimenda*, cujus apud tentationis Satanicæ successum plus quam semel meminit *Augustinus*, ut pote quæ ante Tentationem in Adamo integro locum nullum habuit; sed tum à mutabilitate prima hominis sic declaranda; tum à virtute ejus sic exercenda, juxta illud *Augustini Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 4. *Sed tamen quantum vel donat sapere vel sinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet, cum & in natura posse & in potestate habeat velle non consentire suadenti, adjuvante tamen illo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, cur itaque tentari non sineret quem consensurum esse ipse præsciebat altitudine quidem consilii ejus? cum id facturus esset propria voluntate per culpam, & ordinandus esset illius æquitate per pœnam, ut etiam sic ostenderetur animæ superbæ ad eruditionem futurorum sanctorum, quam recte ipse uteretur animorum voluntatibus etiam malis, cum illæ perverse uterentur naturis bonis, &c.* uti & similem permissionem tentationis universi generis humani præsentem confert *Cap.* 6. tum denique à promovenda per tentationis hujus & effectus ejusdem permissionem multiplici gloria Dei, inprimis gratiæ & misericordiæ ipsius infinitæ, de qua etiam loquitur *Augustinus*, tum *Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 27. *quum igitur hujus futuri humani casus Deus non esset ignatus, cur enim non sineret invidi angeli malignitate tentari, nullo modo quidem quod vinceretur incertus, sed nihilo minus præscius quod ab ejus semine adjuto sua gratia idem ipse diabolus fuerat sanctorum gloria majore vincendus, ita factum est, ut nec Deum aliquid futurorum lateret, nec præsciendo quemquam peccare compelleret, & quid interesset inter propriam cujusque præsumptionem & suam tuitionem angelicæ & humanæ rationali creaturæ consequenti experientia demonstraret &c.* tum *Cap.* X. *de Corrept. & Grat. Deus igitur permisit hominem tentari quem sciebat esse casurum, quia simul videbat se eo casu uti posse ad misericordiam & justitiam declarandam,*

dum

dum ex damnata maſſa alios juſte puniet alios miſericorditer liberabit &c.

Vel quod Gratia cum ſua à Lapſu in tentatione non cohibuerit.

IX. Majus adhuc pondus putatur heic reperiri in accuſatione Dei quinta, quod in Tentatione ſeu *fecerit* ſeu *fiverit Hominem ſuccumbere*, & quidem plane neceſſario, negando ei ſuam gratiam neceſſariam qua reſiſteret & perſtaret, tum habitualem tum actualem, adeoque per concurſum & præcurſum ad ipſum actum malum illum prorſus determinando. Uti autem nihil horum eſt, quod ſecundum Scripturam & rationem poteſt negari, niſi *facere* illud ad efficientiam mali peſſime traxeris; ita neque hinc culpa aliqua Dei recte educitur. Is enim, cum dediſſet Gratiam Homini Habitualem, per quam ſtare poſſet conditionibus Fœderis quæ ſic neutiquam erant ſupra ejus vires, ad dandam perpetuo Gratiam Actualem, ſeu actibus Adami ſingulis addendam bonitatem moralem, vel ad dandam Gratiam Habitualem, qua actu & immutabiliter contra omnes tentationes perſtaret, neutiquam tenebatur; vel per ſuam ſummam perfectionem, quam alio modo & vario ſucceſſivo gradu declarandam ſibi eſſe judicavit ipſe ſapientiſſimus & liberrimus Dominus poſt imaginem ſuam ſatis integrè primo homini in creatione collatam; vel per Hominis Naturam, quam in ſummo gradu immutabiliter mox perfici à Deo non fuit neceſſum; vel per Fœderis promiſſionem, quæ ſe ad operandam in homine ſtipulationis præſtationem heic non extendit, uti dein in Fœdere Gratiæ obtinet. Utique hoc concedendum eſt, Deum etiamnum minime teneri ad operandum in homine bonum omne quod ei præcipit, cum alias vel peccata nulla fierent, vel horum omnium culpa in Deum foret refundenda; ſecundum ea quæ etiam diſputavimus *Lib. II. Cap.* VII. §. 6. Quod ſi verum eſt, ex iſta Permiſſione Divina Lapſus humani ſequitur quidem infallibiliter Culpa Hominis ſub Lege conſtituti & malum volentis, ſed nulla Culpa Dei, etiam dum actionem qua talem operatur, ad malum per gratiam ſuam cohibendum non obligatus inſtar hominum. Ex iſto nempe fonte, quod ipſe non tantum Lege omni hominibus lata de malo impediendo ſit ſuperior, tanquam abſolutus Dominus; ſed & quod malo limites ponere ſemper & ex eo maximum bonum educere queat pro ſcientia potentia & bonitate ſua ineffabili. *Quapropter ſaluberrime confitemur*, inquit *Auguſtinus* Cap. x. *de Corrept. & Grat. quod rectiſſime credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia*

bona valde, & mala ex bonis exortura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere quam mala esse non sinere, sic ordinasse angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratia beneficium justitiaque judicium. Et adduxit in hanc rem optime etiam Cl. *Wissius* istam *Clementis Alex.* observationem *Lib.* 1. *Strom.* Μέμφεται γοῦν ὁ θείας οἰκονομίας, τὸ μὴ ἐάσαι ἢ ἐξ ἀποστάσεως ἐκκόψαι φυῆσαν κακίαν ἄχρηστον καὶ ἀνωφελῆ μόνιμον, μηδὲ μὴν τὸ πάντα βλαβερῶν αὐτὴν γενέσθαι, ὁ δὲ θείας σοφίας καὶ ἀρετῆς ἢ δυνάμεως ἔργον ἐστὶν, ὃ μόνον τὸ ἀγαθοποιῶν, φύσις δὲ ὡς εἰπεῖν αὐτὴ ὃ θεῖον ὡς ὃ πυρὸς τὸ θερμαίνειν καὶ ὃ φωτὸς τὸ φωτίζειν, ἀλλὰ κἀκεῖνο μᾶλλον, τὸ δεῖ κακῶν ἢ ἐπινοηθέντων πρός τινων ἀγαθήν τινα καὶ χρησὴν πάλιν ἀποπλοῦν, καὶ ὠφελίμως τοῖς δεκτοῖς φύλοις χρῆσθαι, καθάπερ καὶ τῷ ἐκ πειρασμοῦ μαρτυρίῳ.

Vel denique quod inter peccandum Gratiam suam priorem Homini abstulerit.

X. Sexta tandem est Dei accusatio, quod ipse non tantum Gratiam ad standum necessariam Adamo negaverit, sed & *Gratiam* priorem, qua Intellectus erat ante illuminatus & Voluntas ad bonum affixa, *abstulerit ab Adamo*, sic in Lapsus consummatam necessitatem ipsum conjiciendo. Sed peccandi necessitas absque ulla coactione & libertatis arbitrii sublatione longe prior est hac gratiæ ablatione, etiam ex negatione gratiæ ulterioris & ex ipsa divina præscientia fluens, dum aliam necessitatem heic non agnoscimus in plena voluntatis humanæ libertate. Nec abstulit Deus Gratiam suam Adamo prius concessam, nisi postquam per primum peccati actum eâ indignissime fuisset abusus, absque gratitudine decenti pro ea & precatione ob eam continuandam. Ut hac in parte Deus cœperit judicium suum justissimum exercere dum ad tentationem Serpentis laberetur homo, quod post lapsum est consummatum, prorsus auferendo judicialiter sapientiam & sanctitatem in qua hominem creaverat; sicuti has Dei vias etiam circa homines peccatores, in privandis eis illa seu externa seu interna gratia quâ possessa se dignos non gerebant, debemus agnoscere & justificare quotidie, *coll. Psal.* LXXXI. 12. 13. *Jes.* VI. 9. 10. XXIX. 13. 14. *Rom.* I. 24. 26. 28. *&c.* Antecedenter autem ad aliquem peccati actum Deum abstulisse aliquid Gratiæ habitualis Adamo antea concessæ, dici nec debet nec potest, quia ipse sic propriam suam in homine destrueret imaginem, & pœnam immeritam creaturæ innocuæ inferret, quod nos credimus esse magnopere absonum. Etiamsi vero ad has Dei

accu-

Digitized by Google

accusationes omnes pro voto respondere & nos expedire non possemus, docere tamen humana & Christiana modestia nos deberet nostri accusationem & Dei excusationem ab omni labis participatione. Atque hactenus admodum nobis placent verba *Cel. Cocceji de Fœd. Cap.* III. §. 62. *Peccavit Adam voluntarie, h. e. volens illum actum quo Deus ipsi interdixerat, permittente Deo, h. e. non dante gratiam per quam certo vellet, quod poterat, obedire, & sancte ad peccati actum concurrente, non vero habitum malum infundente vel peccatum in homine operante. Bona enim operatur Deus in nobis, non mala. Hic subsistimus, credentes divinis oraculis, ne, si in arcanis Dei libere voluntatis sanctam motionem & gubernationem, quæ Deus non revelavit quæque captum nostrum superant, russpemur, opprimamur à gloria & in tenebras à luce ἀπροσίτῳ inaccessa repellamur. Quod solet iis evenire qui volunt supra quam revelatum est intelligere, quæ in quantum revelata credenda, & in quantum nostra singulorum vel universorum hominum ingenio imperscrutabilia sunt, cum Dei glorificatione admiranda & religiose ignoranda sunt.*

CAPUT QUINTUM.

Quo de Serpente Seductore hominis agitur.

Non obstante liberrimo Adami Lapsu, Moses prodidit narratione sua Serpentem, qui Hominem seductione sua ad eundem pellexit. Fert enim ipse de *Serpente*, quod semel & iterum verba fecerit ad Mulierem, quæ verbis primum & dein factis malis illi quoque respondit *Gen.* III. 1. 2. 4. Et accusavit dein Mulier eum non tantum apud Deum *vers.* 13. *Serpens seduxit me*; sed & Deus in *Serpentem* sententiam gravissimæ maledictionis tulit ob eandem causam *verss.* 14. 15. Neque dubitari potest quin huc respiciat, & Paulus 2. *Cor.* XI. 3. ὡς ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, & Johannes *Apoc.* XII. 9. 14. 15. XX. 2. ubi non modo ὁ ὄφεως simpliciter mentio est, sed & ὁ ὄφεως ὁ ἀρχαῖος, & ὁ δράκοντος, & ὁ δράκοντος ὁ μεγάλος, tanquam inimici Dei & electorum hominum summi, ὁ πλανῶντος τὴν οἰκουμένην ὅλην, ὁ κατηγόρος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, ὁ πλανήσαντος τὰ ἔθνη &c. Serpentis seductione Lapsus est Homo.

II. Nec improbabiliter ex hujus quoque Seductionis primæ per Ser- Inde mata Idololatria

In Serpentes, & hæresis Ophitarum.

Serpentem memoria, quam integram fere ex Sacerdote Peguano *Grepoſo* exhibet *Tobias Pfannerus Theol. Gent. Cap.* VII. deducitur; tum Draco poma aurea ſervans in Heſperidum hortis; tum Serpentum cultus, tam apud gentes alias, quam apud Ægyptios, quem inter alios *Athenagoras* ipſis exprobrat *in Legat. pro Chriſt.* nec damnatum à Romanis urget Octavius apud *Minucium Felicem*, uti in hanc rem conferri meretur Serpentis Æſculapii hiſtoria ex *Valerio Max. Lib. I. Cap.* 8. tum & Bacchicorum Orgiorum ritus & ululatus, quem ex *Clemente Alex.* adduximus *Cap. I.* § 2. uti & hic ipſe nomen *Euæ* collatum cum Chaldæo & Syriaco חוא ad notionem Serpentis traxit, *ἀντίκα γὰρ τὴν ἀκειβῆ τῶν ἰδεφίων φωνὴν τὸ ἔνια δασυνόμενον ἑρμηνεύειν ὄφις ἡ ἡλεια.* Utique nec prætermittere heic poſſumus veteres Hæreticos *Ophecs*, vel *Ophianos*, vel *Ophitas*. De quibus poſt præmiſſam hominis ſeductionem juxta alia habet *Theodoretus Hær. Fab. Lib. I. Cap.* 14. Ἀφ' ὅτι τῶν τὴν ἀρχὴν προκυνοῦσι τὸ ὄφιν, ὃν ἐπῳδαῖς τισι καταθέλξαντες ἐν σηρίοις τρέφουσι, καὶ τῇ πλατῇ τῶν μυστηρίων αὐτῶν μυστηρίων τοῦτον τῇ τραπέζῃ προσφέρουσιν, ἐπιβάντος ὁ αἰτῶν τὸν ἄρτον ὡς ἡγιασμένων μεταλαγχάνουσιν. Uti ſcripſit haud diſſimiliter *Auguſtinus de Hæreſ. Cap.* XVII. *Ophitæ à colubro nominati ſunt, coluber enim ὄφις dicitur &c. Sed habent etiam verum Colubrum, quem nutriunt & venerantur, qui & incantante Sacerdote egreditur de ſpelunca & aſcendit ſuper altare innixum ſpelunca, & oblationes eorum lambit, & involvens ſe circa eas regreditur ad ſpeluncam, & ita confringunt oblationes in Euchariſtiam &c. Tradunt hujus Serpentis cultum à Nicolaitis ſive Gnoſticis ad iſtos deductum.* Lege de his etiam latius apud *Irenæum Lib* I. *Cap.* 34. & *Tertullianum de Præſcript. Hæret Cap.* XLVII. & *Epiphanium Hær.* XXXVII. qui eos deliria ſua & impietates quoque monet accepiſſe ἀπὸ τῶν ὀφιανῶν καὶ γνωστικῶν καὶ τῶν περὶ τούτων αἱρέσεων. Obſervavit autem de hac Hæreſi *Lamb. Danæus*; *Maxime in Ægypto ut alias multas viguiſſe, ex cujus regionis & gentis idololatria & moribus initium videtur ſumpſiſſe. Ægyptii enim ibes, crocodilos, & hujuſmodi ferarum genera pro diis habuerunt, atque etiam tunc colebant, ut docent M. Tullius Cicero, Plutarchus, Juvenalis Satyra* XIV. *& alii, quorum exemplum hi ſecuti draconem ſerpentemque venerati ſunt, alio quidem quam Ægyptii prætextu, ſed tamen Serpentem, i. immanem & homini funeſtiſſimam beluam &c.*

Nomen Hebræum

III. Nomen Hebræum apud Moſen heic conſtanter adhibitum eſt

est הנחש / apud *Onkelosum* חויא / ὁ ὄφις *serpens* apud LXX. & *Vulgatum*; observante ad hanc vocem *Vatablo*, quod *Hebraice sit Articulus præpositus* ה *emphasin habens, q. d. ille serpens, ut intelligamus Mosen loqui de Serpente noto.* Est utique hoc Nomen communissimum Serpentis in Scriptura, etiam in historia deserti *Num.* XXI. 7. 9. *&c.* quod, aliquando etiam redditum per δεῖκνυται, ob notionem *experiendi, conjectandi, augurandi &c.* in Verbo נחש / refert cum *Joh. Forstero* etiam *Conrad. Kircherus*, ad *curiosam observationem, tentationem, insidias, & experientiam* serpentis; dum *Joh. Avenarius*, simul spectans ad notionem vocis נחשת *æris*, dicit per illud designari *Serpentem qui in tergo quasdam æquei coloris lineolas habet, & nomen accepit ab auguriis, adjuratus enim usurpatur in auguriis.* Interim *Cel. Bochartus* monuit *Hier. Lib. I. Cap. 3. palam esse, verbum Hebræum* נחש *à serpentibus duci*, adductis ὀφιομαντείας exemplis plurimis. Quod & sequitur *Joan. Clericus*, adversus *Grotium* de tentatione ad verbum illud differentem disputans; *At Verbum ipsum videtur Nomini potius originem debere suam, & proprie* ὀφιομαντείαν *seu divinationem ex serpentibus ductam, unde & ad alias divinationis species translatum sit, significasse.* Atque dein *Bochartus* ab Arabica origine, *infaustum esse & mali ominis* significante, ipsum Nomen נחש deducit, *cum ut serpentis occursus primis parentibus infelix fuit ita etiam à posteris pro ominoso & infausto habeatur &c. Lib. I. Cap. 9.* Unde & in *Indice* ipsi *videtur primi hominis animus in ipso statu beatitudinis tanquam futuri mali aliqua ex parte præsagus hoc illi nomen indidisse, aut post lapsum imposuisse.* Cui iterum se opponit *Joh. Frischmuth*; quod in Hebræa voce non sit ס sed *w* / quod in lapsu demum protoplastorum Serpentis occursus ominosus esse cœperit, quodque animalis hujus denominatio ab *augurando, ingeniose conjectando*, vel *curiose observando*, non tam ad aliquod accidens quam ad naturam & proprietatem ejus faciat, ipso alias fatente *Bocharto*, *nomina Ebræa animalium nisi certa ratione ex natura rei petita.* Quomodocunque autem se habeat nominis hujus origo, non potest magnitudo aut species Serpentis ex illa solide definiri. Ut plane nugentur Judæi, quando *Cameli magnitudinem* huic Serpenti tribuunt apud *Maimonidem More Neb. Part* II. *Cap.* 30. & *R. Eliezerem Cap.* XIII. sed non minus illi *Papistarum*, qui Serpenti huic *Virgineum vultum* ex *Beda* tribuunt; dum alii eorum disputant, vel pro *Vipera* cum *Delrione*, vel pro

Serpentis נחש exponitur.

Scytale cum *Pererio*, quam deſcribit *Solinus Cap.* xxxix. *tanta præfulgentem tergi varietate ut notarum gratia videntes retardet, & quoniam reptando pigrior eſt quos aſſequi nequit miraculo ſui capiat ſtupentes*, vel pro *Dracone ingente & alato* ſeu etiam *Baſiliſco* cum *Eugubino*, quem deſcripſit quoque *Plinius Lib. VIII. Cap.* 21. tanquam *candida in capite macula ut quodam diademate inſignem &c.* vel pro alia multiplici ſerpentum ſpecie diſtincta. Certe, ubi Moſes commune nomen adhibuit, quod alibi perinde legitur, abſque ullo ſpeciei aut ſingularis ἐξοχῆς indicio, non debemus nos heic extraordinariam aliquam formam fingere, ſed apud animal illud reptile communiter quoque ſubſiſtere, quod tam notum eſt à ſua forma & magnitudine varia quam celebratum ab aſtutia & venenato morſu, quæ in Moſis contextu etiam occurrunt.

Serpentis ſeducentis hominem irriſio vetus & nova vaniſſima.

IV. Enimvero quem locum in hominis ejuſque integri tentatione reperit Animal hoc Brutum, cui nec ulla ratio nec loquela competit? Hoc eſt, quod cum irriſoribus aliis dudum urſit *Julianus* apud *Cyrillum Alex. Lib. III.* Ubi ille ita diſputat adverſus Eſus de Arbore interdictum tanquam habens ὑπερβολὴν ἀπορίας, & adverſus Mulierem Viri ſeductricem tanquam μυθώδη παντελῶς, ut de Serpente neutiquam taceat; Τὸν δὲ ἔφιν τὸ σεὸς τὸ ἕναν ἀφαλεγόμενον πδαπῇ τινὶ φήσομεν χρῆσθαι ἀφαλέκτῳ; ἄρα ἀνθρωπείᾳ; καὶ τί ἀφέρει τῶν σὺν τοῖς ἕλλησι πεπλασμένων μυθων τὸ τοιόνδε; &c. Sed & vidimus ante paucos annos vicinum apud Amſtelodamenſes Paſtorem & Doctorem, qui poſita omni reverentia Scripturarum Chriſtiana, ut ſuam de Spirituum malorum inſcitia & impotentia peſſimam tueretur hypotheſin, integram hanc Moſis exagitaret narrationem, tanquam fabularum omnium ineptiſſimam, ab initio ne quidem parcens Numero Singulari vocis Serpentis quo Moſes uſus eſt, & hinc urgens non ſolum Inſcitiam ſed & loquendi Impotentiam in Serpente præ notis animalibus aliis, ob quam neque Diabolus ut agens in Serpente heic conſiderari queat abſque longè majori miraculo quam quod à Domino ipſo longe poſt in Aſina Bileami factum eſt, &c *Orbis Faſcin. Lib. II. Cap.* 19. Adeo nihil mirum eſt, illuc etiam proceſſiſſe ab eo tempore *Joh. Clericum*, ut poſt productas varias de hoc Serpente & facto ejus ſententias cum ſuis difficultatibus ſcriberet; *Hæc & ſimilia alii cum viderent, eò deveniendum eſſe cenſuerunt, ut agnoſceremus ex hoc ænigmate hoc tantum liquido poſſe cognoſci, primos ſcilicet humani*

gene-

Digitized by Google

generis parentes initium feciſſe peccandi, unde innumera mala ipſis eorumque poſteris incubuere. Conſtat certe, humanum genus nunc & à multis ſeculis corruptiſſimum fuiſſe; nec initium ejus labis ullum infra orbis originem deprehendi poteſt. At quomodo peccatum in orbem ingreſſum ſit, adeo ut primi peccati circumſtantias perſpicuè & ſine ulla dubitandi ratione intelligere poſſimus, indicare eorum eſſet qui rei interfuerunt, ſi reviviſcerent. Quam ſententiam ſibi præ aliis omnibus placere ſatis dein oſtendit; *Nobis in re obſcura tutiſſima videtur ingenua ignorantiæ confeſſio, modo ſumma rei, prout videtur iis quorum ſententiam quinto loco expoſuimus, teneatur, ita tamen ut conjicientes qui quod caput eſt rei nobiſcum tenuerunt damnare nequaquam ſuſtineamus.* Confer cum iſtis *Beckerianam* Capitis inſcriptionem, *ſeductio primorum hominum per diabolum difficilis eſt intellectu*; & diſputationem, *narrationem non poſſe proprie capi vel de Serpente vel de Diabolo vel de Utroque, & hiſtoriam ſecundum literam de Serpente & emblematicæ de Diabolo non debere intelligi nec poſſe eſſe veram*; atque concluſionem, *ſenſum huic narrationi ſubeſſe myſticum, cujus ita repræſentandi rationem habuerit Moſes in temporis & populi ſui conditione*, rudi ſcilicet prorſus. Ergo, ſi hos ſapientiſſimos Viros audimus, originem & proceſſum primi peccati curatiſſime nobis deſcripturus Moſes, nihil dè eo ſpecificè dixit ullatenus intelligibile, ſed fabulam difficilem nobis tantum propoſuit, quæ in ipſa narrationis forma ineptiam omnem tantum non ſuperat, & in craſſiſſimos errores Judaiſmum & Chriſtianiſmum univerſum hactenus fere abduxit. Quæ ſi ſit ſapientia verè Chriſtiana, modeſtiam & fidem omnem Scripturarum brevi per hanc expulſam videbimus.

Ad hanc evitandam nomen Serpentis de Diabolo aliqui metaphorice intellexerunt.

V. Quanto rectius ergo alii Judæi & Chriſtiani, in literali *Serpentis* notione aliquid difficultatis reperientes, metaphoricè vel emblematice id nomen tranſtulerunt ad lapſus cauſam Serpenti ſimilem? quam tum porrò aliqui quidem nominarunt minus recte ſeu *Concupiſcentiam* hominis pravam, ſeu *Phantaſiam*, ſeu cum *Philone* & Chriſtianis quibuſdam Veteribus ἡδονὴν *voluptatem*; ſed alii plures longe rectius *Diabolum*, quem conſtat ex aliis Scripturæ partibus, & vere lapſus humani eſſe cauſam, & nomen Serpentis etiam gerere. Quam quidem ſententiam *Joh. Clericus* tertio propoſuit loco; *Volunt non incelebres Theologi, nullum apparuiſſe Serpentem proprie ita dictum, ſed Dæmonem eo nomine ſignificari, ideoque ab Hebræis Ca-*

codæmonem הנחש הקדמוני *antiquum ſerpentem vocari, & à Joanne Apoc.* XII. 9. *his verbis deſcribi &c.* Utique eam late inculcavit *Card. Cajetanus; Tum communibus locutionibus Sacræ Scripturæ, tum propriis textus hujus quadrat, Serpentis nomine non proprie intelligere animal illud brutum, ſed metaphorice Diabolum. Communibus quidem, quoniam animalium nominibus utitur Sacra Scriptura pro rationalibus creaturis, juxta illud, ecce Agnus Dei, & rurſus, vicit Leo de tribu Juda, & Apoc.* XII. *Diabolus non ſolum Draco ſed etiam Serpens appellatur. Unde ſicut ibi non intelligitur Diabolus in corporea ſpecie Serpentis, pari ratione nec hic. Propriis vero; tum quia Serpenti attribuitur major prudentia ſeu aſtutia quam cæteris animantibus brutis, quod conſtat eſſe falſum de animali qui vocatur ſerpens, ſi fides datur philoſophis qui animalium naturas ſcrutati ſunt; imo adhoc Moſes Serpentem deſcripſit prudentiorem cæteris, ut intelligeremus quod non de ſerpente quod eſt animal irrationale loquitur, ſed de diabolo officium ſerpentis exercente ſerpendo ad venenandum; tum quia locutio attribuitur Serpenti, quam conſtat animali bruto non convenire, ut per attributum quoque Serpenti ſermonem intelligeremus quod de Serpente intellectuali loquitur.* Subjecit etiam argumenta, quibus hoc refutare conatur, quod Serpens locutus ſit opera Diaboli; & ſolvit objectionem, quod Serpens heic ad Beſtias terræ referatur; vult hinc, ſermonem non fuiſſe vocalem ſed internæ ſuggeſtionis; & tandem interpretationem hanc ab utilitate inſigni commendat, quandò ſic ſapientes hujus mundi non amplius ab hac narratione tanquam fabella abhorrent ſed venerantur myſteria & facilius ea quæ ſunt fidei complectuntur. Nec aliud vult ex noſtris Vir Cl. *Moſes Amyraldus in Diſſert. de Serpente Tentatore ad* 2. *Cor.* XI. 3. Licet enim initio minus valide loquatur, *graves admodum cauſas eſſe cur dubitetur an revera ullus Serpens adhibitus ſit ad tentandam Evam, an verò potius dè ſolo Diabolo per allegoriam vel per aliquam aliam figuram illa hiſtoria explicari debeat;* deinde tamen non minus vehementer quam latè diſputat adverſus Animal & pro ſolo Diabolo. Argumenta ipſius ſunt; ex ſingulari numero communis admodum Nominis & Præfixi vi deſignativa in הנ; ex calliditate iſti Serpenti adſcripta, ſed animali non competente, quæ utilis ſaltem ad tentationem fuerit; ex loquela ratiocinante, ad quam inepta beſtia hæc præ aliis; ex tentatione Diabolica longe commodiori abſque tali inſtrumento per

vo-

vocem in aëre fictam vel formam aliquam humanam, quo pacto homo integer cum Angelis commercium habuisse videtur; ex Lapsu hominis alibi constanter uni Diabolo tributo; ex Diabolo per Serpentem intelligendo solo in pœnæ denunciatione &c. Inquirit dein etiam latissime in rationem, & cur communiter Diabolus vocetur Serpens, & cur ita locutus heic sit Moses. Rationem prioris quærit ille in similitudine Diaboli cum Serpente, tanquam bestia malitiosa & nocente, & quidem ore atque dentibus, per virus fervidissimum undique in os collectum, habitante in locis desertis, formam habente æquabilem volubilem maculosam, &c. Rationem posterioris dat, quod non per modum Apologi aut Allegoriæ sed potius Μεταφημανσμῶ locutus heic sit Moses, ob factam hactenus nullam mentionem Angelorum vel Creatorum vel Lapsorum, imo ob silentium de malis Angelis in toto libro Geneseos, ac tandem ob præcidendam Judæis occasionem curiosius quam temporum istorum ratio ferebat in naturam & historiam diabolorum inquirendi &c.

VI. Sed non effecit omnis ista disputatio, ut communiorem assensum inveniret dicta sententia. Ex adverso solent *Papistæ* in eam invehi cum *Pererio*, tanquam quæ *repudiari & abjici debeat, ut erronea & temeraria, ab omnibus qui sapiunt & convenienter divinæ Scripturæ & catholicæ doctrinæ sentiunt &c.* Atque *Cel. Maresius in Annot. System. Loc. VI. §. 9.* istam dissertationem *Amyraldi* illis annumeravit quæ *magnæ offensioni* fuerunt *propter singulares & novas opiniones quas ubique affectabat*; addens *hanc sententiam retulisse esse eam refutasse, eum illi reclamet tota Scriptura &c.* Non possum ego etiam in ista opinione acquiescere. Per eam enim, dum à notione propria *Serpentis* absque justa ratione receditur, planissima sternitur via ad integram Mosaicam Lapsus historiam allegorice eludendam, ut nihil fere aut vere in ea maneat certi ac explorati; *nec ratio ulla*, inquit *Pererius*, *satis idonea & probabilis afferri potest, si quæ scribit Moses de Serpente ea non historice sed figurate intelligenda sunt, cur non similiter quæ supra de Paradiso, de Arbore Vitæ & de Arbore Scientiæ boni & mali, de quatuor Fluminibus, denique de Formatione Adæ ex Pulvere terræ & Evæ ex Costa Adami, interpretanda sunt, non enim magis illa quam hæc ut non historice sed metaphoricè intelligantur ex ipso textu Scripturæ testimonium habetur.* Dum fundamento solido caret opposita thesis *Cajetani*; *hinc non*

Argumenta pro Serpente Animali adducuntur.

dari auſam interpretandi cætera omnia metaphorice, quoniam non alia ut hæc habent ex ipſomet textu teſtimonia ut metaphorice intelligantur. Deinde totum filum Moſaicæ narrationis monſtrat, Tentationem, circa viſibile objectum factam, etiam per vocem viſibilis alicujus ſubſtantiæ contigiſſe, quam Mulier ſic diſcernere, & quæ hinc ſimiliter ut homo uterque ſententiam accipere poſſet; dum cum *Pererio* illuc progredi non auſim, ut aſſeram, Diabolum intus per phantaſiam & appetitum ſenſitivum nullatenus hominem integrum potuiſſe adhuc tentare, quod ille ex *Auguſtino* & *Gregorio* repetit. Hoc vero minime prætermittendum eſt, quod ſententia in Serpentem à Deo lata iſtius modi phraſibus ſit concepta, *maledictionis præ omni beſtia, ingreſſus ſuper ventre, pulveris comedendi, &c.* quæ non tantum ad Serpentem habent reſpectum, ſed & quarum ſignificatio in Serpente verè obtinet. In primis autem notandum eſt, nominis *Serpentis*, & quidem *Antiqui*, extra hunc textum dati Diabolo, rationem non eſſe qualemcunque magis vel minus quæſitam utriuſque convenientiam, ſed longè verius manifeſtationem ejus viſibilem in forma Serpentis olim factam apud Evam; prout res & perſonas inviſibiles ab externa apparentia ſeu ſymbolo ſuo viſibili denominari rationi ſic convenit ut etiam ſit familiare, vel in ipſo nomine Virorum Deo cum Angelis apparenti dato. Ut non ſit quod in vocibus Cauſæ & Inſtrumenti heic luderet *Amyraldus*, cauſatus, nomen Cauſarum forte an dari poſſe Inſtrumentis, ſed illud Inſtrumentorum non item Cauſis Principalibus &c. & præterea per ſarcaſmum *neſciens an Angelus ille cujus efficacitate Aſina Balaami locuta eſt poſſit vel ὄν ⊙ vel ἡ ὄν ⊙ vel ὁ ὄν ⊙ appellari*, quod ſimile ob nomen probroſi animalis minus conveniens Jehovæ aut Angelo ejus bono hinc alienum eſt. Sed & cedo ad hæc rationem ſolidam, cur *Serpentis* potius quam alterius Animalis multiplicis noxii nomine Moſes uſus ſit ad Diabolum exprimendum, ſi non ipſum hoc Animal in tentatione præ aliis adfuerit, cujus præ aliis à Diabolo electi rationem deinde ſuo loco inquiremus.

Calliditas Serpentis præ omni Beſtia agri declaratur, & ad probationem Serpentis animalis urgetur.

VII. Præcipue autem omnium obſtat propoſitæ opinioni hoc, quod de *Serpente* ante ipſam ſeductionem refert Moſes *Gen.* III. 1. *fuit callidus præ omni beſtia*, vel *fera, agri quam fecit Jehovah Deus.* Quæ verba heic illuſtrationem ſpecialem in anteceſſum merentur. Nempe vox Hebræa eſt עָרוּם / cui reſpondet Chaldæa & Sy-

Syriaca עירם / apud LXX. vero & *Vulgatum* per ſequentium vocum conjunctionem vox ſuperlativa φρονιμώτατος & comparativa *callidior*. Dum *Theodoretus Quæſt.* XXXI. *in Gen.* monuit *Aquilam* vertiſſe, ἡ ὁ ὄφις ἦν πανοῦργος ἀπὸ πάντας ζώα τῆς χώρας ὁ ἐποίησεν κύριος ὁ θεός, ſic in malam partem notans exponendum heic eſſe φρόνιμον, ut minime per illud laudetur Serpens; & perinde *Hieronymus* ſcripſit pro *Sapiente* interpretatos *Aquilam & Theodotionem* πανοῦργον *h. e. nequam & verſipellem, magis igitur hoc verbo calliditatem & verſutiam quam ſapientiam demonſtrari.* Dumque alii etiam Recentiores prolixe heic diſputant, an vox Hebræa magis in bonam partem, *coll. Matt.* X. 16. *&c.* an in malam ſit accipienda, quorſum heic effectus magis videtur ducere, ſive ea ſit per ſe etiam vocis notio, ſive per boni doni peſſimum abuſum. Significatio ſane alia *nudi*, quæ eſt in hac eadem voce *Cap.* II. 25. & in cognata עירם *Cap.* III. 7. 10. 11. fluens à radice ערה / heic ob ſequentem connexionem locum non reperit. Sed & altera ejus ut & radicis ערם & abſtracti ערמה notio, ad φρόνησιν, βουλὴν, δόλον, πανουργίαν, quomodo loquuntur heic alias LXX. ſpectans, ſatis obvia eſt; quam, à Paulo quoque heic ſpectatam per vocem πανουργίας 2. *Cor.* XI. 3. cum *Joh. Forſtero* deducit *Conr. Kircherus* à verbo ערר / ut ערם denotet *excitatum eſſe, idem quod Latinis attentum, providum, aſtutum, callidum, vaſrum, verſutum eſſe, & tam in bonam quam in malam partem accipiatur*; ſed *Joh. Avenarius* longe aliter deducit, radicem ערם exponens, *callide & concinne compoſuit, ſeu coacervavit decenter, apte coagmentavit, ut ſolent homines callidi & prudentes magno judicio & aſtu quodam concinnare ſua conſilia & deliberationes &c.* unde etiam ſint Græca ἀρμόζω, ἁρμότω, ἁρμονία, ἐναρμίζω, ὁρμάομαι, & ὁρμῶ. Dum *Cl. Guſſetio* videtur *primitiva ſignificatio nuditatis, tum quia ut viſibilis prior deprehenſa fuit, tum quia affinis verbo* ערה / *&c.* quam ad *coacervationem* etiam applicat, quoniam *in acervum exſtructa ut emineant ita ſe oſtentant nuda nec tecta aut velata herbis aliiſque eorum altitudinem ſuperant*; ſed longe magis ad *aſtutiam*, quatenus *veſtes manibus arreptæ vel corporum quibus affricantur uncinis detentæ vel defectu lubricitatis hærentes, ne homo in anguſto tanta dexteritate moveatur prohibent*, & hinc *Græci* ἀπὸ τῆς γυμνότητος *in corporeis exercitiis omni ævo uſitata denominarunt non ipſa modo illa corporea ſed & mentis exercitia, quibus ſolertia ingenii prudentiaque*

com-

comparantur, & virum dotes illas ſtudio adeptum γεγυμνασμένον eſſe dicunt. De eo autem quidquid fuerit, non modo poſitive Serpens dicitur fuiſſe *callidus*, ſed & comparative talis, ſive *ex* ſive potius *præ beſtia*, vel *fera agri*, non hac aut illa ſed *omni quam Jehovah Deus* creando *fecit* aut *fecerat*, *πάντων τ θηρίων τ ὄντων ἐπὶ τ γῆς ὧν ἐποίησε κύριος ὁ θεός, cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus*, apud LXX. & *Vulgatum*. Manifeſtiſſimum utique eſt, hanc eſſe deſcriptionem; non ſymbolicam Angelorum Bonorum vel Malorum Diabolo ſubjectorum, quos etiam Jehovah Deus tales non fecerat; nec etiam Hominum ſimiliter, quos à Beſtiis ſeu Feris terræ omnino diſtinguit Moſes meritiſſime, non obſtante eorum vita ſuper terra, & licet homines peccatores poſt lapſum illis quadantenus aſſimilentur; ſed Brutorum Animantium in terræ ſuperficie viventium, ſive quorundam, ſive omnium prorſus. Poteſt autem iſta Serpentis cum his Beſtiis comparatio bifariam accipi; nempe vel ut aſtutia ejuſdem generis in majori tantum gradu competat Serpenti præ aliis plurimis ſeu omnibus beſtiis; vel ut peculiari ſpecie etiam calliditatis excelluerit præ iis. Priori modo ſpectabitur heic calliditas quædam irrationalis, quæ in variorum brutorum operationibus palam ſe prodit, & ab ævo magnopere etiam obſervata fuit in Serpentibus, ſpectante illuc Chriſto ipſo *Matt.* x. 16. *γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις.* Quod miror auſum eſſe Cl. *Amyraldum* trahere ad *vulgi opinionem* meram & ortum hinc *proverbium*, ſimul ad id notans, in iiſdem verbis *ſimplicitatem columbis tribui, non tam ex rei veritate, quam ex opinione communi quia ſimplicitatem aliquam columbæ præ ſe ferre videntur, ſunt enim illæ & ſua aſtutia præditæ, & præterea irritabiles, & ubi ſemel iratæ ſunt pugnaces adeo ut mutuis vulneribus conficiantur.* Utique non ſunt iſta duo aut tria tantum aſtutiæ argumenta in Serpentibus, de obturatione aurium contra incantationem, *coll. Pſal.* LVIII. 5. 6. & de corporis lubrica flexilibitate per quam facile correpant in dumeta & ex locis periculoſis elabantur, & de convolutione ſpirarum erecto capite, quæ ſibi temerè exagitanda & extenuanda ſumpſit *Amyraldus* cum ſimiarum equorum canum elephantum aliorumque animantium commendatione à majori ingenii præſtantia; ſed & nominatur heic præterea inſignis viſus acies, capitis occultatio provida cum imminet periculum, veneni ſingularis conſervatio tempore potus ſumendi, ſui ad felicius nocendum hominibus & animan-

mantibus aptiſſima abſconſio, *coll. Gen.* XLIX. 17. cutis mutatio, oculorum ſquamarum & nauſeæ propria curatio, & quæ plura ſimilia adducunt Phyſiologi, ut ἡ παντερία Serpenti recte à Cancro tributam in Æſopica etiam Fabula probent, de quibus inter cæteros vide *Cel. Bochartum Hier. Lib. I. Cap.* 4. In primis autem obſervant Interpretes, eam heic ſpectari debere Serpentis aſtutiam, quam non tantum in ſui defenſione ſed etiam in aliis inſidiose nocendo monſtrat, unde hos pro exemplo ἀνελαφίων καὶ ὄφεων adduxit *Ariſtoteles Hiſt. Anim. Lib. I. Cap.* 1. Ad hæc notari meretur *Calvini* noſtri obſervatio; *Argutè cavillantur nonnulli, extare nunc in multis animalibus plus aſtutiæ. Quibus ego reſpondeo, nihil fore abſurdi, ſi dicamus detractum fuiſſe ſerpenti donum quod exitiale generi humano fuerat, quemadmodum poſtea videbimus ſumptas fuiſſe alias quoque de eo pœnas. Quanquam non multum in hac deſcriptione variant à Moſe Zoographi, & experientia optimè reſpondet, nec vero fruſtra Dominus ſuos jubet prudentes eſſe tanquam ſerpentes.* Enimvero cum iſta quantacunque irrationalis ſeu prudentia ſeu aſtutia exiguum videatur habere nexum cum loquela & ratiocinatione doloſa, quæ heic ſubjicitur tanquam ex ea fluens, de calliditate rationali ab aliis dudum fuit cogitatum hoc loco. Sive eam putent Serpenti ipſi per ſe competiiſſe ante lapſum juxta cum homine, in quam ſententiam adducitur ipſe *Joſephus*, dum meminit ὁμοφρονέντων κατ' ἐκεῖνο καιρὸν τῶν ζώων ἁπάντων, ὄφεως ᾧ φθονερῶς μὲν ἴχνος ἐφ' οἷς τόν τε Ἄδαμον καὶ τὴν γυναῖκα ἐνδαιμονήσειν ὤετο &c. unde Deus ἀφείλετο καὶ τὸ ὄφιν τῆς φωνῆς, ὀργισθεὶς ὅτι κακηθείᾳ τῇ πρὸς τὸν Ἄδαμον, καὶ διὸν ἐνέπησεν ὑπὸ τὴν γλῶτταν αὐτῷ, &c. quod omni ſpecie veri caret; ſive rectius eam, non minus quam loquelam ſequentem, Serpenti huic uni ſeductori velint tribui ob Diaboli à quo agebatur obſeſſionem & directionem. In qua ſententia præiit *Auguſtinus* ipſe *Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 2. *Quamquam iſte Serpens non irrationali anima ſua, ſed alieno jam ſpiritu id eſt diabolico, poſſet ſapientiſſimus dici omnium beſtiarum &c.* Et *Cap.* 29. *Proinde prudentiſſimus omnium beſtiarum, hoc eſt aſtutiſſimus, ita dictus eſt Serpens, propter aſtutiam Diaboli qui in illo & de illo agebat dolum; quemadmodum dicitur prudens vel aſtuta lingua, quam prudens vel aſtutus movet ad aliquid prudenter aſtuteque ſuadendum. Non enim eſt hæc vis ſeu virtus membri corporalis quod vocatur lingua, ſed utique mentis quæ utitur ea. Ita etiam dictus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Neque enim eſſe mendacem pertinet niſi ad viven-*

tem atque ſentientem; ſed ſtylus mendax dictus eſt, quod per eum mendax mendaciter operetur, quemadmodum ſi & iſte Serpens mendax diceretur, quod eo Diabolus tanquam ſtylo mendaciter uteretur. Hoc ideo commendandum putavi, ne quisquam exiſtimans animantia rationis expertia humanum habere intellectum, vel in animal rationale repente mutari, ſeducatur in illam opinionem ridiculam & noxiam revolutionis animarum, vel hominum in beſtias vel in homines beſtiarum. Sic ergo locutus eſt Serpens homini, ſicut Aſina in qua ſedebat Balaam locuta eſt homini, niſi quod illud fuit opus Diabolicum, hoc Angelicum, &c. Nec aliter *Theodoretus Quæſt.* XXXI. *in Gen.* τῶν δέ γε ἀνεβίσησεν ὡς ἐν ἐκείνῳ ἐνεργήσαντος ἑρμηνεῦσαι δαίμονος. Sed & adverſus eam *Papiſtæ* plures ſe dudum oppoſuerunt, judicantes; tum hoc quod dicitur, Serpens *erat* callidior, nos ducere ad tempus prius Diaboli obſeſſione, & rationem continere obſeſſi hujus potius quam alterius animalis; tum nec Diaboli propriam calliditatem poſſe tribui Satanæ ejus inſtrumento, nec illam tanquam intellectualem potuiſſe cum Serpente ſenſitivo verè communicari, ſicuti videre potes apud *Toſtatum Abul. Quæſt.* CCCCXXXVIII. *in Gen.* XIII. Quod ſi meum hac de re roges judiciùm; nolim ego quidem excludere naturalem calliditatem Serpentibus communem, quæ hujus animalis aſſumendi potuit quoque apud Diabolum fuiſſe occaſio; attamen, cum de uno Serpente tentatore hominis, & ut tali, heic continuo agatur, & calliditas rationalis magis hoc nomen mereatur, credo ad Diaboli aſtutiam magis hanc Serpentis deſcriptionem pertinere, cui tanquam externe tantum viſo non minus recte calliditas quam loquela inde fluens tribuitur quæ originaliter & vere erat diaboli. Atque ſic non tantum majori gradu ſed & alia longe ſpecie *erat* ſeu *fuit* hic Serpens tentator, non ante tentationem hominis ſed in ea, callidus præ omni alia beſtia agri abſque ulla contradictione. Jam vero clariſſimè docet iſthæc *Serpentis* comparatio cum Beſtiis agri in calliditate, magis etiam quam illa quæ dein fit in pœnæ denunciatione *verſ.* 14. quod Serpens animal heic à Moſe intelligatur, non ſolus emblematice Diabolus; qui abſque aſſumpto animali bruto longe majorem analogiam habuiſſet cum homine ipſo, & cujus aſtutia ſupra hominem debuiſſet tum commendari, quæ ſi illam brutorum tantum ſuperaſſet non hinc admodum magna fuiſſet, dum eadem Serpenti obſeſſo tributa optime fuit præ aliis animantibus omnibus non ita obſeſſis. Non enim niſi inania verba heic fundit *Clericus; Qui*

hæc

hæc volunt esse ἐχηματισμένα Mosem veluti sibi viam munire ad id quod dicturus est de Lapsu primorum parentum, insidiosa Serpentis natura prudenter mentione injecta, ajunt. Ita antiquissimos Philosophos, cum Asiaticos, tum Græcos, qui Apologis usi sunt è brutis petitis, si de fraude dicturi sint, solitos Vulpem inducere, callidissimamque ferarum præfari, aut quidpiam de ejus astutia jacere &c. Utique si Mosis de Serpente narratio sit præfatio, ubi tu transitum ad rem ipsam deprehendis, seu præfationis hujus applicationem? & quis est tum ille per Serpentem heic repræsentatus, ac per aliam omnem bestiam agri, improprie seu symbolice etiam accipiendam? Et non Apologum sed veram rei gestæ narrationem nos heic reperire ursit *Cl. Amyraldus* merito; *Ad Apologos certe referri nequit &c. Nihil historia tentationis cum Apologis commune habet. In eis enim non narratur res gesta, sed fabella quædam instituitur, ex cujus auditione vel lectione sensus aliquis ut loquuntur moralis eliciatur, qui vel ad ☥ ἠθικὴν vel ad ☥ πολιτικὴν pertinet. At in historia tentationis recitatur res gesta, quod & ipsa ejus natura, antecedentia atque consequentia, & circumstantiæ omnes denique extra omnem dubitationem constituunt.* Perinde vanus est discursus, quem huic nostro argumento opposuit *Cajetanus*; *Diabolum propter suum peccatum dejectum esse in ordinem bestiarum, ex ordine intelligentium creaturarum deturbatum, & idcirco Serpentis vocabulo rite nominari & cum bestiis rite comparari, hoc enim interesse inter creaturas rationales & irrationales, quod illæ propter se ipsas, hoc est propter propriam felicitatem, creatæ sunt, hæ autem cum veræ felicitatis capaces non sint, in usum & utilitatem rationalium conditæ &c. Mosen igitur secundum ordinem gratiæ & relative ad ea quæ sunt cœlestis patriæ loquendo de Damone apte nominavisse ipsum bestiam, & prudentiam ejus cum bestiarum prudentia comparavisse.* Utique mansit eadem rationalis natura Angelorum post lapsum, ad quam calliditas proprie pertinet, licet ob malitiam cum brutis queant aliàs comparari; & quæsita est prorsus illa creaturarum rationalium & irrationalium distinctio per felicitatem propriam aut alienam promotam; nec directe ad usum sed ad damnum hominum faciunt Angeli mali; nec in describenda Divina Gratia sed Humanæ Miseriæ origine heic est Moses.

VIII. Nec sunt tam gravia quam quidem primo intuitu videntur, quæ seu ab irrisoribus seu à metaphorici sensus patronis objici- Objectiones irrisorum.

rum adversus Serpentem solvuntur.

objiciuntur adversus Serpentis animalis præsentiam & operationem apud hominis lapsum. Utique ad Irrisores obturandos posset metaphoricus sufficere sensus, quando illi literam solam fere impugnant. Sed & *Juliano* regessit dudum *Cyrillus*; tum per retorsionem, quod de Græcorum fabulis loquens in propriam religionem nimiam faciat vim, οἶδε γὰρ ἄρα σαφῶς μύθους πολλοὺς καὶ γραφικοῖς πεπλάσμασι καὶ ἕτερον ἑτέροις ἃ καὶ φρονεῖν ἀξιοῖ καὶ εἰς θρησκείας πιθανότητα δύναμιν, tum directe, & quod cum fabulis nostra mysteria componi non debeant, μυθικὸν γὰρ ἐν τῇ ἁγίᾳ καὶ θεοπνεύστῳ γραφῇ παντελῶς οὐδέν, ἀληθείας δὲ τὰ πάντα μεμέστωται, & quod Diabolo sit tribuendum illud quod Serpens solus non potuit, θαυμάζω δ' ὅτι, καίτοι ἰσχυρὸς ὢν ἄγαν ἐς μαθημάτων ὡς γοῦν οἴεται καὶ φησὶν ἐσκοπευκὼς σὸς ἀνήρ, καὶ ὅσα τῶν αἰσθητῶν ἐφ' ὅτι τὰ νῦν ἐρεῖς, ἐ σωπᾶν ὅτι τῇ ξ πονηρῷ τι καὶ ἀφανεῖ δαίμονι συνεργίᾳ γέγονεν ἡ φωνὴ σφενδόνημα τῆς ἐκείνης αὐτῷ σκαιότητος πιθανότητα τὸ ὄφιν, &c. & quod ea immundorum spirituum vis non ex solo Mose sed & ex Poëtis & Philosophis gentium pluribus constet, per Xanthi equi vocem ad Achillem, per Euphorbi Phrygis Clypeum pervulgatum, per Caucasi fluvii responsum ad Pythagoram ex *Porphyrio*, per Ulmum allocutam Apollonium ex *Philostrato*, per Dodonæam Quercum humana voce usam, & per locutum in Rhodo insula Jovis Taurum &c. Nihil est heic porro in Numero singulari *Serpentis* quod quemquam jure offendat; siquidem ita nec Serpentum varias species nec individuorum multitudinem negavit Moses, sed vel initio de hoc animalium genere collective locutus est, vel potius mox ad unum singularem spectavit Serpentem cujus in hominem actus dein describitur. *Inscitia* etiam bruta *Serpentis* minime tollit celebratam ejus præ aliis plurimis animantibus πανουργίαν, de qua sacri & profani testantur Scriptores juxta experientiam; & illam in hoc Serpente facillime supplevit astutissimus diabolus, qui si vel absque Serpente cum homine agere potuerit hoc tamen ob rationes graves non egit. *Loquelæ defectus* cum organis illi apte inservientibus si sit in *Serpentibus*, & fuerit quoque ab initio, vox tamen aliqua mollis adest, quam æque intelligibiliter & blande Diabolus potuit flectere ac innumera alia admiranda opera præstare, secundum infallibilem Scripturam & rationem ipsam ac historiam omnem; estque indigna illusio sacræ historiæ in comparatione illa locutæ Asinæ Bileami, quæ si in aliquibus sit minus admirabilis neutiquam

ideo

Digitized by Google

ideo minorem arguit Dei potentiam qui plura poteſt quam agit, quæ ſi modeſtius ſe geſſit id fuit à meliore Jehovæ impulſu, & apud quam ſi Jehovah memoretur tanquam aperiens os aſinæ non hinc ſequitur Diabolum heic æque expreſſe debuiſſe memorari, quandò quo ineptior ex ſe eſt Serpens ad loquendum eo promptius per ipſam ejus loquelam ad ſpiritum aliquem autorem in ea ducimur. Atque ſic paucis verbis eluduntur ſarcaſmi per multas paginas *Bekkerianas* ſparſi.

Uti & eorum qui metaphoricè vellent Serpentem dè Diabolo exponere.

IX. Quæ pro ſola metaphorica *Serpentis* notione adduci comperimus, facile quoque diluntur ex iis quæ jam ſunt præoccupata. Utique ſicut ex ſenſu metaphorico Agni & Leonis aliquando reperto neutiquam eundem in omnibus aliis locis concludere licet; ita nec ex Serpentis nomine poſtea cum reſpectu ad hanc hiſtoriam tranſlato quandoque ad Diabolum hunc ſenſum inferre licet, vel in alia omnia loca quæ de Serpente agunt, vel in hunc ubi de Serpente viſibili ad beſtias agri pertinente tam perſpicue agitur in ſimplici hiſtoria. Et quod ad Aſtutiam ac Loquelam hujus Serpentis attinet, illa utraque non excludit Serpentem, ſed ſimul Spiritum aliquem in eo præſentem & operantem prodit tantum, perinde ut rationalis loquela Aſinæ Bileami; adverſus quem quæ habet *Cajetanus* mox ſuo loco ſolventur. Utique Sermonem inter Serpentem & Evam habitum non fuiſſe vocalem ſed internæ ſuggeſtionis, dicitur abſque ullo fundamento ad tuendam hypotheſin, & contra omnem ſpeciem veri, ubi viſus & eſus fructus fuit externus, & ſermo Evæ vocalis competit, & hæc non alio modo ad Serpentem quam ad Virum eſt locuta. Et quod ad Sapientes hujus mundi attinet, qui non tam reperiunt quam ſolicite quærunt in Scripturis quæ offendant aut ad aliorum offenſionem adhibeant, his cum detrimento hiſtoriæ magno non eſt ſuccurrendum, & hi ſublato omni Serpente corporeo cum ipſius loquela externa de ipſius Mulieris mala cogitatione propria male Diabolo tributa mox loquentur audacter, ut hinc fidei majus damnum quam adjumentum accedat. Nec felicius procedit *Cl. Amyraldi* diſputatio. Quando enim fuit unus ſingularis *Serpens*, qui Evam ſeduxit, quo alio numero quam ſingulari de eo loqueretur Moſes? & quando ille ex hoc tentationis opere inde à patribus erat notus tempore Moſis, annon meritò per eundem ille deſignavit Iſraëlitis & Chriſtianis omnibus, dum ſpeciem ejus ultra deſignare minus

nus neceſſum aut utile judicavit Spiritus? & quid eſt tandem in mudo ſingulari Numero vel in Articulo præfixo, quod ad Diabolum ſolum hactenus eo nomine non appellatum in Moſis hiſtoria nos ducat? De *Calliditate* ſatis dictum eſt ante; quod ea vere competat ſuo modo Serpenti per ſe, & plene Serpenti huic per Diaboli obſeſſionem, per quam ad hominis ſeductionem ille aptiſſimus fuit. De *Loquela* & *Ratiocinationis Ineptitudine* in Serpente præ aliis animalibus, cantilena eſt inepta; quando extraordinaria Spiritus operatio iſta ſane non minus producere potuit in hoc Animali, ſi vel ineptiſſimum ad ea foret, quam in aëre aut forma aliqua mere viſibili & fallaci qualicunque, quod ille vellet potius factum. De majori enim *Convenientia* tentationis Diabolicæ per ſolam vocem abſque ulla viſibili ſpecie, aut per aſſumptam humanam formam, vaniſſima ſunt adverſus hiſtoriam manifeſtam præjudicia; quaſi *dubium non eſſet*, (de quo nihil plane nobis conſtat,) quin ita homines ante lapſum cum Angelis eſſent converſati; & quaſi ſeu vox abſque viſa ſpecie unde prodiret, vel humana ſpecies abſque naturæ veritate, non magis etiam potuiſſet mira & terrens mulieri obvenire, quam animal obvium & minime per ſe ingratum cum molli & molliter ſe inſinuante ſermone. Serpenti etiam quando nos tribuimus hominum ſeductionem, *Diabolum* in eo agentem hinc minime excludimus; quem dum alias Scriptura dicit peccati humani cauſam, etiam ab aſſumpto ad id Serpente (*ὄφιν ὃ δῆθεν ἡ θεία γραφὴ καλεῖ τὸν διάβολον, ὁ πάντως ὄντα τοιοῦτον τῇ μορφῇ, ἀλλὰ δηλ. τὸ φαινόμενον τοῖς ἀνθρώποις σκηλιώδαπον, ἢ τὸ ἐν πειρᾶσι ἐν ὄφει ἐνεργῆσαν τοῦ ἀπάτης σκεύωρημα*, inquit *Epiphanius Hæreſ.* XXXVII.) eum merito denominat pluſquam ſemel, neque habuit neceſſum ut in hiſtoria nota Diaboli inſtrumentum illud diſtincte iterum iterumque adderet, quemadmodum nec in N. T. de Aſina Bileami & loquente in ea Deo aut Angelo adeo diſtincte agitur 2. *Pet.* II. 16. Etiam *Pœnam Serpentis* non pertinere ad ſolum Diabolum, excluſo prorſus animali, ſuo liquebit loco; etiamſi ſic potuiſſet velle Deus, ut pœna obſeſſori infligeretur ſoli, nec ab beſtiam obſeſſam ſe extenderet. De *Similitudine* multiplici inter Diabolum & Serpentem non eſt quod dicamus, quandò ſponte apparet eam in nonnullis capitibus ſatis eſſe quæſitam, & in multis aliis rebus & animantibus haud adeò difficulter etiam poſſe reperiri; dum appellationis Serpentis Diabolo tributæ longe majus eſt fundamentum

in

Digitized by Google

in beſtiæ ejus diabolica ad tempus aſſumptione ſeu occupatione. Μεταχηματισμῶ autem in Serpentis nomine, quem ille præ Apologo & Allegoria heic reperit, etiamſi ſimilis μεταχηματισμῶ ſeu tranſlationis à ſpiritu rationali ad beſtiam aliquam exemplum nullum alleget, quandò dat rationes; rem factam primò ſupponit; & dein tales adducit, quæ æque in aliis Scriptoribus Sacris valerent, & hinc ſunt admodum invalidæ. Utique mentio aliqua Angelorum creatorum & lapſorum debebat aliquandò prima vice fieri ubi hiſtoria id exigebat; & ſemel potius quam nunquam apud Moſen facta debet credi; nec curioſitatis indecentis per illorum aptam mentionem in lapſu humano Moſes occaſionem dediſſet; qui ex adverſo de Serpente heic loquens non potuiſſet recte intelligi ab Iſraelitis plane Spiritum malum ignorantibus, atque per illud nomen de iis uſurpatum curioſitatem potius adauxiſſet.

Non apparens tantum ſpecies Serpentis, ſed verus heic fuit Serpens.

X. Sed qui in nomine *Serpentis* apud ſolum Diabolum metaphoricè non ſubſiſtunt, Animal notum iſtud in eo agnoſcentes, hi rurſus putarunt aliqui, nudam Serpentis viſibilem figuram ſeu ſpeciem apparentem in aëre heic ſufficere, abſque corporis ſerpentini veritate; quo pacto Angeli boni alias nonnunquam apparuiſſe vulgo judicantur. In quam ſententiam hoc eos indubie duxit, quod nullus legatur Serpentis hujus contactus, ſed ſolus cum Loquela Viſus. Eam deprehendimus apud *Eugubinum in Coſmop.* concedentem quidem *fieri poſſe* ut ſententia de *vero terreſtrique ſerpente* vera ſit, *quod tota Serpentis maledictio corroborat*, attamen longe magis urgentem, quod *Damon in forma & phantaſmate Serpentis apparuerit, ſicut coram Pharaone per incantationes magorum, & quales canes oblati à Simeone Mago, cæteraque multa.* Sicuti poſt adducta exempla trium Virorum apud Abrahamum, Viri luctantis cum Jacobo, Samuelis per pythonem ſuſcitati, Serpentum Pharaoni exhibitorum à maleficis, &c. ſubjecit; *Dico, tametſi Serpens iſte Paradiſi & Serpens appelletur, & tota deſcriptio conveniat in animantem terreſtrem, talem tamen Serpentem fuiſſe, quales illi magorum & maleficorum Pharaonis, qui etſi dæmones eſſent aut oblata per dæmones phantaſmata, ex eo tamen quod videbantur à Moſe Serpentes vocantur &c.* Pro eadem ſententia laudari etiam ab ævo ſolet *Cyrillus Alex. Lib. III. c. Jul.* apud quem id ego hactenus cum aliis non deprehendi, quando ſcribit; ἐπὶ τῇ δ πυηρᾷ πε καὶ ἀρχεκάκῳ δαίμονι ὑπηρεσίᾳ γέγονεν ἡ φωνὴ προκάλυμμα τ ὑπ' ἐκ ἀυτῷ σκαῦ-

Digitized by Google

ερημότητος πεπεμμένη ὄφιν &c. Ἰδοὺ γεμὴν τὸ αἰτεῖ φεύγουσιν ὁ χρίναι & παῖδας, &c. Sed nihil est in Mosis textu, quod ad nudam Serpentis apparentiam cum substantiæ ejus exclusione nos seu cogat seu ducat. Et videmus ex adverso; quod Moses hunc Serpentem cum aliis terræ bestiis, utique veris nec mere apparentibus, conferat, & supra eas in vera calliditate efferat; quod Serpens post seductionem superfuerit, excepturus coram Dei judicis sententiam; quodque pœna Serpenti denunciata ad literam in veris serpentibus obtineat, ut aliquod eorum individuum potius quam nuda figura in societatem seductionis humanæ olim venerit. Quin & facilius simul & utilius potest credi Saranæ fuisse, Serpentis vero corpore ad hominis tentationem abuti, quam nudam ejus effigiem apud Arborem ostentare. Unde pro Vero Serpente potius quam pro apparente phantasmate ejus concludimus.

Idemque ab intelligente aliquo Spiritu verè obsessus.

XI. Simul autem certissimum nobis est fuisse istud Animal à rationali Spiritu aliquo obsessum, à quo ageretur in hominis tentatione. Id generatim liquet; tum ex calliditate ejus apta ad hominis seductionem specie suâ rationalem, quæ in nullo animali aut serpente est hodie respectu hominis lapsi, nec fuit olim respectu hominis integri; tum ex loquela rationali & astuta, per quam illa se prodidit, quæ nec in brutis deprehenditur ullis, quidquid nonnulla discant humanas aliquas voces externe imitari, unde apud *Onkelosum Gen.* 11. 7. homini soli tribuitur *spiritus loquens.* Quorum argumentorum vim bifariam aut trifariam ab ævo frangere studuerunt alii. Nempe *astutiam* convenienter naturæ brutorum exponentes, & maxime de modo acquirendi victus per ascensionem Arboris, voluerunt *Loquelam* aliqui simul referre ad serpentis actionem & præstantiam visibilem, unde cogitationes eæ fuerint in Eva exortæ quas per hujus loquelam expresserit Moses; præeunte sic inter Judæos *Abarbanele*, & ex Christianis *Simeone de Muis.* Sed quam sit isthæc sententia Mosi adversa, & hinc repudianda, deinde apud Tentationis processum videbimus. Alii ex adverso, Astutiam & Loquelam proprie intelligentes, judicarunt, ista sic quoque competiisse Serpenti ante Lapsum juxta erectam corporis formam, sed ab eo ablata in pœnam transgressionis & tentationis humanæ; pro qua sententia, *Josepho* & *Basilio* etiam tribui solita, laudatur cum aliis quibusdam Judæis *Abnezra.* Verum hoc figmentum, de quo respectu Animantium Paradisi communiter disseruimus *Lib. I. Cap.* xix. nullo modo admit-

mitti poteſt; quando Anima rationalis ejuſque qualitas & operatio cum reliqua Dei imagine eſt & fuit ſemper inter res corporeas ſoli homini peculiaris, qui hinc in Animantia irrationalia omnia dominium à Deo accepit; nec per pœnam ipſa natura à Serpente magis quam ab homine debuit vel potuit plane auferri; nec in pœna Serpenti denunciata quidquam etiam de ratione & loquela ei ablata deprehenditur. Recte adeò *Chryſoſtomus Serm.* XVI. *in Gen.* Ἀλλ' ἴσως ἐντεῦθεν ἀφαιρήσεί τις καὶ μαθεῖν ζητήσειεν, εἰ καὶ τὸ θηρίον λόγου μετεῖχεν; εἰ τοῦτο, μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἀεὶ ἀκωλυθέντος τῇ γραφῇ τοῦτο λογίζεσθαι χρὴ, ὅτι τὰ μὲν ῥήματα ἦν ἃ ἀφαιρεῖται νῦν ἀπὸ τοῦ οἰκείου φθόνου πρὸς τὸν ἄνθρωπον ταύτην διενεχθέντος, τῷ δὲ θηρίῳ τούτῳ ὥσπερ ἐπιτηδείῳ ὀργάνῳ ἐχρήσατο, *&c.* Alia quæ objecit *Pererius* minus mihi videntur valida; *Quamvis Serpens qui ſeduxit Evam hiſce rebus mulctatus eſſet, alii tamen ejuſdem ſpeciei ſerpentes, qui ejus criminis participes non fuerant nec ab illo Serpente progenerati, vim illam intelligendi & loquendi ſi naturalis fuiſſet conſervaſſent, eandemque ad eorum prolem & ſic deinceps in totam ſpeciem derivari neceſſe erat. Quid quod Serpens ille tametſi pedibus & ſermone privatus fuiſſet, attamen genuiſſet ſerpentes, tales nempe qualis ipſe prius fuerat ſecundum naturam. Non enim ſi quiſpiam inter homines ſit cæcus aut mutus aut pedibus mutilus, filioſque genuerit, neceſſe eſt eiſdem rebus privatos eos generari.* Neque enim tales divinæ juſtitiæ limites ponere debemus; nec poſſumus per ipſam Serpentis ſententiam, quæ ad Semen ejus omne protenditur. Tanquam alia & tertia ſententia adducitur illa *Ephræmi* Syri ex *Moſe Bar Cepha Part. I. de Parad. Cap.* XXVII. quod *Serpens* fuerit *corporatus*, cui *facultas ſermonis* imo &cum *elocutione intellectus* fuerit à Deo *inditus* ſpeciatim ad hominis tentationem, Satana id petente. Quod licet ita poſſet intelligi ut ad Satanicam Serpentis obſeſſionem ſpectaret, *Bar Cepha* tamen ab hac ſua quoque ſententia diſtinxit; quodque prout ſonat eſt longe abſurdiſſimum, quando facultas loquelæ rationalis & intellectus eſt ab anima rationali inſeparabilis, nec Deus ſane ex Serpente pro tempore hominem fecit, per quem ipſe ſic hominem alium perpetuum ſeduceret.

Quem per ineptam blaſphemiam multi olim voluerunt Chriſtum ipſum fuiſſe.

XII. Quis vero aut qualis fuit iſte Spiritus, à quo actus in tentatione fuit Serpens? Audi hic, ſed cum ſtupore, veterum *Ophitarum* deliria. *Hunc autem Colubrum*, inquit *Auguſtinus Hæreſ.* XVII. *qui decepit Adam & Evam, Chriſtum arbitrantur, &c.*

Quemadmodum *Theodoretus Hæret. Fab. Lib. I. Cap.* 14. habet poſt alia de ὀφιομόρφῳ *Michaele & Samanna*; Τινὲς ἢ ἐξ αὐτῶν φασὶν εἰς ὄφεως εἶδος ἑαυτὸν μεταπλάσαντα τὸ χρεῖττον εἰς τὴν τῆς παρθένου μήτραν εἰσδῦναι &c. τινὲς ἢ αὐτὸν τὸν ὄφιν τῇ σοφίᾳ σωθῆναι φασὶ, καὶ ὡς ἑαυτῷ θεῷ τῷ πιστῇ πολεμῆσαι, τὸν δὲ δημιουργὸν ἐξαπατῆσαι, καὶ δεδωκέναι τὴν γνῶσιν, καὶ τοῦτο χάριν εἰρῆσθαι φρονιμώτατον εἶναι πάντων τὸν ὄφιν, καὶ τὸ πολυέλικτον ἢ τὸ ἡμερώτερον ἑρπετῶν θεῖον ἢ ὄφεως ἀφικνεῖσθαι τὸ σῶμα, δεικνύναι τὸ ζωογόνον σοφίαν ἢ ὄφεως &c. Λέγουσι τοῦτο καὶ σεβόμενοι τὸν ὄφιν, &c. Apud *Tertullianum de Præſcript. Hæret. Cap.* XLVII. etiam legimus; *Acceſſerunt his Hereticis etiam illi qui Ophitæ nuncupantur. Nam Serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipſi Chriſto præferant. Ipſe enim, inquiunt, ſcientiæ nobis boni & mali originem dedit. Hujus animadvertens potentiam & majeſtatem Moyſes, inquiunt, æreum poſuit Serpentem, & quicunque ipſum aſpexerunt ſanitatem conſecuti ſunt. Ipſe, ajunt præterea, Chriſtus in Euangelio ſuo imitatur Serpentis ipſius ſacram poteſtatem &c.* quando mox de *tota erroris ſcena & doctrina* loquitur. Atque apud *Irenæum Lib. I. Cap.* 34. *Quidam ipſam Sophiam Serpentem factam dicunt; quapropter & contrariam extitiſſe factori Adæ, & agnitionem hominibus immiſiſſe, & propter hoc dictum Serpentem omnium ſapientiorem, &c.* Ex his aliiſque veteribus Hæreſiologis de iis ſcripſit *Danæus* noſter; *Colunt & adorant Serpentem, per quem Eva primum decepta eſt, tanquam is fuerit Chriſtus. Sapientiæ enim datorem ſive in homine autorem fuiſſe contendunt. Itaque divinam illi non tantum vim & potentiam tribuunt, ſed etiam naturam & eſſentiam. Dicunt enim eum natum eſſe ex ſummo Deo qui Jaldaboth vocatur & materia quadam. Itaque ὀφιόμορφον potius quam ὄφιν id appellant quod venerantur &c.* Eundem vero errorem gravem tribuit *Auguſtinus Hær.* XLVI. ſimiliter *Manichæis*; *Chriſtum autem fuiſſe affirmant, quem dicit noſtra Scriptura Serpentem, à quo illuminatos eos aſſerunt, ut cognitionis oculos aperirent, & bonum malumque dignoſcerent &c.* Dum de *Marcionitis* habet *Theodoretus Hær. Fab. Lib. I. Cap.* 24. Οὗτοι καὶ τὸν ὄφιν ἀγαθώτερον εἶναι τοῦ δημιουργοῦ λέγειν τολμῶσιν, ὁ μὲν γὰρ τῆς γνώσεως φυτὸν μεταλαβεῖν διεκώλυσεν, ὁ δὲ μάλα σωτήριόν &c. Nempe quod Satanas vaniſſimè promiſit, hoc hi homines etiam contigiſſe ineptiſſime crediderunt, ſecundum *Juliani* blaſphemiam apud *Cyrillum*; ὥστε τὸν ὄφιν διεργέτην μᾶλλον ἢ λυμεῶνα τοῦ ἀνθρωπίνου εἶναι γένους.

στως. Sed ipſum opus ſeductionis hominis à Deo, & inductæ ſic in humanum genus miſeriæ omnis, ad quam ab electis auferendam debuit venire Filius Dei, ſatis arguit, idem huic tribui neutiquam poſſe, nec tributum eſſe niſi per miſeram perſonarum & rerum omnium confuſionem. Dum Chriſti per Serpentem repræſentatio nequaquam ſpectat ad hominum præteritam per Serpentem ſeductionem, ſed ad Chriſti in maledicta Cruce futuram ſuſpenſionem.

Sed quem vere Diabolum fuiſſe monſtratur.

XIII. Eadem facti malitia arcet perinde omnes cogitationes, ſeu de Spiritu Sancto ejuſdem cum Patre & Filio ſanctiſſimæ Deitatis participe, ſeu de Angelis Bonis & Sanctis; & ducit nos conſequenter ad Angelos Malos ſeu defectores, cum humanæ mentes nec extiterint extra Adamum & Evam, nec peccaverint antea; & quidem ad horum præcipue unum, qui cæteris malitia & poteſtate ut videtur fuit major, vel ſaltem cum aliorum conſenſu egit in ſeducendo per Serpentem homine. Uti enim nemo alius cogitari à nobis poteſt Spiritus, adeò in Deum perfidus & blaſphemus ac in hominem invidus, quam hic factis dictiſque ſe prodit; atque uti pœna Serpenti heic denunciata nulli alii Spiritui quàm huic competit, in illa capitis per Chriſtum contritione; ita hunc nominat alias Scriptura palam. Scilicet hoc egit Chriſtus ipſe *Joh.* VIII. 44. *vos ex patre Diabolo eſtis & concupiſcentias patris veſtri vultis facere,* ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἕστηκεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ, ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Quem locum alias illuſtravimus *EXERC. TEXT. XXXV. Part. I.* & qui in nomine ἀνθρωποκτόνου & ψεύστου manifeſtè ſpectat ad Hominum primam Seductionem per mendacium ad mortem. Hoc egit cum Chriſto *Matthæus Cap.* IV. 3. Diabolo & Satanæ dans nomen ὁ πειράζοντος, quod ſpectat non ad unum ejus in Chriſtum factum, aut ad continuam tantum ejus in homines quoſvis praxin, ſed omnino quoque ad antiquum in protoplaſtos conatum à quo notus erat; uti ad hiſtoriam illam quoque urſimus *EXERC. TEXT. Part. III.* Hoc egit cum Matthæo Paulus, tum idem nomen ὁ πειράζοντος de Satana adhibens 1. *Theſſ.* III. 5. tum *antiquum* nominans *Serpentem* qui Evam ſeduxit in aſtutia ſua & à quo Corinthiis adhuc metuebat 2. *Cor.* XI. 3. φοβοῦμαι δὲ μή πως ὡς ὁ ὄφις Εὔαν ἐξηπάτησεν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, οὕτω φθαρῇ τὰ νοήματα ὑμῶν ἀπὸ τῆς ἁπλότητος τῆς εἰς τὸν Χριστόν. Illic enim ex adducto Evæ exemplo clarum eſt, cor-

ruptionem Corinthiorum, etiamſi fieret per homines ſeductores, potiſſimum tamen metuendam eſſe ab horum principe & impulſore Satana qui Evam ipſam ſeduxerat, *coll. Joh.* VIII. 44. *Eph.* VI. 11. 2. *Tim.* II. 26. 1. *Pet.* V. 8. *&c.* dum ab externo corporali Serpente ſpiritualis corruptio illa non proveniret. Hoc egit cum Paulo Johannes *Apoc.* XII. 9. 14. 15. XX. 2. ubi *Diabolum & Satanam*, eundemque orbis ſeductorem, ſimul vocat ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ ὄφις, ὁ δράκων, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, *&c.* ſic utique ad mundi primordia & factam tum ab eo ſeductionem nos reducens manifeſte. Et præter omnes iſtos Scripturæ textus loquitur res ipſa, quando ex hodierna Tentatione omni à Diabolo proveniente vel promota, quam hinc merito deprecamur quotidie *Matt.* VI. 13. ſatis conſtare poteſt primæ etiam Tentationis cauſa præcipua. Eſtque hæc ſententia Chriſtianis minime peculiaris, ſed Judæis quoque communis. Unde legitur *Sap.* II. 24. ὅτι ὁ θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν, φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες, *quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius*, apud *Vulgatum*; quem locum citans *Eugubinus* dixit, *Hebræus ſive Salomon ſive Philon aſſenſus eſt.* Nec quidquam notius eſt, quam quod Judæi loquuntur de *Sammaele, principe magno in cœlis*, qui, cum deſcendiſſet cum conſortio ſuo, *adſcenderit Serpentem & inequitaverit illi*, ita quidem ut *Serpens quæcunque opera patrabat & verba loquebatur, ea non niſi ex ſuggeſtu Sammaëlis egerit ac profatus ſit*; uti reperimus apud R. *Eliezerem Cap.* XIII. Et monet etiam *Maimonides Mor. Neb. Part. II. Cap.* 30. *non prætereundum quod in Midrash adducunt Sapientes, Serpentem equitatum fuiſſe &c. & ſeſſorem ejus fuiſſe illum qui decepit Evam, hunc que ſeſſorem fuiſſe Sammaelem, quod nomen abſolute uſurpant de Satana. Invenies enim, quod in multis locis dicant, Satanam voluiſſe impedire Abrahamum ne ligaret Iſaacum, ſic voluiſſe impedire Iſaacum ne obſequeretur voluntati patris ſui; alibi vero in hoc eodem negotio dicunt, venit Sammael ad Abrahamum patrem noſtrum, & dixit ei, annon ſenex perdidiſti mentem tuam? annon inſanus es? &c. Sic itaque apparet, quod Sammael ſit ipſe Satan, & quod per illud nomen certi & occulti aliquid ſignigni-*

gnificetur, ſicut per nomen Serpens &c. Utique nihil eſt certius, quam nomen סמאל / *Sammael*, à Judæis ipſis paſſim exponi de *Angelo Mortis, defectionis, & perditionis*, de *Capite cætuum malignorum*, de *impio Principe omnium Dæmonum, &c.* qui & *toti mundo mortem cauſatus eſſe* dicitur, apud *Buxtorfium in Lexico*, & de *Satana*, quod nomen Hebræum etiam per literarum numerum fere convenire cum שמן obſervatur; ſive illud ſit derivandum à סמא / ob Diaboli *cæcitatem* propriam aut hominum *excæcationem*, ſive à סמל *ſimulachro* vel *idolo* in quo dæmon colebatur, ſive à שמאל *ſiniſtro*, intuitu malitiæ maledictionis & miſeriæ ſubjectivæ & effectivæ, ſive à סר מאל / vel *receſſione & abductione à Deo*, ſive aliunde. Accedit, quod ab ipſo *Pherecyde Syro* obſervant cum *L. Vive ad Auguſt.* dici *dæmonas è cœlo a Jove fuiſſe deturbatos, quorum princeps dictus ſit Ophioneus, i. e. Serpentinus*; quod manifeſtam ad hanc tentationem Serpentis habet relationem, & cum quo confer quæ ex *Sanchuniathone* habet *Euſebius Præp Euang. Lib. I.* περὶ ἧς παρ' αὐτῷ λεγομένης ὀφιωνέως θεᾶς καὶ τῶν ὀφιωνιδῶν. Et adde, ſi placet, ad rem ipſam confirmandam *Auguſtini* obſervationem *Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 28. *Etiam hoc enim non parva teſtatio eſt, creaturam primitus humanam Serpentis ſeductam eſſe colloquio. Gaudent enim dæmones, hanc ſibi poteſtatem dari, ut ad incantationem hominum ſerpentes moveant, ut quolibet modo fallant quos poſſunt. Hoc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quod ſit eis quædam cum hoc genere familiaritas &c.*

XIV. Hoc vero ſi ita eſt, quod Diabolus per Serpentem heic ſit operatus & locutus ad hominis ſeductionem, *cur id tacuit plane Moſes?* rogant increduli & irriſores cum & præ aliis. Sed ſi tacuerit Moſes, annon ſufficit ad fidem, Chriſtum cum Apoſtolis ſuis id dixiſſe? Nec tacuit prorſus Moſes, quando ex eo hoc agnoverunt Judæi, & tam Serpentis ſcelus quam pœna monſtrant ei Diabolum ſubfuiſſe. Quod vero explicite ipſe non habeat Spiritus Mali nomen, id ex eo fluit, quod ipſe rem omnem uti externe ad viſum & auditum hominis geſta eſt nobis exponere voluerit, heic æque quam in aliis plurimis capitibus, ulteriori induſtriæ noſtræ inquirendum relinquens id quod inviſibiliter adfuit. Quod non male expreſſit *Pererius*; *Moſen rei geſtæ Scriptorem, non Interpretem egiſſe, & idcirco qualis res viſa eſt talem ab ipſo eſſe deſcriptam, non item explicatum quem ad modum ſe revera haberet &c.* deſcriptis fere verbis *Moſis Bar Cephæ de Parad. Part. I. Cap.* 27.

Quod adverſus triplicem Objectionem defenditur.

Digitized by Google

Hoc ita quo pacto poteſt eſſe, inquiunt alii, ubi *nulla* hactenus *Angelorum creatorum*, nedum *lapſorum*, facta eſt apud Moſen mentio? At quid familiarius eſt, quam rei anteà neglectæ ex occaſione dein nata demum poſtea fieri mentionem? uti de Paradiſo ipſo apud hominem introductum demum loquitur Moſes. Et quid manifeſtum magis, quam de Eccleſiæ originibus & fatis locuturum ad hujus inſtructionem Moſen non tam de inviſibilibus quam dè viſibilibus creaturis egiſſe? dum tamen apud *Cœlum* & perfectum *Cœlorum Exercitum omnem* etiam omnino de Angelis cœli ſupremi incolis & exercitibus cogitare licet & decet, & ex horum ad malum incitatione apud homines propria ipſorum apoſtaſia conſtat. Quæ an per ſuperbam Deitatis affectationem ad quam hominem Diabolus voluit impellere, an per invidiam in genus humanum tanquam ipſi nimis propinquum, an alio aliquo modo contigerit; & an longe ante hominis ſeductionem, an vero circa idem tempus; nec adeò certum eſt, nec heic per digreſſionem minus neceſſariam inquirimus, quando ad narrationis Moſaicæ & noſtræ exegeſios veritatem hoc ſufficit quod ante hominem lapſus ſit Diabolus ſeductor. Denique *quam ſpeciem veri*, inquiunt, *hoc habet*, quod Spiritus incorporeus & in infernum dejectus non tantum operetur in Corpus brutum, ſed & Serpentis, ita ut illud ineptiſſimum loquatur humano more, per miraculum longe majus quam fuit Domini ipſius in loquela Aſinæ Bileami, & Servatoris noſtri in ſanandis hominibus mutis? Sed nos talia ratiocinia nec quærimus adverſus hiſtoriam ſacram, nec æſtimamus inventa ab aliis, ſi ſumus vere Chriſtiani, adeoque Deo narranti credimus in iis etiam rebus quæ rei aut modi reſpectu captum noſtrum longiſſimè ſuperant. Imo dum conſtat ex tam multis aliis exemplis, inprimis autem ex Dæmoniacis hominibus, de quibus cum aliqua cura egimus olim *EXERC. TEXT. XXIX. Part. I.* & quorum exemplum huc etiam contulit *Auguſtinus Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 28. quantum non obſtante ſpirituali natura ſua & manſione ordinaria Infernali valeant Deo permittente Spiritus Mali in Hominum terram habitantium Mentes & Corpora; haud ſane mirari poſſumus, ex Serpentis corpore bruto & minus per ſe apto humanas voces Diabolum potuiſſe edere ad tempus, quod certe longe minus eſt quam hominibus mutis propriæ loquelæ uſum in perpetuum dare vel reddere. Nec eſt opus ſane, ut diſputemus de Aſinæ ad Loquelam aptitudine majori aut minori præ Serpente quæ interius minime cuiquam conſtat, quando de Simu-

la-

Digitized by Google

lacris inanimatis & de brutis locutis ope Dæmonum tam multa habent Gentiles, de quibus etiam videri poteſt *Gerh. Joh. Voſſius de Idol. Lib. III. Cap.* 44. *canemque locutum in prodigiis, & ſerpentem latraſſe cum pulſus eſt regno Tarquinius* narrat *Plinius Lib. VIII. Cap.* 41. In quibus Gentilium narrationibus ſi multa ſint fabuloſa, de divinis utique nihil tale cogitari poteſt. Optime *Auguſtinus Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 27. *In Serpente ipſe locutus eſt Diabolus, utens eo velut organo, movenſque ejus naturam eo modo, quo modo ille vere movere & moveri illa potuit ad exprimendos verborum ſonos & ſigna corporalia, per quæ mulier ſuadentis intelligeret voluntatem, &c.*

Quid Diabolum ad Hominis Seductionem moverit.

XV. Quid vero, rogas, impulit Angelum Lapſum, ſeu Diabolum horum omnium caput, de quo ob emphaſin conſtantem numeri ſingularis, & Chriſti ac Apoſtolorum autoritatem, & operis magnitudinem, heic maxime cogitandum eſt, ad Hominem tentandum ac ſeducendum? Ad hoc ego ſi dixerim, me id neſcire, rem verè geſtam tu tamen mecum credere teneberis; quando ob ignoratum rei finem ipſam illam nobis narratam incredulitate non licet rejicere. Sed videmus facile, Angelo Defectori convenire haud exiguum *Odium* in Deum & bonum omne quod huic placet ac ad gloriam hujus facit, pro ſumma illa malitia à qua ὁ πονηρὸς appellatur; unde conjici poteſt fluxiſſe, quod à Deo & bono ad malum hominem quoque abducere voluit. Tum & accedit in ipſo perverſus ſui ipſius *Amor*, per quem voluit non tantum culpæ & pœnæ ſocios apud homines quos apud Angelos non poterat invenire plures, ſed & tyrannici imperii ſui ſubjectos complures, quales per peccatum fierent. Tandem *Invidiam* in ipſo agnoſcere oportet ſummam adverſus humanum genus, non tantum jam ſalvandum in Chriſto, ſed & olim felix præ ipſo lapſo & plene per obedientiam beandum, cujus ille ſtimulis non minus ad ſeductionem impulſus fuit. Unde & φθόνον δ διάβολε heic nominari videmus *Sap.* II. 24. quem locum ſpectans *Ambroſius de Parad. Cap.* XII. dixit; *Quæ autem cauſa inimicitiarum niſi invidia, ſicut Salomon ait, &c. Invidiæ autem cauſa beatitudo hominis in Paradiſo poſiti. Et ideo quoniam ipſe Diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, invidit homini, eo quod figuratus è limo ut incola Paradiſi eſſet electus eſt. Conſiderabat enim Diabolus, quod ipſe qui fuiſſet ſuperioris naturæ in hæc ſecularia & mundana ceciderat, homo autem inferioris creaturæ ſperabat æterna. Hoc eſt ergo quod invidet dicens; iſte inferior adi-*

piſ-

piſcetur quod ego ſervare non potui? iſte de terris migrabit ad cœlum, cum ego de cœlo lapſus in terram ſim? &c. Uti latiſſime Invidiam iſtam exſecutus eſt *Bar Cephâ de Parad. Part. I. Cap.* 27. & Veteres nobiscum vulgo de *Invidia* tanquam *peccato Diabolico* loquuntur. Et nota ſunt præterea colloquia Angelorum cum Deo & inter ſe, quæ juxta *Muhammedanos* fingunt *Judæi*, cuncta in invidiam exeuntia, de Homine primum non creando, deinde non adorando, apud *Raimundum Martini in Pugione Fidei Part. III. Diſt. II. Cap.* 5. quin & de eo in peccatum inducendo abſque quo nihil in eum poſſent, apud *R. Eliezerem Cap.* XLIII. Dum tamen Invidia Incarnationis futuræ Meſſiæ, quam Deus ſcilicet Angelis revelaverit jam tum, heic locum nullum reperit; licet de ea poſt *Veteres* aliquos nonnulli *Scholaſtici* diſſeruerint hoc loco.

Cur Diabolus per Viſibile Corpus, & quidem Serpentis, tentaverit hominem.

XVI. Quid amplius, a Idis, movit Diabolum, ut per Corpus viſibile, & quidem Serpentis, tentationem ſuam inſtitueret? Et hoc nos ignorare poſſemus tuto, dum conjecturæ ab ævo heic multum variarunt. Communiter utique Corpus viſibile hunc habebat uſum apud Mulierem, ut tam viſum quam auditum Evæ afficeret, & haberet ſic eam magis attentam, quin & familiarius cum Muliere corporea agere poſſet; quorſum & ſpectant Corpora deinde ab Angelis aſſumpta vere vel externa ſpecie apud homines lapſos. *Sua naturali ſpecie non eſt illam adortus, quia magis etiam conſternata ipſa fuiſſet, ſi ejus qui videndi ſenſum falleret verba audiſſet, eoque minus obſecuta fuiſſet dictis*, inquit *Bar Cepha*. Qui etiam addidit; *Sane humana ſpecie non apparuit, quod ſciret Evam non ignorare, alium præter ſe ſuumque maritum hominem nullum eſſe, neque vero Deus illi permittebat ut hominem ſimularet, ne juſtam haberet Eva erroris ſui excuſationem, conſpicata hominem ſibi ſimilem à quo falleretur. Porro Divina, quali Dominus noſter in monte, vel majorum beſtiarum, quales ſunt cameli, elephantes, &c. figura non apparuit, quod hæ ſpecies nimio metu concuſſiſſent perturbaſſentque Mulierem, nedum ad auſcultandum verbis ſuis induxiſſent &c.* Sed ſic manet adhuc *Quæſtio* apud ipſum *Septima, cur præ cæteris beſtiis Anguem ſibi Satanas in organum delegerit?* Ad quam ſciendum eſt, multos ab ævo inculcaſſe Dei Juſſum determinatum, ut in Serpente animali inſidioſo & לכיש חכים *ſapienti ad malum* juxta phraſin *Jonathanis* fraus Satanæ innoteſcrete Mulieri citius, cum *Auguſtino Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 3. *Nec ſane de-*

be-

bemus opinari, quod Serpentem ſibi per quem tentaret perſuaderet que peccatum Diabolus eligeret, ſed cum eſſet in illo propter perverſam & invidam voluntatem decipiendi cupiditas, non niſi per illud animal potuit per quod poſſe permiſſus eſt. Nocendi enim voluntas poteſt eſſe à ſuo quoque animo prava, non eſt autem poteſtas niſi à Deo, & hoc abdita altaque juſtitia, quoniam non eſt iniquitas apud Deum. Quam ſententiam ſuam quoque facit *Bellarminus de Amiſ. Grat. Lib. III. Cap.* 3. & ſequentem in modum illuſtrat; *Cum mens Diaboli eo tenderet ut ſeduceret, facilius ſperare potuit ſe conſequuturum quod quærebat, ſi inſidias tegeret, quam ſi aperiret. Tegeret autem, ſi columbam aut ovem aſſumeret, quæ ſunt animalia naturæ ſimplicis & innocentis. Sed voluit Deus, ut ſi Diabolus hominem tentare vellet, id non faceret niſi per Serpentem, ut ſicut Diabolo permittebat tentare, ita hominem admoneret ex ipſa forma Serpentis, quem callidum animal eſſe non ignorabat, ut caveret inſidias.* Quæ & ſententia *Lombardi* fuit, niſi quod hic addidit, non fuiſſe conſentaneum ut in ſpecie columbæ veniret Dæmon, *ne per immundum & malignum ſpiritum redderetur homini columba inviſa & exoſa, in cujus poſtea ſpecie Spiritus Sanctus hominibus erat appariturus*; & inviſibiliter in ſua ſpecie non veniſſe Dæmonem, *ne aperte cognitus ſtatim repelleretur.* Non videtur tamen heic ſibi ſatis conſtare *Auguſtinus Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 11. *Poſtea vero quam ſuperbus ille Angelus ac per hoc invidus, per eandem ſuperbiam à Deo ad ſemet ipſum converſus, & quodam quaſi tyrannico faſtu gaudere ſubditis quam eſſe ſubditus eligens, de ſpiritali paradiſo cecidit &c. maleſuaſa verſutia in hominis ſenſum ſerpere affectans, cui utique ſtanti quoniam ipſe ceciderat invidebat, Colubrum in paradiſo corporali, ubi cum duobus illis hominibus maſculo & fœmina animalia etiam terreſtria cetera ſubdita & innoxia verſabantur, animal ſcilicet lubricum & tortuoſis anfractibus mobile, operi ſuo congruum, per quem loqueretur elegit, eoque per angelicam præſentiam præſtantioremque naturam ſpiritali nequitia ſibi ſubjecto & tanquam inſtrumento abutens, fallaciam ſermocinatus eſt fœminæ &c.* Uti in hac poſtrema ſententia omnino etiam præiit *Chryſoſtomus Serm.* XVI. *in Gen.* ὁ ἀρχέκακος δαίμων ἐυρὼν τὸ ϑηρίον τοῦτο, τὸ ὄφιν λέγω, τὰ ἄλλα ϑηρία τῇ φρονήσει νικῶντα, καθάπερ καὶ ὁ μακάριος Μωϋσῆς ἐμαρτύρησεν &c. τούτῳ ὥσπερ τινὶ ὀργάνῳ χρησάμενος, &c. Scilicet oritur hæc ſententia ex eo, quod verba prima Moſis de Serpentis aſtutia refe-

rantur ad beſtiam ipſam communiter & antecedenter ad Tentationem hanc; quod an fiat ſatis recte, haud exiguam eſſe dubitandi rationem antea ſuo loco patuit; & reſpondet ad hoc *Bellarminus*, rationem eam valituram eſſe ſi ea quæ naturaliter animali competit calliditas quidquam faceret ad Evæ deceptionem inſecutam. Iſtam tamen tanquam ex Moſe rationem primo loco quoque dedit *Bar Cepha*, porro ſubjiciens; *Deinde cum Anguis letali veneno plenum animal ſit, conſentaneum erat, ut vel propter naturæ congruentiam mortiferum ſuum toxicum commiſceret Satanas cum Serpentis veneno. Tertio, ut idem uſu veniret Satanæ quod filio illi prodigo; is enim poſtquam ſummo honore excidiſſet in eas redactus eſt vitæ miſerias ut porcos paſcere cogeretur, ſic ſcil. Satan ex ſua delapſus gloria in anguem ſe inſinuavit. Quarto, ut cum eſſet aliquando anguis ſuper ventrem ſuum proreptarus, id ipſum humi ſerpere Diaboli qui in Angue latuerat nobis caſum oὺ oculos poneret. Denique ita natura comparatum eſt ſerpentum genus, ut occulta quadam veluti fraternæ indolis conjunctio ipſi cum dæmonibus intercedat, etſi ea nos lateat.* Sed iſtæ rationes ſunt varii admodum generis inter ſe. Ego Divinæ providentiæ diſpenſationem ſapientiſſimam & ſanctiſſimam heic uti in omnibus aliis lubens agnoſco, per quam ab eventu beſtia hæc multas accommodationes admittit. Attamen puto, nec ad prodendas nec ad occultandas inſidias hanc à Diabolo electam eſſe beſtiam præ aliis quam obſideret; ſed, tum quod illam maxime propinquam aut præſentem alias vel nunc homini apud Arborem Scientiæ reperiret, (*συνήθη ἦσαν τῷ ἀνθρώπῳ πρὸς τὰ λοιπὰ ζῶα*, dixit *Cedrenus*,) tum quod intus illa non male eſſet diſpoſita ad præſentem Satanæ conatum, tum denique quod extus per formam gratam & agitationem celerem variamque intuentis mulieris oculis ſe haud parum commendare etiam poſſet.

Quo modo ad ſermonem Serpentis non exhorruerit vel obſtupuerit Mulier.

XVII. Mirari utique ſubit, quod nequiverint ab ævo multi capere, quo pacto Mulier à viſo Serpente non abhorruerit, atque hinc ſpeciem illi aliam & præſtantiorem multiplicem affinxerint, addito etiam nonnunquam Virgineo vultu. Nihil enim eſt in Serpente per ſe horridum, ſed cum colore præſtanti & vario alia quoque ſatis grata. Verum horror hic omnis eſt ex vi nocendi hominibus & poſita poſt peccatum inimicitia. Quamobrem recte heic ſcripſit *Chryſoſtomus Serm.* XVI. *in Gen.* λογίζε ἀγαπητὲ ἐκ τούτου, πῶς οὐδὲν ἦν ἐν προοιμίοις φοβερὸν τὸ ζῶον τὸ γεγυμένον ἐπὶ τῷ ἀνδρὶ

ἀνδρὶ ὅπῃ τῇ γυναικὶ, ἀλλὰ ἡ ὑποταγὴν καὶ ἡ διαστολὴν ἐπηγάγωσε, καὶ καθάπερ νῦν τὰ ἥμερα ὅτω καὶ τὰ ἄγρια καὶ ἀπήμονα πότε χαιρὸν ἐτύγχανεν. Sed hoc magis conſiderari meretur, quo pacto vel non obſtupuerit Mulier, vel non ſubolfecerit fraudem, adeoque ſermonis commercium denegaverit omne, ubi ab Animali bruto nec humanas voces vel ſonum aliquem notabilem edere ſolito audivit ſermonem rationalem proferri. Tollitur autem hoc dubium gemino modo; vel ut dicatur, Mulieri non fuiſſe Animantium omnium naturas ita adhuc perſpectas, ut non poſſet aut credere aliquorum ex his loquelam naturalem aut ſaltem dè ea ſuſpicari ubi audiret; vel ut Spiritus alicujus præſentiam & operationem in animali hoc agnoverit quidem, ſed abſque ſuſpicione malitiæ & metu qui fuit dein ex peccato. Prius tenet inter alios *Cyrillus Lib. III. c. Julian.* ζῶν γὰρ τὸ τηνικάδε λογικὸν μὴ ὄντος ἑτέρου, ἐξ ἀπλότητος τῆς ἄγαν ᾠήθη τὸ γύναιον τάχά που καὶ ἑτέροις ζώοις δεδόσθαι ἀνθρωπείαν δύναμιν τετρῆσθαι φωνῇ. Et ſequuntur hoc Autores plures, *ignorantiam* hanc vocantes *non pravæ diſpoſitionis* ſed *puræ negationis*; quam tamen in Adamo heic ponere non audent, attamen deberent ob Serpentis ſermonem à Muliere ad ipſum delatum. Sed vix hoc concilies cum neceſſaria ſapientia Evæ, quod loquelam & rationem ante initium lapſus potuerit agnoſcere magis aut minus certò in ullo Animali aut Beſtia terræ, quam omnem ſibi Viroque ut ſolis rationalibus creaturis ſubjectam plane acceperat. Altera ſententia, quæ autoritate *Ruperti* & *Thomæ* apud *Papiſtas* ſolet commendari, plus omnino habet veriſimilitudinis; quando per naturalem ſuam ſapientiam & experientiam aliquam præteriti temporis potuerunt ſcire Protoplaſti Angelorum creationem & poſſibilem ſecum per alia quoque corpora communicationem, & tamen ignorare aliquorum ex ipſis lapſum, qui & forte non niſi circa ipſum tempus Tentationis contigit. Hinc ergo non erat, ut ex audito ſimpliciter ſermone vel adeo obſtupeſceret, vel dè fraude cum metu cogitaret neceſſario; quam tamen quod per interrogationem aſtutam non cœperit ſeu agnoſcere ſeu conjicere, cum colloquii abruptione & converſione ſeria ad Deum, hoc ipſum pro erroris & lapſus initio jam habendum eſt. Optime hinc dixit *Chryſoſtomus Serm. XVI. in Gen.* Ἐπειδὴ δὲ, οὐκ οἶδ' ὅπως, παρασυρῆναι ἠνέσχετο τῆς ὁμιλίας πρὸς τὸ ὄφιν, οὐ διέκοπτε τὰ ἀληθῆ ῥήματα τοῦ Διαβόλου δεῖξαι τούτου ὡς ἦν ὀργάνου, ἀπήλθον ἂν ἀδήλως μαθοῦσαν ὅτι τοῦ παρ' αὐτοῦ λεχθέντος τὸ

ἐναπόψιν τ῀ ῥημάτων, καὶ ὅτι ἔπερ μὴ ὁ δημιυργήσας προστάξει, ὕπερ ἢ ἔτθ᾽ ἀπειναντίας τῷ δημιυργῷ ἔλεγεν, ἀποσφῆσαι καὶ φυγεῖν λοιπὸν ἢ πρὸς αὐτὸν ὁμιλίαν, καὶ βουλύξασθαι ἢ τολμήσαντα ἢ οἰκεῖαν γλῶσσαν ἀκοντίσαι κῆ τ῀ δοθείσης αὐτοῖς ἐντολῆς, ἀλλ᾽ ὅλα ἢ πολλὴν ἀπροστιξιαν ὁ μόνον οὐκ ἀπεσφῆλε, ἀλλὰ κῆ ἢ ἐντολὴν ἅπασαν αὐτῷ ἐκκαλυπτει, καὶ τὸς μαρμαρίζως τῷ χοίρῳ προπήδησι, &c.

CAPUT SEXTUM.

Quo Seductionis Humanæ per Serpentem Proceſſus declaratur.

Tranſitus à Tentatore ad Tentationem hominis.

Vidimus Serpentem diſtinctius, à quo homo primum tentatus fuit ad defectionem à Deo, quique à calliditate præ aliis beſtiis commendatur magnopere, *non tam ob naturam* communem ſuo generi, *quam* ob *Diaboli* ἐνέργειαν ipſi ſpecialem; uti nobiscum etiam judicat *Aug. Pfeifferus in Dubiis Vex.* Videnda nunc ſimiliter ipſa ejus Tentatio, quâ calliditatem ſuam demonſtravit cum Lapſus humani calamitoſo effectu. Quod argumentum cum priori non tantum magnopere illuſtratum eſt haud ita pridem ex Hebræorum ſcriptis à *Joh. Friſchmuth* & *Til. Andr. Rivino*, Viris Auguſtanæ confeſſionis, ſed & doctiſſime atque ſubtiliſſime adverſus *Balthaſarem Bekkerum* tractatum ante aliquot annos à *Clar. Paulo Hulſio*, Theologo Groningano meritiſſimo, Diſputationibus aliquot Academicis, quas cum aliis colligi in communiorem uſum deſiderat dudum Orbis vere ſolideque eruditus. Quapropter poſſem ego hoc labore ſuperſedere, niſi continuatum Hiſtoriæ Paradiſiacæ filum aliquid de hac re à me quoque dici exigeret; licet hoc minus forte elaboratum haud immeritò queat videri.

Quædam heic gratis extra Moſen finguntur ſeu conjiciuntur.

II. Multa heic ab ævo à Judæis & Chriſtianis deprehendimus vel plane efficta vel vane conjecturata, de quibus nihil habet Moſes, quæque hinc minimè digna ſunt ut nos detineant; v. g. quod varie cum Muliere ante ipſam ſeductionem luſerit Serpens, etiam circa collum & brachia ejus ad ornatum ſeſe inflectens; quod Mulieris carnali amore fuerit ductus; quod ipſe Arborem Scientiæ conſcenderit, ejuſque fructum tetigerit & ederit abſque damno; quod colloquium plus quam unum, & nunc etiam longius, cum Muliere habuerit ante ea quæ Moſes narrat &c. cujus & argumentum omne ali-

Digitized by Google

aliqui satis audacter enarrant Viri Docti. Ita nempe ipse *Jac. Salianus in Annal. ad Diem* 13. *M.* postquam complura Serpentis consilia sollicite enarrasset, addit ; *Ipsa etiam verba exquirit quibus se in Mulieris benevolentiam insinuet, statum ejus prædicat felicissimum atque ipsis prope cœlestibus invidendum , in eam dignitatem atque auctoritatem evectos, ut eis cœlum terra & omnia elementa deserviant , omnia animalia placide famulentur , miratur insignes animi corporisque dotes , pulchritudinem , incolumitatem , vitam lætitiæ plenam , mortis expertem , rerum divinarum humanarumque scientiam ac libertatem , unum tamen aliquid deesse &c. Neque nos*, addit, *hæc tantum ex eventis & humana ratione comminiscimur , nam plerique existimant non fuisse hoc initium verborum Serpentis , cur præcepit vobis &c. sed post alia verba eo deventum esse &c.* Sed iste indecentis φιλοτεχνίας vanissimus est prætextus ; quando, admissa verborum Serpentis Mosaica abbreviatione, nobis non licet tamen illa alterius plane argumenti comminisci, & de rerum necessariarum omissione Mosen temere sic accusare. Sed videntur revera, qui ista & similia fingunt, astutiam Serpentis tanquam minorem calliditate ingenii sui velle supplere.

Facta omnino est Tentatio per intelligibilem Serpentis Loquelam.

III. Hoc generatim de Serpentinæ Tentationis Modo firmissimè tenendum est, quod ea per *Loquelam* intelligibilem , & quidem *ad Mulierem* , eamque *solam* , contigerit ; scribente Mose semel, utique de Serpente proxime nominato, ויאמר אל האשה / καὶ εἶπεν ὁ ὄφις τῇ γυναικί , *qui dixit ad mulierem* , secundum LXX. & *Vulgatum*, & dein iterum, ויאמר הנחש אל האשה / καὶ εἶπεν ὁ ὄφις τῇ γυναικί, *dixit autem Serpens ad mulierem.* Utique quando *dixisse* Serpentem refert Moses, & quidem voces articulatas rationales ad seductionem appositas ac ad Mulieris responsum accommodatas , quales vicissim Mulieri tribuit ad Serpentem ; apparet , heic significari *sermonem* corporalem verum in lingua homini nota & usurpata tum adhuc una , non autem vel interiorem Mulieris dormientis aut abreptæ affectionem per phantasiam , vel צפצוף *sibilum* ordinarium Serpentis inarticulatum, vel *nutum* & *gestum* ejus visibilem. Mirum est enim , quo pacto cogitare potuerint homines de interiori affectione non tantum, ubi omnia tanquam externe & visibiliter gesta refert Moses circa Arborem, sed & de posterioribus illis, ut Diabolum hinc arcerent. Ineptissimum sane est , sonum solitum Serpentum velle habere pro loquela , quam licet nos hodie non intelligamus

Eva tamen ſimul cum lingua aliorum animantium calluerit; quemadmodum aliquos Judæos rem accepiſſe narrat *Aben Ezra*. Quamquam ad id corroborandum poſſet videri facere illud *Sexti Empirici Lib. I. Pyrrh. Hypot.* ὅσῳ ταῦτα εἰκότως λέγοι τ' ἄν, καὶ ὃ σοφοείκῃ μετέχειν λέγω τὰ καλέμβια ἄλογα ζῶα: quod aliquanto quidem rectius ſed tamen ſatis dure expreſſit *Lactantius de Ira Dei Cap.* VII. *nam cætera quæ videntur homini eſſe propria, etſi non ſunt talia in multis, tamen ſimilia videri poſſunt, proprius homini ſermo eſt, tamen & in illis quædam ſimilitudo ſermonis, nam & dignoſcunt invicem ſe vocibus, & cum iraſcuntur edunt ſonum jurgio ſimilem, & cum ſe ex intervallo vident gratulandi officium voce declarant, nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, ſicut illis fortaſſe noſtræ, ſed ipſis qui ſe intelligunt verba ſunt, denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt quibus habitum mentis oſtendant &c.* deinde etiam *Intelligentiam & Cogitationem* brutis animalibus tribuens. Sed qualiacunque ſint externa ſoni indicia in brutis, per quæ interni motus exprimantur, tum apud bruta alia tum apud homines, multum illa ſane differunt ab articulata voce cum ratiocinatione facta, qualis nobis heic occurrit ut aſtutiæ ſerpentinæ index & cauſa ſeductionis hominis ſapientis. Nec magis valet alterum ἔνθημα *Abarbenelis* de indicio aliquo reali in factis Serpentis abſque ſono ullo, ex quo hoc collegerit Eva quod illi dixiſſe fertur Serpens. *Serpens*, inquit ille ex verſione non *Friſchmuthi* ſed *Rivini*, *non locutus eſt quicquam ad mulierem, nec Mulier ad ipſum, cum iſte non gaudeat loquela. Indeque non dicit Scriptura de eo, & aperuit Deus os Serpenti, ſicut dicitur de Aſina Bileami &c. At de Serpente non dicitur, quod aperuerit os ſuum, quia ſimpliciter non locutus eſt, nec per naturam, nec per miraculum. Sed res ita ſe habet. Vidit ea Serpentem aſcendere in Arborem Scientiæ & comedere de fructibus ejus aliquoties, nec tamen mori aut ullum inde detrimentum capere. Conſideravit hoc fœmina, & perpendit ſecum animo, quaſi loqueretur cum Serpente, & hic aſcenſu ſuo in iſtam Arborem & eſu fructus ejus diceret ad ipſam, non moriemini. Ipſa quoque in meditatione ſua reſpondit quaſi ad hoc. Huc facit Iob.* XXXV. 11. *&c. Nam ipſa ſibi fecit imaginationes & cogitationes ex actionibus Serpentis. Atque hæ, hæ inquam, ſunt illa verba quæ Serpenti textus tribuit. Nec eſt quod mihi objicias expreſſe ſcribi, & dixit ad mulierem. Nam per illud dicere indicatur ſententia quam ex actione Serpentis ipſa*

ipſa collegit. Hoc ſenſu dicitur Iob. XII. 7. *&c. & Cap.* XXVIII. 14. 22. *& Pſal.* CXLVII. 7. *&c. Et in confeſſo eſt, iſta Entia deſtitui intellectu, nec loqui nec dicere nec narrare nec laudare, ſed per actiones ſuas, quando has attendunt homines atque hinc loquuntur laudant enarrant, ipſa quaſi loquuntur & annunciant illis ſermones ac laudes iſtas. Hinc in principio narrationis hujus dicitur, & ſerpens erat callidior omni beſtia agri. Verum non erat calliditas ejus Scientia & Intelligentia & argumentationes probabiles, ſed in eo conſiſtebat quod Arborem conſcenderet ad comedendum pro ſatietate fructum illius; id quod reliqua Animalia agreſtia non fecerunt. Et ideò non meminit Volucrium, ſed ſolum Beſtiarum agri. Eadem quoque de cauſa non dicitur aſtutus præ Homine, quia ſcil. aſtutia ejus non erat in intellectu ac ſermone ſicut in iſto, ſed inquiſitione alimenti ſui præ cæteris animalibus campi &c.* Cujus tamen ſententiæ argumenta alia ipſe late addidit; quod exegetice in textu ſit ſubjectum, *& vidit mulier*, q. d. abſque auditis verbis ullis ex actionibus Serpentis hoc omne elicuit; quod ad Serpentem dein dicatur, non quia dixiſti hoc, ſed *quia feciſti hoc*; quod neque Mulieri à Deo dictum ſit, *quia obediviſti voci Serpentis*; quod Mulier denique dicatur *vidiſſe Arborem eſſe bonam ad veſcendum*, quando illam nondum eſu tactuve probaverat ipſa, ſed conſequenter viderat hæc facta à Serpente, &c. Mirantur autem non immerito Docti, hoc Judaicum commentum potuiſſe placere Viro Doctiſſimo *Simeoni de Muis in Variis Sacris*, ubi poſt expenſas ſententias alias, & refutatas nonnullas leviter alias valide, uti illam de ſibilo nutu & ſigno, *ut demus ita eſſe, quis tandem aut quid induxit Serpentem ut Evam falleret? & quis eum modum aut artem docuit qua circumveniri capive poſſet? qui ſcire quæſo potuit Serpens quid homini Deus edixiſſet aut vetuiſſet? anne Dei alloquentis Adamum verba alicunde exceperat? &c.* ſubjecit; *Acutiſſime omnium ſenſiſſe mihi videtur Abarbanel, qui negat Mulierem unquam alloquutam Serpentem huicque illam reſpondiſſe, quod neque Serpens ſermonis particeps ſit &c.* Sicuti dein ad quæſtionem, cur igitur ſerpens punitus ſit, reſpondet ex *Abarbenele*, id factum, quod herbis & graminibus non contentus aſcendiſſet in Arborem ad fructus decerpendos. Utique ad talem objectivam Loquelam, rebus irrationalibus alias in Scriptura tributam, non eſt abſque neceſſitate veniendum in exegeſi; in primis, ubi illa hiſtoricè ultro citroque nobis exhibetur inter Serpen-

tem

tem & Mulierem loquelæ proprie dictæ capacem ; & ubi tam sequens de pœna agens contextus, quam reliqua Scriptura, nos ad Diabolum ducit, qui ἀπὸ τ ὄφεως διελέχθη τῇ ἕυᾳ, & δι ἐνὸς αὐτῆ τ ὑπηκόων τ παγίδα ἀφεσπείγκε, ut fuerit ὁ ὄφις ὄργανον τ τ ἀληθείας ἐχθρᾶ, Domino in Euangelio id declarante, uti sic disseruit *Theodoretus ad Quæst.* XXXII. *in Gen.* Nec sunt rationes adductæ pro ea torsione alicujus ponderis. Utique sicut non potuit heic dici, Deum aperuisse os Serpentis, quia per Dei permissionem heic operabatur Satanas; ita sufficienter dictum est, Serpentem aperuisse os suum, quando is fertur esse locutus, quoniam hoc per apertionem qualemcunque oris fit. Et quemadmodum minime potest demonstrari iste qui supponitur ascensus & esus Serpentis de Arbore Scientiæ; ita in illo non nisi mediocris admodum astutiæ argumentum deprehenditur, quod nec in omnibus aliis bestiis terræ deesset; & haud fuisset adeò facile aut conveniens Mulieri ex illo concludere, sibi esum eundem licere contra Dei interdictum ; & si potuisset hinc à metu mortis secuturæ liberari per pravum ratiocinium Mulier, non potuisset tamen similitudinem Dei & perfectam sapientiam inde sperare, utpote quam in Serpente non deprehendebat, inaniter huc trahenda astutia illa conscendendæ ad esum Arboris. Quod postremum recte quoque notavit *Clericus*; *Collegisse eam vult ex Serpentis exemplo, salubrem esse fructus interdicti usum. Quæ sententia non satis convenit cum verbis, eritis instar deorum &c. quorum sensus ex Serpentis actione elici non potuit.* Verba illa porro, *& vidit Mulier*, non sunt exegetica priorum sermonum, sed declarant, quid ex sermonibus illis sit consecutum & vicissim ultimò esum fructus sit operatum. Verba alia Dei, *quia feciſti hoc*, intelliguntur de ipsis dictis Serpentis, quoniam referuntur ad illa Mulieris præmissa, *Serpens seduxit me*, quod verbali suasione factum refert Moses. Verba ista, *quia obediisti voci Serpentis*, si non ad Mulierem à Deo sint dicta, quæ etiam Viri seducti erat rea, subintelliguntur tamen in sententia justa; neque illic etiam legitur, quia secuta es exemplum Serpentis edentis, quod ab adversa parte heic subintelligitur. Verba adhuc illa, quod *Mulier viderit Arborem esse bonam ad vescendum &c.* quæ jam antea illustravimus *Lib. I. Cap.* XVIII. §. 12. non spectant ad observatum Serpentis esum de ea, sed ad visibilem fructus præstantiam cum aliis fructibus collatam, ex qua bonitatem ad esum ipsa collegit. Punitio denique Serpen-

pentis eſt facta propter Seductionem, non autem propter Eſum, quem Serpenti æquè ac homini de hac Arbore fuiſſe interdictum minime nobis conſtat. Quod amplius apud hanc ſententiam habet *Clericus, certe Pœna Serpenti inflicta infra verſ. 14. pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ, indicare videtur Serpentem comedendo fructum Arboris Hevam fefelliſſe, & quia ex alta Arbore fructus comedens eam perdiderat, ad terræ ſuccos lambendus damnatum fuiſſe*, non niſi pro ſubtili conjectura poteſt haberi; quando ea pœna ad ſui elationem & ſuperbum Serpentis conatum in Deum & Hominem non minus recte quam ad Arboris aſcenſum poteſt aptiſſima cenſeri. Quodque addit amplius, Autores hujus opinionis *non negare Cacodæmona quempiam huic negotio ſeſe immiſcuiſſe, unde Serpentis nomine poſtmodum ab Hebræis indigitatus fuerit ex hoc ſcripturæ loco ita intellecto*; id neque inter ſe ſatis cohæret, neque ſpeciem magnam habet, Satanam ſcilicet rationalem operari in Serpente ad aſcenſum Arboris & eſum fructus ad quem naturaliter ſatis ducebatur, in quo ſane operationis Diabolicæ nulla eſt demonſtratio, uti nec alterius internæ in Animam Mulieris ulla fit in textu mentio. Sed ſi iſta Locutionis Serpentinæ per exemplum eſus interpretatio adhuc poſſet admitti, quid dè ea Locutione dicetur ex hypotheſi *Bekkeriana*, non admittente heic ullum Animal Serpentinum? dum utique Diabolus inviſibilis per exemplum ſuum ſpiritualis peccati, quod hominibus primis jam fuiſſe cognitum ne quidem conſtat, non potuit loqui ad ſeductionem Evæ, nec ſuaſioni ejuſdem merè internæ heic, vel per Moſis narrationem, vel per ſomniatam ab iſthoc Viro Dæmonum inſcitiam & impotentiam, locus ullus eſt. Ut verba ille inania fundat, quando Diabolicam mali omnis cauſationem in orbe ad primam hominum per eum ſeductionem paſſim refert per modum ultimi χρησφυγίτου, atque interim reipſa Diabolum ab illa prima hominum ſeductione excludit, ſub prætextu modi ejus à Spiritu Sancto non traditi, nec à nobis vere percepti, an per conſilum an per exemplum an aliter contigerit. Loquelam verò corporalem quod adhibuit Satanas per Serpentem ad hominem ſeducendum, hoc ipſum aſtutiæ ejus clarum quoque exhibet documentum; quando nempe ille obſervavit, hunc eſſe ordinarium modum quo homines aliorum cogitata perciperent & inter ſe communicarent cum maximo attentionis & ſequelæ mutuæ fructu. *Tentavit autem Verbo*, inquit prætera *Cl. Coccejus, ut vel hinc diſcere debeamus, Dia-*

bole ſolenne eſſe a Verbo Dei ad aliud verbum, à Deo magiſtro ad ſuum diſcipulatum deducere Quando hoc præmiſerat; *Neque ſine ſpecie miraculi adortus eſt Mulierem, ſuperat enim hominis & animalis facultatem ut vox articulata exeat ex bruto, Deus igitur, ſine quo loquela hæc formari non potuit, ſimul tentavit hominem quando eum tentavit Satanas Deut.* XIII. 3.

Et quidem immediate ad Mulierem ut debiliorem.

IV. Dixit autem heic quæ dixit Serpens *ad Mulierem* אל האשה. *Uxoris* nomen præ illo Mulieris eligit heic *Clericus*, *licet vox* אשה *hoc quoque ſignificet, quia ſatis non conſtat hic non eſſe aliquam* χέσιν πρὸς τὸν ἄνδρα *&c. Multa*, hoc videtur pro argumento adducere, *ſunt in hiſce libris ad Mulierum caſtigandam ſuperbiam comparata, & ex hoc ipſo loco ad Mulierum viris conjunctarum ſeu Uxorum faſtum deprimendum argumentum ducit Paulus* 1. *Tim.* II. 14. Enimvero, licet fuerit Mulier hæc prima etiam Uxor, vox hæc tamen, quam aliqui etiam pro Nomine Proprio primæ mulieris habent in cujus memoriam reliquæ ſic vocentur, per ſe non notat ſtatum conjugii, ſed ſexum, atque ad Mulieris originem ex viro ſpectat ſecundum Moſen *Gen.* II. 23. ubi pro אשה apud *Symmachum* fuit ἀνδρὶς, apud *Vulgatum Virago*, & *Clericus* ipſe *Viram* poſuit, *vetere vocabulo priſcorum Latinorum ex orco pæne revocato*, de quo *Feſtus*, *Fœminas Antiqui quas nunc dicimus Viras appellabant, unde adhuc permanent Virgines & Viragines.* Nec additum eſt heic Adami nomen aut pronomen illuc reſpiciens, ſicuti de אשה *uxore ejus* alias leginus *Gen.* II. 25. III. 8. 17. *&c.* Utique ſi non ſatis conſtat, hic non eſſe aliquam χέσιν ad virum, neque eam adeſſe liquet, quandò in generali nomine potius eſt acquieſcendum; dum de Uxore viro ſuo ſubducenda cogitaſſe Satanam, minus probabile ſit. Et Paulus quoque in citato loco, ex oppoſitione virorum & mulierum ac interdicta his publica inſtitutione, magis ad ſexum quam ad conjugium ſpectavit. Antiqua vero eſt ad *Mulieris* nomen obſervatio Calliditatis Serpentinæ, per quam ille tentationem in ipſam præ Viro ut infirmiorem & per Virum de Dei voluntate inſtructam direxerit. Ita extat apud *R. Eliezerem Cap.* XIII. *Expendit Serpens cauſſam inter ſe & illum, dixitque, ſi alloquar Adam ſcio illum mihi non obtemperaturum, quia Vir ſemper difficilior eſt quam ut avelatur à ſententia ſua, ſed vero Mulierem affabor, cujus levis vel inſtabilis eſt ſententia, novi illam mihi obeduturam, quia fœmina obedium omnibus creaturis, juxta illud Prov.*

IX.

IX. 13. *plena illecebris & nihil novit.* Et licet ſint aliqui ex *Judæis* qui ob fœminam non ex terra ſed ex oſſe duro factam aliaſque rationes nugaces hanc difficilius perſuaderi velint, vulgo tamen hi contrarium tenent, & Diabolum volunt Mulierem eſſe aggreſſum, non tantum quod facilius ipſa falleretur, ſed & perinde haud difficulter Virum falleret, notante etiam *Jarchio.* Quemadmodum nonnulli eorum minorem Mulieris ſapientiam quoque ex non inſpirata ipſi immediate anima, nec conceſſa Dei Imagine, inepte derivant. Nec aliter ab ævo Chriſtiani, cum *Ambroſio de Parad. Cap.* XII. *Itaque machinatus eſt ut non primo Adam adoriretur, ſed Adam per Mulierem circumſcribere conaretur, non adorſus eſt eum qui coram acceperat cœleſte mandatum, ſed eam adorſus eſt quæ à Deo quid obſervaret acceperat &c. Etſi de duobus incertum, tamen ſexus prodit qui prius potuerit errare &c.* Cum *Auguſtino Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 11. *Fallaciam fermocinatus eſt Fœmina, à parte ſcil. inferiore illius humanæ copulæ incipiens, ut gradatim perveniret ad totum, non exiſtimans virum facile credulum, nec errando poſſe decipi, ſed dum alieno cedit errori &c.* Et, ut alios longe plures mittam, cum *Chryſoſtomo Serm.* XVI. *in Gen.* Τύτῳ ὥσπερ ὀχήματι πρὸς χρώμενος, δι' αὐτῆς τὸ ἄπλαστον καὶ ἀσθενέστερον σκεῦος, τὴν γυναῖκα λέγω, ἄρξῃ τῆς ὁμιλίας εἰς τὴν ἐκείνου ἀπάτην ἐκκαλεῖται, &c. ἵνα δυνηθῇ τὸ δέλεαρ τῆς οἰκείας ἀπάτης εἰσεῖν, ὑποκελίσαν πρότερον μὲν τὴν γυναῖκα, ἅπερ ἀεὶ ἐνηλάτηρον δυναμένην ἀπατηθῆναι, ἔπειτα δι' αὐτῆς καὶ τὸν πρωτόπλαστον. Sunt tamen alii quibus iſta obſervatio minus placet, credentes hoc quod Petrus ὡς ἀσθενέστερον σκεῦος τὸ γυναικεῖον conſideravit 1. *Pet.* III. 7. tam mentis quam corporis reſpectu, reſtringendum eſſe ad id quod poſt lapſum communiter obtinet, nec extendendum ad ſtatum Integritatis in quo per Rectitudinem primævam par fuerit utriuſque hominis conditio & virtus. Pro qua opinione *Rivinus* adduxit ex Judæis R. *Iſaaci* hæc verba; quod *manus utriuſque* hominis primi *fuerit æqualis, nec Adamum ullam prorſus in ſe præcellentiam habuiſſe præ Muliere, & eſſe Sapientiam tum in civilibus quod ad praxin & actiones attinet, tum in ſpeculatione philoſophica quoad theoriam, quæ in duobus illis aſcendit in intellectum ipſorum &c.* & ex Chriſtianis *Baſilium Hom. X. in Hexaëm.* καὶ ἡ γυνὴ ἔχει τὸ κατ' εἰκόνα θεοῦ γεγενῆσθαι ὡς καὶ ὁ ἀνήρ, ὁμοίως ὁμότιμοι αἱ φύσεις, ἴσαι αἱ ἀρεταί, ἄθλα ἴσα, ἡ κατάδικη ὁμοία, μὴ λεγέτω ἀσθενὴς εἰμί, ἡ ἀσθένεια σαρκὸς, ἐν ψυχῇ τὸ δυνατόν

ism &c. quæ ulterioris etiam videntur esse extensionis. Quin & ipse *Clericus*, cum notasset, *plurimos certe Interpretes* tentationem Evæ *à tentatore data opera velle factum, quippe quam insidioso sermone facilius deceptum iri quam virum crederet*, subjecit; *Ut tamen non ausim inferiorem ingenio Hevam Adamo affirmare &c.* Hoc sane meritò cavendum, ne vel Mulierem plane privemus Divina Imagine, vel vitium aliquod actuale ipsi integræ tribuamus, ex quo fonte jam antea testati sumus nobis displicere phrases *Augustini Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 42. *quia homo spiritali mente præditus ipse credere non posset* verba seducentia Satanæ, *propterea mulierem aditam esse, quæ parvi intellectus esset & adhuc fortasse secundum sensum carnis non secundum spiritum mentis viveret, & hoc esse quod ei Apostolus non tribuit Imaginem Dei &c. & fortassis illam hoc nondum percepisse quod sit in agnitione Dei &c.* quas cum Mose Imaginem Dei utrique homini tribuente, & cum Scriptura reliqua utriusque rectitudinem primævam ad Dei gloriam inculcante, haud facile concilies. Nihil tamen obstare puto; quo minus virium animi æquè quam corporis discrimen aliquod inter marem & fœminam in ipso Integritatis statu agnoscamus, à quo hæc illo queat censeri etiam tum infirmior; quo minus etiam donorum illic, æque quam in futura gloria inter cœlites varios, agnoscantur varii gradus, qui Virum supra Mulierem extollant; quo minus tandem major quædam lapsus facilitas agnoscatur apud Mulierem, quæ nec ipsa immediatè à Deo acceperat mandatum fœderis, nec humanum genus universum repræsentabat; dum certissime primum ad seductionem Adami effecit Serpens, quando Mulierem rationalis vitæ sociam unicam & à Viro dilectam ad peccatum pertraxerat, futuram porro ipsam Viri seductricem per Serpentis impulsum. Atque hactenus recte cum aliis dixit *Cl. Coccejus Sum. Cap.* XXVII. §. 6. *Mulierem tentavit primo, ut infirmiorem, & quæ Viro in auxilium data erat, & sine eo nihil debebat proprio consilio audere, quam sibi comparavit parariam peccati Adami; & tentationis adminiculatricem &c*

Eamque solam seu à Viro tum absentem.

V. Tandem & ad Mulierem, cum esset *sola* absque præsente Adamo, videtur Satanæ dictio tentans fuisse directa per singularem hujus astutiam. Quæ sententia satis antiqua est apud *Judæos* pariter & *Christianos*, inter quos etiam occasione Dominicæ Tentationis in deserto scripsit *Chrysostomus Homil.* XIII. *in Matt. τὸν διάβολον*

λίαν

κἰσα ὑπάρξαν ὁ Διάβολος, ὅταν ἴδῃ μεμονωμένας καὶ καθ' ἑαυτὰς ὄντας, ὅτω ἢ τῇ γυναικὶ ὡσὰν ἀρχὴν ἐπετήδευε, μόνῃ αὐτῇ λοπλαβὼν καὶ ὃ ἀνδρὸς χωρὶς ἔσαν ἰνεῶν. Licet autem id explicite non narret Moſes; ſatis ſoli tamen ex ejus narratione videtur idem colligi, quando ad ſolam Mulierem fertur dixiſſe Serpens, uti & Mulier ſola Serpenti dicitur reſpondiſſe; quod neutrum vel ſaltem utrumque non eventurum fuiſſet, ſi Vir apud Mulierem tum fuiſſet præſens. Neque etiam allocutio Mulieris ſolius præſente Adamo argumentum aſtutiæ fuiſſet, ſed potius occaſio majoris contradictionis à parte Mulieris & Viri pariter. Quin & Adam ſi juxta Mulierem audiviſſet Serpentis vocem ſeducentem, non ſolius Mulieris dantis mentionem feciſſet ille abſque ulla Serpentis accuſatione, neque hæc de ſe una à Serpente decepta fuiſſet quoque locuta. Opponere ſe tamen alios Hebræos, monuit dudum *P. Fagius*, occaſione textus *verſ.* 6. *dedit Viro ſuo* עמה *ſecum*, uti vidimus *Cap.* II. §. 3. & *Cap.* III. §. 4. ſicuti idem agunt Chriſtiani nonnulli per rationes probabiles, ex locutione Serpentis plurali, *non moriendo moriemini &c.* ex datione fructus à Muliere mox facta Viro, ex irriſione Divina Viri tanquam qui voluiſſet Deo fieri ſimilis quoque, & ex amore conjugali mariti & uxoris ſeparationem localem difficulter admittente. Sed plures eſſe exegeſes commodas vocis *ſecum* abſque admiſſa præſentia Adami apud Mulieris ſeductionem, monſtravimus nos locis allegatis, dum illa vel ad eſum Viri ſimilem eſui Mulieris, vel potius ad naturæ & conjugii vinculum videtur ſpectare. Et quod ad locutionem Diaboli in Plurali attinet, ea non arguit utrumque hominem loquenti tum fuiſſe præſentem, ſed locutionis argumentum ad utrumque ſpectare; forte etiam ita, ut uterque vel juxta Evam Adamus tanquam generis caput edere deberet, ut non morerentur ſed divinæ ſimilitudinis participes fierent homines communiter, *coll. Cap.* III. §. 5. Quod Mulier dederit Viro ſuo mox de vetito fructu ad edendum eodem loco & temporis momento, nuſquam legitur apud Moſem; ſed tantum quod hoc *etiam* egerit, nec tantum ipſa ederit, marito ipſius exemplum & ſuaſionem dein non ita diu ſecuto. Quod Vir ſibi quoque ex Eſu ſimilitudinem Dei majorem fuerit pollicitus, id æque ex narratione verborum Satanæ ab Eva facta Adamo quam ex ipſius Serpentis loquentis auditu fluere potuit. Neque tandem cogitandum eſt; amorem mutuum Viri & Mulieris fuiſſe in principio illo primo rectitudi-

ctitudinis talem & tantum, ut hi, in eodem Paradiſo habitantes, nulla prorſus occaſione vel ad minimum loci & temporis ſpatium à ſe invicem abeſſe corpore ſuo poſſent. Quod nec voluit *Thomas Gatakerus Adverſ. Miſc. Lib. II Cap.* 2. ex adverſo notans *Mulierem jam Viro junctam ſed à Viro ſejunctam per Serpentem adortum eſſe Satanam &c. & abſente viro cum Serpenti ſeſe inſinuaſſet Mulierem adortum Satanam, noſtros quos viderit conſentire univerſos*, ſed hinc tantum concludens; *Ecquis autem, Scriptura cum hac in parte ſileat, animum facile induxerit ut credat fieri potuiſſe, ut aut Mulier a Viro ſuo ad quem adductam in tam arctam & intimam cum eodem conſuetudinem tanta cum ſolennitate eam adjunxerat atque adſtrinxerat Deus ipſe, quamque tanto cum affectu, verbis ſignatiſſimis expreſſo ſuſceperat atque amplexatus fuerat Vir, ab eodem ſtatim eodem non die ſed hora fere ſeſe ſubducere ſuſtinuerit, aut ut vir, qui ſibi a Deo ſic oblatam & commendatam tanta cum lubentia admiſerat, quaſi conſortii cum ea initi ſatias ſtatim cepiſſet, à latere ſuo non dico divelli, ecquis enim erat id qui faceret, ſed è conſpectu ſuo longius diſcedere atque exſpatiari confeſtim pateretur? Certe non tam exilis languidusque affectus inter pares lubentia pari recens junctos hodie etiam reperiretur, nedum ut illi alterutri eſſe potuerit, præſertim cum nemo quiſquam extaret quo cum poſſunt à ſe invicem diſſiti familiariter converſari &c.* Hoc autem uti ſatis probabiliter procedit argumentum, ita poſt aliquam temporis moram aliquantulum abeſſe ab Adamo Mulierem multiplex potuit efficere occaſio, dum Hortum colere & cuſtodire à Deo juſſus erat quam maxime Adamus *Gen.* 11. 15. Ut nequaquam neceſſum ſit cum *Judæis in Breshith Rabba* heic fingere, vel quod נתעכף ברוך הארץ וישן לו / *occupatus fuerit more terræ & dormiverit*, hoc eſt ex aliorum explicatione *cum uxore rem habuerit & delaſſaverit ſe*, uti illic ſub nomine *Abbæ Bar Korijæ* dicitur; vel quod *Sanctus Benedictus ſumpſerit eum, & circumduxerit eum per totum plane orbem, dicens ei, heic domus plantationis, heic domus ſationis, juxta illud Jer.* 11. 6. *in terra non tranſit per eam vir, neque habitavit homo illic*, nempe *primus*, uti hoc *Rabbinis* ſeu *Magiſtris* communius tribuitur in eo loco, quem etiam adduxit *Raimundus Martini in Pugione.* Nobis utique, miſſis talibus ineptiſſimis conjecturis, cum *Rivino* eſt *quidem ſatis probabile, Adamum non adfuiſſe principio cum Serpens Mulierem conveniret, alias dubio*

pro-

procul ipsius quoque mentionem fecisset Moses, &c. neque Adam ut κωφὸν πρόσωπον *adstitisset, sed ipse etiam interlocutus fuisset, suamque contulisset symbolam, postmodum autem fructu ab Eva jam degustato supervenit idemque facinus instigante conjuge patravit & seductus est.* Et hoc ipsum non tantum vulgo tenent Theologi nostri cum *Piscatore, hic se jam prodit astutia Diaboli, quod aggreditur Mulierem solam absente Viro, tanquam vas scilicet infirmius;* & cum *Cl. Cocceji*, addente, *multum profecisse Satanam, quando effecit ut mulier verba ipsius audire & considerare vellet non advocato Viro, atque incepit agere ut* ἀνυπόδυτος, *hac re ordinem quem Deus instituerat convellendo 1. Tim. 11. 12. 13. 14. &c.* sed & supponit *Josephus*, ὅτις σωφλαιτώμῳ τῷ πρὸς ἀδάμῳ καὶ τῇ γυναικὶ &c. ἀπατήθεις κακοήθως τὴν γυναῖκα γεύσασθαι τοῦ φυτοῦ τῆς φρονήσεως &c. καὶ προσκρούσειεν μὴν ἔτω ἡ γυναῖκα τοῦ ἐντολὰς τοῦ θεοῦ καταφρονήσας, γευσαμένη τοῦ φυτοῦ, καὶ πεισθεῖσα τῷ ἰδίοματι, καὶ τὸ ἄδαμον ἀνέπεισεν αὐτῷ χρήσασθαι &c. Enimvero an hoc fuerit præcipuum quoddam Mulieris officium, ut Serpentem ad Maritum remitteret, vel cum Marito ante proprium esum rem omnem communicaret deliberandam, quod à multis video asseri sed & ab aliis impugnari, non est ut adeo plane decidamus; quando præcipue ad Deum debuisset illa mox confugere, sed & esus ipsius dilatione ad auditum Viri judicium levius ipsa peccasset quam nunc fecit. Unde & *Chrysostomus Serm.* XVI. *in Gen.* dixit; ἔδει μὴν γὰρ μηδὲ ἐξ ἀρχῆς ἀναχθῆναι τὸν πρὸς αὐτὸν Διαλέξεως, ἀλλ' ἐκείνῳ μόνῳ Διαλέγεσθαι, ὃν παρῆλθε, καὶ κοινωνὸς τῆς ἀξίας γέγονε, καὶ εἰς βοήθειαν ἐδημιουργήθη.

VI. In istis tribus, quæ de Dictione ad Mulierem & quidem Solam, præter operationem in corpore Serpentis, dicta sunt, cum ante ipsum vocis argumentum constet satis Calliditas Tentatoris, non ex nostro ingenio hoc addere debemus, quod Diabolus se finxerit à Deo ipso missum Nuncium seu Legatum, qui seu novum jam mandatum seu veteris mandati Divini genuinum sensum esset hominibus traditurus. Quod miror tam valide cum aliis quibusdam asserere *Cel. Burmannum Synops. Lib. II. Cap.* VI. §. 7. *Extra omne dubium est, ut homini adhuc sancto & integro & à manu Dei recenti facilius imponeret, eum in Angelum lucis sese transfiguraſſe. Atque hæc Evæ quoque mens fuit, cum bestiam loquentem audiret, forte bonum aliquem Angelum speciosa animalis istius pelle indutum se-*

Non videtur Extraordinarium Dei Legatum se finxisse Seductor.

secum sermones habere. Sicut Angelorum consortia & colloquia isto in statu frequentiora fuisse verosimile est &c. Utique nihil tale nos legimus apud *Mosen*, qui ipsum quidem introducit loquentem de Deo *vers.* 1. 5 sed nequaquam nomine Dei, nec talia quæ Deo convenirent admodum. Nihil tale etiam deprehendimus apud *Paulum*, qui primum de Serpentis πανουργία communiter loquitur 2. *Cor.* XI. 3. & dein asserit *vers.* 14. αυτὸς γὰρ ὁ σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός, spectans nempe sic πανουργίαν καὶ πολυτρόπως illius solitas fraudes in tempore præsenti, sed non unum vetus factum apud Evam in præterito. Unde licet ad hunc textum quoque scripserit *Cl. Coccejus, primam matrem adiit tanquam Legatus Dei, qui mentem Dei aperiret circa medium facillimum, velut comparatum ad maximum hominis bonum*, præmisit tamen; *id in Satanæ technis semper observari posse*, & per omnia mundi tempora excurrit late. Et si Eva initio conjecit, bonum aliquem Angelum in Serpente loqui, id ex rationali loquela communiter & ex ignorantia Angelici Lapsus videtur fluxisse, non ex Diaboli μετασχηματισμῷ speciali in bonum Dei Legatum. Ex adverso tam manifestatio per brutum Serpentem, quam argumentum omne sermonis, primò interrogativum dè eo quod Deus dixerat nec conveniens explicitè divinæ dictioni, deinde negativum & assertivum quod directe Dei verbo & gloriæ oppositum est, monstrat clarissime, non adfuisse heic ullatenus schema Cœlestis Legati qui ipsius Dei nomine loqueretur, sed potius *Delatoris sui Creatoris* juxta phrasin *Jonathanis*.

Interrogatio Serpentis prima declaratur.

VII. Astutiam sermonis Serpentini à Mose narrati rectius ergo considerabimus, quæ se mox prodit in Interrogatione ista ad Mulierem *vers.* 1. *Etiamne dixit Deus, non edetis de omni Arbore Horti?* Verba postrema, לא תאכלו מכל עץ הגן / μὴ φάγητε ἀπὸ παντὸς ξύλου τοῦ ἐν τῷ παραδείσου, *ut non comederetis de omni ligno Paradisi*, apud LXX & *Vulgatum*, in plurali proposita ob creatam jam & legi subjectam cum Adamo Mulierem, manifestam habent ambiguitatem; cum possint illa capi per modum interdicti, vel generalis ne de ulla Paradisi Arbore seu ejus fructu gustarent, vel specialis ne esus ad omnem prorsus Arborem se extenderet absque ulla exceptione. Priorem sensum spectavit inter alios *Chrysostomus*; Σκοπεῖτε ἐντεῦθεν κακουργίας ὑπερβολὴν λεπτοτάτην, τὸ μὴ ῥητὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἐν τάξει συμβουλῆς καὶ ἐρωτήσεως εἰσάγει, καὶ ὡσανεὶ ὑπὲρ αὐτῶν κηδεμονι-

μονίαν ποιούμενος &c. μονονυχὶ λέγων ὁ πονηρὸς ἐτος δαίμων, τίνος ἕνεκεν ἀπεξέρησεν ὑμᾶς τοσαύτης ἀπολαύσεως; ἆρά τι συγχωρεῖ μετέχειν τοῦ ἐν τῷ παραδείσῳ ἀγαθῶν, ἀλλὰ τοῦ μὲν θείας τιμῆς ἀπόλαυσιν ἐφαρμόσατο, τῆς δὲ ἀφύλης ἧ μεταλαβεῖν καὶ πλείονα καρπώσασθαι τῆς ἡδονῆς; &c. Sed *hoc nimis patens & craſſum futurum fuiſſe mendacium*, ex Vulgata verſione, *cur præcepit vobis Deus*, inculcat *Corn. à Lapide.* Ex quo fonte alii multi volunt conformiter Divino interdicto verba hæc potius capere, ſic ut aliqua Arbore interdicta non licuerit de omni prorſus Arbore edere. Interim eſt hic ſermo generalis magis & involutus quam fuerat Divini Præcepti verbum, ad id ut ex Muliere rem ipſam diſtinctius eliceret; quæſita etiam forte illa ipſa ambiguitate, ut obſervant paſſim Viri Docti collatis ambiguis Oraculis & Apollinis λοξίου nomine, & *ſubdole*, juxta *Corn. à Lapide, ut inſinuet non majorem eſſe prohibendæ unius Arboris quam omnium rationem, itaque aut omnes aut nullam prohiberi debuiſſe, rurſum Deum qua facilitate unam hanc prohibuit eadem deinceps alias omnes prohibiturum.* Utique aliquam verbi ambiguitatem videtur heic ipſa Mulier mox agnoviſſe, quando tam diſtincte expoſuit reſponſo ſuo quid permiſſum & quid interdictum eſſet. Sed de iſto interdicto rogat Serpens; *Etiamne* ita *Deus dixerit.* Ubi vana videtur eſſe criſis *Fagii*, *Satan ſtudioſe uſurpare vocem* אלהים / *qua vox ad ſeveritatem & judicium Dei refertur*; quando iſtud *Dei* familiariſſimum eſt nomen, quod ad ejus naturam & majeſtatem metuendam ac Fœderis ipſius vinculum prius quam ad judicii ipſius ſeveritatem ſpectat. Nec multum in eo hæret, quod pro ſimplici verbo אמר εἶπεν habet *Vulgatus*, *præcepit vobis.* Magna autem omnino reperitur heic contentio antiquitus de initialibus voculis אף כי / τί ὅτι apud LXX. *cur* apud *Vulgatum.* Mittimus vanam Judæorum obſervationem, *quatuor qui inceperunt ab* אף / Serpentem ſcil. & Præfectum piſtorum *Gen.* XL. 16. & Cœtum Koræ *Num.* XVI. 14. & Haman *Eſth.* V. 12. *in Aph* ſeu *ira periiſſe*; quemadmodum & *Simia* ſignificatum in voce Germanica *Aph* notant alias Judæi ad *Lev.* XXVI. 41. & heic ex occaſione ludibriorum Satanæ Chriſtiani. Nempe accipiunt aliqui אף nominaliter de *ira*, quam vel ſibi dicat juſtam eſſe Serpens ob illud Dei dictum, vel Deo tribuat in hoc interdicto indecentem. Alii autem plures, אף adverbialiter connectentes cum כי ſequente, reddunt vel copulative & ratiocinative, *etiam quia*, vel adverſative *quamvis*, vel illative *multo magis*

aut *minus*, vel dubitanter *forſan*, vel negative *quaſi vero*, vel interrogative, cum reſpectu ſeu ad τὸ διότι cum LXX & *Vulgato*, ſeu ad τὸ ὅτι cum Paraphraſtis *Onkelo'o* & *Jonathane*, בקושטא ארי *verumne quod?* הקושטא ה *an verum quod?* Solent autem, qui priores expoſitiones ſequuntur, vel hæc verba Serpentis connectere tanquam antecedentia cum iis quæ poſt Mulieris interlocutionem ſequuntur *verſſ.* 4 5. vel longe communius obſervare Ellipſin multorum aliorum verborum Serpentis, de invidia Dei in hominem aut de alio ſimili argumento, quæ ſane præter neceſſitatem minime eſt fingenda, & difficulter tum conjiciatur quomodo ſit ſupplenda. Indubie abſque tali Ellipſi heic res feliciſſime expediri poteſt per ſenſum interrogativum de rei veritate, *etiamne* id factum? vel *verene* id geſtum? vel *verumne* eſt *quod* ita dixerit Deus? cui tamen interrogationi ſimul ſubeſſe forte poteſt ſpecies quædam ſeu indignationis ſeu admirationis. Conſtat utique innumeris aliis locis, ה interrogativum initio ſermonis omitti, ubi contextus ſenſum hunc liquidum facit, unde אף poſitum credi poteſt pro האף / *coll. Gen.* XVIII. 3. *Job.* XXXIV. 17. XL. 3. *&c.* & à גם / *etiam*, nonnunquam incipere ſermonem interrogativum, *coll.* 1. *Sam.* XXII. 7. *etiamne omnibus vobis dabit filius Iſai agros & vineas? &c.* & כי ſæpe aſſeverative adhiberi pro אמנם / & ipſum illud אף כי *Job.* IX. 14. aptiſſime poſſe exponi per *etiamne*, in ſermonis initio; & denique *etiam* hoc ſenſu interrogative recte adhiberi, ſive cum reſpectu ad aliam rem quamcunque & heic ad Legem Moralem quam certiſſime dederat Deus homini, ſive cum relatione ad hominis rogati conſenſum ſimplicem de re rogata, uti id in lingua noſtra Belgica communiſſime etiam obtinet. Quem ſenſum ſi vel nuſquam alias haberet אף כי / heic tamen diſcere poſſemus ex Mulieris ſubjecto & ſecundum rogationem utique compoſito reſponſo. Hoc autem clarum eſt, non de origine, aut de ſenſu, aut de durationc, aut de ſerietate, aut de ſcopo Divini interdicti rogare heic Serpentem, ſed de ipſo interdicto ſeu de ipſius veritate quærere heic eundem; quod ille ita ſignificat ſe communiter intellexiſſe, per Dei nempe revelationem aut alium aliquem modum, ut tamen de eo quaſi attonitus videatur magis velle certior fieri ex ipſa Muliere, quærens nempe occaſionem amplius de eo cum ipſa colloquendi, & ſic mox forte dubitationem aliquam in ipſa operandi. Qua in re manifeſta ſatis eſt Serpentis aſtutia, per gradus proceſſuri ut Mulie-

rem

rem à Dea abduceret, adeoque venenum ſuum ab initio ſub interrogatione ambigua haud parum occultantis, ut attentionem modo excitaret ad ſua verba ulteriora, & ex reſponſis Mulieris occaſionem ulterioris colloquii nanciſceretur. *In dubium vocat*, ſecundum *Cl. Coccejum*, *an Deus præceptum dederit de vitando eſu alicujus Arboris*; quod omnino placet, juxta obſervationes annexas, *peſtem fidei certiſſimam eſſe* Διαλογισμὸς καὶ γογγυσμὸς *&c. nec dubitandum de Verbo Dei, quod a Deo acceptum narratur, & conſcientia teſtatur eſſe* θεόπνευστος, *etiamſi non ſtatim pateat omnis ratio divinæ ſapientiæ in illo, quandò nulla eſt ratio dubitandi & ſine tentatione Dei poteſt fieri quod mandatur, aut omitti quod vetatur*, imo & *quod Deus revelat ſine dubitatione credendum etiamſi rationem ſuperet &c.*

VIII. Quid ad hanc rogationem agit Mulier? Non tacet, nec tergiverſatur, ſed prompte ſatis reſpondet, vereque uti ſe res habebat *verſſ. 2. 3. Et dixit Mulier ad Serpentem, (cui reſpondit Mulier* apud *Vulgatum,) de fructu Arboris Horti edemus, (de fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur*, apud *Vulgatum*,) *& de fructu Arboris quæ in medio Horti dixit Deus, non edetis de ea, & non tangetis eam, ne moriamini, (de fructu verò ligni quod eſt in medio Paradiſi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur*, apud *Vulgatum.*) Ad verborum horum, per partes ſingulas antea expoſitorum, & adverſus accuſationes veteres defenſorum *Lib. II. Cap. IX. §. 3. & Cap. XI. §. 3. &c.* ac juxta interrogationem pluraliter recte propoſitorum, declarationem nihil heic habemus repetendum. Sed an bene vel male egerit Mulier Serpenti hunc in modum reſpondens, id heic notandum eſt, ob Interpretum diſſenſum. Sunt enim, qui magnopere Mulierem laudant, tanquam quæ primum impetum Satanæ feliciſſime retuderit, nec vel Dei bonitatem in concedendis reliquis omnibus Arboribus vel æquiſſimum ejus beneplacitum in vetanda Arbore una vel juſtiſſimam ſeveritatem in pœnæ additione diſſimulaverit, ſed & ſui officii ſuæque ſtipulationis bene memorem & tenacem ſe oſtenderit. Sunt ex adverſo alii, qui judicant, minus recte & prudenter egiſſe Mulierem, quod indignum ſeductorem, ad quem nihil ſpectabat Divina Lex homini data, abſque ulla inquiſitione aut indignatione reſponſo prompto ſit dignata, & quidem tam amplo, quod occaſionem ulterioris tentationis dare poſſet; in primis, quando ipſe interrogationis modus illuc per admirationis aut

Et Reſponſum Mulieris ad illam.

indignationis quandam ſpeciem ducebat ut dubitationem de re ipſa Mulieri injiceret. Quod poſtremum oſtendere aliqui etiam conantur ex ſingulis terè vocibus rogationis Serpentinæ, an *Deus*, ſapientiſſimus & optimus, *dixiſſet non comedetis*, victus in ſuo cultu præ aliis omnibus habiturus rationem, *de Horti*, ipſis traditi, *Arbore*, minori brutis animantibus quæ tamen dederat Deus, *omni*, ubi omnium eadem videbatur eſſe ratio, nec Arbor Scientiæ ineptior ad eſum quam reliquæ? Qua exaggeratione ſepoſita, ego Mulierem quidem laudandam puto, quod ſatis fideliter verbum Dei tenuerit & expreſſerit, nec videre etiam poſſum, quod *ſuſpicionem præbuerit verbi non benè intellecti nec ſatis in animo radicati*, uti ſcribit *Cl. Coccejus Sum. Cap.* XXVII. §. 11. ſed magis tamen culpandam eandem, quod vel malum propoſitum & conatum ex interrogatione illa non ſubolfecerit, vel huic ſubolfacto ab initio ſe non oppoſuerit cum majori indignatione, ſed ex adverſo per placidum reſponſum oſtenderit iſtam interrogationem ſibi non adeo diſplicere, & aures ſe haud illubenter præbituram Serpenti in iis quæ porro dicenda aut ſuadenda haberet. Ut revera in laqueum jam ſe prodat lapſam Mulier, ex quo pedem retrahere non daretur, ſed quo ad conſummatum exitium caperetur. Quod etiam multis urget *Chryſoſtomus Serm.* XVI. *in Gen.* Δίον εἶπεν εὐγνώμων ἦν ταῦτα πρὸς αὐτὸν εἰποῦσαν ῥήματα πάλιν ἐπεσκόπει, καὶ μηκέτι μήτε ἁψάσθαι μήτε ἀκοῦσαί τι τῶν παρ' αὐτοῦ λεγομένων &c. ex hoc exemplo monſtrans Euangelici illius moniti neceſſitatem de margaritis non projiciendis porcis, & colloquia cum malis devitanda urgens, quibus præter propoſitum noſtrum citius & longius ſæpe abducimur.

Subjecta à Serpente negatio Mortis ad Eſum ſecuturæ tractatur.

IX. Nempe, ubi interrogatione ſua aures Mulieris ſibi aperuerat Serpens, & ipſius reſponſo eas ſibi ſic ſatis patere cognoviſſet, mox ſermonem reſumit *Serpens*, *& dicit ad Mulierem*, non jam interrogative ſed aſſertive *verſſ.* 4. 5. *Non moriendo moriemini*, *quoniam ſcit Deus*, *&c.* Sic ille ab eo in quo finiverat Mulier incipit, ut fidem divini verbi & pœnæ juſtæ metum ante omnia tollat, deinde magnum ex adverſo bonum per mandati violationem obtinendum cum Dei accuſatione proponens. De Tactu Arboris primum commendato à Serpente & facto impune à Muliere nihil habet Moſes; ut nugentur *Judæi*, qui narrante etiam *Fagio*, hanc Satanæ fingunt verſutiam, quod, *poſtquam audiverit ex Muliere Deum præ-*

ce-

cepiſſe ut neque contingerent Arborem, mox eam ad contingendum impulerit, cumque videret Mulier ſe ad contactum Arboris non ſtatim mori dixerit Serpens, quemadmodum non es mortua contingendo Arborem ſic quoque non morieris edendo de fructibus ejus. Eſt utique apud initium hoc reſumpti ſermonis Serpentis ſubintelligendus manifeſte caſus iſte contactus ſimul & eſus de Arbore vetita, quem apud Mortem denunciatam expreſſerat Mulier, & quem in progreſſu ſermonis hujus iterum exprimit Serpens; qui cæteroquin, abſque eſu fructus vetiti intercedente, veriſſime cum Deo dixiſſet ſed contra ſcopum omnem ſuum, *non moriendo moriemini.* Subtiliter quidam Interpretes adverbium לא *non* primo heic loco ante infinitivum urgent poni, ut Mors non omnis negetur ſecutura, ſed tantum vel graviſſima, vel multiplex, vel perpetua, vel ſubita, vel etiam certa modo. Ita inter alios *Tremellius & Junius*; *Cavet Satanas veteratoriè, ne id apertius negando quod Deus dixerat occaſionem præbeat abrumpendi colloquii & aberret à fine ſibi propoſito. Ideoque verba Dei relinquens ſuo loco, & accipiens exceptionem fœminæ, ex illa dubitandi particula infert non eſſe certum, quod mors ſequutura ſit ſi de fructu vetito comedat, non enim dicit, moriendo non moriemini, id eſt utique non moriemini, quod ex diametro pugnaret cum verbis Dei, ſed inverſo vocum ordine tantum negat mortis certitudinem &c.* Et laudat hanc eorundem obſervationem tanquam *acutam* noſter *Piſcator*, conferens tum *Exod.* XXXIV. 6. נקה לא ינקה / ſenſu valide negante, tum *Jer.* XLVI. 28. נקה לא אנקך / ſenſu ut vult longe minori. Sed quemadmodum dubitandi particula in ſermone Mulieris male ſupponitur, ita negationis reſtrictio ex ſolo ſitu Adverbii לא *non* nulla eſt, quando ipſe *Piſcator* adduxit etiam locum *Pſal.* XLIX. 8. אח לא פרה יפרה איש / *fratrem non redimendo redimet vir*, tanquam in quo ſignificetur *vehementia negationis*, & innuatur, *nullo modo redimet.* Utique ſi non ipſam Mortem, ſed ejus vel gravitatem vel ſpeciem omnem vel durationem vel celeritatem vel certitudinem inevitabilem tantum negaſſet Satanas his verbis, omnem pœnæ denunciatæ metum qui à transgreſſione cohibere poterat & debebat ex Evæ animo non ſuſtuliſſet ſatis, notante etiam *Riveto* noſtro *Exerc.* XXX. *in Gen.* Qui enim non certò erat moriturus, is tamen adhuc mori poterat & forte debebat. Nec quidquam nobis clarius, quam hæc Serpentis verba negativa per præmiſſum לא / *non*, directè opponi verbis Dei מות תמות *moriendo morieris Gen.*

11. 17. adeoque validiſſime negare ſeveriſſimæ iſtius comminationis veritatem ; uti rem ab ævo intellexerunt quoque Interpretes, cum LXX & *Vulgato*, *ὁ θανάτῳ ἀποθανεῖσθε*, *nequaquam morte moriemini.* Quod & exigere videtur ſequens contextus promiſſionem magnam continens, q. d. neutiquam & nullo modo moriemini, ſed &c. vel tantum à morte abeſt ut ex adverſo &c. Enimvero non capiunt multi, quo pacto ita loqui potuerit Serpens ad Mulierem divinæ vocis ſatis memorem, cum aliqua ſpecie aſtutiæ & ſpe perſuaſionis apud Mulierem & Virum conſequenter adhuc rectum. Quod ipſum dubium, ſi forte per datam modo obſervationem minuatur, non tamen tollitur ; dum manet verborum Dei & Satanæ ſatis manifeſta oppoſitio. Quid ergo ? An dicemus *primò*, Serpentem *æquivocaſſe* cum reſpectu ad Animæ Immortalitatem quæ in morte non exſtinguitur ? Id quidem videtur inſinuare *Cl. Coccejus*, addens, æquivocationem eam *eſſe mendacium quia comparata ad non metuendum malum quod comminabatur Deus &c.* Quod ſi autem hoc pro aſtutia ſua apud ſe ſpectaverit Satanas, rem dixit ille in ſe veriſſimam, quando in pœna ferenda ſemper contra votum ſuum durabunt impii; ſed minime tollitur dubium propoſitum, quando alio ſenſu qui divinis minis opponeretur voluit ille videri ſic loquens apud hominem. An potius *ſecundò* credemus, non verbis divinis ſed eorum ſenſui à Muliere cogitato ſeſe oppoſuiſſe Serpentem ? adeò quidem ut ſub nomine Mortis intellexerit Eva pœnam, ſed illi perſuadere voluerit Satanas intelligendum fuiſſe præmium mutandi ſtatus præſentis in alterum longe feliciorem ? Id communiter reperio apud varios, & poſtremum quoque apud *Cl. Coccejum* ; *Suggeſſit edere de fructu Arboris fore utile, & ſic non poſſe videri malum aut vetitum, & per conſequens nec mortem afferre, quæ ſit deſtructio vitæ & boni, unde ſequebatur, verbum Dei requirere interpretationem, ut Mori ſignificet mutari ab illa vita in meliorem &c.* Ejus quidem rei mihi nullum in textu apparet indicium, ubi de Morte tam in uno quam in altero loco agitur à Deo à Muliere & à Serpente ; atque uti non ſcio uſquam Mortem ſimpliciter poni pro tranſitu ab una vita in aliam meliorem, ita tam optatus ejus ſenſus abſque ulla ſpecie fingeretur à Satana apud Dei interdictum, quod utique non per promiſſum ſed per minas erat urgendum. An potius *tertiò* ſtatuemus, Serpentem hoc ſtuduiſſe homini perſuadere, quod Deus comminationem talem cum interdicto non dederit,

ſed

Digitized by Google

ſed aut Mulier ita male acceperit à Viro, aut Vir ipſe ita ſibi inepte perſuaſerit? Ita dudum alii, ſed præter ullum fundamentum in textu, & abſque magna veri ſpecie. Non enim dicit Serpens, quid dixerit aut non dixerit Deus, ſed quid futurum & non futurum ſit, non obſtante Dei dicto; & an Mulier cum Viro ſibi perſuaderi adeò facile paterentur contrarium ejus quod tam recte perceperant & tam firmiter retinuerant hactenus? & quidem ab eo, quem mandatum hoc non tangebat, qui ei dato non adſuerat veriſimiliter, imò qui paulo ante interrogatione ſua de divino verbo ſe ejus minus conſcium monſtraverat? An rectius *quartò* cogitabimus, Serpentem conceſſiſſe quidem Mulieri veritatem & ſenſum prioris Divinæ comminationis, ſed ſimulaſſe ſe Dei Nuncium extraordinarium, qui ejus nomine vetus interdictum poſitivum cum minis nunc abrogaret, poſtquam hactenus id fuerat rite ſervatum ab hominibus & memoria ejus per recitationem promptam à Muliere declarata, adeo ut nunc ad Eſum fructus antea vetiti non amplius eſſent morituri ſed per eum majus longe bonum accepturi? Ita cogitant rurſus alii, maximam in hoc ſenſu dicti reperientes aſtutiam, quâ ſapientiſſimi & prudentiſſimi falli poſſent, *coll.* 1. *Reg.* XIII. 18. *&c.* Sed nullum vel minimum eſt in textu Moſis indicium; vel conceſſionis & approbationis talis præcedentium Dei vocum ab Eva recitatarum; vel locutionis in nomine Dei à Serpente factæ tanquam extraordinrrio ejus Legato; vel Mortis nunc non amplius metuendæ ab Eſu ad quem illa olim fuiſſet conſecutura, cujus temporis vel mutationis aliqua ſane in hoc caſu debuiſſet declaratio addi, ut apparens cum divinis verbis pugna tolleretur; dum nec ſimplex recitatio divini verbi ab Eva facta argumentum erat obedientiæ ſatis plenè ſecundum Dei juſſum præſtitæ, nec contrarium divinæ voci verbum ex ore Serpentis aptum apud hominem integrum tam facile poteſt judicari ad perſuadendum ei ceſſationem præſentem Legis ab ipſo Deo olim latæ. An convenientius *quintò* judicabimus, Serpentem Mulieri voluiſſe inſinuare Divinam bonitatem, per quam comminationem ſuam non eſſet exſecuturus, ſed remiſſionem paratiſſime illi conceſſurus? Id quidem longe mollius foret, quando adhuc Divina bonitate ſic ſolet abuti homo dum peccat, & Satanas dum ad peccandum eum incitat; ſed obſtat, tum abſolutiſſima illa mortis negatio, quando remiſſio adhuc ponit mortis reatum, tum in primis promiſſio majoris cum Deo ſimilitudinis

ſub-

ſubjecta, quæ certe ex condonandi peccati actu deduci nulla ratione à Serpente poſſet. An *ſexto* aptius fingemus, Serpentem his verbis monſtraſſe Mulieri Arborem Vitæ, ex qua edere vel ante vel juxta vel etiam poſt eſum de Arbore Scientiæ poſſet, ut adverſus Mortis comminationem eſſet tuta ſatis? Talia quidem adducta reperio apud *Theod. Hakſpanium ad Gen.* 11. 9. *q. d. tentator, non eſt quod verearis tantillum, nedum mortem, ecce enim tibi Arborem aliam, ſcilicet Vitæ, quæ tibi ejuſmodi vitam conciliare poteſt qualis vel ipſi Deo tribuitur &c.* Sed non aliud quam figmentorum nomen hæc merentur, quæ ab Autore ſuo etiam referuntur ad alteram quandam Adami tentationem; quandò manifeſtum ſatis eſt Serpentem heic loqui de eo quod ab Arboris Scientiæ Eſu abſque alio Eſu interveniente ullo non erat metuendum, unde ex adverſo bonum debebat exſpectari; & quando ad Arborem Vitæ, de qua heic altiſſimum eſt ſilentium, & quæ nomen ſuum aliunde habuit, non mox confugerunt homines lapſi, à qua ſane arceri ſe poſſe intelligebant facile, uti poſt ſententiam latam fuerunt excluſi, ob aliam tamen rationem quam ob phyſicam vitæ per eam continuandæ vim. An *ſeptimo* tandem reſtringemus hanc comminationis negationem ad Mortem phyſicè per fructus vetiti eſum non adducendam? Sed iſta minime tutam & ſecuram Mulierem poterat præſtare adverſus Mortem per Dei judicis ſententiam ſubeundam multiplicem, quam ex Dei denunciatione præ vi venenata intellexit ipſa Mulier in ſua narratione. Iſtis ergo inventionibus omnibus miſſis, ſequamur potius ſimpliciter Moſis narrationem, ſecundum quam Dei minantis veritatem impugnavit directe Serpens, uſus forte ad id ſimul argumentis varii generis à Deo ab Homine & à fructu *ipſo* petitis, adeoque Homini perſuadere voluit, non eſſe quod edens Mortem metueret, etiamſi hanc Deus præter rem eſſet minatus. Quomodo adhuc homines corruptos ad peccandum pro peſſimo cordis lubitu ſolet ille trahere, dempto aſtute pœnæ metu; nec mirum eſt traxiſſe illum quoque primos homines, poſtquam ſua ad Satanam attentione in lapſum præcipites jam ferebantur, absque quo nullo decipienti ſenſu alio verba hæc Serpentis admittere etiam potuiſſent. Utique quo minorem tu in his Satanæ verbis repereris aſtutiam, eo majorem Evæ non adhuc prorſus integræ ſed jam labenti debes tribuere vel cæcitatem vel pervicaciam, quæ tam facile adigi potuit ut de veritate verborum Dei æquè quam de

ipſius

ipsius potentissima justitia dubitaret, adeoque cum *Chrysostomo* exclamare; *πολλὰς ἂν τις αἰτιώσαιτο συγγνώμης ἡ γυναῖκα, ὅτι ὅλως κἂν ἔσπευσεν ἀνέχεσθαι τὰς ἀπατὰς τοῦ ἔτι τολμηροῦ φθεγξομένου; &c.*

X. Sed cum multa impune sæpe liceant quæ omittuntur tamen quod usum nullum præstent, comminationi sublatæ substituit etiam porro Serpens promissionem magnam, ita propositam ut speciem ei adversus Divinum interdictum blandam simul addat *vers.* 5. *Quoniam scit Deus, quod in die esus vestri de ea, & aperientur oculi vestri, & eritis sicut Deus scientes boni & mali.* Videbimus primum rem, deinde ejus scientiam divinam, quæ in verbis his præcedit sed in sensu sequitur. Res duplici aut triplici phrasi non tantum declaratur, sed & ad diem esus de Arbore determinatè refertur. Prima phrasis est, *& aperientur oculi vestri*, ונפקחו עיניכם / Διανοιχθήσονται ὑμῶν οἱ ὀφθαλμοί, apud LXX absque copula, quam etiam cum *Vulgato* passim Recentiores omiserunt, ex isthac hypothesi, quod *Conjunctio Copulativa hic notet consequens enuntiati relativi & respondeat Adverbio Græcorum ὅτε*, quo modo *sæpe accipitur καὶ in Novo Test. ut Luc.* II. 15. notante sic *Piscatore*, qui in eam rem alia multa exempla Hebraica ex Grammaticis adducere potuisset. Si tamen aliquis eam velit in proprio sensu retinere, ut vel pro *etiam* ponatur cum respectu ad mortis præmissam negationem aut esum fructus, vel tanto validius cum sequenti phrasi *& eritis sicut Deus* hanc priorem repetitione sua connectat, uti fit sæpe in omni fere lingua, nihil video magnopere obstare. Non immeritò autem rejicit heic *Tostatus Quæst.* ccccxcii. *in Gen.* xiii. illorum ineptias, qui phrasin hanc intelligentes de oculis corporeis primos homines putarunt hactenus fuisse cæcos, tractis quoque in eam rem locis aliis duobus *Gen.* II. 25. *&* III. 7. Id enim repugnat non tantum necessariæ perfectioni hominis, sed & historiæ toti, animantium appellatorum, Evæ agnitæ, Arboris ab hac visæ, &c. nec magnum illud corporei visus bonum à peccato derivare possumus cum mendacii serpentini agnita sic veritate. Imo & illud absonum quam maxime debet videri, quod oculi corporei hominis antea hebetiores majori acie post peccatum fuerint donati, juxta hoc Satanæ verbum; quemadmodum *Abarbenel* oculorum præcedentem gravitatem deducit ex attentione hominis integri ad scientiam spiritualem magis quam ad corporea objecta externa. Dum scurrile non minus quam ineptum nobis videtur, quod & hanc phrasin & sequentes

De Promissa Oculorum Apertione agitur.

retulerunt cum *Abarbanele* Judæi alii quandoque ad decentem matrimonii uſum, ac ſi intuitus mutuæ pulchritudinis, vel aptitudinis ad coitum, & ſimilitudo Dei in aliorum hominum productione apta, heic deſignaretur, atque ipſa Arbor ob vim movendi cum appetitum vel operandi in homine eas vires Arbor Scientiæ etiam fuiſſet nominata; quæ refutatione nulla ſeria opus habent. Scilicet clarum eſt, per ſolitam & aptiſſimam metaphoram *oculos* Adami & Evæ, qui in ſingulorum corpore erant duo ad viſum integrum plane concurrentes, poni pro mentis Intellectu; eorumque *apertionem* ſeu juxta alios *exactionem*, ad quam verbum Hebræum נקב fere reſtringitur, pro viribus hujus aptis ad intelligendum & actuali ſcientia rerum objectarum; prout heic etiam proxime exponitur in contextu. Nec minus clarum eſſe debet, quod apertio illa heic non ſit intelligenda abſolute prout opponitur totali occluſioni, erat enim per rationalem naturam homo ab initio omnino præ beſtiis intelligens, aderatque per integram imaginem Dei magna in primis hominibus ſapientia; ſed comparate ad apertionem minorem, q. d. longe magis aperientur oculi veſtri, imo eouſque ut ſitis futuri ſicut Deus, prout de tali *omnimoda apertione* ſeu *clariſſimo viſu* volunt Doctiſſimi Interpretes potius quam de *carceris apertione* uſurpari vocem פקח־קוח *Jeſ.* LXI. 1. Non male adeo heic ſcripſit *Joh. Clericus*; *Apud Hebræos aperiri oculi eorum dicuntur, non modo quibus erant clauſi, ſed eorum qui aliquid animadvertunt vel ſciunt quod antea ignorabant. De animadverſione rei corporeæ ea phraſis occurrit Gen.* XXI. 19. *ubi Deus dicitur Hagaræ aperuiſſe oculos ut fontem aut puteum vicinum quem non videbat animadverteret, hoc eſt, feciſſe ut eo oculos verteret ubi erat puteus. Vide & Num.* XXII. 31. *Cum autem oculi paſſim à corpore ad animum transferantur, oculi tralatitio ſenſu iis aperiuntur, qui aliquid edocentur quod neſciebant, aut qui jubentur aliquid animadvertere unde doctiores fiunt, coll. Eſa.* XLII. 7. *Act.* XXVI. 18. *Eſa.* VI. 10. *&c. Igitur hoc in loco aperientur oculi veſtri idem eſt ac quod ſequitur, inſtar Deorum &c.* Ad hoc autem Satanæ promiſſum licet alluliſſe videri queat Moſes *verſ.* 7. *& aperti ſunt oculi amborum illorum &c.* imo licet clam apud ſe hunc prævisum eventum experientiæ triſtis mali ſpectare potuerit Satanas, quomodo *Diabolum hic ludere homonymia* obſervavit etiam *Piſcator*; indubie tamen intelligi ipſe ab hominibus voluit de optatiſſimo Scientiæ univerſalis complemento.

XI.

XI. Connectitur enim exegeticè ſecunda hæc phraſis ; *Et eritis ſicut Deus,* והייתם כאלהים / καὶ ἔσεσθε ὡς θεοὶ, *& eritis ſicut dii,* apud LXX & *Vulgatum*. Sic nempe illi ſpectant terminationem pluralem vocis אלהים / & duxerunt Interpretes varios non tam ad tres Deitatis Perſonas, *coll. verſ.* 22. quæ Dei quidem ſed non Deorum nomen ſolent accipere, quam vel ad homines *Principes*, vel ad *Angelos*, qui Deorum nomine in Scriptura ipſa inſigniuntur, quaſi ſimilitudinem cum his promiſiſſet homini Serpens. Ipſe *Onkelos* habet, ותהון כרברבין / *& eritis ut Magnates* vel *Principes*, atque *Jonathan*, ותהון כמלאכין רברבין / *& eritis ſicut Angeli Principes*, ſicuti *Hebræos hic intelligere Angelos* monuit *Fagius* cum aliis, atque *Druſius* eos diſtinguit qui de *Angelis* & qui de *Judicibus* ſive *Principibus* heic cogitant, ipſe ſe opponens iis qui pluralem numerum ad Tres Divinas Perſonas vellent referre, & poſt expoſitam Ebræorum de Angelis acceptionem ſubjiciens ; *An eadem fuerit mens Græcorum & Hieronymi, neſcio. Hoc ſcio in eorum libris legi, ὡς θεοὶ, ſicut dii. Mirum autem, ſi de vero Deo intellexerunt, cur uſi ſunt numero multitudinis, cum alias ſemper nomen hoc ita acceptum reddant θεὸς Deus. An peccaret qui ſic argumentaretur ? LXX & Hieronymus nomen Elohim quando verum Deum denotat, etiam cum eſſentialiter ſumitur, ſemper convertunt ὁ θεὸς, Deus, ergo hic ubi referunt ὡς θεοὶ, ſicut dii, non intellexerunt de vero Deo, & per conſequens de Tribus Perſonis, &c.* Hoc vero poſtremum ſicut placere poteſt omnibus illis Chriſtianis qui pluralem vocis אלהים terminationem non minus quam locutionem Dei pluralem de ſe ipſo ad Trinitatem referunt, & ſicut placuit inter alios *Piſcatori*, vertenti *eritis ſicut Dii*, & exponenti ; *eritis æquales Tribus Perſonis Sanctæ Trinitatis, coll. verſ* 22. *&c.* ita ſententiam de Principibus aut Angelis heic ſpectatis urgent alii, tum ex decenti vel celebrata horum ſcientia maxima, *coll. 2. Sam.* XIV. 17. 20. &c. tum ex plane impoſſibili adeoque minime à Serpente promiſſa æqualitate cum Deo ipſo. Ita ipſe *Lud. Cappellus in Notis Crit. Eritis ſicut Angeli, ſcientes bonum & malum, hoc eſt omnia &c. Confirmari poſſe videtur hæc explicatio ex verbis fœminæ Tekoitidis ad Davidem 2. Sam.* XIV. 17. *&c. Non ergo videtur Diabolus primis parentibus noſtris pollicitus omniſcientiam divinam & æqualitatem cum Deo, hoc enim mendacium nimis craſſum fuiſſet, ſed videtur potius ſimplicius pollicitus majorem longe rerum cognitionem & pene Angelorum ſcientiæ parem,*

Promiſſa Dei Similitudo declaratur.

ut hyperbola etiam quædam hic videatur intelligenda. Quem Autorem laudat hoc nomine & sequitur *Joh. Clericus*; *Cum vox* אלהים *possit significare instar ejus Dei qui Deorum dicitur Deus, aut instar Angelorum qui sunt Dei Deorum ministri atque inferiores Dii, malim de Angelis exponere &c.* Dum *Cl. Amyraldus* in hac expositione adeò nihil etiam incommodi vidit, ut scriberet; *Dixit fore, ut si illa cum marito de fructu Arboris vetitæ comederet acquirerent scientiam parem scientiæ Angelorum vel adeò ipsius Dei. Nihil enim refert, quo modo verbum* אלהים *eo loco interpretemur, & quocunque modo accipiatur, res illa sciendi aviditatem quæ homini à natura insita est vehementer in fœmina excitare potuit.* Amplectuntur autem illud de Angelis passim *Sociniani*, ut argumentum pro Trinitate ex *vers.* 22. tanto facilius enervent; quamquam nonnulli eorum cum *Enjedino* videantur Deum verum cum Angelis heic quoque in nomine *Deorum* velle conjungere, tanquam cum quibus ipse Scientiam suam non minus quam nomen hoc communicaverat. Animvero nullum heic locum reperit notio *Magnatum* seu *Principum* humanorum; utpote qui omnes non sunt scientia maxima instructi, & quorum primus & supremus Princeps post multiplicatum genus foret absque esu ipse Adam. Nec constat nobis, scientiam & præstantiam *Angelorum* tantopere supra illam Hominum excelluisse, quando hi cum iis Divinæ Imaginis integritate adhuc fruebantur, & illorum confirmatio in prima felicitate adhuc minus explorata potuit judicari. Imo ubi mendax & maximum promissum fecit Satanas homini quo tanto potentius hominem alliceret, de similitudine Dei supremi potius, à sapientia etiam præ Angelis celebrati, quam ipsi subjectarum creaturarum ullarum, cogitandum heic est nobis. Quo magis adhibitum hactenus à Mose constanter est nomen illud אלהים *Dei* de vero Deo creatore & legislatore, etiam bis ab ipso Serpente *verss.* 1. — 5. dum Angeli veniunt heic, partim sub communi nomine *exercitus cœlorum Gen.* II. 1. partim sub illo *Cerubbim Gen.* III. 24. Et hoc minime prætermittendum, quod omnes fateri coguntur, ad hoc Satanæ promissum spectasse *Jehovam Deum* ironico suo sermone subsecuto *vers.* 22. *ecce homo est*, seu *factus est*, *sicut unus ex nobis &c.* unde promissio & affectatio vana similitudinis cum ipso Deo colligitur manifestissime; qui licet illic loquatur de *uno ex nobis* cum respectu ad Trinitatem, non tamen ideo ut Trinus per solum nomen *Elohim* heic à Serpente exprimitur, notante

tante idem *Druſio*. Nec obſtat alibi occurrens commendatio Sapientiæ Angelorum, quando certa non minus eſt & prædicatur meritò adhuc longe magis ſapientia ipſius Dei perfectiſſima quoad extenſionem & modum ſuum omnem, *coll.* 1. *Sam.* II. 3. *Pſal.* CXLVII. 5. *&c.* Et quod ad alteram objectionem attinet de plane impoſſibili æqualitate hominis cum Deo ipſo, ſciendum eſt; tum attentione ad ſermonem Serpentis & infidelitate adverſus minas Divinas jam admodum obſcuratum fuiſſe hominis intellectum, ut potuerit ad impoſſibilia ipſe aſpirare; tum *Cappellum* ipſum in hoc promiſſo Satanæ Hyperbolen aliquam admiſiſſe; tum denique *Caph* ſeu *ſicut* non dicere neceſſario Æqualitatem conſummatam ab una parte, aut ab altera quoque Similitudinem qualemcunque quam magnam jam omninò per imaginem Dei poſſidebat homo, ſed optime Convenientiam majorem ac nunc habebat, & maximam quam ſeu aſſequi quocunque modo ſeu etiam temere affectare poterat, dum ſimilitudo rerum utique varios habet gradus, quin & omne ſimile etiam eſſe diſſimile alias communiter obſervatur. Iſta vero major & maxima Dei ſimilitudo heic promiſſa, amplius quæritur, in qua re ſit quærenda. De Beata Vita loquitur *Joſephus*; ὁ γενόμενος αὐτὸν μακάριον καὶ μηδὲν ἐνδεεῖν ἔχοντα ὃ ἦν ἄξιον βίου *&c.* De Vi homines alios per Generationem producendi diſſerunt ab ævo *Indai* quidam alii, & ſpectare illuc quoque videritur iſta ab *Abarbenele* ipſo adducta R. *Eliezeris Cap.* XIII. *Eritis tanquam Deus; quid ipſe facit? Creat mundos & deſtruit mundos, ita vos poteritis creare mundos & deſtruere mundos; quid ipſe? occidit & vivificat, etiam vos poteritis occidere & vivificare &c.* De Poteſtate ſuprema & independente cogitare jubet *Lyranus*; *Eritis ſicut dii, non reſtricti aliqua inhibitione, nec alicui ſubjecti.* De habitatione Cœleſti longe ineptius *Jac. Altingius in Diſſert. de Stat. Pr. Hom. An homini liberum ſolutumque fuiſſet ad cœleſtem habitationem aſpirare, cum à Deo inter exercitus terreſtres eſſet collocatus? Id Serpens Mulieri ſuaſit Gen.* III. 5. *eritiſque ſicut Elohim Dii, quorum habitatio non eſt cum carne Dan.* II. 11. *ut qui excellentioris ſunt naturæ & habitationis. Hoc mendacium Diaboli fuit, cui cum Mulier credidit ſeducta eſt &c.* Non enim dicitur, eritis cum Deo, aut apud Deum, aut ubi ille eſt, aut aliquid eſt in contextu quod ad locum manſionis Dei in ſimilitudine promiſſa nos ducat; præterquam quod in primo felicitatis humanæ ſtatu habitatio Dei etiam major cum carne eſſet quam

poſt lapſum. Plura tandem in ſimilitudine Dei promiſſa jungunt aliqui, ut Sanctitatem, & Gloriam &c. quæ homini poſſent in eo grata obvenire atque etiam ad obedientiam promiſſa judicari à Deo. Quæ licet ego cuncta plane excludere nolim, videtur tamen, tam ex apertione oculorum præmiſſa, quam ex cognitione boni & mali ſubjecta, quod vel unice vel maxime ſimilitudo Dei heic ſpectetur in Sapientia, quæ indubie in Deo eſt ſumma, & de qua per analogiam aliquam participant homines, uti hæc ipſis in cœleſti beatitate eſt etiam promiſſa. Nec male adeo notavit heic *Grotius*; *Divinum eſt ſcire quam plurima. Homerus de Iove*, πλειοτα ἤδη. *Et alibi*, θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν. *Epicharmus*, ὁ δέγε τὰς πέχρας ἅπαντ' ἐνιπεπτω θεῖος λόγος. *Scientia Deorum vita Ciceroni in Hortenſio. Hoc donum quantum opus erat à Deo precibus impetrare debuerant ad uſum imperii ſibi divinitus dati, non autem id per ſe ſumere &c.* Quæ poſteriora tamen probari nequeunt ob ſuppoſitam ſic nimiam protoplaſtorum inſcitiam. *Sicut Deus* itaque ipſe verus, tum in aliis forte pluribus, tum certo & præcipue in Scientia, inquit Serpens ad Mulierem, vos homines *eritis* ſeu *fietis*, magis quam nunc adhuc eſtis licet felices & ſapientes admodum ſitis.

Sicuti & Scientia Boni & Mali.

XII. Atque hinc accedit iſta enunciationis continuatio abſque Copula, *ſcientes boni & mali.* Quia in Hebræo præcedit proxime nomen אלהים terminationis pluralis, illuc directe crediderunt multi pertinere quoque participium ידעי / *ſcientes*, ut hoc dicatur ſeu de Diis, Principibus aut Angelis, ſeu potius de Deo Triuno, conſtructione participii ad terminationem Nominis accommodata uti fit alibi quoque *Gen.* XX. 13. *Joſ.* XXIV. 19. 2. *Sam.* VII. 23. *&c.* quando qui heic legunt *ſicut Deus* etiam ſingulariter vertunt recte, *ſciens boni & mali*, vel *bonum & malum.* Id ſenſum haud mutat magnopere, quando iſta potius quam alia Dei deſcriptio ſic additur ad monſtrandam rem in qua ſimilitudo Dei ab hominibus eſſet obtinenda. Attamen judico præſtare, ut ſupponatur potius ipſius Dei ſcientia, & ponatur heic directe in promiſſione Scientia humana, in qua homines Deum eſſent expreſſuri, ſenſuſque adeo ſit, *eritis ſcientes*, per apertionem oculorum, ſicut Deus. De *Bono & Malo*, טוב ורע / καλῷ καὶ πονηρῷ, ejuſque *Scientia*, הדעת / ſatis copioſè egimus apud nomen Arboris ab ea denominatæ *Lib. I. Cap. XVIII. §. 2. &c.* ubi monſtratum eſt ſpectari Conſcientiam Obedientiæ præſtitæ cum Præmio exſpectando vel Inobedientiæ commiſſæ cum Pœna me-

metuenda, quæ certissime ex hac Arbore per esum aut abstinentiam esset habenda. Ad illud ergo Arboris nomen allusit heic quidem Serpens, & potuit etiam apud se istum etiam sensum in his verbis spectare; sed sensu longe alio verba sua ab homine vult intelligi, quando de optata oculorum mentis apertione & similitudine cum Deo jam locutus est ipse. Ut Scientia heic desiderabilis ac Divina illa Boni & Mali nihil aliud sit quam Notitia perfecta omnium quocunque modo tum laudabilium tum illaudabilium cum justa eorundem discretione & æstimatione, *coll.* 2. *Sam.* XIV. 17. 20. 1. *Reg.* III. 9. *&c.* sicuti ab altera parte non scire bonum & malum omnium fere aut vere rerum designat ignorantiam *Deut.* 1. 39. *&c.* Nec male adeo *Clericus* notavit; *Vocibus boni & mali omnia quæ cognosci possunt continentur, quia pleraque omnia sunt bona aut mala, utilia, noxia aut inutilia &c.* Dum alii Judæi & Christiani Bonum & Malum ejusque Scientiam varie restringunt, & pro restrictionibus istis suis prolixe nonnunquam disputant. Nec obscura est ratio, cur Scientiæ vel Sapientiæ talis ac tantæ promisso potius quam alio aliquo pellexerit Serpens hominem; quando hæc homini tanquam creaturæ rationali non modo est maxime desiderata, & *nil esse* ipse *Cicero* scripsit *per quod magis Diis assimilemur*, sed & de hac apud Arborem hanc loquendi occasionem ipsi suppeditabat hujus nomen facillimam. Non possum quin probem ad hæc Commentarium *Corn. à Lapide*; *Scientes bonum & malum, quia per experientiam scietis quantum malum sit inobedientia, & consequenter quantum bonum sit obedientia. Ita aliqui. Quasi verum hic dixerit Dæmon, suaque hac stropha illuserit Evæ, quæ amplius quid hic sibi promitti putabat. Verum dico esse Hebraismum, scietis bonum & malum, id est, scietis omnia, quæcunque bona sunt vel mala, vera vel falsa, necessaria vel contingentia, ut discernere possitis quid utile sit quid inutile, quid agendum quid fugiendum in rebis omnibus.* Uti laudare debeo piam meditationem *Cl. Cocceji*, postquam *occasionem speciosæ illusionis* Satanicæ *captam* dixit *à nomine Arboris* quod ipse male sit interpretatus, *ad Gen.* III. §. 31. *A Satana igitur fascinati sunt; qui in πολυμαθείᾳ & plurimarum rerum cognitione & perscrutatione gloriantur, quum tamen exomni cognitione omnium quæ sunt in rerum natura non proveniat sapientia Iob.* XXVIII. *& talis solertia & σοφία nihil sit nisi* רעות רוח / *q. d. pasci vento Eccl.* II. 12. *&c.*

XIII. Ex-

Boni hujus connexio arcta cum Esu fructus vetiti.

XIII. Ex iis, quæ de re promissa jam diximus, non licet nobis plene facere cum illis qui eam ut in se per omnia laudabilem spectant, ad quam homini adeo per obedientiam fuerat aspirandum. Quo tamen modo heic, laudato *Prosperi* consensu, rem accepit etiam *Cl. Coccejus in Summa Cap. XXVII. §. 17. &c. Abusus est indigitamento Arboris, quod docuit esse pollicitationem sapientiæ perfectæ excludentis possibilitatem deceptionis & sic immutabilitatis à bono, & assimilationem Dei in sanctitate constantissima ac gloriosa vita, &c.* Quando hoc consequitur, culpam omnem Diaboli constitisse in monstratione & suasione perversæ viæ ad veram felicitatem. Sed uti in homine jam antea agnovimus nos *Superbam Divinæ similitudinis affectationem* ex his Satanæ verbis *Cap. II. §. 5.* ita eadem omnino aliquid plus quam humanum per contextum omnem videntur insinuare, quod ipsum homini ad beatitatem suam in Dei communione merito aspiranti non licebat affectare absque aliqua Dei detractione, nec absque culpa commendavit adeò Serpens. Auget hoc tamen inprimis Serpentis crimen, quod oblatum à se bonum hominibus dicit obventurum *in die esus* eorum, seu singulorum pro se seu junctorum utrorumque simul, *de ea*, Arbore vetita, ביום אכלכם ממנו / ἢ ἂν ἡμέρᾳ φάγητε, vel φάγησθε, ἀπ' αὐτοῦ, *in quocunque die comederitis ex eo*, apud LXX & *Vulgatum*. Quæ verba manifestam oppositionem & relationem habent ad illa Dei *Gen. II. 17. in die esus tui de ea moriendo morieris*. Nempe quem esum interdixerat Deus cum minis, hunc ipsum non tantum suadet Serpens cum promissis; sed & æque certum nexum boni desiderati cum commendato facto, & celerrimam illius ad hoc consecutionem inculcat simul. Nec aptum quidquam magis erat ad hominem pelliciendum, quam tanta tam certa & tam subita felicitas, ex esu grato consecutura; quæ Infidelitati priori mox etiam superbiam in animo hominis adderet.

Quo sensu Scientiam rei à se dictæ Deo tribuat insuper Serpens.

XIV. Haud leve momentum adhuc promisso accedit per præmissas voces; *Quoniam scit Deus, quod* ita se res habeat, כי יודע אלהים / ἤδει γὰρ ὁ Θεὸς ὅτι, *scit enim Deus quod*, apud LXX & *Vulgatum*. Indubie Deum heic unum verum designat Serpens, qui creaverat hominem & interdictum Arboris cum minis dederat, referente etiam Muliere. Quem cum dicit Serpens *scire* rem à se dictam, de scopo assertæ apud hominem istius Divinæ Scientiæ quæritur. Nempe credunt multi, sic vel loquelam nomine Dei ostentare Serpentem,

Digitized by Google

pentem, vel validius asserere sua dicta per provocationem ad Dei omniscientiam ac speciem quandam juramenti, qualis est *Jos.* XXII. 22. *Deus Deorum, Jehovah. Deus Deorum Jehovah ipse scit, Job.* XVI. 19. *etiam nunc ecce in cœlis testis meus, testificator meus in excelsis, Psal.* XL. 10. *Jehovah tu scis, Ier.* XV. 15. *tu scis Jehovah, Ier.* XVII. 16. *tu scis,* 2. *Cor.* XI. 11. 31. ὁ θεὸς οἶδεν, ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τ κυρίε ἡμῶν Ἰησᾶ χρισᾶ οἶδεν, ὁ εὐλογητὸς εἰς τὸς αἰῶνας, ὅτι ὐ ψεύδομαι *&c.* Sed ita loqui, etiam jurantes, possunt homines, & loquuntur passim, qui ideò non fingunt se missos à Deo aut se Dei nomine loqui. Unde licet hoc insinuet sæpe *Cl. Coccejus*, magis tamen juramento heic inhæret ipse. *Sanctus Diabolus*, inquit *in Summa, etiam jurat, Deus novit, nihil enim audet loqui quod Deus non noverit esse verum, &c.* Etiam *ad Gen.* III. §. 37. *verba sua firmavit juramento, Deus novit, Sanctus Diabolus nihil audet loqui &c.* Enimvero licet contextus, alibi agens de hominum loquentium factis aut declaratis forte à se fatis, Dei scientiam adductam jubeat per modum juramenti accipere, ea tamen illi vis per se non inest, nec ubique deprehenditur; uti cum Paulus dixit 2. *Cor.* XII. 2. 3. οὐκ οἶδα, ὁ θεὸς οἶδεν, divinam rei scientiam suæ ignorantiæ simplicitur opponens. Neque in hoc præsenti textu Serpens loquitur similiter narrative de eo quod egerat aut quod sibi obvenerat, sed dè eo quod ad hominis esum erat deinde consecuturum. Exiguus heic etiam juramento potest videri fuisse locus; ubi mendacium nondum invaluerat, quod illud medium firmandæ veritatis post peccatum demum fecit necessarium; atque ubi attentione sua ad Serpentem & infidelitate in Deum satis declarabat Mulier absque juramento se haud difficulter suadenti Serpenti obsecuturam. Præcipue id heic Juramento per Deum obstat, quod non tantum ea quæ subjiciuntur verba parum cum divinis verbis conveniant, sed & ea quæ jam præcesserunt directe divinis sint opposita, dum dixit Serpens, *non moriendo moriemini*, sed dixerat Deus ad Adamum conscia & fatente Eva, *moriendo morieris*; unde quem studuerat facere mendacem, eundem nunc ut veracissimum & mendacii ultorem eodem fere halitu non adduxit. Quod si adversus hanc observationem dixeris, non Divinæ voci sed opinioni Mulieris de illa se opposuisse & opponere Satanam; fingis aliquid extra textum, quando nec dè male ab hominibus intellecto Verbo Dei, seu Interdicente seu Comminante, nec de Deo aliter quam Mulier dixerat locuto, ullum illic legitur

verbum; imò obloqueris textui, qui palam agit de eventu solo ad esum consecuturo, longe alio quam Deus dixerat. Nec quidquam clarius est, quam totum sermonem Satanæ illuc non clam sed apertè satis fuisse directum, ut hominem ab obsequio & amore Dei abduceret, cujus rei damnum dein hic nimis serò intellexit; unde minus convenit, eundem dum hoc agit se per juramentum Dei timentem & obsequentem ostendere homini in exemplum. Et si alia communior exegesis aliquid habeat quod ægre ab homine admitti quin & ab astuto Serpente apud hominem proficisci potuisse videatur, quis ritè attendens judicet minus difficultatis in eo reperiri, quod homini utrique satis plenè conscio spectantis ad se & facti nuper admodum ad se divini verbi clarissimi errorem gravem de ejus vero sensu voluerit persuadere Serpens, ad quem illud verbum non spectabat & qui illud interrogando ex Eva demum didicerat, imò errorem plane ipsi Divino verbo per omnia oppositum? & quod juramentum illius unius, ne quidem rogatum sed sponte mox prolatum, apud hominem geminum potuerit credi valiturum adversus propriam conscientiam? Sin hoc magis placeat, cessationem prioris divini verbi præsentem à Serpente tanquam Dei Legato suaderi; juramentum fuisset satis supervacaneum & temerarium, sed necessarium ex adverso, istam rem cum temporis discrimine per aliquod vel vocis unius indicium prodi, quod factum neutiquam est; præterquam quod abrogatio prioris interdicti cum minis debuisset vel à Deo vel saltem Dei ipsius nomine fieri, quod heic eo modo non adducitur. Enimvero priori illi exegesi dudum alii viam straverunt, qui *Scientiam Dei* heic memorari voluerunt, non quidem per modum Juramenti, sed Argumenti ad persuadendum, quod Interdictum tale à Deo vel serio vel isto sensu non esset factum, quod homo hinc debuerit colligere; *q. d.* inquit *à Lapide*, *cum Deus hæc sciat vosque amet, non est verisimile, eum vos hac Arbore tam proficua privare voluisse, itaque vel joco tantum illam prohibuit, vel sub hoc ejus præcepto aliquid mysterii latet quod necdum scitis, scietis autem cum ex ea comederitis*, laudato in hanc rem *Augustino Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 30. Sed de verbis Satanæ nihil illic habet tale *Augustinus*, tantum post memoratam Mulieris fidem, *à bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos*, subjiciens; *denique verbis non contenta Serpentis consideravit lignum &c. & non credens posse inde se mori, arbitror quod putaverit Deum alicujus si-*

gni-

gnificationis cauſa dixiſſe, ſi manducaveritis morte moriemini &c. Nec habet iſta ſententia ſpeciem quoque magnam; quatenus nullo indicio liquet, Satanam ſeſe oppoſuiſſe vel verbis vel ſenſui verborum Dei, qui ab eorum obedientia tantum voluit abducere; & quatenus juxta aut ſupra Dei ſcientiam heic tum ejus bonitas & amor debuiſſet nominari, ſi talis ex Dei Scientia ab hominibus concluſio fuiſſet educenda. Quid ergo? Vel ſimpliciter, ex occaſione Nominis Arbori à Deo dati, cum reipſa aſſerit Divinam ejus Scientiam Serpens, ut ea tantò certius ex Dei ſecum conſenſu conſtaret & tanto promptius acciperetur, procul omni Divinæ ignorantiæ aut contrariæ ſcientiæ ſuſpicione; vel potius illam Scientiam vult ſpectari Serpens ut veram cauſam & rationem ob quam eſum de Arbore illa homini interdixiſſet ſub pœna mortis, metuens nempe ſibi & invidens homini iſtam magnam ſecum ſimilitudinem in omnium ſcientia, cujus gloriam volebat ſervare ſolus. Quam Satanæ mentem parœmialiter expreſſit paraphraſi ſua ipſe *Ionathan*, Serpentem initio vocans דלשר *delatorem* ſeu *accuſatorem ſui Creatoris*, atque ante hæc verba, *quoniam manifeſtum eſt coram Iehovah &c.* præmittens, *ſed omnis artifex odit filium artificii ſui*, pro quo *ſocios* habet ex Magiſtris *Abarbenel*; uti apud R. *Eliezerem* Cap. XIII. loquens introducitur Serpens, *non eſt præceptum hoc niſi oculus malus*, vel *oculi mali*. Prout *Iudæos* communiter *ſic verba Serpentis interpretari* agnoſcit *Coccejus, quaſi Deo* שנאה *ſive odium & invidiam ſocietatis attribuiſſet.* Nec aliter cum Veteribus Chriſtianis plurimis judicavit *Chryſoſtomus*; Εἶπα οὖν ἀρχεθεὶς τῷ ἀνθρώπῳ πῶς ἀπὸ τῆς τοῦ θεοῦ ῥηθείσης, καὶ εἰς φθονερὸν ἀφεβάλλει τὸ δημιουργόν, ἵν' ἕτω τὸν ἀπάτην εἰσαγαγεῖν δυνηθείη, καὶ τὴν γυναῖκα ἀποσκελίσας τὸ οἰκεῖον σκοπὸν ἀποπληρώσῃ &c. ἀλλ' ἀκούσατε παρ' αὐτοῦ, ὅτι δῆθεν τούτου τοῦ μείζονα ἐκώλυσεν ὁ θεὸς, ἐπίδηλη ἦδη, &c. Atque hanc longe communiſſimam hodieque ſententiam inculcat etiam *Iac. Altingius in Anal. Exeg. Gen.* quando heic agnoſcit *duplicationem Serpentis, dicentis primum mendacium Ioh.* VIII. 44. *& confirmantis illud* ἀφεβολῇ *contra Deum verſ.* 5. *qui ex invidia interdixerit, conſcius contrarii eventus, tum facti, tum circumſtantiæ temporis, aperiendorum oculorum non tam corporis quam mentis, in experimento, quod futuri ſint ſicut Elohim, ſumma felicitatis & immutabilitatis, eoque ſcientes boni & mali, hujus quod deſerturi, iſtius quod conſecuturi eſſent.* Nec dubito ego eandem aliis multum præferre. Fluit enim

iſte ſcopus maxime naturaliter ex phraſi, cum verbis omnibus antecedentibus & conſequentibus collata, quâ in ſimili caſu nos adhuc ſimiliter uteremur, & quam nemo aliter facile intelligeret, niſi ob rei ſignificatæ duritiem & craſſitiem apparentem. Convenit ille idem ſcopus Satanæ loquenti; qui ipſe per invidiam in Deum & hominem magnam ferebatur in hoc conatu; cui maximum mendacium & ſumma blaſphemia neutiquam diſplicent; & qui ab hac etiam calumnia Dei, in qua apud humanum genus perſeverat frequenter, optime nomen διάβολος gerit, longe ſane rectius quàm à *lapſu deorſum* quod habet *Lombardus*. Exigit hunc eundem ſcopum filum & ſeries Satanicæ tentationis apud hominum; quando ad conſcientiam divini verbi & auditum contrarium plane verbum Satanæ de nullo malo ſed ſummo bono ex eſu fructus exſpectando nihil magis afficere aut cohibere hominem poterat à Serpentis obſequio quam ratio ob quam eſum illum Deus ergò interdixiſſet; & quando nullus magis ſpecioſus & homini blandiens prætextus quam ille metus & invidiæ Divinæ heic ingeri poterat, ut ſuccederet tentatio ex Serpentis voto. Quibus omnibus ſpectatis vix ſatis miror, tam vehementer ſe huic exegeſi opponere *Cl. Coccejum*, quam agit & *ad h. l.* & *in Summa* ſua. *Plerique Veteres illa verba ſic accipiunt*, inquit priori loco, *quaſi ſit aperta Dei ſugillatio, (hoc habent à Judæis,) qui interdixerit Arboris illius eſu ex invidia, quia noverit Deus illam virtutem Arboris iſtius eſſe, ut qui ex ea comedat inſtar Dei fiat. Cui tam apertæ & horrendæ blaſphemiæ ſi aſſenſi fuiſſent primi parentes noſtri, nihil gravius & atrocius illorum peccato cogitari poſſet. Et vero mihi non videtur fieri potuiſſe, ut id Mulieri ullo modo perſuaderetur. Quid enim ſtultius dici & cogitari poterat, quam ex frutice pendere ſapientiam & ſimilitudinem cum Deo, ita ut Deo ringente & nolente per illius eſum homo eam poſſit acquirere? Deinde Deum invidere? Denique ita etiam ab illa Arbore vitam pendere, ut Deus hominem non poſſit interficere? Hæc enim omnia credenda fuerint ei, qui velit credere Deum ex invidia Arbore illa interdixiſſe & mortem comminatum eſſe. Qualia Judæi commenti ſunt &c. Stulta hæc ſunt & ſupinæ fatuitatis, credo ab ipſo Satana dictata ad irridendam hiſtoriam lapſus & occultandum ſuum τέχνημα. Non eſt ille mos Satanæ, ut ita impudenter agat & tam aperte. Apoſtolum audimus dicentem, μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός.* Et poſteriori ſimiliter; *Quas ego commentationes credo à Spi-*

Spiritu mendacii esse profectas, ad tegendum suum stratagema quo Mulierem decepit, ne vel nunc artes ipsius sentiamus aut caveamus. Quod si Mulieri persuaderi potuit, beatitudinem & vitam à fructice pendere ita, ut Deo invito illam consequeretur & retineat, quid stultius ea poterit cogitari? Talis igitur opinio non facit nisi ad deridendam Scripturam & opus Dei. At Satanas aperte Deo attribuit sapientiam, sanctitatem, & felicitatem, quando eum proponit ut eum cui in felicitate sua per usum pomi consequenda sint assimilandi. Hoc vero non est Deo invidiam & odium similis impingere, &c. Utique tam dure disputare adversus communiter ab ævo absque rei Christianæ detrimento acceptam opinionem, mihi satis durum videtur. Nec rationem ullam videmus, cur vel Satanæ tentantis vel Hominum seductorum peccatum minus grave aut atrox esse velimus quam illud ex Mose deprehenditur & colligitur fuisse. Et sicuti ineptissime creditur, Homini in Integritate perstanti hoc nequivisse persuaderi, quod ex esu fructus vetiti & quidem Deo invito posset ullo modo provenire summa sapientia & similitudo cum Deo, quod Deus invidus esset, quodque hic hominem edentem de eo interficere non posset; ita nihil horum est adeo ineptum, ut id homini male attendenti ad Satanam, à Deo se abalienanti, & in lapsum jam ruenti celeri impetu, non potuerit à Satana in rem suam commode insinuari & ab ipso stultissime admitti. Utique non obstante frequenti μεταχηματισμῷ Satanæ in Angelum Lucis, ille suum in Deum odium satis impudenter etiam & aperte prodere solet, nec desinit summas & cum reliqua ratione recta quam maxime pugnantes ineptias hominibus persuadere. Neque hinc derideri potest Scriptura aut opus Dei, quod Mulieri non in Integritate sed in Lapsu suo summa stultitia æque quam impietas tribuatur. Si Deo porro tribuit Serpens sapientiam & felicitatem, in qua homo edens ei fieret similis; de Sanctitate Dei nihil ille tamen expressit, nec obstat, similitudinem Dei in sapientia aliaque forte præstantia tanquam felicitatem magnam homini promitti, etiamsi hic ininvidia minus imitandus aut homini gratus esset. Tandem si quid in Invidia Dei (nam bonum ex esu fructus secuturum palam habet textus absque possibili contradictione,) proponenda vel persuadenda homini est difficultatis, non minus ego difficultatis reperio & quod fatuitatem arguat, in eo quod Serpens, rogans de eo quod ad se non spectabat

bat Dei verbo, melius ſciverit illud vel illius mentem quam Homo uterque qui id à Deo acceperat, quodque ille plane contrarium verbis ipſis ſenſum potuerit perſuadere, vel illum etiam determinatè, *ut mori ſignificet mutari ab illa vita in meliorem*, in primis quando ob mortem ſecuturam non mandaverat ſed interdixerat Deus eſum fructus. Ex dictis autem modo de hac Dei Scientia concidit ſimul neceſſitas & probabilitas *Dilemmatis*, quo Serpentem *intuliſſe* ex ea vult *Rivinus*, *fructum hunc vel plane non vetitum ſi Deus benevolus, vel ſaltem inique, ſi ſit malevolus, jam eligant utrum velint ſequetur ipſos non male acturos ſi comedant.* Si porro poſt admiſſum iſtum Satanæ ſeducentis ſcopum quem nos cum plurimis tenemus roges de ſenſu Conjunctionis ante ſcientiam Dei præmiſſæ כי/ nihil repugno illam adverſative exponi per *ſed*, ac ſi eſſet כי אם/ juxta *Piſcatorem*, præeunte etiam *Abarbenele*, uti alias indubie nonnunquam capitur, & promiſſum ſubjectum non tantum oppoſitum eſt vere morti præmiſſæ, verum etiam illa boni ſecuturi invida in Deo ſcientia negatæ quam denunciaverat morti tanquam cauſa ſeu ratio opponi merebatur. Per me licet quoque ut כי exponatur progreſſive per *quin imo*; in quem ſenſum adduxit *Clericus Thren.* 1. 10. & laudavit ſimul *Noldii Concordantias.* Sed & ſenſus ſatis commode fluet, ſi כי reddatur per γὰρ, *enim*, uti fit à LXX. & *Vulgato*, vel per *quia* aut *quoniam*, ſenſu tum aſſertivo ſimpliciter, qui in hac vocula eſt frequentiſſimus, tum etiam ratiocinativo ſimul, ſiquidem & res ipſa ſubjecta & ejus invida apud Deum ſcientia tanquam interdicti & comminationis cauſa vere eſt argumentum, quo hic firmabatur homines edentes de fructu nequaquam morituros eſſe. Nec male admodum præterea ſcripſit *Clericus*; *Hæc*, adverſativa ex *Gen.* XIX. 2. XLII. 12. *&c. niſi conſtaret exemplis vocula ſignificatio, facile in animum inducerem, Serpentis orationem eſſe Ellipticam ut crederem, & vertendum, quoniam quo die ex illo comederitis apertum eo iri oculos veſtros &c. novit Deus, ideo nè fructum Arboris Scientiæ comederetis interminatus eſt. Sunt enim ejuſmodi Ellipſes, in quibus integrum membrum ex ſuperioribus repeti neceſſe eſt Matt.* XVI. 7. *Cogitabant inter ſe dicentes, quia panem non accepimus, ideo Chriſtus de fermento loquitur. Atque ita vocula* כי *uſitatus ſervaretur ſenſus.*

Inſecutus Mulieris

XV. Ita autem differens Serpens Tentator, quem hinc המסית *ſeductorem* ſolent appellare Judæi, & de quo Mulier ipſa dixit *verſ.* 13.

13. נחש השיאני / *ſerpens ſeduxit*, vel *decepit*, *me &c.* id effecit, ut *Mulier*, cum qua immediate illi res erat, ſeu ſponte propria ſeu etiam ad id aliis quibuſdam Serpentis vocibus amplius monita, oculos ſuos in Arborem converterit, &, *igitur* apud *Vulgatum*, *viderit quod bona Arbor ad eſum, & quod deſiderium ipſa oculis, & deſiderabilis Arbor ad intelligendum.* Quas voces cum antea haud perfunctorie apud Arborem ipſam expoſuerimus *Lib. I. Cap.* XVIII. §. 12. non eſt ut de iis iterum dicamus. Temere utique præmittitur his à *Jonathane*, *& vidit Mulier Sammaelem Angelum mortis & timuit & agnovit quod &c.* quaſi nunc tentator vere ut malus innotuiſſet, quale quid apud *R. Eliezerem* quoque legitur, & ex ejus metu porro operata eſſet mulier; quod cum ſubjecto viſu Arboris minus convenit. Nec ullo modo dubium eſſe poteſt, quin *viſus* heic notetur, non ſimplex qualiscunque, ſed attentus & curioſus admodum, cum concupiſcentia fructus junctus, & cum delectatione ſingulari in eo, per quam magis labenti homini potuit ille præſtans etiam forte videri quam re ipſa eſſet; adeoque vere peccaminoſus in ſe juxta attentionem priorem ad Satanæ verba, & hinc cauſa proxima conſummati per eſum lapſus. Unde non male, notante *Fagio*, dixerunt *Hebræi*, הראות תחלת העברה / *Viſum principium tranſgreſſionis*, dum ipſe dixit; *oculis & mente in Arborem à qua ſibi antea tantopere timebat totam intentam fuiſſe* Mulierem, *deſcribi ergo hic aſſenſum peccati & malæ concupiſcentiæ, quæ etiam per viſum mentiſque conſiderationem magis atque magis accendebatur, donec tandem admota manu vetitum pomum decerperet ac deguſtaret, recte igitur orare Davidem Pſalm.* CXIX. *averte oculos meos ne videant vanitatem.* Ita ergo ad Infidelitatem & Superbiam acceſſit per viſum Gulæ indecens deſiderium in homine, ſecundum ea quæ diximus *Cap. II.* §. 6. quod per oculos vel ad Deum ſublatos vel aliter in Arborem hanc juxta alias conjectos debuiſſet averti. Qua occaſione ſolent Papiſtæ laudare verba elegantia *Bernardi de Grad. Humil. Quid tuam mortem tam intente intueris? Quid illò tam crebro vagantia lumina jacis? Quid ſpectare licet quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum. Non eſt interdictum ne videam, ſed ne comedam. An non licet oculos quoquo volo levare, quos Deus in mea poſuit poteſtate? Ad quod Apoſtolus, omnia mihi licent; ſed non omnia expediunt. Et ſi culpa non eſt, culpæ tamen indicium eſt. Niſi enim mens mi-*

Viſus ad Arboris Eſum ducens annectitur.

Digitized by Google

minus ſe curioſe ſervaret, tua curioſitas tempus vacuum non haberet. Et ſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt, & indicium commiſſæ, & cauſa eſt committendæ &c. Conſecutum hinc certe in Muliere, & dein per Mulierem in Viro, eſt ſummum illud ſcelus, quod antea expoſitum dedimus; nam referente porro Moſe, *& ſumpſit* Mulier *de fructu ejus* Arboris vetitæ, *& edit, & dedit etiam Viro ſuo ſecum, & edit.*

Amyraldi Diſſertatio laudatur, cum concluſione hujus argumenti.

XVI. Digniſſima ad hæc omnia eſt *Diſſertatio Viri Clar. Moſis Amyraldi* de modo ſeductionis humanæ per Serpentem. In ea nempe poſt *Deceptionis Genus Quintuplex* generatim expoſitum, oſtendit ille ſubtiliter; quomodo Satanas operatus ſit in *Appetitum Senſitivum* hominis non tam per tactum aut olfactum aut auditum quam per *Viſum* & *Guſtum*; quomodo idem in *Appetitum Rationalem* egerit per propoſitionem *Scientiæ*, tanquam objecti naturæ ipſius convenientis, & quidem *ſummæ*, qua maxime perficeretur, imo & *contrariorum*, quæ ſe mutuo illuſtrare ſolent; quomodo *Mentem* perverterit, interdictum cum denunciatione Mortis proponendo per modum non *decreti irrevocabilis* ſed *ſimplicis comminationis*, Evæque perſuadendo ex mera Dei *invidentia* totum interdictum fluxiſſe, dum nec hominibus ulla vel animantium ipſorum experientia perſpectum erat quid *Mors* eſſet, *promiſſum* ſpecie magnum addendo, &c. quo modo ad ſucceſſum deceptionis in Eva fecerit *proportio* ſive *convenientia* inter facultatem & objectum ei propoſitum, dum facultas erat mutabilis, & retrahens divini præcepti pondus imminutum primo ac dein ſublatum fuit; quomodo præterea in Adamo cooperata ſit *amica manus* Mulieris fructum dantis, qua haud difficulter victâ fuit major Viri virtus qui ipſi cæteroquin Diabolo diutius reſtitiſſet, &c. Quæ ſicuti apud ipſum latius legere potes, & proprio judicio magis ac minus ſolida diſcernere; ita id nobis agendum, nè Satanæ aſtutiam in homine ſeducendo vel nimium minuamus ab una parte, cum præjudicio manifeſto adverſus Protoplaſtorum ſapientiam innatam, vel ab altera quoque parte nimium augeamus, cum indecenti imminutione humanæ culpæ, quaſi illa humanis viribus fere vel vere fuiſſet inevitabilis. Male enim egit Satanas ſeducens, ſed & peſſime ſimul contra vires conceſſas Homo uterque ſeduci ſe ab eo paſſus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

Quo de Tempore Humani Lapſus diſputatur modeſtè.

De Loco Tentationis & Seductionis Humanæ aliquid præmittitur.

Locum primæ Tranſgreſſionis humanæ ita determinavit narratione ſua Moſes, ut de eo diſputandi locus non ſit relictus. Quando enim *Arborem* vetitam conſtituit ipſe *in medio horti*, de cujus *fructu ſumptum* eſt ad eſum ab hominibus ſic peccantibus, peccatum ipſe ponit in Paradiſo prorſus patratum; ubi & proxime feruntur audiviſſe vocem Jehovæ Dei ambulantem, & abſcondiſſe ſe à facie Jehovæ Dei in medio arboris horti *verſſ.* 8. 10. ſicuti dein Jehovah Deus eos ex horto Heden *emiſit* vel *expulit verſſ.* 23. 24. Neque dubium eſt, quin hæc Loci amœniſſimi & abundantiſſimi circumſtantia multum faciat ad peccatum protoplaſtorum aggravandum, & Paradiſi qui ita ab incolis fœdari potuit præſtantiam infra Cœlum deprimendam. Videtur autem inanis eſſe περιεργία amplius certò velle determinare ipſum Horti punctum, in quo ſeu Mulier primum & dein Adam de fructu ſumpto edit, ſeu Serpens Mulierem tentatione ſua aggreſſus etiam eſt. Dum nobis quidem magis probabile eſt, apud Arborem Scientiæ ipſam de qua edere ſuadebatur & eſum eſt, quam procul ab ea rem hanc omnem eſſe geſtam. Et dum inepta putamus ſomnia quæ aliqui ab ævo protulerunt de Tentatione Serpentis extra Paradiſum cum *Ruperto Lib. III. de Trin. Cap.* 2. *Erat enim*, inquit, *Paradiſus propria Hominis habitatio, ei pro magna gratia creatoris data, boni operis & diligentiſſimæ cuſtodiæ conditione interpoſita. Nam ſi Serpentibus communis erat Paradiſus, ſequitur ut & lupis atque leonibus cæteriſque beſtiis non caruerit ille deliciarum locus, & ideo non tantæ beatitudinis exiſtimandus fuerit ut merito Paradiſus voluptatis appellaretur & ab ipſo Deo plantatus fuiſſe diceretur. Non igitur Serpens, præſertim à Diabolo corporaliter invadente poſſeſſus, in Paradiſo fuit; ſed Mulier corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, forte proſpectans qualis extra Paradiſum mundus eſſet, & dum Serpens utpote aſtutus dulcedini terræ illius propius & ambitioſius inhiat, locus Diabolo datus eſt & occaſio breviter porrecta unde tentaret Evam.* Enimvero qui ejus olim fuerunt ſententiæ cum *Damaſceno*

aliisque, Animalibus nullis Brutis ordinarium in Paradiso fuisse locum, hi tamen vulgo Serpentis à Diabolo obsessi ingressum extraordinarium ad Dei concessionem solent agnoscere, docente *Tostato Abulensi Quæst.* CCCCLV. *in Gen.* XIII. Et longe verisimilius est, vel ex familiari colloquio Mulieris cum Serpente, quod Serpens in horto non defuerit; uti Animalium Brutorum præsentiam in Paradiso ad hujus copiam & ornatum asseruimus & defendimus dudum *Lib. I. Cap.* XIX. §. 3. 4. Sicuti ea, quæ dicuntur de Mulieris obambulatione & prospectu extra hortum & de Serpente inhiante dulcedini Paradisiacæ terræ, ut hinc ortum sit colloquium mutuum, fingunt absque specie veri ulla.

Tempus Lapsus Humani figendum est non Annis aut Mensibus pluribus post Hominis Creationem.

II. Tempus autem Humani Lapsus nullum diserte expressit Moses, nec alibi Scriptura Sacra. *Nec sine mysterio*, secundum *Cel. Burmannum*, *Scriptura lapsi mundi tempus silentio involvit cujus creati historiam per singulos dies tam accurate edisserit, ut inter Dei ac hominum opera discrimen faciat, atque ad illa admiranda & prædicanda, hæc autem veluti silentio digna perpetuo deploranda invitet*, *Synops. Lib. II. Cap.* VI. Quæ observatio per nos valeat; dum tamen deploratio ipsa non minus quam celebratio memoriam rei exigit quo usque illa deploranda est, & duratio per dies aliquot qualis in creatione memoratur in Lapsu ipso locum non reperit. Sed tam ex Mose quam aliunde hoc videtur debere omnino colligi, quod Obedientia Adami ac Evæ non diu duraverit, alioque Lapsus hominis contigerit satis cito post creationem, ante plures annos, & forte menses, vel etiam septimanas exactas. Scilicet post Evæ creatæ conjunctionem cum Adamo, & assertam utriusque innocuam nuditatem, nihil plane narrat Moses tanquam in Integritatis statu ab iis gestum; quod ille non omisisset, si ad tempus longum in illo mansissent cum generis sui multiplicatione ist hoc in casu omninò necessaria. Deinde non tantum Johannes dixit 1. *Joh.* III. 8. ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστὶν, ὅτι ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει, sed & Christus *Ioh.* VIII. 44. ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς &c. nec dubium esse adeò potest, quin hominis seductio ad mortem contigerit circa ipsum mundi principium, quod notari solet tam per ἀρχὴν absolute *Matt.* XIX. 4. 8. *Ioh.* I. 1. 2. *Hebr.* I. 10. 1. *Ioh.* I. 1. 11. 13. 14. &c. quam per ἀρχὴν κόσμου *Matt.* XXIV. 21. & ἀρχὴν κτίσεως *Marc.* X. 6. XIII. 19. 2. *Pet.* III. 4. &c. prout illud vere fuit commune rerum omnium creatarum prin-

principium & sic à Mose nominatur *Gen.* 1. 1. Accedit celerioris Lapsus convenientia; tum cum Divinæ Gratiæ laude tanto majori in hominis cito lapti, non tam minori excruciatione post peccatum ab aliquibus heic inculcata, quam quidem benevola & prompta restitutione; tum cum hominis faciliori primum seductione, ubi longo usu Divinæ benignitatis nondum adeò erat firmatus, & majori dein humiliatione, ubi tam cito ex summa felicitate se lapsum deprehenderet; tum cum Satanæ summa per proprium lapsum malitia. Unde dixit *Pererius*; *Simillimum vero est, non fuisse eos longo tempore in Paradiso. Siquidem credibile admodum est, Dæmonem quem invidia humanæ felicitatis urebat, & flagrantissima cupiditas deturbandi hominem ex illo felici statu perdendique vehementer instigabat, diu tenere se non potuisse, quin hominem oppugnare adoriretur, & per dolum ac fraudem circumvenire conaretur.* Certum præterea est, per nimis protractum Integritatis statum Adamicum oriri varia in negotio corruptionis & salutis humanæ incommoda, quæ per breviorem ejus moram felicissimè evitantur. Alia argumenta aliorum addere ego non audeo; v. g. quod alias Serpens Evæ dicere non potuisset plane contra receptum usum, *cur præcepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno Paradisi?* uti hoc ex *Dioloro Tarsensi in Catena* adduci solet; & quod in longa Paradisi habitatione utique *ex Arbore Vitæ comedisset homo*, sic vel semper vel longe diutius victurus, quod etiam *à Lapide* habet; sed quod utrumque nititur falsa hypothesi antea suo loco à nobis detecta & rejecta. Teneri autem illa sententia debet contra illos seu *Judæos* seu *Christianos*, qui de pluribus Annis Integritatis inaniter somniarunt. Omnium longissimum spatium occurrit mihi apud *Georg. Cedrenum in Hist. Compend.* Centum scilicet Annorum; ὅτι τινὲς ἐκ παραδόσεως ἑκατὸν ἔτη τὸν Ἀδὰμ ἐν τῷ παραδείσῳ φασὶ πεπιηκέναι &c. Qui tamen ipse post alia interjecta dicit, σφόδρα πλανᾶν μοι δοκοῦσι, δι' ἐτῶν ἐπὶ τοῦτο γενέσθαι, ὡς τῶν πρεσβυτέρων τινὲς ἀπεφήναντο. Communius id est, quod secundum Annos vitæ Christi in terris ponant Triginta Quatuor aut Tres, aut etiam numero rotundo Triginta, primæ integritatis Adamicæ. Uti sic scripsit *Moses Bar Cepha de Parad. Part. I. fin. Jam vero hoc quoque expediamus, quanto tempore manserit Adam in Paradiso. Hic quidam existimant, triginta annos inibi fuisse, nempe quot Dominus noster in mundo egit pro expiando illius scelere, ut quamdiu primi homines magnificentia*

Paradiſi ſunt potiti, tamdiu iſte mundi hujus humilitatem toleraverit &c. Ex *Judæis* etiam aliquos, *præſertim Cabbaliſtas, felicitatem primævam æſtimare Annis Viginti*, notavit cum aliis *Joh. Henr. Hottingerus in Smegm. Orient.* Quin & *Cæſarius* Nazianzeni frater *Dial. III. Interr.* 122. poſt expoſitas aliorum ſententias de quibuſdam horis aut diebus primi ſtatus Adamici ante lapſum, ſubjecit longius ſpatium indefinitè, leviſſimo ſane fundamento; Ἐγὼ δὲ τὸ ἐκείνων ἐξάδον καὶ τὸ ἡμῖν πεπλεγκόσιν τὸ ἐκ πυρὸς οὐκ ἀσήμων γερόντων εἰς ἡμᾶς διαφοιτήσαντα· ἐπὶ τούτῳ λόγον μᾶλλον ἀποδέχομαι, ἐκ τῆς δ' ὑψηλῆς ἀποστόλου ῥημάτων βεβαιούμενον, τὸ πλείονα χρόνον ἐν παραδείσῳ μακαρίως ζῆσαι τὸ πρωτόπλαστον ἡμῶν, ἐκ προσώπου γὰρ αὐτοῦ ὁ θεῖος ἀπόστολος διαῤῥήδην βοᾷ, ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ &c. Ὡς δῆλον ὑπάρχειν, μὴ αὐθις δὲ γενέσθαι τὸ ἀδὰμ δοθῆναι τὴν ἐντολήν, ἀλλὰ μετά τινα χρόνον, χόρισον δέ.

Sed potius aliquibus tantum Diebus, qui temere & variè multis determinantur.

III. Magis indubiè ad rei geſtæ veritatem accedunt qui de Diebus aliquibus potius quam de Annis aut Menſibus aliquot Integritatis cogitant & loquuntur; quamquam horum Dierum determinatio temeraria prorſus videatur iterum improbanda. Sic ab ævo locuti ſunt de Quadraginta Diebus, juxta durationem Jejunii Chriſti in Deſerto & Chriſtianorum annui. Ipſe hoc habet *Moſes Bar Cepha l. c. Alii putant, quadraginta diebus Adamum illic hæſiſſe, eoque Chriſtum dies totidem Jejunium duraviſſe, nimirum ut hujus jejunium remedio eſſet illorum ingluviei per quam admiſere peccatum in Paradiſo.* Prout latius idem exſecutus eſt *Cæſarius*, tum in *Interrogatione*, πόσας ἡμέρας διέτριψεν ὁ ἀδὰμ ἐν τῷ παραδείσῳ &c. ἕτεροι δὲ πατερόκοντα λέγουσιν ἡμέρας ἐνδιαιτηθέντα τῷ παραδείσῳ καὶ ἐντευφήσαντα ἐξωθῆναι τῇ παραβάσει, ἃς φησιν ἀντισάγων ὁ χειστὸς καὶ ἀνθισηκῶν οὐκ ἔφαγεν ἐδὲ ἔπιεν, πατερόκοντα ἡμέρας ἐν τῇ ἐρήμῳ ὑπὸ δὲ διαβόλου πειραζόμενος ὡς ἄνθρωπος, tum in *Reſponſione*; Τόπον μὲν τὸ παστερόκοντα τρόπον κἀγὼ ἔδλη παρέφλω, καὶ ὃ δοκεῖ μοι ἀπλῶς ὑπάρχειν, ταῦτα γὰρ ἐπιμένη ἡ θεία τὸ ἐκκλησίας ἡμῶν ὁμήγυρις ἅπαξ δι' πάσης δὲ ἑαυτῆς τὸ παλαιόθεν σὺν σφοδροτάτῃ ἀποχῇ βρωμάτων καὶ πραγμάτων ἡσθέν, τὴν δ' χρείαν δὲ παραθείσης ἀπαιτοῦσα πατρίδα, καὶ τὸ ἐκεῖ ἰμερομένην δίαιταν. Ἀνθυπέβη γὰρ πᾶσι τοῖς δὲ παράπτωμα ἡμῶν ὀφλήμασιν ὁ χριστός, &c. quod poſtremum cum latiſſime diduxiſſet, concludit, οὕτω μοι δοκεῖ καὶ τὰς πατερόκοντα ὑπὲρ πασῶν ἀντισηκῶθαι ἡμέρας. Sed *neque hoc ſpeciem probabilitatis aliquam habet*, juxta *Pererium*, neque ratio oſtenditur,

ob

Digitized by Google

ob quam tempus ſingularis & miraculoſi Jejunii Chriſti debeat determinationem ſuam accipere à duratione primæ Adamicæ felicitatis, aut ille eodem die à Jejunio inchoato ſupputando tentari quo à creatione ſua tentatus erat Adam, dum Jejunium Ante-Paſchale annuum Chriſtianorum fluxit certiſſime ex ultimæ Paſſionis Chriſti per quadraginta fere horas ſolenni memoria. Alii felix ſpatium Octo Dierum Adamo iterum tribuunt, ſicuti ſcribit *Pererius; Si mihi fas divinare, dicam fuiſſe eos in Paradiſo per octo dies, & octavo die quam fuerant creati, qui dies fuit feria ſexta hebdomadæ, ejectos fuiſſe Paradiſo. Nam ſpatium octo dierum ſufficiens fuit experiendæ aliquantulum ejus ſtatus felicitati; & convenientiam atque conſonantiam habet cum eo quod circa ſecundum Adamum, id eſt, Chriſtum Dominum evenit, quippe qui feria ſexta conceptus eſſe in utero Beatiſſimæ Virginis à multis creditur, eademque die eſt in cruce mortuus. Quo vere interpretari licebit quod à Patribus eſt traditum, eodem die Adamum eſſe creatum & peccaſſe ac Paradiſo pulſum eſſe, eodem inquam die non numero ſed eadem feria hebdomadæ.* Nec aliter, vel *Aug. Torniellus, ſi prima quam retulimus opinio vera non eſt, profecto videtur proxime ad veritatem acceſſiſſe illa, quæ putat Adamum per unam dierum octavam in Paradiſo illo manſiſſe,* vel *Jac. Salianus ad Diem* VII. *Mundi; Exiſtimo itaque probabilius, Adamum & Evam octavo à ſua productione die, feria ſexta ſecundæ mundi hebdomadæ peccaſſe & Paradiſo ejectos eſſe. Ita ſentit aut conjicit Pererius, Del Rio, Torniellus, Codomanus in ſuis Annalibus, ſignificat Haimo in illud Iſa.* XXX. *ſicut lux ſeptem dierum. Idemque videtur ſentire Lipoma. in Cat. in Gen. quem mox referemus. Eadem fuit ſententia multorum, quos refert Cæſarius Actæ geſta memoriæ prodidiſſe. Cum enim ſex Dies memorant, primum quo creatus eſt & ultimum quo peccavit quaſi inchoatos & imperfectos omiſerunt. Eodemque modo duo Evangeliſtæ poſt ſex dies, tertius poſt dies octo factam transfigurationem Domini affirmant, &c.* Quæ omnino videtur narrantis *Cæſarii* fuiſſe mens, cum ſcribit; ἐπειδὴ πολλοὶ τῶν ἱερῶν λόγων τὰ κατ' αὐτὸν οἱ μὲν λέγουσιν ἓξ ἡμέρας, δέ φησι, ἕκτῃ ἡμέρᾳ ἦλθεν ὁ σωτὴρ. Sed apparet ex dictis, nullo niti hanc conjecturam fundamento, quando omne illud quod de Chriſto adducitur nullum majorem habet reſpectum ad ſecundæ quam ad alterius alicujus Septimanæ Diem Sextum. Narrat eam tamen quoque *Joh. Gerhardi in Gen.* perperam ex *Die Mundi* XIII. faciens *alterum*

Sabbathum, & addens leviſſime, hoc *colligi ex eo, quia Chriſtus Anno ætatis* XIII. *ſedit in medio Doctorum in Templo Hieroſolymitano & fuit in illis quæ ſunt Patris ipſius.* Sunt præterea ex noſtris Viri Doctiſſimi, qui ad Quartum ab Adami creatione Diem ſeu Mundi Decimum referunt humanum Lapſum, propter Expiationis annuum apud Judæos Feſtum illo die menſis Tiſri inſtitutum à Deo ipſo. Ita Magnus *Uſſerius* noſter *in Annalibus*, poſtquam notaſſet *poſt primam Mundi ſeptimanam videri Deum conjuges in Hortum Edenis introduxiſſe &c.* & Arboris Vitæ fructum non attigiſſe eos unquam, ſubjecit; *Unde pluſquam veriſimile ſit, eodem ejectum Adamum fuiſſe die quo inductus in Paradiſum fuerat. Qui quidem dies Mundi decimus fuiſſe videatur, Kalendis Novembribus Anni Juliani proleptici reſpondens, quo deinceps ad memorabilis hujus caſus memoriam conſervandam, ut rationi conſentaneum eſt, inſtituta eſt Expiationis ſolennitas, & ſtatum Jejunium νηστείας nomine Act.* XXVII. 9. *κατ' ἐξοχὴν denotatum, in quo univerſi tam inquilini quam peregrini animas ſuas affligere jubebantur, adjuncta ſanctione ſeveriſſima Lex.* XVI. 29. *&* XXIII. 29. Quod & ſequitur *Lud. Cappellus in Epicriſi ad Collat. Epiſt. de Sabbatho Deuteropr.* niſi quod Diem Decimum Creationis Adami pro Die Decimo Mundi ſubſtituit; *Die* X. *ejuſdem menſis Tiſri inſtitutum fuit à Deo Jejunium ſolemne feſto die Propitiationum, quia eo die Adam videtur peccaſſe à Diabolo ſeductus, decimo ſcilicet poſt ſui creationem die. Simulque eadem die accepit latam & ſalutarem de Semine benedicto Chriſto nempe promiſſionem, qua in ſpem ſalutis æternæ à lapſu ſuo erectus eſt. Quare ea die populus Judaicus jubebatur jejunare, & animas ſuas ſenſu peccatorum ſuorum affligere per veram pœnitentiam, ſimulque expiabantur ſacrificio ſolemni ad id divinitus inſtituto ſacrificii Chriſti typo omnia eorum peccata.* Quæ conjectura de Die Decimo, Mundi potius quam Adami ob temporis inde factum initium, plus habet probabilitatis ob rerum convenientiam; unde & *Hugo Robinſonus in Annalibus* ſcripſit, *ingenioſe quidem eos ſuſpicari, qui Decimum Septimi Menſis apud Hebræos Diem huic tribuunt peccato, quem peccatorum expiationi dedicat à Deo Moſes.* Attamen non eſt hæc quoque niſi mera conjectura, quando cauſam iſtam fixi illo die Judaici Jejunii nuſquam Deus dedit, & aliam multiplicem pro ſapientia & libertate ſua habere potuit nobis minus perſpectam rationem hujus ſui beneplaciti.

IV.

Digitized by Google

IV. Interim longe magis iterum improbari debet, quod infra Dies plures ad Horas paucas reſtringunt primam hominum felicitatem multi ab ævo, qui de earum numero minus conſentientes Lapſum ſic referunt vel ad Septimum Mundi Diem vel ad ipſum illum Sextum quo creati ſunt. Pro Septimo Die Lapſus videtur potiſſimum facere *Toſtatus Quaſt.* DCXI. *in Gen.* XIII. *Et juxta hoc poteramus dicere convenienter, quod die ſexto formatus eſt Adam & ipſo die formata eſt Eva, & ducerentur animalia jam formata ad Adam, die autem ſequenti id eſt Sabbatho peccaret Eva & exeluderentur, pluribus enim diebus eos ibi manſiſſe non eſt ſatis rationale, &c.* Et inculcat eundem heic iterato Magnus *Lutherus*; *Quod ad hiſtoriam præſentem quam hoc in Capite deſcribit Moſes attinet, dixi antea meam ſententiam, quod mihi videtur hanc Tentationem eſſe factam in die Sabbato, ita ut in ſexto die Adam & Eva ſint conditi, Adam citius, Heva ſub veſperam. Sequenti die Sabbato mane Adam Hevæ concionatus eſt de voluntate Dei &c. Ita Adam & Heva florentes innocentia & juſtitia originali, pleni ſecuritate, propter fiduciam in Deum tam benignum, deambularunt nudi, tractantes verbum & mandatum Dei, & benedicentes Deum, ſicut in die Sabbato decet. Ibi, proh dolor, intervenit Satan, & intra paucas horas ſubvertit iſta omnia, &c.* Sed uti nullum eſt fundamentum, cur non niſi unius diei ſeu integri ſeu dimidii ſpatium inter creationem & lapſum hominis agnoſcamus, imo longior aliqua duratio ad meliorem Paradiſi uſum potius videtur agnoſcenda; ita Quies Diei Septimi Divina cum ejus Benedictione & Sanctificatione ſolenni videtur cogitationes de tum commiſſo ab homine peccato & habito à Deo conſequenter judicio procul arcere, notante etiam *Pererio*; *Cum illum diem Sabbati ſanctificaverit & benedixerit Deus, requieſcens ab omni opere ſuo quod patraverat, non videbatur congruum eo die tam ſeverum divinæ vindictæ judicium exerceri.* Pro Sexto autem Die eodem Creationis & Lapſus Hominum ſtant ab ævo longe plures. *Pervulgata*, inquit *Pererius*, *eſt opinio, eademque ut multorum ſic in primis nobilium & illuſtrium auctorum firmata conſenſu, eodem ipſo die quo creatus eſt Adamus fuiſſe eum introductum in Paradiſum, & inibi tentatum ac lapſum, atque ex eo loco ejectum, nec manſiſſe in Paradiſo unum diem integrum artificialem, hoc eſt, per duodecim horas, ſed tantum ut quibuſdam placet per Sex Horas, ut viſum eſt aliis per Septem, ut nonnulli tradunt*

Dum alii ad Horas tantum aliquot ſtatum Integritatis duraſſe & vel Septimo vel ipſo Sexto Die primæ Septimanæ hominem lapſum eſſe urgent.

Digitized by Google

dunt per Decem. Etenim neſcio quibus ducti conjecturis putant iſti, Adam prima hora illius ſexti diei artificialis fuiſſe creatum extra Paradiſum, deinde tertia hora collocatum in Paradiſo, poſtea circa horam ſextam comedſſe fructum vetitum, ad horam autem nonam veniſſe Deum in Paradiſum, & increpaſſe Adamum & Evam, ſuiſque utrumque pœnis mulctaſſe, ad veſperam vero & ante Solis occaſum ejectos eſſe ex Paradiſo. Reperimus autem eam omnino traditam à Judæis in *Pirke R. Eliezer*, ubi *Cap.* xx. introducitur Adam in crepuſculo Sabbathi ſibi metuens, ne veniret Serpens qui ipſum *deceperat veſpera Sabbathi*, & morderet calcaneum ejus, atque ubi *Cap.* xi. apud Opera Sexti Diei ſcribitur; *Duodecim ſunt horæ diei, prima hora congeſſit pulverem hominis, ſecunda determinavit eum, tertia artificioſe efformavit, quarta inſperſit ei animam, quinta conſtituit eum ſuper pedes, ſexta vocavit nomina, ſeptima in uxorem illi data fuit Eva, octava præcepta data ſunt de fructibus arboris, nona duo aſcenderunt in lectum & quatuor deſcenderunt, decima introduxit eum in hortum Eden atque tranſgreſſus eſt præceptum, undecima judicatus ſeu ſententiam accepit, duodecima expulſus fuit horto &c.* Cum quo loco fere convenit textus Talmudicus in *Sanhedrin Cap.* iv. ſub nomine *R. Achæ filii Chaninæ.* Dum poſt recenſitum cum Creatione Lapſum ſubjecit *Majemonides Mor. Nebh. Part. II. Cap.* 30. *Omnes Sapientes noſtri unanimi conſenſu affirmant, cuncta die ſexto fuiſſe, & nihil quicquam poſt ſex creationis dies immutatum eſſe.* Et variis nominibus eam commendat æque quam rationibus *Moſes Bar Cepha*; *Sed Dominus Ephrem, Philoxenus, & D. Jacobus Sarugenſis, ajunt Adamum in Paradiſo commoratum eſſe horas non amplius ſex, à tertia ſcilicet ad nonam uſque diei ſexti, idque tribus rationibus demonſtrare nituntur. Quarum prima eſt, quia multo facilius decipi potuit Adamus in ipſo ſtatim initio quam ſi longiore tempore Paradiſum incoluiſſet. Altera, quoniam ſi diutius apud animum ſuum meditando expendiſſet imperatam ſibi Legem, cautior factus fuiſſet, verum quando exiguum illic temporis ſpatium egit, ſimul ut mandatum a Deo acceperat fraudem etiam ſibi facile fieri paſſus eſt. Tertia, credibile eſt Deum quem Paradiſo pulſurus erat eum haud longo tempore tanta felicitate frui ſiviſſe, ne nimium excruciaretur ſed mollius minuſque agreferret ſe tantis deliciis ſpoliari; ſolet enim Deus clementer caſtigationem exercere.* Etiam *Cæſarius* de ea dixit ad illud quæſitum de diebus man-

manſionis Adamicæ in Paradiſo; ἄλλοι δὲ λέγουσιν, ἐξ μέσον ὥρας, διὸ καὶ ἕκτῃ ὥρᾳ ἐξαιρεῖσθαι ὁ σωτήρ. Et perinde *Cedrenus*; Ἄλλοι δὲ τρίτην μὲν ὥραν πεπλανῆσθαι, ἕκτῃ δὲ ἁμαρτῆναι, ἑνάτην δὲ ἐκβεβλῆσθαι, τὸ δὲ ἕκτῃ μὲν ὥρᾳ ἐξαιρεῖσθαι τὸν Ἰησοῦν, ἑνάτῃ δὲ τῶν ἐκεῖσε ἡμῶν ἀποδιαιτᾶν, τεκμήριον τιθέμενοι, ἴσως δὲ ὅτι καὶ τὸ δεῖλινὸν ἦλθεν ὁ κύριος πρὸς αὐτὸς, εἰς τοῦτο ἐκεκτῆσθαι τὴν ἐπίνοιαν, &c. Qui poſt objectiones aliquas in contrarium motas, & notatam ſententiam aliam, ſexta quidem die & ſexta hora tranſgreſſionem nona autem ejectionem ex Paradiſo factam *δι' ἐτῶν ἑπτὰ poſt annos ſeptem*, adjecit; Ὁ δέ γε μέγας ἐν διδασκάλοις Ἰωάννης ὁ χρυσόστομος ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ ἧς καλεῖται εὐαγγελίᾳ τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ τῆς πρώτης ἑβδομάδος, τυπίσι τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῆς πλάσεως αὐτοῦ, λέγει τὸν Ἀδὰμ ἐκβληθῆναι ἧς παραδείσου καὶ τῆς ἐδέμ· ᾧ καὶ ἡμεῖς πειθόμεθα, καὶ οὐ χρὴ ζητεῖν παραιτέρω τὰ τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ ὑπὸ ἧς ἁγίας πνεύματος στιγμένα, ἵνα μὴ ἀντὶ κέρδους μικροῦ μεγάλην ὑποπασώμεθα ζημίαν. Citatur amplius pro hac ſententia non tantum paſſim *Auguſtinus Lib.* IX. *de Gen. ad lit. Cap.* 4. *quia mox creata Muliere priuſquam coirent facta eſt illa tranſgreſſio cujus merito in mortem deſtinati etiam de loco illius felicitatis exierunt &c.* ſed & à *Pererio* adducitur *Diodorus Tarſenſis in Cat.* imo *Cyrillus* & *Epiphanius* à *Fevardentio* & *Corn. à Lapide*, & communiſſime *Irenæus Lib.* V. *Cap.* 23. *in ipſa itaque die mortui ſunt in qua & manducaverunt & debitores facti ſunt mortis, quoniam conditionis dies unus, factum eſt enim, inquit, veſpere & factum eſt mane dies unus &c.* Sed opponunt alii cum *Saliano*; quod illic dixit *Auguſtinus* extra locum ſuum & dubitanter, ipſum alibi correxiſſe ubi ciborum & pomorum Paradiſiacorum ſolitum eſum Adamo tribuit *Lib.* XIII. *de Civ. D. Cap.* 20. *& Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 31. *&c.* ſicuti *Gregorius Dial. Lib.* IV. *Cap.* 1. obſervat *hominem aſſueviſſe verbis Dei ac beatorum Angelorum ſpiritibus cordis munditie ac celſitudine viſionis intereſſe*; quod à *Diodoro Tarſenſi* adducta ratio ex interrogatione Serpentis ſit prorſus invalida; quod in *Cyrillo* & *Epiphanio* tale nihil reperierint; quod *Irenæus* eundem vario ſenſu faciat diem lapſus quidem & mortis ſed non creationis hominis & lapſus; quod hic denique eundem urgens lapſus Adamici & mortis Chriſti Diem Sextum, non hoc ipſo Diem Sextum primæ ſeptimanæ mundi ſpectaverit. *In eandem ſententiam facile*, inquit *Salianus*, *adduci poteſt Irenæus, & quicunque eum dixerunt eadem die qua creatus eſt peccaſſe & eje-*

Etum esse, eadem videlicet specie, non numero, eademque ipsa Christum ad tollendum peccatum mundi passum esse. Lege ad hæc, si placet, apud *Tostatum Quæst* DCVI. *&c in Gen.* XIII. quæ voluerunt quidam de mansione Adami in Paradiso *solum per Septem Horas*, propter *Septem Psalmos Pœnitentiales*, cujus numeri multiplicem aliam rationem dat, & propter ambulationem Dei *ad auram* post meridiem; vel *per Novem Horas*, propter istam tormentorum Christi durationem, &c. Ad quas similesque sententias tamen simul notari debet: aliam esse quadantenus quæstionem de Hora diei quam de ipso Die Lapsus & Ejectionis Adami; esse etiam qui diem Creationis & Introductionis in Paradisum discernant, adeo quidem ut *Pyron* apud *Mich. Glycam Annal. Part.* I. Die demum XL. velit Adamum in Paradisum esse ingressum, & *Georg. Syncellus in Chronograph.* ex *Vita Adami* Adamum XL. sed Evam LXXX. Die introductam ferat, secundum natam hinc legem Leviticam purificationis; reperiri denique, qui, quamquam minus recte, ejectionem ex Paradiso ad alium diem quam ad illum Lapsus referant, scribente sic *Bar Cepha*, *ut lubentes fatemur Christum die sexto emendasse atque expiasse quæ ab Adamo admissa fuerant, ita fieri potuisse contendimus, ut Adamus, cum die conditi orbis sexta esset creatus, atque eodem etiam deliquisset, alio die sexto pro ea dierum serie qua recurrentes recensentur sui flagitii condemnatus à Deo sit atque eliminatus Paradiso, &c.*

Autores recentiores & argumenta postremæ hujus sententiæ.

V. Inter Scriptores nostros pro Lapsu Adami ipso Creationis Sexto Die est omnino *Johannes Scharpius in Cursu Theol.* & *Hugo Broughtonus in Concentu Scripturæ*; qui *Mulierem* dicit inter alia *non tam facile in errorem abduci potuisse si melius fuisset exercitata*; qui cum priori urget, tum *Satanæ* invidiam *nullum omnino tempus sibi omittendum existimantis*, tum *rationem* quod *Redemtio statim à creatione manifestanda erat, illa siquidem ratio aptissima fuit ad permovendum homines ut eam amplecterentur, & Deus nihil omittit quod homini ad hoc prodesse possit, id omnes moviss debebat, ne in se ullam reponerent spem, quod Adam vera præditus justitia & sanctitate ne quidem nocte unica in honore diversatus sed jumentis quæ intereunt similis factus est &c.* & qui post argumenta varia adducta subjecit; *Lux quæ lucet in tenebris adduxit eò omnium religionum homines ut hoc sentirent. Ubique enim locorum hæc sententia recepta fuit, secidisse hominem ipso creationis suæ die. Sic Judæi omnes, non me-*

mini

mini quemquam legere nec de quoquam audire qui aliter sentiret. Et tamen multi ipsorum non vident, quam apte dicant pro redemptione per secundum Adamum. Ex Ethnicis Christiani semper sic senserunt. Inter Græcos Irenæus, Chrysostomus, Theodorus, Theophylactus, & Cedreni ætas. Tritum est illud inter ipsos de Adamo etiam hodie, ἓν ἡμέρᾳ ἐπλάσθη καὶ ἐξελάσθη. Quid Patres memorem Latinos, Augustinum, Bernardum, & pleroſque alios? Ipsum vulgus Doctorum sic sentit & docet. Adam meliori jure quam Job diei ortus sui maledicere potuisset; & tamen eodem Christus Redemptor promissus est. Et inter Recentiores pro eodem pugnat magnopere *Hugo Robinsonus in Annalibus;* quod non videatur credibile cunctatum Satanam esse; quod ille homicida & mendax à principio id est *à primo quo conditus est Adamus die* dicatur; quod nec liberis procreandis Adam ante lapsum operam dederit nec de Arbore Vitæ gustaverit, ob solam moræ in Paradiso brevitatem; quod Adam in honore ac dignitate non pernoctaverit *Psal.* XLIX. 13. *&c.* Sed nemo tamen rem hanc tam studiose exsecutus est, quam *Iac. Alingius Sabb. Euang. Lib. I. Cap. 7. &c.* Urget ille ex textu Mosis quatuor argumenta, quorum hæc summa est. 1. Quod Mulier ipso die dati interdicti, & quasi eodem temporis momento, tentata sit à Satana, qui nempe per interrogationem suam prodat se sermonem illum Dei eminus audivisse, atque hinc ad cessationem divinæ vocis se stiterit Mulieri. 2. Quod vitam à Jejunio non sint auspicati homines, nec tamen quidquam ante fructum Arboris vetitæ ederint, uti hoc liquere putat; tum ex tentatione Satanæ ad Legem Cibariam immediate secuta; tum ex responso Mulieris in futuro, non præsenti aut præterito, *de fructu arborum horti comedemus*; tum ex non usurpato fructu præstantissimo Arboris Vitæ quem ante alios sumpsissent, *coll. Gen.* III. 22. 23. *Sermo quem habent*, dixit perinde *Broughtonus, declarat nullum fructum antea ab ipsis comestum.* Et *Scharpius; Apparet tam ex verbis Serpentis quam Mulieris, illam nullum adhuc fructum gustasse.* 3. Quod non ante sed post lapsum demum liberis generandis incubuerint homines, *coll. Gen.* IV. 1. quod si ultra diem primum substitissent, omnino integri fecissent ex Dei mandato. *Procul dubio*, inquit perinde *Broughtonus, Mulier virgo cecidit, & si vel brevi spatio temporis stetissent, Dei benedictio de propagandis liberis vana non fuisset.* Et *Scharpius; Si per plures dies homo stetisset, benedictio illa*

matrimonialis locum habuiſſet, & ita uxorem Adam agnoviſſet, & liberos ſine peccato originali genuiſſet. 4. Quod ipſo die ſexto creationis homines Mortem denunciatam ſubierint in ſenſu amiſſæ benevolentiæ ac beneficentiæ Dei & immiſſæ ipſius iræ vehementiſſimæ; uti hoc rurſus probat, ex traditione Orientalium de Sexto Die Septimanæ Emortuali Adami, ex eodem die mortis Chriſti Sponſoris, & ex ה demonſtrativo in היום השש *die ſexto Gen.* I. 31. quod etiam eſt in לרוח היום *ad ventum diei Gen.* III. 8. quodque notante *Bechai* monſtret hoc die judicatum fuiſſe hominem primum. Et hoc habet *Scharpius*; *Cum Cap.* I. *Gen. de ſexto die & Cap.* III. *de Lapſu loquitur Spiritus S. dicitur* היום *præfixo* ה *emphatico, quo unum & eundem diem ſignificare videtur.* Addit tum Vir Doct. *Cap.* X. locum alterum ex Vet. Teſtamento, *Pſal.* XLIX. 13. *Sed Adam in excellentia nequaquam pernoctavit, mancipatus ſicut jumenta quæ intereunt.* In quo לין propter adjectam negantem particulam de mora non diuturniori ſed unius tantum noctis debeat capi &c. & Hebræum nomen אדם / vel intelligi debet indefinite & univerſaliter, ut nullus unquam hominum in excellentia noctem ullam tranſegerit, quando Adam primus ab illa univerſalitate excludi nequit, vel potius definite & ſingulariter de primo homine, cui id nominis proprium quoque fuit, & in quo vera excellentia etiam unicè aut præcipue adfuit. Quin & ne interpretatio hæc aliena à contextu videretur, vult hic argumentum à majori ad minus eſſe; *Perennitatem iſti familiis ſuis palatiis & nominibus pollicentur in quibus omnis ipſorum excellentia ſita eſt, atqui ne ipſe quidem Adam hominum primus in excellentia quam longe majorem acceperat vel unam noctem tranſegit, utpote ante noctem ingruentem jam ſervituti obnoxius ſicut jumenta quæ intereunt, amiſſa videlicet per peccatum imagine Dei & mancipium factus Diaboli, nempe uti bruta quæ ſub ſuo dominio ac poteſtate habebat, multo minus igitur evanida illa quæ ne quidem merentur excellentiæ nomenclaturam diuturnitatem durationemque ſtabilem unquam poterunt conſequi, &c.* Et adverſus noviratis præjudicium objecit, quod in *Talmude Sanhedrin Cap.* IV. *ubi duodecim horæ ſexti diei circa hominem deſcribuntur occupatæ, inter alia dicatur, nona hora mandatum accepit de non comedendo ex arbore, decima rebellis factus ſit, & mox confirmationis ergo addatur, quia dictum eſt, Adam in excellentia nequaquam pernoctavit &c.* Tandem adjicit Vir Doct, locum tertium ex N. Teſtamento *Ioh.*

VIII.

VIII. 44. *Diabolus ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς &c.* Ubi ex Judæorum consuetudine & Syri Interpretis expressione per בן בריאת / æque quam ex usu N. T. debeat intelligi aliquis dies Sexidui creationis primæ, nec potest aliquis intelligi prior Sexto, quoniam tum demum homo creatus est; Septimo Die quidem nonnunquam ad hoc Principium relato, quod post eum demum series dierum de novo numerari incipiat, quodque ille spectet ad divinum opus Gratiæ & Redemptionis tum factum, sed supponente illo propterea humanum lapsum. Hoc enim præter hæc omnia argumenta sciendum est urgeri à Viro Doct. quod Sabbathum Septimo mundi die institutum spectet ad Quietem Dei, non ab operibus Creationis quæ die sexto judicatur locum habuisse ex *Gen.* I. 31. *&* II. 1. sed ab opere novo Gratiæ & Redemptionis in hominem lapsum, quæ distinctè à priori memoretur per verbum ויכל *Gen.* II. 2. 3. prout etiam utrumque hoc opus judicatur memorari distincte *vers.* 3. 4. in vocibus ברא & לעשות / ac הבראם & עשות / imo insinuari per plene scriptam vocem תולדות / per usum nominis tetragrammati יהוה / & per *cœlum terræ* primo præpositum dein postpositum. Quam Quietis exegesin per plura *Capita* imo & *Libros* istius *Tractatus* deducit, nec Benedictionem nec Sanctificationem specialem Diei Septimi in Integritate simul admittens, imo & Sabbathum præsupponere Lapsum urgens ex *Isa.* LVIII. 13. 14. *si averteris à Sabbatho pedem tuum, exercitium delectationum tuarum die sanctitatis meæ, & vocaveris Sabbathum delicias Sancto Domini honorato, &c.* Quorum omnium brevior etiam summa si satis intelligibiliter describenda esset, pluribus schedis opus foret. Dum *Scharpius* hoc etiam pro argumento habet; *Sabbatum non tam ad Creationis opera recognoscenda & meditanda quam Redemtionis institutum fuit.*

VI. Neutiquam vero tantum apud me valent istæ vel autoritates vel rationes, ut ipso Creationis Die Sexto Lapsum hominis contigisse credam; sed argumenta justa ab aliis puto opponi, quæ ad aliquot dierum spatium primam integritatem potius jubent protendere. Ante omnia huc facit omnium rerum à Deo per sex dies factarum bonitas à Deo probata, atque in exitu Diei Sexti & cum ipso initio Septimi asserta, tum *Gen.* I. 31. *& vidit Deus omne quod fecerat, & ecce bonum valde, & fuit vespera & fuit mane diei sexti*, vel *die sexto*, vel *dies sextus*; tum *Gen.* II. 1. 2. *&c.* Quemadmodum heic de creaturarum omnium à Deo factarum agitur Perfectione, in qua Deus cum temporis istius

Argumenta varia in contrarium urgentur.

Benedictione & Sanctificatione acquiescebat, ita illic iisdem creaturis tribuitur Bonitas consummata, conveniens singulis secundum suam naturam adeoque homini etiam Moralis, quam Deus ipse cum cura videns approbabat, & quæ in ipso diei exitu adhuc locum habebat æque quam in septimi diei initio primo. Cum qua ego nullo modo conciliare sane possum, non tantum Angelorum invisibilium defectionem à Deo, sed & Hominis utriusque fœdissimum lapsum per Serpentis seductionem, & hinc secutam creaturæ omnis subjectionem sub vanitatem. Regerit *Robinsonus*; *At perspicuum est multa in Sec. Cap Gen. narrari post ea quæ sexto die sint acta prius, de nominum impositione, mulieris compositione, conjugio, benedictione, &c. Quidni & ea quæ in Tertio Capite commemorantur de Lapsu & Miseria & Pœna Hominis ad sextum quoque diem referantur? Nihil enim obstat, quo minus hora sexta septimave opera Deus omnia peregerit & comprobarit, & si quæ ante vesperam interea gesta sunt in alium rejiciantur locum, & in Tertio demum Capite conscribantur. Et ex Angelis plurimi defecerant jam pridem à Deo. Non minus tamen omnia à Deo facta sunt optima, ac proinde testimonio comprobata divino.* Sed quis non videt, maximum esse discrimen inter res *Capitis II.* bonas quæ cum divina approbatione queunt consistere, & inter res *Capitis III.* malas, quas approbatione sua non potest Deus dignari? Nec restringenda est Divina Approbatio; vel ad horam sextam aut septimam Diei, quam ad finem diei refert Moses & insequenti die ponit ipso actu demonstratam adhuc; vel ad res uti à Deo primum erant factæ, cum de iis quoque quales illo tempore etiamnum fuerint loquatur omnino Moses. Sunt tamen hæ ipsissimæ exceptiones, quas aliis verbis latius proponit *Iac. Altingius.* Urgens primum, *Approbationem Dei restringendam esse ad ea quæ inspexit & quatenus ea inspexit, inspexisse autem non quicquid erat, sed quicquid fecerat, id est, tum creaturas omnes, tum quatenus eas produxerat, quomodo non nisi bonas perfectione singulas suæ naturæ convenienti instructas intuitus est, ideoque non potuit non probare, nihil vero istud impedire quò minus jam tum creaturæ nonnullæ à sua perfectione desciverint & aliter quam Deus eas fecerit se habuerint &c.* eam in rem adducto Angelorum lapsorum exemplo, sed ex aliorum sententia vana, quandoquidem nec Angelos ante Heptaëmeri primi finem lapsos esse putandum est absque ullo fundamento, etiamsi hi ad aliud rerum invisibilium genus pertineant quam homines. Et dein addens,

Ap-

Digitized by Google

Approbationem iſtam Dei non finiviſſe diem ſextum, nec hoc firmiter concludi ex addita proxime illius diei clauſula, etenim quæ hoc ipſo Capite in eodem Verſu leguntur non ſemper ita immediate cohærere ut nullo plane interſtitio ab invicem ſejungantur, ut illud *verſ.* 27. *marem & fœminam creavit eos &c.* Sed tam hæc quam illa exceptio plane concidit, ſi attendamus ad Dei Quietem ab opere quæ non ſexto ſed ſeptimo inſequente die contigit cum ejus prima benedictione & ſanctificatione, uti in argumenti noſtri propoſitione eam quoque junximus. Tanquam Alterum argumentum adverſus Lapſum Adami ipſo Die Sexto creationis ſpectari debet Filum Moſaicæ narrationis, quod abſque fundamento ſolido non eſt pro arbitrio noſtro mutandum. Id autem tale eſt omnino, ut poſt primum hepta&emeron Creationis & Quietis Divinæ Lapſum hominis nobis exhibeat omnino. Nec objicere potes, omnia quæ de Adami & Evæ formatione, de Paradiſi plantatione, de Lege lata &c. narrantur *Capite II.* etiam poſt finem die ſexti & ſeptimi recenſeri, licet ipſo die ſexto judicentur vulgo geſta. Iſta enim latius heic tantum ſunt expoſita, poſtquam ſummatim fuiſſent & generalius propoſita in geſtis diei ſexti *Cap.* 1. 11. 12. 26. 27. *&c.* ubi ſi ſimile aliquod indicium Lapſus exſtaret, jam demum res illa per modum ſimilis exempli nobis objici poſſet, ad argumentum *Capitis III.* referendum per ὑστερολογίαν ad Diem Sextum, ſi etiam hoc per naturam ſuam id pateretur. Inanis ergo tantum eſt hypotheſios ſervitus, quando *Iacobus Altingius* inculcat, *Moſen ſeriem temporis obſervaſſe à Gen. I. I. ad Cap.* 11. 3. at *quæ Capite III. continentur* æque quam reliquo Capite II. *loco non ſuo recitare*; & eſſe illic ἀνακεφαλαίωσιν *non omnium quæ dixerat ſed eorum ſolum modo quæ hominem quadantenus attinebant &c.* quod liqueat ex novo exordio *Cap. II.* 4. *iſtæ ſunt generationes cæli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Deus terram & cælum*; tanquam ſpectante non ad ſolam creationem per ſexiduum ſed ſimul ad opus reſtitutionis humanæ peractum die Septimo quod lapſum ſupponat vel involvat. Utique ἀνακεφαλαίωσις aliquid de re eadem antea dictum ſupponit, ubi de hominis lapſu altiſſimum hactenus apud Moſen fuit ſilentium; eſtque opus humanæ reſtitutionis cum quiete Dei nova ab hoc ipſo die ſeptimo vere vaniſſimum ſomnium, uti poſtea liquebit. Pro Tertio Argumento adverſus Lapſum Adami die Sexto opponimus, quod per geſta omnia iſtius diei à Mo-

ſe

ſe ſucceſſive expoſita vix relinquatur ſpatium ſufficiens Tentationi, Lapſui, & Judicio Dei inſecuto; unde difficultas Moſaicæ narrationis per hæc omnia in diem illum intruſa non eſt temere augenda. Nempe cum die quinto non creaverit Deus niſi piſces & aves, die ſexto fecit ille animantia cuncta terreſtria non tantum in varias ſpecies diſtributa, ſed inſuper præcipuum opus ſuum Hominem ad imaginem ſuam; nec Virum tantum, ſed & Fœminam, poſtquam Vir in Paradiſum introductus legem accepiſſet, & ad Virum Animalia omnia prius fuiſſent adducta & ſapienter hæc ſua nomina ab ipſo accepiſſent, & ſopor Adamum obruiſſet, quæ & ad Virum adducta ac ab ipſo accepta fuit. Quæ tam magna & multa ſunt, ut horum partem dudum voluerint Viri multi Docti in diem aliquem ſecutum poſt ſextum transferre, ac ſi per prolepſin ipſius Mulieris formatio à Moſe eſſet tradita *Gen.* 1. 27. unde tum hi porro Lapſum ſerius omnino contigiſſe concluſerunt ſolide. Sed ſi iſta omnia in unum uti decet diem compingamus, an tantum adhuc de illo die credi debet ſuperfuiſſe, ut Tentatio & Lapſus Viri pariter ac Mulieris contingeret non tantum, ſed & hi poſt pudorem & terrorem magnum à Deo examinarentur judicarentur & poſt magnum gratiæ promiſſum expellerentur è Paradiſo? Plane enim id nobis debet perſuadere Divina juſtitia, cum Divina comminatione collata, quod eodem die quo peccatum eſt commiſſum abſque integræ noctis aut diei mora etiam judicium à Deo ſit habitum cum hominis expulſione. *Tantam igitur hanc rerum molem reſpuit animus credere in dimidium unius diei commode includi poſſe*; inquit *Pererius*. Sicuti inter alia hoc quoque prolixe urget *Doct. Gatakerus in Adverſ. Miſc. Lib. II. Cap.* 2. *Horum autem ſeria ſedulaque contemplatio eo adigit ut ſententiæ illi tanto cum conſenſu receptæ nequeam acquieſcere, qua ſtatuitur utique hominem eo ipſo quo eſt conditus die à Conditore ſuo defeciſſe hortoque quod ab his dicitur ejectum fuiſſe &c. Simul interim juncta cum illis iſta adeo me vehementer conſtringunt, ut non poſſim non parentum primorum defectionem in tempus ab ortu primo longius diſſitum protollere, ſtatuique in quo ſunt à Deo primitus conditi ac conſtituti moram ſaltem quam diecula unius fuerit diuturniorem adſcribere.* Nec ſatisfacit ad hæc *Iac. Altingius*, monens, *revera inutilem eſſe iſtam ſollicitudinem, quæ diem unum tot differentibus actionibus & eventis non credit ſufficere*, tum propter creationem ad imperium Dei factam aut in inſtanti aut celerrime, tum

tum propter intelligenda heic in diebus νυχθήμερα integra, unde *abunde temporis lucremur cui lapſum hominis aſſignemus*, cum *Talmudicis in Sanhedrin Cap.* IV. dum contigerit lapſus ille vel *hora nona* diei qua Chriſtus Sponſor mortuus eſt, vel *ſexta* qua denſæ illæ tenebræ Chriſtum crucifixum tenuerunt, quales Adam peccando attraxit qualeſque conſcientia ejus rea quæſivit cum foliis ficulneis ſuam nuditatem tegere inque latebras denſarum arborum ſemet ipſum abdere affectavit, & dum expulſio ex Paradiſo non ad ſextum ſed ad ſeptimum diem ſit referenda, quæ expiatione ſeu condonatione peccati ab ipſis Judæis in ſeptimum diem relata poſterior ſit &c. Enimvero illud de νυχθημέροις ſatis exploratum eſt omnibus ex phraſi Moſis, dum non duodecim ſed viginti quatuor horæ heic nimis breves ad lapſum comprehendendum judicantur ab iis; & creatio ſecunda non eſt vel inſtanti vel ita celeriter facta ut momentum heic tantum phyſicum agnoſcamus, ubi Moſes cum operum conſummatione finem dierum ponit ipſe; & præter creationem Dei hoc die occurrunt alia opera Dei cum homine & hominis quæ moram notabilem exigunt, uti eſt perluſtratio conſideratio & nuncupatio animalium omnium, &c. & ex defectu temporis apti in uno die ſexto ad omnia geſta ortum videtur quoque quod adduxit *Gataker*us velle quoſdam brutorum creationem ad diem quintum referre, vel etiam alios apud *Epiphanium* hominis creationem die quinto inchoatam ſed ſexto conſummatam ponere; & ſi omnes horæ diei à nona vel à ſexta diurna poſt Lapſum Adami adhuc ſuperſuerint, non poteſt non mirum videri cauſæ examen à Deo in ſequentem diem fuiſſe tranſlatum. Quartum Argumentum prorſus prætermittendum etiam non eſt, quod ex Moſaica deſcriptione ſtatus ante lapſum peti poſſe videtur *Gen.* II. 25. *Erantque ambo ipſi nudi Adam & Uxor ejus, & non erubeſcebant.* Ea enim narratio eſt rei, non momentaneæ, ſed continuatæ potius aliquamdiu, per quam nec veſtes aut tegumenta ſibi quærerent ulla, atque ſic ipſo opere demonſtratæ palam; in primis ſi conferas folia ficulnea quibus ex pudore ſe poſt peccatum mox texerunt. Quintum etiam Argumentum petitur ex Mulieris per Satanam tentatione ipſa. Ubi non debet urgeri cum *Pererio;* vel Serpentis interrogatio de Interdicto Eſu, ac ſi illa ex viſo uſu fructuum omnium præterquam unius Arboris neceſſariò fluxiſſet; vel Mulieris reſponſio, *de fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur*, in præ-

senti tempore, quod non est in Hebræo textu, & quod de eo quod licebat etiam potuisse adhiberi agnoscit ipse *Pererius*; vel cum aliis multiplex & longius colloquium, quod ex abrupta interrogationis formula colligatur. Sed magis ad rem videtur facere, quod de Mulieris absentia à Viro in Tentatione urgit *Gataker*us, & nos ex eo jam supra adduximus Cap. VI. §. 5. *Ecquis animum facile induxerit ut credat fieri potuisse, ut aut Mulier à Viro suo, &c. eodem non die sed hora sese subducere sustinuerit, aut ut Vir, qui &c. è conspectu suo longius discedere atque exspatiari confestim pateretur? Certe non tam exilis languidusque affectus inter pares lubentia pari recens junctos hodie etiam reperitur, nedum ut illi alterutri esse potuerit, præsertim cum nemo quisquam extaret, quo cum possent à se invicem dissiti familiariter conversari.* Et accedit adhuc Argumentum Sextum ex eo, quod nec Divinæ Sapientiæ & Bonitatis gloria in Integritate indita & Paradisi plantatione ac concessa inhabitatione satis fuisset manifestata, nec Paradisus usum fere ullum habuisset, nec ad Divinæ justitiæ & gratiæ consequentis agnitionem tam valide ductus fuisset homo, si eo quo creatus esset die & momento fere etiam lapsus è felicitate sua & expulsus ex Paradiso fuisset, cujus nec gustasset nec vidisset ferè delicias, vix earum aliter quam per modum brevissimi somni memor. Quod argumentum cum aliis prioribus jungens *Cedrenus* scripsit; Στενὸν ἦ κομιδῇ τὸ τέλμα τῆς ἐν Ἐδὲμ παραδείσου διαστήματος, καὶ λίαν ἀπίθανον, ὡς τὸ μεγαλοπρεπείας καὶ τὰ πάντα δυσθεωρήτου σοφίας κείμενον ἐπιγνωσθῆναι ἀνάξιον πάντως ἦν ἐν τοσαύτῃ ὥρας χρησίμοις τε καὶ πτηνοῖς πᾶσιν ὀνόματα καλεῖν εἶχε καιρὸν· πόσῃ ἦ τῶν ἄλλων ἐν τῷ παραδείσῳ καρπῶν μεταχῶν, καὶ τοῦ αὐτῶν μεταλήψεως ἡδονὴν λαβὼν εἰς ἀπληρυμίαν τοῦ καὶ ἀπηρυθριασμένου ξύλου γεύσεως ἐλήλυθεν; ἵνα μὴ λέγω τὴν ἐπήρειαν τῆς βασκανίας καὶ τοῦ ὄφεως πρὸς τὴν γυναῖκα προσβολῆς καὶ συμβουλίας, καὶ ὃ αὐτὴ πλέον ἐδέξατο τοῦ χρόνου τελευτῆς. Quæ tamen posteriora *Cedreni* dixit etiam *Christ. Schoeanus*, Theologus Franekeranus, *facile solvi*, facta horarum diei distributione qualicunque, addens *non hæc se dicere, quod nimis consectari minutias placeat, sed ut os iis obturet qui tot res tantillo spatio non potuisse artiari putent ex sententia communiore, atque inde ansam Scripturas arguendi arripiunt.* Laudabiliter sane, si Scriptura lapsum eodem creationis die contigisse ferret.

Objectio. VII. Nec difficulter admodum solvuntur Objectiones antea productæ

ductæ à nobis ex variis Autoribus; dum his ipſis ita ſentientibus opponimus nos alios non paucos nec minoris notæ Viros à nobis adductos, qui omnes pariter ſunt fallibiles, & æſtimandi tantum ex argumentis quibus pugnant. Utique rationes tres *Moſis Bar Cepha* non valent pro primo die Lapſus adeo quam pro breviori duratione primæ felicitatis; quæ per aliquot dies minime evertitur, ſed ſic magis apta fit per aliquem felicitatis primæ uſum, cæteroquin ſublatum. Quod porro Veteres & Recentiores conferunt Diem & Horam Crucifixionis ac Mortis Chriſti cum Die & Hora Lapſus & Judicii Adamici; id fit præter omnem neceſſitatem, nec determinat Septimanam primam vel aliam aliquam, imo occaſionem dare poſſet Adamo tot Annos tribuendi quot Chriſtus moriens habuit. Sed omnibus aliis quas ſparſim ex Variis adduximus objectionibus erit ut puto ſatisfactum, ſi ab *Altingio* inculcatas ſolverimus. Quod enim de Muliere non tam facile ſeducenda poſt diem primum, & de Satana non diutius exſpectaturo, & de Redemptionis neceſſitate ſic magis conſpicua, ab aliis inculcatur, probatione ulteriori opus omnino haberet; & conceſſa communiter brevi duratione primæ felicitatis id omne ſponte concidit. *Primum* autem *Altingii* argumentum ex textu Moſis vix aliud eſt quam merus luſus; quando lubentiſſime concedimus Mulierem die ipſo Tentationis eſſe lapſam, ſed nuſquam dicit Moſes, Tentationem eam contigiſſe immediate & quaſi eodem momento poſt divinum de Arbore interdictum, nec videmus quo modo ex nuda interrogatione Serpentis de Divino verbo, quæ ſerius æque quam ocyus fieri potuit, vel ex ejus initio אף כי *etiamne*, quo ſemper potuit uti Serpens poſt alias voces & in ſermonis ſui initio, queat vel auditus Satanæ ex longinquo vel idem auditus iſtius & rogationis momentum cum aliqua ſpecie concludi. *Alterum* Argumentum ejuſdem minime etiam ſolidum eſt; quando potuiſſent homines uno forte aut altero die ob notabiles cauſas ab eſu abſtinere, ſed & homines nihil adhuc ediſſe tempore tentationis abſque ullo ſolido fundamento dicitur. Nempe ad latam Legem cibariam immediate ſecutam eſſe Tentationem, ſomnium eſt extra Moſen; quemadmodum ex præcepti verbis in interrogatione in futuro, *non edetis de omni arbore horti*, male concluſerunt Veteres aliqui, nullum adhuc eſum de Arbore ulla contigiſſe, ita nec idem concludi poteſt ex reſponſo Mulieris in futuro, *edemus*, quod ad permiſſionem divinam duraturam ſpectat, nec

nes ex textu Moſis ſolvuntur.

nec permiſſionis iſtius præſentem uſum ullatenus excludit; tandem de Arbore Vitæ non ediſſe integros homines, ex mala hypotheſi de inſitis ejus viribus perperam dicitur, aut ex ejus interdicto poſt lapſum gratis concluditur, dum tamen in iſta Paradiſi copia alium victum communem & magis obvium ante Sacramentalem poſſent illi forte comediſſe. *Tertium* Argumentum nititur rurſus hypotheſi vel falſa vel ſaltem dubia, quod liberis generandis non incubuerint homines integri, ſecundum ea quæ antea diximus *Lib. II. Cap.* 11. §. 13. etiamſi hoc facile concedamus, quod liberi nulli iis tum ſint nati ſecundum Judæorum fabellas; nec liquet illud, vel ex textu *Gen.* IV. 1. ubi occaſione partus forte memoratur præcedens congreſſus, vel ex liberorum omnium corruptione, quæ ad liberos ante uſum propriæ rationis, ſi tales necdum eſſent etiamſi concepti vel nati forent, cum reatu fœderis debebat transire, dum de malo corporali matris ad fœtum conceptum non tranſeunte præter rem paulo liberalius heic differit Vir Doctus; nec capio, quo modo ante legem cibariam ſi multiplicationem generis cum adductione Evæ imperaverit Deus potuerit homo obſequium ejus differre; & tandem ſi per intervenientem Legem cibariam cum ſequelis potuit in integrum diem differri iſte uſus conjugii, aliæ etiam forte nobis nunc minus perſpectæ cauſæ ad aliquot dies eundem impedire potuerunt, dum judicat *Chriſt. Schotanus*, *veroſimile eſſe, fieri non potuiſſe ut Adam παιδοποιΐᾳ incumberet, ne quidem ut deliciaretur in Paradiſi affluentia, antequam fixum eſſet, quid in merito & in quam ſpem liberos gigneret, quove in ſtatu.* Argumentum *Quartum* Viri hujus totum nititur pronomine præfixo ה / in voce השש & היום. Nam dies ipſe Terroris Adamici poſt peccatum controverti tur heic; nec dies mortis Corporalis Adami huc quidquam facit, poſt tam multos annos demum inſecutus; quem fuiſſe feriam ſextam ſeptimanæ ex Orientalium traditione aut tempore Mortis Chriſti non poteſt demonſtrari; & ſi fuerit illa feria tam Adamus quam Chriſtus mortuus, nullam illa adhuc determinationem habet ad primam mundi ſeptimanam. Quod autem ad ה illud geminum attinet; norunt omnes quam promiſcuè id ponatur & omittatur abſque magna ſæpe ratione; legitur illud perinde apud diem ſeptimum השביעי / videtur ad diem ſextum præ aliis prioribus adjectum propter operis totius tum factam conſummationem & hinc fluens diei iſtius decus maximum, notante dudum cum

aliis

aliis *Malvenda* & *Piscatore* nostro; sicuti רוח הים / eundem *illum*, non Sextum creationis, sed ipsissimum Lapsus diem optime notare potest; estque Judaicus ille respectus in hac litera primo loco ad *judicium primi hominis & omnium generationum ejus* æque vanus, quam Christianus secundo loco ad diem sextum שש.

Item quæ peritur ex Psal. XLIX. 13.

VIII. Ad locum *Psalmi* XLIX. 13. non excurremus in alia de voce נמשל & נדמו / quæ minus ad rem præsentem faciunt. Sed de *Adamo* primo illic agi, quod etiam *Clem. Talm. San. Nathan, Menachem, & Midras Tillin de Adamo dictum sensisse* scribit *Brougtonus*, atque *pernoctationem* in excellentia strictissimo sensu Homini denegari, minime probatur. Monstrat enim integer loci contextus, nomen אדם / illic æque quam *vers.* 3. & 21. capi appellative de *homine* seu quovis seu omni, qui in hac aut illa *excellentia* vel *gloria* mundana constitutus est, sibique hinc cum suis temere longam & æternitatem ejus durationem temere pollicetur, *coll. vers.* 12. De quo potius quam de gloria hoc asseritur, vel simpliciter בל ולן / vel conjunctim cum priori voce ביקר בל לין / pro quo LXX. & *Vulgatus* legentes יבין / quod substituitur *vers.* 21. habent, καὶ ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὢν οὐ συνῆκε, & *homo cum in honore esset non intellexit*, sed *Chaldæus*, & *homo peccator in honore non commorabitur*, vel *pernoctabit, cum justis.* Verbum Hebræum לין / seu הלין / quod per καταλύειν, κοιμᾶν, διακοιμᾶν, κοιτάζεσθαι, καταβάλλειν, αὐλίζειν, μένειν, καταπαύειν, σώζειν, &c. vertunt Græci, proprie equidem notat *pernoctationem* seu διανυκτερεύειν, significatione congruens cum voce ליל / pro facili mutatione literarum ל & נ ex communi observatione *Forsteri* & *Avenarii*, unde etiam ob nocturnum ferarum ejulatum solent alteram *murmurandi* notionem petere, conjiciente *Avenario*, hinc esse quoque voces κλίνω, ἐγκλίνω, *inclino*, & *leno*, *lena*, *lenocinium*; ut non fuerit opus istum *pernoctandi* significatum magna textuum congerie à Viro Doct. astrui. Sed nec vox ad durationem unius noctis per se est restricta, cum plures alicubi noctes juxta dies agere possimus, *coll. Iob.* XIX. 4. XXIV. 7. XXXIX. 12. 31. *Psal.* XXV. 13. XCI. 1. *Prov.* XV. 31. XIX. 23. *Ier.* IV. 14. *Tseph.* II. 14. *&c.* adeoque aptissime ad durationem longiorem & stabiliorem notandam transfertur, *coll. Iob.* XLI. 13. *Ies.* II. 21. *&c.* Quod heic necessarium quoque est, ob experientiam continuam felicitatis hominum uno die frequentissimè non abruptæ; nisi in *pernoctatione* metaphorice heic spectare libeat, vel ad tem-

pus graviſſimæ afflictionis quo tollitur facile hominum mundanorum decus, vel ad mortem ipſam in qua illud minime ſtabile eſſe deprehenditur, *coll. verſ.* 15. 16. *&c.* Quæ res, conveniens cum ſequenti interitu inſtar beſtiarum, heic in futuro inculcatur per modum certæ veritatis, quæ nunquam non poſt vanam mundanorum hominum exſpectationem obtinebit. Nec quidquam adeo facit ad rem, an *pernoctatio* negetur vel aſſeratur, ac ſi negata illa unicam etiam noctem naturalem neceſſario excluderet, dum aſſerta ad plures noctes poſſet extendi; cum poſſit debeatque juxta affirmationem etiam negatio indefinita varie pro natura rei & contextu accipi. Et concidit porro ſponte argumentatio illa, in omni homine etiam Adamum integrum comprehendi; quando manifeſtum eſt, heic agi de hominibus peccatoribus & mortalibus cum ſuo mundano decore, inter quos Adam integer numerari non debet. Dum ab altera parte ex Nomine Appellativo non licet facere Proprium, cum contextus totius nimia torſione, ut argumentum tam in excellentia quam in perſona & in durationeipſa à majori ad minus heic reperiatur; neque illuc ducit nomen יקר quod de quovis *pretio* & *gloria* ſolitum adhiberi, etiam ea quæ eſt apud homines peccatores, hic per contextum ad mundanum decus varium ſpectat, non autem ad excellentiam primæ Integritatis humanæ. Et quod ad Judæorum conſenſum oppoſitum attinet, ad illum dixit dudum *Gatakerus*; *Talmudicorum & Allerogetarum, tales ſunt Midraſhim ſcriptores, expoſitiones parum apud illos ſunt ponderis habituri qui norunt, quam miſere turpiter putide ridicule Scripturas Sacroſanctas illi torqueant, lacerent, pervertant, eludant, illudant. Tum qui ſerii magis ſunt expoſitores in Commentariis ſuis quos in manibus habemus, Salomon Jajrus, Abraham Eſdrajdes, David Camius, una cum Targumiſta vetere, alio hic abeunt, nec de Protoplaſto in commatii iſtius explicatione quicquam omnino exhibent, mirumque mihi ſit eruditum Decaplorum Autorem* (Johannem Viccars Anglum) *ex Jajro adducere, non pernoctabit, una nocte in integritate non permanebat Adam, ſed in fine diei lapſus eſt, quod in Jajrianis Commentariolis non apparet.* Et hoc notandum, quod non omnis dicti hujus Pſaltæ accommodatio ad Adamum per modum explicationis de eo ſit capienda; quando ſic palam eſt in ipſa *Confeſſione Belgica Art.* XIV. legi de Adamo, *quum in honore eſſet neſcivit & excellentiam ſuam non cognovit*, ſecundum lectionem Græ-

Græcam & Latinam antea adductam, nec aliter ad universum genus humanum in Adami Lapsu hæc verba applicantur passim à Patribus, etiam *Basilio in Catena*, ἀλλ' ὅμως ἐν τιμῇ ὢν τηλικαύτῃ, καταλιπὼν τὸ ὁμοιοῦσθαι τῷ κτίσαντι, ἀλλὰ γενόμενος τῷ παθῶν, ἐδουλεύθη τοῖς κτίσεσι τοῖς ἀνοήτοις καὶ ὁμοιώθη αὐτοῖς, &c.

IX. Verba Christi ex *Joh.* VIII. 44. de Diabolo ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς, nos antea ipsi quoque adduximus, ad excludendam nimis longam primæ felicitatis durationem. Utsit vero etiam illa cum *Altingio* heic *Hugo Brongtonus*; *Syrus Joh.* VIII. 44. *habet Men Berishith, hoc est, secundum omnes R. R. intra dies creationis, Menachem in Cap. III. Gen.* Sed putamus nos, satis verum plenumque esse sensum istius dictionis Christi, si non ita multis diebus à creatione inchoata & consummata hominem mendacio suo occidisse agnoscatur Satanas, uti fit à nobis. Habet illa semper hodieque usurpata, ubi de initio horæ, diei, mensis, anni, seculi, civitatis, regni, aliarumve rerum, loquimur, aliquam latitudinem, ut non ipsum primum earum punctum notet semper, sed sæpius etiam notabilem aliquem progressum respiciat. Non erat ergo, quod operose heic doceretur, per ἀρχὴν exprimi *Principium* mundi, & nomen Hebræum בראשית ab Hebræis extendi ad *Sex* seu *Septem Dies* primos, nedum ut immiscereturalienaillahypothesis de Quiete Septimi Diei à novo opere Gratiæ Divinæ; quando communiter illud agnoscitur & inculcatur, sed res hæret potissimum in præpositione, *ab*, ἀπὸ, an illa illud ipsum principium ita includat ut ἐν ἀρχῇ seu *in initio* illo ipso res gesta sit, vel etiam nullum plane spatium medium relinquat inter illud sextiduum & hominis deceptionem lethalem, quod hactenus minime liquet, contrarium simplicius arguente præpositione *ab*, nempe aliquam à principio illo consecutionem, quæ tum brevior aliquantulum aut longior esse potest, ut hinc aliud sit vel esse possit בראשית & מן בראשית. Nulla tamen est plane necessitas *principii* nomen restringendi ad sex aut septem primos Dies solos, etiamsi Judæi quandoque sic strictius loquantur; sed potest illud ipsum intelligi latius de primis mundi temporibus, uti sic commodissime dicimus, in ipso mundi principio, comparate ad tempora seriora ante & post diluvium, homines terram coluisse, liberos generasse, & Kajinum occidisse fratrem suum &c. quæ intra hexaëmeron propterea non sunt gesta. Quod exemplum Kajini heic magis forte notandum est ob locum Johannis, in quo

Etiam illa ex Joh. VIII. 44.

quo poſt *principii* mentionem illud allegat 1. *Ioh.* III. 11. 12. ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγγελία ἣν ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς ἵνα ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, οὐ καθὼς Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν καὶ ἔσφαξε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ &c. Ut taceam dè alijs, qui Diaboli homicidium ἀπ ἀρχῆς retulerunt non tam ad Principium Creationis quam Lapſus Angelici quo ipſe Diabolus factus eſt, ut ſic velit Chriſtus eum ipſum tam cito quam peccavit ad peccatum quoque ſeduxiſſe hominem, ſine determinatione ulteriori ejus temporis quo ipſe peccavit. Digna eſt *Annotatio Bezæ* ad hunc locum, quam deſcribam; *Quotieſcunque ſit principii mentio ſignificationem illius ad id de quo agitur accommodare neceſſe eſt. Quum ergo hic agatur de Homicidio, cujus arguitur reus Satan ab initio, certe neceſſe eſt ut quod etiam facit Nonnus, iſtud ad ipſius mundi atque adeo hominis initium referatur, non autem ad Satanæ ipſius initium, niſi quatenus cœpit eſſe homicida, nedum ut hinc conſtituas ab æterno Diabolum talem extitiſſe, aut illud teſtimonium de Filii Dei æternitate eludas &c. Auguſtinus, quem etiam citat qui Cyrillum ſupplevit, ad initium peccati refert, vere id quidem, ſi rem ipſam ſpectes, ſi quidem, quum Satan per peccatum hominem interimeret, hinc demum cœpit eſſe homicida, quum peccatum ingreſſum eſt in mundum, ſed tamen ſubtilius. Malo igitur paulo craſſius hæc interpretari de ipſius humani generis exordijs, neque rurſus ſubtiliter hæc refero ad illud primum momentum quo creatus eſt homo, ſed principium hoc etiam extendo ad tempus creationi mundi ac ipſius hominis vicinum, quo videlicet homo eſt à Diabolo occiſus.* Utique per iſtam latiorem expoſitionem phraſios ἀπ' ἀρχῆς nihil plane decedit Chriſto Mediatori aut Euangelio, uti quandoque inſinuatur; quando is manet unicus ſalutis Autor Electis peccatoribus ante & poſt ipſum, revelatus per Dei bonitatem citiſſime, ſive homines diebus aliquot citius ſive ſerius eo indiguerint & promiſſum ejus acceperint.

Tandem in Sabbathum primum Septimi Diei inquiritur, nec per illud Lapſum hominis ſupponi monſtratur.

X. Quod ex Quiete Divina Septimi Diei & Sabbatho ſanctificato pro Lapſu Sexti Diei tandem adducit *Altingius* argumentum, idem concidit, ſi ſpectemus noſtram ratiocinationem inde petitam pro ſeriori lapſu. Quam ſolam judicavit pro noſtra ſententia ſufficere *Doct. Pareus*; *Ego diverſum exiſtimo, hoc ductus argumento, quod Moſes non obſcure indicat Cap.* II. 3. *Deum Septimo Die quieviſſe & illum ſanctificaſſe homine adhuc in Paradiſo exiſtente. Sanctificatio enim illa quid fuit niſi præceptum homini datum de ſanctificando*

do

do. Ergo homo Septimo die nondum peccaverat, ſaltem tum cum fieret ſanctificatio, quæ facta eſt haud dubiè mane ejus diei, quia totus dies eſt ſanctificatus. Inde conſequi videtur, hominem Sexto die nec lapſum nec ejectum eſſe; ſed vel ipſo die Septimo poſt Sanctificationem factam, quando ſi peccavit homo utique Sabbathum horrendum in modum profanavit, neſcio autem an tam gravis actio judiciaria cum homine ejuſque ejectio cum Dei quiete ſatis conveniat; vel die aliquo ſequentis ſeptimanæ primo ſecundo vel alio. Enimvero dubium videri poſſet, an ſatis ſeriò ageret *Jac. Altingius* in Quiete Dei ab opere Gratiæ in hominem lapſum intelligenda pro baſi Sanctificationis Divinæ Diei Septimi, niſi in hypotheſin hanc aſſerendam adeo omnes ingenii & eruditionis ſuæ vires intendiſſet. Quid enim magis alienum eſt, quam apud Quietem Dei ab opere narrato ſuo velle in Sacram Hiſtoriam intrudere opus alterum priori majus, cujus ipſius vel fundamenti ejus nullum plane factum eſt aut fit indicium, & quod nec aliunde conſtat tum factum fuiſſe? Et quid clarius, quam *Quietem* Dei Septimo die referri ad illud *opus omne* quod *ſex diebus* præcedentibus erat factum ac cœli terræque nomine expreſſum, tam heic ſi ulla eſt rerum cohærentia, quam *Exod.* XX. 11. *quoniam ſex diebus fecit Jehovah cœlos & terram mare & omne quod in eis, & quievit in die ſeptimo*, & *Exod.* XXXI. 17. *quoniam ſex diebus fecit Jehovah cœlos & terram, & in die ſeptimo quievit & reſpiravit.* Et quid ineptius, quam opus Gratiæ in peccatorem & renovati ſic mundi totius inferioris & ſuperioris conſiderare tanquam perfectum & conſummatum plane per Promiſſionem Paradiſiacam de Meſſia venturo & contrituro caput Serpentis? cum illa vix dicat quidquam præter primum molimen rei poſt ſecula multa demum peragendæ per Meſſiam illum, & plene etiamnum in ipſius ultimo adventu; & cum poſt promiſſionem Deus adhuc fuerit in judicando homine utroque propter peccatum. Quid denique certius, quam ex hac hypotheſi, de magno humanæ redemptionis opere quod ſic Moſes vocaverit peracto die Septimo, non minus hunc fuiſſe Deo operarium nec magis Sabbathicum quam dies ſex præcedentes; quod primo etiam loco urſit *Cl. Witſius* noſter. Et quam levia ſunt quæ ille pro ſe ex adverſo laudat? Hoc primo, quod Quies Dei à Creatione pertineat ad diem ſextum, & exponatur *Gen.* I. 31. II. 1. Sed falſum eſt prius, quia integro die ſexto non minus quam prioribus duravit

Digitized by Google

Dei opus, non niſi cum ejus fine adeoque Septimi diei initio conſummatum ; nec poſterius verum eſt reſpectu phraſios, ſpectantis ad rerum per totum ſextiduum factarum conſummationem & approbationem. Hoc ſecundo, quod *opus* à quo Deus quievit die ſeptimo dicatur ille *perfeciſſe in die Septimo Gen.* II. 2. Sed cum ſit hoc idem illud *omne opus Dei* quod jam deſcriptum erat & iterum dein ſub nomine cœlorum & terræ venit, nec aliud apud Moſen compareat, difficultatem illam de *die Septimo* poſito pro ſexto varie dudum abſque novi operis figmento ſuſtulerunt Interpretes; dum ſimpliciſſime vel verbum ויכל exponitur in pluſquam perfecto *& perfecerat*, vel *dies Septimus* intelligitur de ejus primo adventu & initio cum exitu ſexti diei, quando omnia per Divinam virtutem perfecta fuerunt. Hoc tertio, quod verbum ויכל dicat creaturæ antea productæ *novam perfectionem*, non naturalem ſed *ſupernaturalem*. Sed verbum illud hanc ſua vi neutiquam dicit, quod de creatione ſextdui uſurpatum vult ipſe *verſ.* 1. ויכלו *& perfecti* vel *conſummati ſunt cœli & terra & omnis excercitus eorum ;* nec ulla eſt tautologiæ ſpecies culpabilis in eo, quod ibi paſſive uſurpatum illud de rebus iterum uſurpetur active de Deo cum additione temporis & inſecutæ quietis tanquam hujus fundamentum. Hoc quarto, quod duplex verbum adhibeatur, non tantum ברא & הבראם / quod ad *creationem* ſextidui ſpectet, ſed & עשות / quod ad *factionem* ſive *conſummationem* ſupernaturalem nos ducat, niſi craſſam heic denuo ponamus tautologiam. Sed agnoſcit ipſe Vir Doct. in voce עשה *verſ.* 7. æque quam *Gen.* I. 31. *& Exod.* XX. 11. notionem creationis per ſex dies; & ſive illa *verſ.* 3. *&* 4. ab alia voce ברא diſtinguatur, ad creati operis conſummationem & elegantiam exprimendam vel Dei in opere ſuo curam, ſive ſignificatione fere conveniat per Hebraiſmum ſatis familiarem eleganter juncta, quod utrumque Chriſtianis & Judæis doctiſſimis placet & probatur, nec tautologiæ indecentis ullus eſt heic metus, nec quidquam hoc facit ad novum opus Gratiæ à Moſe tacitum. Hoc quinto, quod vox תולדות plene ſcribatur *verſ.* 4. cum duplici *Vau* perinde ut *Ruth.* IV. 8. alias ſcripta defective תלדת / vel תולדת / vel תלדת / ad notandam mundi perfectionem tam ſupernaturalem quam naturalem. Sed hoc eſt inepte Kabbaliſticum ; in primis ſi ad Meſſiæ gratiam transferatur. Hoc ſexto, quod *verſ.* 4. prima vice legatur nomen יהוה reſpiciens ad Dei ſpecialem miſericordiam poſt opera naturæ

apud

apud quæ illi tributum nomen אלהים fuit hactenus. Sed est nomen יהוה Dei essentiale, per se non majorem respectum habens ad fœdus Gratiæ quam illud אלהים quod in fœderali respectu potissimum solet adhiberi, nec quidquam certius quam apud sequentem recapitulationem creationis nos continuo legere de *Jehovah Deo vers.* 5. 7. 8. 9. *&c.* Hoc septimo, quod *vers.* 4. cum *cœlum terramque* apud Creationem dixisset Moses, dein *terra cœlique* apud factionem meminerit inverso ordine, propter gratiæ opus à terra inchoatum. Sed tædet istiusmodi ineptiarum; quando ad elegantiam sermonis hoc nonnunquam facit, ut vocabulorum proxime recurrentium ordo permutetur, absque ulteriori emphasi, quam alii heic tamen etiam reperiunt variam absque respectu ullo ad opus gratiæ, quod nec proprie ad cœlum spectat. Et quod tandem octavò urgetur, Sabbathi benedictionem & sanctificationem pro primo fundamento suo habere opus Gratiæ ad quod post lapsum omnino etiam respexit, nec locum reperire in statu Integritatis, id late à nobis confutatum est dudum suo loco *Lib. II. Cap.* VIII. §. 7. Ita vero nos de hoc argumento disputasse confidimus, ut acria dissentientis *Brougtoni* verba parum curemus, quæ ille non tantum initio protulit, *aures habent delicatas menteſque miras qui hæc curiositatis insimulant*, & in quibus alludisse vult *Gataker*us ad *Sophocleum* illud in Oedipo rege, πυθλὸς τὰ τ' ὦτα, τὸν τε νῦν, τὰ τ' ὄμματα, sed & quæ apud Christi mortem repetiit, post jactatum *consensum* secum *Hebræorum*, *Chaldæorum*, *Arabum*, *Græcorum*, *Latinorum*, & *textuum aliquot Scripturæ luculentiorum quam ut torqueri debeant*, subjiciens, *Neoterici quidam negantes Christum declaratum esse hæredem omnium primo hominis die vituperant ea quæ ignorant.* Dedit vero ejus Viri αὐθεντικὸν nobis hac occasione haud admodum laudabilem *Gataker*um, & hoc ferens, *cerebri lasi nonnullis de se suspicionem moviſſe.*

CAPUT OCTAVUM.

Quo de Humana Nuditatis Agnitione ad commissum Peccatum & Tegumento sumpto agitur.

Transitus ad Lapsus Consequentia proxima.

Pro felicitate majori, quam ex Esu fructus vetiti per seductionem Serpentis temere exspectaverant Protoplasti, in summam hi detrusi miseriam tristes peccati fructus, vere ab eo inseparabiles, satis cito sunt experti, etiam ante auditam externam Dei judicis vocem. Ita namque Moses narrationem suam persequitur *Gen.* III. 7. *Et aperti sunt oculi amborum ipsorum, & agnoverunt quod nudi ipsi, & consuerunt folium ficus, & fecerunt sibi cinctoria.* Ostendens sic, primum quid evenerit utrique homini, dein quid consequenter fecerit ille, quod ita est eventus prioris documentum ut simul remedii speciem habeat.

Ubi de duobus illis, Adamo & Muliere, simul agitur.

II. Eventus exponitur phrasi, unâ generali, & altera speciali magis, quæ priorem declarat. Utraque verò illa, æque quam sequens deinde enunciatio gemina, pro subjecto suo habet שניהם / τὼ δύο, *ambos*, apud LXX. & *Vulgatum*, seu par illud primum hominum hactenus nominatum, Mulierem cum Adamo viro suo, quod uti naturæ & conjugii vinculo arctissime à Deo ipso fuerat conjunctum, ita & in societatem mutuam ejusdem transgressionis nunc Satanæ seductione & culpa sua venerat. Enimvero sicut hinc super utrumque gravissime peccantem venerunt consequentia peccati mala, ita heic tamen non obtinuit vel saltem non obtinuisse legitur ea temporis successio & unius per alium excitatio quæ in ipsa transgressione deprehensa fuit. Peccabat nempe ante maritum Mulier, & impellebat eum ad peccandum; sed non deprehendimus illam pudore ductam ante virum huic quoque nuditatem suam ostendisse, quemadmodum nec de Satanæ loquela ulteriori ad Mulierem heic qui loquam legitur, cui sufficiebat seductio ipsa. Estque adeo heic merito adoranda Divina Providentia; per quam eousque Evæ peccantis oculi fuere cohibiti ne transgressionis malum sentiret, donec & ejus & posteritatis omnis caput Adamus ad peccati mulicbris imitationem esset seductus, juxta id quod antea quoque observavimus *Cap.* III. § 5. & per quam dein statim

tim consecuta est mali commissi & simul contracti conscientia, à qua ipsa Arbor Scientiæ nomen suum ex parte acceperat, quodque sic fluxit à Divina justitia ut etiam ad gratiam obtinendam omnino præcedere deberet. Unde recte Deum ut rei heic de utroque homine enunciatæ autorem præcipuum producit cum aliis *Chrysostomus*; ἐπειδὴ γὰρ παρέβησαν τὰ προστεταγμένα, αἰσθάνεσθαι αὐτὸς λοιπὸν ἐποίησεν, οὐ πρότερον τὸν ἁμάρτημα τῷ αἰσθήσει, δηλῶν ὅτι ἀγνοίαν ἦν φεῦ αὐτὸς ὁ δεσπότης ἐπεδείκνυτο, &c.

III. De duobus vel ambobus ipsis hoc ergo dicitur primo loco, quod eorum *oculi sint aperti*; eadem phrasi quam antea in fallaci promissione Satanæ habuimus *vers.* 5. Dum tamen haud parum alius heic est phrasios istius sensus & scopus, quam quo illic Satanas seu loquebatur seu verba sua à Muliere volebat intelligi. Nec male *Clericus* hanc dicit *esse elegantiam sacrarum literarum, ei Tropo quem ἀνταπόκλασιν Rhetores vocant affinem, vocem aut phrasin eandem contiguo loco ponere sensu alio, cujus rei exempla suppeditabit doctissimorum virorum par eximium H. Grotius ad Ioh.* 1. 16. *atque H. Hammondus ad Matt.* VIII. 22. Est vero alienum prorsus, quod *Hebræorum quosdam ex hoc loco colligere* monet *Fagius*, *homines illos primos cæcos fuisse, quæ cæcitas ablata fuerit esu pomi vetiti, quod scilicet ad eam rem medicam quandam vim habuerit, &c.* Cui nugamento se late oppositi etiam *Augustinus*, tum alibi sæpe, tum *Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 17. *neque enim cæci creati erant, ut imperitum vulgus opinatur. &c.* tum *Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 31. *Neque enim clausis oculis facti erant & in Paradiso deliciarum cæci palpantesque oberrabant, ut vetitum lignum etiam nescientes attingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent. Quomodo autem animalia & volatilia adducta sunt ad Adam ut videret quid ea vocaret, si non videbat? Et quomodo ipsa Mulier ad Virum adducta est quando facta est, ut de illa quam non videbat diceret, hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea &c. Postremo quomodo vidit Mulier quia bonum est lignum in escam, & quia placet oculis ad videndum, & decorum est cognoscere, si eorum clausi erant oculi. Nec tamen*, addit etiam recte, *propter unius verbi translationem totum figurate accipiendum est &c. Neque enim & Evangelista narrator dicta cujusquam figurata ex ejus persona inserebat, ac non ex persona sua quæ fuerant gesta narrabat, cum diceret de illis duobus quorum unus erat Cleopas, quod cum fregisset eis Dominus*

Oculorum Apertio ipsis adscripta declaratur.

panem aperti ſunt oculi eorum & cognoverunt eum quem per viam non cognoverant, non utique clauſis oculis ambulantes ſed eum cognoſcere non valentibus. Sicut ergo ibi, ſic nec in iſto loco narratio figurata eſt, quamvis tranſlato verbo Scriptura uſa videatur ut apertos diceret oculos qui & antea patebant. Apertos utique ad aliquid intuendum & cogitandum quod antea nondum adverterant &c. Monet ad hunc locum quoque Cl. *Coccejus*; *Multum laborare & Græcos & Latinos Interpretes, ut explicent quod dicitur &c. Sed in Hebræo eſſe proprie, acuti facti ſunt oculi ipſorum ſive perſpicaces facti ſunt. Hoc autem*, inquit, *dicitur ad iſtum modum quo quis ſignificatur obſervare quod ante non obſervaverat. Ita Gen.* XXI. 19. *& acuit Deus oculos Hagar & vidit puteum aquæ. Sepe quod ante oculos eſt non videmus, non obſervamus, quaſi oculi nebula cooperti eſſent; rurſus & acies incidit divina directione in id quod obſervaſſe bonum eſt & ſalutare. Ita & cum parentibus noſtris actum eſt. Obſervarunt derepente aliquam nuditatem &c. quaſi jam perſpicaciores eſſent facti quam antea fuerant, & quaſi jam lema de oculis decidiſſet.* Conferre præterea licet. quæ ex *Muſculo* quoque adduxit *Piſcator* de triplici Apertione Oculorum, tum Corporis, per viſum cæcorum, per intuitum objectorum præſentium, & per eorum agnitionem, tum Mentis, per Euangelii illuminationem, per reſipiſcentiam ex afflictionibus, & per conſcientiam perpetrati peccati, &c. Sed ut id quod res eſt dicam, non excluduntur heic quidem oculi corporis, dum ad corporalem nuditatem heic etiam liquet eſſe reſpectum; ſed tamen in his ipſis facta non innuitur heic proprie mutatio ulla, ſeu per datum ſeu per auctum eorum viſum. Verum uti novum erat viſus objectum per & poſt peccatum, ita de oculis ſeu attentione perceptione & intellectu mentis novo circa illud, etiam per externum viſum, cogitandum eſt, ut jam aliquid obſervaverint homines probroſum ac triſte, quod ante peccatum non habuerat locum adeoque obſervari neutiquam potuerat, & quod in peccato ipſo per Satanæ fraudes & ſceleris impetum & Dei ſingularem permiſſionem quaſi excæcati non animadverterant. Videtur enim in hac apertione non tantum relatio eſſe ad ſtatum priorem hominum ante peccatum, ſed etiam & magis ad tempus ipſum quo ſcelus ab uno & altero homine committeretur. Et quamquam iſta oculorum apertio heic directe referatur potiſſimum ad ſequentem ex peccato nuditatem probroſam, poſſunt debentque tamen cum ea quoque conjun-

Digitized by Google

jungi mendacium Satanæ, Dei veracitas, metuenda ejus ira, & quæ similia ex nuditate sua colligere potuerunt homines per relictum mentibus lumen. Non male adeò *Theodoretus ad Quæst.* XXXIII. *in Gen.* ἡ ἐστι, διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ τῶν δύο; respondit, ὅτι καὶ πρὸ τοῦ βρώσεως ἐμεμνήσθας εἶχον τὰς ὀφθαλμὰς δῆλον τοῖς προσέχουσι ἐφίλυσι, πῶς γὰρ εἶδεν ἡ γυνὴ τὸ ξύλον ὅτι καλὸν εἰς βρῶσιν καὶ ἡδυσὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν καὶ ὠφέλιόν ἐστι πρὸς κατανόησιν, εἰ μὴ ἀνεωγότας εἶχον τὰς ὀφθαλμάς; ἐκεῖν τῷ μὴ ἁμαρτίαν αἴσθησιν ὅτω κέκληκεν ἡ θεία γραφή, ἐυθὺς γὰρ μὴ τῷ ἁμαρτίαν κεντᾶται τὸ σωφρόνος. Sicuti iterum iterumque inculcat *Chrysostomus*, non agi heic περὶ τῶν αἰσθητῶν ὀφθαλμῶν, ἀλλὰ περὶ τοῦ καθ' διάνοιαν αἰσθήσεως, &c. & *Augustinus* scripsit *Lib.* XIV. *de C. D. Cap.* 17. *aperti sunt oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant & malum in quod ceciderant, &c.* Ineptissime vero *Josephus*, postquam heic tanquam rationem apertorum oculorum dedisset Arboris vim, τὸ γὰρ φυτὸν ὀξύτητα ἐς ἀλογίας ὑπῆρχεν, spectavit heic novam scientiam vestimento utendi, eamque quasi optatam hominibus primis consideravit, μᾶλλον ἰδόκουν εὐδαιμονεῖν, ὡς ὧν πρότερον ἐσπάνιζον ἐυρίσκοντες, qui utique vestimenta pro mali remedio quæsiverunt, & hinc à divina voce territi anfugerunt. Nescio porro, quinam heic maximæ vanitatis debeant accusari; an Judæi, qui de *stupefactis* per esum *dentibus* præterea loquuntur apud *Eliezerem Cap.* XIII. si hoc ad literam intellexerint; an qui cum *Joh. Clerico* heic cogitationem injiciunt de *intestinorum dolore*, ex quo intellexerunt homines *fructus illius usum esse noxium*, quem quidem ille haud obscure cum metu divinæ iræ conjungit.

IV. Speciatim & exegeticè sequitur in textu; *Et agnoverunt quod nudi ipsi*, וירעו כי עירם הם / καὶ ἔγνωσαν ὅτι γυμνοὶ ἦσαν, *eumque cognovissent se esse nudos*, apud LXX. & *Vulgatum*. De voce ערום antea ad *Gen.* III. 1. latius egimus *Cap.* V. §. 7. Apparet utique, ex rei hujus probro, & corporis quæsito tegumento, illam heic non notare *sapientiam* aut *astutiam*, etiamsi ob scientiæ à Satana astuto factum promissum illuc heic alludatur, sed *nuditatem*; quo sensu etiam usurpata hæc vox fuit *Gen.* II. 25. *& erant ambo ipsi* ערומים *nudi, Adam & uxor ejus, & non erubescebant*, *coll. Gen.* III. 10. 11. & qui sensus fluit à cognata radice ערה. Enimvero præter discrimen solitum puncti *Shurek* & *Holem* apud distinctam signi-

Et simul Nuditatis propriæ Agnitio.

ſignificationem aſtutiæ & nuditatis, obſervatur, heic dein *Iod* cum *Tſere* in prima vocis ſyllaba deprehendi, cum antea *Cap. II.* 25. id locum non haberet, non abſque myſterio. Sic enim de hoc ſcribit *P. Fagius*; *Obſerva vocem* עירומים *quæ in præſenti loco plene ſcribitur cum Iod litera, ſupra vero in fine Cap. II. ubi nuditas illorum qualis ante lapſum fuerit deſcribitur, defective ponitur; quod non caret emphaſi juxta Hebræorum ſententiam. Nam nuditas illorum illis tum non vitio erat, ut modo, ubi turpis eſſe cœpit propter concupiſcentiam ſeſe in membris eorum fœde exſerentem. Accedit ergo in* עירומים *Iod litera per Epitaſim & Auxeſim, ad ſignificandam turpitudinem quæ nuditati poſt peccatum acceſſit.* Sed mirum eſt, quod non obſervaverunt hi tum quoque, deficere iterum *Iod* in ultima vocis ſyllaba. Dum magis hoc videtur eſſe reale, quod *Cl. Guſſetius* vult עירום cum *Iod* eſſe *ſubſtantivum* quod abſtracte *nuditatem* deſignat & pro concreto emphaticè ponatur; *nam ſic*, inquit, *prædicatur de ſubjecto toto ut de eo judicari debeat per nuditatem, non vero ut ante lapſum, quando etiamſi nudus erat, alia in ſe habebat quæ efficiebant ut non per nuditatem ſed per alia à quibus ipſa nuditas compenſabatur de illo judicaretur.* Qualis vero, inquis, eſt illa *nuditas*, quæ heic de *ipſis* duobus primis hominibus lapſis aſſeritur, & quidem tanquam ab ipſis agnita? An corporalis illa, quæ antea illis in integritate eſt tributa abſque ullo pudore, vel alia aliqua? an potius ſpiritualis, quæ non niſi ad peccatum habuit locum? Pro priori videtur facere relatio hujus textus ad priorem illum de ſtatu ante lapſum, & tegumenta corporea quæ homines ſibi quæſiverunt; pro poſteriori autem, quod prior illa ſimul cum ipſius agnitione jam ante lapſum obtinuerit, quodque heic ad aliquod novum peccati conſequens videatur ſpectari. Audiri heic meretur *Clericus*; *Qui hic nudum proprio interpretantur ſenſu, ii ſe inextricabilibus induunt nodis. Cum ſoli eſſent Adamus & Heva, non magis potuit eos nuditatis ſuæ pudere, aut eam non antea animadverſam deprehendere, quam priuſquam peccatum admiſiſſent. At Arboris illicitæ fructus, inquiunt alii, eos ad Venerem concitavit motuſque indecoros in eorum corpore fecit. Quod ut admittatur quaſi compertum, licet inanis ſit conjectura, quid inde colligere queunt? An is eſt vitioſus viri erga uxorem appetitus, quam ipſa natura animalibus ingeneravit? An potuit eos magis pudere, quod nudi poſt peccatum eum ſentirent appetitum quam antea? Cum terram orbem ſoli incolerent, idem eſſe*

ipſis

ipſis thalamus potuit, æque pudicus, ſtellis apertus ac tecto muris laquearibus & aulæis abſconditus. Certe eos ejus rei pudere non potuit, propter quam erant non minus ac reliqua animalia creati. Neque nos hodie ejus rei niſi coram teſtibus propter incommoda quæ inde evenirent & quæ hic à nobis non memorabuntur, pudet. Scio equidem quæ hic à Veteribus nonnullis & Recentioribus dicta ſint; ſed adeò inania ſunt, ut refutatione digna non ſint, & ſi ἀτεχνῶς proponerentur, vix audita aut lecta ab omnibus exploderentur &c. Propriam vero ſic ille jam ante expreſſerat ſententiam; *Vox qua Hebræi nudum ſignificant eſt πολύσημος. Etenim* ערום *eſt ſupra Cap.* II. 24. *ubi de nuditate Adami & Hevæ ſermo eſt. Eadem occurrit Cap.* III. 1. *ad calliditatem Serpentis ſignificandam commate proxime ſequente, quod ſuſpicionem animo injecit, divinum ſcriptorem vocis ambiguitate veluti gaviſum data opera eam hoc in negotio uſurpaſſe. Quæ in ſententia non parum confirmatum me ſentio, cum in animum revoco, tertium eſſe hujus vocis ſenſum qui huic loco commatis* 7. *optime convenit. Quia qui nudus cernitur, pudore ſuffunditur, ideo qui pudenda facit nudus aut retectus dicitur. Ita Exod.* XXXII. 25. *Moſes narratur poſt conflatum & conſecratum vitulum aureum vidiſſe populum nudum* פרע *quia eum nudaverat Aaron inter hoſtes ſuos. Hinc & in Novi Fœderis libris* γυμνὸς *aliquoties pro peccatore ſumitur. Vide Apoc.* XVI. 15. *Ita ſe nudos eſſe Adamus & Hevæ, hoc eſt ſe peccaſſe, animadverterunt. Ambiguitate vocis* ערום *uti pergit Moſes, adeo ut hic tertius ejus ſit quo ea utitur ſenſus intra paucorum commatum ambitum. Cujus elegantiæ exempla apud Viros ſummos ad ſuperiora verba laudatos quærentur. Vid Cap.* V. 2. 3. *Neſcio an hoc aut ſimile quidpiam in mentem Maſſorethis venerit, qui hoc loco non* ערום *quæ recta eſt ſcriptio, ſed* עירום *ſcripſerunt, cum Samaritanus Codex hic & commatibus* 10. *&* 11. *inſertum Iod omittat.* Utique id ego neutiquam probare poſſum, quod *nuditatem* ad ſignificanda generationi ſervientia hominis membra aliqui ab ævo voluerunt referre, quæ nempe homines demum ſeu rei ſeu uſus & deſiderii reſpectu agnoverint poſt peccatum. Sicuti eo fere modo Judæi plures præierunt cum *AbenEzra* & *Abarbenele*; atque illuc tendit ipſe *Grotius, cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos, id eſt, didiciſſent, quis maris, quis femina uſus. Nuditas Hebræis τὰ γενητικά. Vid.* I. *Cor.* XII. 23. *&c.* Neque enim vel vocabulum concretum ערום *nudi* de homine integro prædicatum ſcio uſquam iſto ſenſu occurrere; neque

agnitio ulla nuditatis istius Hominum ex peccato potest repeti apud primum conjugum sapiens felix sanctum & benedictum par, nedum ut hos ad vestes quærendas pelleret. Sed & corporis totius nuditas externa quid per se habeat mali & probrosi, non video, ubi eam quoque ante creationem pariter obtinuisse constat; unde nec ejus agnitio nova ex peccato poterit derivari. Sed ab altera parte, si corporalis nuditatis notio plane deseratur atque eadem ad peccatum transferatur metaphorice, tollitur non tantum oppositio manifesta ad nuditatem cum pudore non agnitam ante lapsum, sed & connexio cum quæsito propter hanc nuditatis agnitionem tegumento ficulneo; quod quantopere torqueat hinc *Clericus*, mox suo loco apparebit. Unde concludendum hoc videtur, quod Nuditas corporea heic intelligatur quidem, sed qualis illa post peccatum in homine adfuit, & simul spiritualis dici potest, ac tegumentum poposcit. Nempe cum ante peccatum adesset sufficiens corporis immortalis virtus per divinam potentiam adversus externas quascunque causas quæ obesse possent; nunc mortalitati illud subjectum tegumenta adversus multiplicis cœli solique injurias requisivit, nuditate damnum adferente. Cum ante peccatum divina hominem totum occuparet sanctitas, locus non erat impudicis motibus libidinis carnalis, quos moverent seu foverent nuda hominis membra; nunc autem juxta animam corpus peccato fuit subjectum, & conspecta hujus nuditas libidinis indecentis facta est calcar pudendum. Cum ante peccatum maximè divina gloria videatur ex corpore integro admodum radiasse, ad eum magnopere modum quo in cœlestibus & glorificatis nostris corporibus id exspectamus esse futurum; nunc decus istud magnum ablatum est, & commutatum cum terrestri & obscuro squalore, cujus hominem antea gloriosum meritò pudeat. Unde *Nuditatem* heic nunc reperimus, non amplius validam, sanctam, & gloriosam, sed debilem, peccaminosam, & ignominiosam, adversus quam cum pudore merito vestes quærerentur; quam antiquitus varie expressierunt Theologi, nunc hoc nunc illud magis spectantes. Non male inter alios *Chrysostomus*; Ἐπειδὴ ἡ τούτοις βρῶσις ἀφανὴς ἐγένετο καὶ τὸ ἀπὸ τῆς δεδειγμένης ἐντολῆς ἀφῃρέθησαν, εἰς ἣν αἰτίαν λοιπὸν καὶ τὴν δόξαν τὴν ἀφθαρσίαν αὐτοὺς ἀφῃρέθησαν, εἰκότως ἑαυτοὺς τῆς τιμῆς τοσαύτης καταδίκασαντες, διὰ τοῦτο τῇ οἰκείᾳ συνηθείᾳ καταλαμβάνει ἡ γραφή φησιν, ἔφαγον &c. καὶ ἔγνωσαν ὅτι γυμνοί ἦσαν, διὰ τὴν ἀπώλειαν τὴν ἐντολῆς γυμνωθέν-

τῆς τὸ ἄνωθεν ῥοπῆς αἴσθησιν λαμβάνουσι καὶ τὸ αἰσθητὸς γυμνότητος, ἵνα δὴ τὸ καταλαβόσης αὐτὸς αἰσχύνης γνῶσιν ἀκριβῶς εἰς οἷον ἄυτὸς ὄλισθον ἤγαγε τὸ ἀπόβῆναι τῆς ἐντολῆς ὁ δεσπότης· οἱ γὰρ πρὸ τούτου τοσαύτης παῤῥησίας ἀπολαύσαντες καὶ ἑαυτὸς ἰδόντες ὅτι γυμνοί τυγχάνουσιν, οὐδὲ γὰρ ἦσαν γυμνοί, ἡ γὰρ ἄνωθεν δόξα παντὸς ἱματίου μᾶλλον αὐτὸς περιέσκεπε, μὴ ἦ τὸ βρῶσιν τοῦτ' ἔστι μὴ τὸ ἀποβάσιν τῶν προσηκόντων εἰς τοσαύτην ἀπεινότητα κατολισθῆσαι, ὡς σκέπην λοιπὸν ἀπαιτεῖν ἀλλὰ τὸ μὴ φέρειν τὸ αἰσχύνῃ, ἡ γὰρ ἀπόβασις τὸ ἐντολῆς ἐπιστηθοῦσα τὸ ἱμάτιον ἐκεῖνο τὸ καινὸν καὶ ἀπόδοξον, τὸ δ' εἰπεῖν λέγω, καὶ τὸ ἄνωθεν δύναμις, ὅπερ ἦσαν ἡμφιεσμένοι περιελοῦσα, καὶ τὸ γυμνότητος αἴσθησιν παρέσχε καὶ αἰσχύνῃ ἀφάτῳ περιέβαλε. Sicut *Auguſtinus* ſcripſit *Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 31. *Mox ut ergo præceptum tranſgreſſi ſunt, intrinſecus gratia deſerente omnino nudati quam typho quodam & ſuperbo amore ſuæ poteſtatis offenderant, in ſua membra oculos injecerunt, eaque motu quem non noverant concupiverunt &c.* Et perinde *Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 17. *Merito hujus libidinis maxime pudet, merito & ipſa membra quæ ſuo quodam ut ita dixerim jure non omni modo ad arbitrium noſtrum movet aut non movet, pudenda dicuntur, quod ante peccatum hominis non fuerunt. Nam ſicut ſcriptum eſt, nudi erant & non confundebantur; non quod eis ſua nuditas eſſet incognita, ſed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam ſua inobedientia æra quodammodo teſtimonium perhibebat, &c. Patebant ergo oculi eorum, ſed adhuc non erant aperti, hoc eſt non attenti, ut cognoſcerent quid eis indumento gratiæ præſtaretur, quando membra eorum voluntati repugnare neſciebant. Qua gratia remota, ut pœna reciproca Inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde eſſet indecens nuditas, & fecit attentos reddiditque confuſos &c. Cognoverunt ergo, quia nudi erant, nudati ſcilicet ea gratia qua fiebat ut nuditas corporis nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet &c.* Et facere huc omnino videtur, quod ex *Medraſh* habet cum aliis *Majemonides Lib. II. Cap.* 30. *Ex quo Serpens venit ad Evam, ſordes projecit in Evam, Iſraelitis qui ſteterunt apud montem Sinai ſordes illæ abſterguntur, Gentibus quæ non ſteterunt apud montem Sinai ſordes illæ non abſterguntur*; quod etiam noſter *de Dieu* adduxit *ad* 2. *Cor.* XI. 3. *Sicuti* & confetri poteſt לבוש טהרה / ſeu *veſtis onychina in qua creatos* & qua nunc *nu-*

datos homines heic dicit *Jonathan*; itemque illud R. *Eliezeris Cap.* XIV. *Quale fuit veſtimentum primi hominis? pellis ex onycha, & nubes gloriæ obumbrat eum, poſtquam autem comederat ex fructu arboris, exutus fuit pelle onychæ & conſpexit ſe nudum, atque remota fuit ab eo nubes gloriæ.* Hoc autem, quod ita nudi eſſent Adam & Uxor ejus, dicuntur ipſi heic nunc apertis ad id oculis *agnoviſſe*; tum theoreticè ſcilicet id cognoſcendo; tum practice de eo cum diſplicentia erubeſcendo ſeu pudendo, uti hoc ex oppoſitione prioris ſtatus integritatis Cap. II. 25. clariſſime colligitur, & revera pudor reſpectu creaturarum aliarum & ſui ipſorum & maxime Dei heic decentiſſimus erat, ac ex conſcientiæ dictamine fluere debebat; tum denique ipſo opere remedium qualecunque adverſus nuditatem illam quærendo, uti ſequitur. Ubi tamen non poſſumus magnopere probare ſimilitudinem quam etiam *Pererius* adduxit; *Accidit eis ſimiliter quodammodo ut in pueris, qui prius quam ad rationis uſum perveniant de nuditate earum partium minime verecundantur, ubi autem ratio vim diſcernendi bonum à malo exerere & ipſi libero arbitrio uti cœperint, continuo de earum partium nuditate erubeſcunt. Quod igitur pueris propter ætatem contingit, hoc illis propter juſtitiæ originalis præſentiam vel abſentiam evenit.*

De Folio Ficus agitur.

V. Agnita porro Nuditate illa ſua homines duo ad *ficus folium* confugerunt, illud *conſuentes*, *& ſibi cinctoria* inde *facientes.* Pro עלה תאנה / φύλλα συκῆς, *folia ficus*, pluraliter habent LXX. & *Vulgatus*; nec male ob ſenſum vocis ſingularis Hebrææ collectivum. Quin & eodem redibit res, ſi non *folii*, aut *frondis*, ſed *rami*, *flagelli*, *palmitis*, *termitis*, ſignificatum heic urſeris cum *Gatakero Adverſ. Miſc. Lib. II. Cap. 3. coll. Gen.* VIII. 11. *Prov.* XI. 28. *Neh.* VIII. 15. adhibentibus etiam ſemel LXX. vocem κλάδος *Ier.* XVII. 8. nec cogitandis heic foliis ſingulis & ab omnibus palmitibus prorſus avulſis. Iſtius autem Arboris folium cur præ aliis elegerint, quæri ſolet; nec rectius quidquam dici poteſt, quam factum hoc eſſe, tum ob folii hujus latitudinem & craſſitiem juxta colorem gratum, quæ præter Botanicos & Phyſiologos experientia docet, tum ob ejus præſumptam propinquitatem maximam poſt eſum & receſſum ab Arbore Scientiæ. Utique jam ante pluribus oſtendimus ſententiæ iſtius vanitatem, quæ ex ſumpto heic Ficus folio colligit, eam ipſam Arborem Scientiæ fuiſſe in qua per Eſum de ea peccavit homo, *Lib. I. Cap.* XVIII. §. 13. Nec vel

ipe-

Digitized by Google

ſpeciem magnam vel ſufficiens habent fundamentum myſteria quæ in hac Arbore ſeu Folio ejus ab ævo ſunt quæſita. Quale eſt illud apud *Irenæum Lib. III. Cap.* 37. *Per ſuccinctorium in facto oſtendit ſuam pœnitentiam, foliis ficulneis ſemet ipſum contegens, exiſtentibus & aliis foliis multis quæ minus corpus ejus vexare potuiſſent. Condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem Carnis impetum, quoniam indolem & puerilem amiſerat ſenſum & in cogitationem pejorem venerat, frænum continentiæ ſibi & uxori ſuæ circumdedit, timens Deum & adventum ejus expectans, & velut tale quid ſignificans, quoniam, inquit, eam quam habui à Spiritu ſanctitatis ſtolam amiſi per inobedientiam, & nunc cognoſco, quoniam ſim dignus tali tegumento quod delectationem quidem nullam præſtat, mordet autem & pungit corpus. Et hoc videlicet ſemper habuiſſet indumentum humilians ſemet ipſum, niſi Dominus qui eſt miſericors tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induiſſet eos.* Quam obſervationem de ſcabritie folii ficulnei dum illuſtrant quidam ex ipſo Græcorum proverbio, τῷ θείῳ τὴν ἔγχελιν, *ficulneo anguillam*, alii etiam obſervarunt, ſuccum ex tritis ficus foliis excitare in hominis carne quandam voluptatis priginem. Adverſus hæc & id genus cogitata alia probamus nos *Auguſtini* verbum *Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 32. *Denique illa conturbatione ad folia ficulnea cucurrerunt, &c. nec arbitror eos cogitaſſe aliquid in illis foliis, quod talibus congrueret contegi jam membra prurientia; ſed occulto inſtinctu ad hoc illa conturbatione conpulſi ſunt, ut etiam talis pœna ſuæ ſignificatio à neſcientibus fieret, quæ peccatorem factum convinceret & doceret Scriptura lectorem.*

VI. Folium vero Ficus non reliquerunt homines intuiti in Arbore, ſed decerpſerunt inde, idemque *conſuendo* ſibi aptarunt. Verbum Hebræum ויתפרו quod à LXX. redditur καὶ ἔρραψαν, à *Vulgato conſuerunt*, reſpectu ſenſus ſui in controverſiam aliquam venit. Ita enim heic ſcribit *Doct. Gatakerus loc. cit. Mihi vero nec conſuere nec folium illud ſatisfacit. Siquidem primo quærere jure liceat, nude illis acus & filum tunc temporis, quorum ope folia illa conſuerent. Vidit hoc Hieronymus ab Oleaſtro, ſed ad aliud haud minus ineptum confugit; aut manu ligando, inquit, unum alteri, aut vepribus conſuendo; quaſi ſcilicet ex veprium ſpinis aciculas confecerint ſibi quibus folia illa ſibi invicem conſuendo connecterent ſive conjungerent, hoc enim* τὸ תפר *ſignificare idem recte monet. Equidem vix otii* Et de ejus folii Conſutione.

puto tantum erat aut curioſitatis etiam in tanta animorum conſternatione, ut foliis ſigillatim legendis & operoſius conſerendis & contexendis operam navarent ſupervacaneam ; cum ramuſculos termites palmites poſſent & decerpere , & ad eum quem volebant uſum ſibi invicem implexos negotio minore multo accommodare. Verto itaque, & frondibus complicatis ſive contextis fecerunt ſibi ſubligacula. Verbum תפר *tam applicare , complicare , aptare , affigere , quam conſuere & conſarcinare ſignificat , Iob.* XVI. 15. שק תפרתי עלי גלדי / *ſaccum applicavi , affixi , cuti meæ , & Ezek.* XIII. 18. מתפרות ככתות / *applicantes ſive accommodantes pulvillos axillis quorumque. Certe ut conſerere vel contexere iſthic vertere detur , conſuere nullo modo licuerit ; rectèque Caſtellio conſertis , non conſutis , dixit.* Sed inanis, ut puto , eſt iſta tantum vitiligatio; quando verbum תפר / oppoſitum תְּפוֹר / à quo per inverſionem literarum ipſum ῥάπτω deducit *Avenarius* , per *conſuere* reddiderunt Interpretes, indubie ſenſu generaliori *componendi , colligandi , concinnandi* , ſeu *apte conjungendi* ; abſque nervorum aut filamentorum uſu per acum, atque ea ſubtili curioſitate quam ſecuta hominum ætas in conſuendo invenit , uti ſic ipſum verbum *contexendi* & *affigendi* quoque adhibuit in adductis verbis Vir Doctiſſimus ; quando teneriores rami ipſi ſimul potuerunt eſſe pro acu & filo.

Quo modo ſibi hinc Cinctoria fecerint homines.

VII. Ita nempe conſuerunt folium Ficus lapſi homines pro relicto ipſis ingenio, ut *& ſibi* , ſeu corporibus ſuis ad nuditatem qualicunque modo tegendam & juxta conſilium ſuum proprium, inde *fecerint* , parando & ſumendo , *cinctoria* ; ויעשו להם חגרת / ἐποίησαν ἑαυτοῖς περιζώματα , *& fecerunt ſibi perizomata* , apud LXX. & *Vulgatum* זרין , apud *Onkeloſum* , קמורין apud *Jonathanem* / ניסבא apud *Syrum*. Enimvero qui antea corporalem nuditatem ab hoc contextu excluſit , *Job Clericus* nec corporis veſtimentum aliquod heic admittit , licet locutionem illuc alludere debeat fateri. *Pergit* , inquit, *in eadem verborum ambiguitate Moſes, & quia modo dixit, primos parentes deprehendiſſe ſe eſſe nudos , eos inducit nunc quaſi zonas ex arborum foliis ſibi facientes , cum propter rationes modo allatas veſtibus non magis rei facti quam innocentes indiguerint. Credibile eſt , ſub hiſce veſtibus ſeu ſingulis aliquid aliud latere , nimirum ſcenam quampiam foliis & ramis ficulneis tectam , in quam ſe abdiderint , cui rei ſimile quiddam* 8. *commate narratur. Ac ſane* חגרות / *quod perizomata vertimus , poteſt æque ac cingulum , quod cor-*

corpori ſuperinjicitur, quidvis aliud ſignificare quo circumdamur, quale eſt ſeptum aut tectum. Hinc Tamudita Arabes חגיון הגיון *aut habitacula ſua, quæ plerumque ſcenæ ſunt, vocitant, auctore Gienhari qui in Syria vixit. Ita cœperunt homines de fronde facere tecta, ut loquitur Vitruvius Lib. II. Cap. 1. ubi Architecturæ initia elegantèr deſcribit. Nec mira videbitur deſcriptio Scenæ ſub imagine veſtis, ſi meminerimus Paulum 2. Cor. v. corpore quod vocat σκῆνος ἐνδύσασθαι nos dicere. Durius certe non eſt, cingula ficulnea vocare ſcenas ficulneas, quam corpus humanum dicere ſcenam eſſe qua ſumus induti. Sed quare, inquies, tam dura phraſi uſus eſt Moſes, cum non deeſſet facilis & commoda, ſi pro* חגיות *dixiſſet* סכות*? Nimirum quia de nuditate loquutus eſt, metaphora licet duriore ex re cujus cogitatio eſt cum nuditate conjuncta, veſtibus ſcilicet, petita eſt uſus. Ita in N. T. Chriſtus ex occaſione alicujus rei, cujus mentio injecta ab ipſo aut ab aliis, ad aliam transgrediens utitur tamen iiſdem vocabulis quæ priori conveniunt nec poſſunt poſteriori niſi dure aptari. Johannis Cap. VI. poſtquam de panibus propter quos eum ſequuta multitudo erat loquutus eſt, ſemet ipſe panem vocat & quidem verum vērſ. 32. qui vitam dat mundo, &c. Alia ſunt captatæ durioris ex occaſione ſuperiorum ſermonum metaphoræ exempla in Evangelio. Ficus electa eſt ad tegendam ſcenam propter foliorum latitudinem & umbram, quamobrem etiamnum hodie ſuperioris Ægypti incolæ ſtudioſe Sycomoros ſerunt & colunt, ut docet teſtis oculatus P. Belonius Obſ. Lib. II. Cap. 37. Vide & apud Plinium Hiſt. Lib. XII. Cap. 5. deſcriptionem mirabilem Ficus Indicæ, intra cujus ramos quaſi intra ſepem æſtivant paſtores, opacam pariter & munitam vallo arboris. Aptioribus ad hoc noſtrum inſtitutum verbis eam deſcripſit is ex quo iſta Plinius mutuatus eſt, Theophraſtus Hiſt. Plant. Lib. IV. Cap. 5. quo dicit hanc arborem γίνεσθαι καθάπερ σκηνὴν ὑφ' ἣν ἡ ἐώθασι ἀγορεύειν.* Quibus cogitationibus analogum quid forte reperiri poteſt in parabolicis illis quæ ſub nomine *R. Joſe* habentur *in Breshith Rabba*, de *Arboribus omnibus nolentibus* Adamum lapſum *recipere*, & dicentibus *eccefur qui furatus eſt ſcientiam Creatoris ſui, ſicuti dictum eſt Pſal.* XXXVI. 12. *non veniet ad me pes ſuperbiæ, pes illius qui ſuperbivit contra Creatorem ſuum, & manus impiorum non concutiet me, non excerpet ex me nec unum folium*, dum *Ficus, quia comederat de fructibus ſuis, aperuit ramos ſuos & ſuſcepit eum &c.* Sed minus eſt ſolidum integrum Viri fundamentum.

tum de *Nuditate* nulla corporea plane heic intelligenda; quod ut teneret, textus hic adeo torquendus erat. Licet enim ſepto aut tecto nos circumdanti forte poſſet Hebræum *Cinctura* vel *Cinctorij* nomen dari, nuſquam tamen hoc fieri comparet, nec quidquam certius eſt quam illud nomen cum radice ſua dicere cincturam corpori arctius applicatam. Unde *Cincturas* tanquam *veſtes* non niſi per duriorem metaphoram nos ad ſcenas vel ſcenam aliquam viridem ducere agnoſcit ipſe *Clericus*. Quæ ſi alibi forte in ſermone doctrinali & pathetico clare habeat locum, ut idem corpus ſimul tanquam Tabernaculum & Indumentum animæ per variam ſimilitudinem proponatur; non ideò perinde intrudi debet in ſimplicem hiſtoricam narrationem, ita ut externum Tentorium proprie dictum veniat ſub nomine Veſtimenti humani. Dum neque exemplum illud panis ſpiritualis ex occaſione panis corporalis declarati à Chriſto quidquam commune habet cum Tentoriis per Veſtimenta expreſſis ex occaſione peccati per Nuditatem antea ut vult ſignificati. Et ſi tegumenta veſtiaria corporeæ nuditatis non fuerunt lapſis magis quam integris hominibus neceſſaria, quod eſt ſic ſatis contra communem experientiam, quid etiam ſcenis tegentibus tum magis opus habuerunt? quarum ſolicite parandarum non minor etiam quam cinctoriorum conficiendorum fuiſſet labor. Sed adverſus confecta Tentoria talia, quæ heic deſignaverit Moſes, facit argumentum ſequentis *verſ.* 8. ubi demum ad Dei vocem in medio arboris ſe abſcondiſſe dicuntur homines. Manere ergo heic omninò oportet in notione *Cinctoriorum*, ſeu *Subcinctoriorum*, ſeu *Precinctoriorum*, ſeu *Cingulorum*, ſeu *Subligaculorum*, ſeu *Braccarum*, ſeu *Velaminum*, ſeu *Perizomatum &c.* h. e. tegumentorum corporis circa partes potiſſimum ventrales & lumbares, quæ cingulo maxime claudi ſolent, ἢ περὶ τῇ κοιλίᾳ ζωμάτων apud *Jul. Pollucem*, ἢ περὶ αἰδοῖα σκεπασμάτων apud *Suidam*, ſpectante numero plurali non tam ad amplitudinem aut duplicitatem aut multitudinem eorum majorem quam ad eorundem par geminum gemino homini neceſſarium. Nec prætermittere oportet quæ ad hoc nomen habet *Auguſtinus Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 17. *Et fecerunt ſibi Campeſtria, id eſt Succinctoria genitalium. Nam quidam Interpretes Succinctoria poſuerunt. Porro autem Campeſtria Latinum quidem verbum eſt, ſed ex eo dictum quod juvenes qui nudi exercebantur in campo pudenda operiebant, unde qui ita ſuccincti ſunt Campeſtra-*

tos vulgus appellat. Nempe iſthæc humani corporis pars reliquis debilior per oſſium tegentium defectum, excrementa putida projiciens, ſexumque maxime diſcriminans & hinc libidinem carnalem præ aliis movens & fovens, tegumento etiam præ iis opus habebat; dum aliæ corporis partes proſtantes ad medii corporis tutelam & curam oportet eſſe magis expeditas & minus involutas. Quin & obſervavit *Piſcator, quod nuditatis membrorum genitalium præcipuè eos puduerit poſt lapſum, ſicut & nos pudet, id argumentum eſſe corruptionis naturæ, quippe qua per membra illa propagatur.* Contulit vero etiam *Grotius* Ulyſſem ex *Homero Odyſſ. VI.*

Ὡς ἐπὼν θάμνων ὑπεδύσετο δῖος Ὀδυσσεύς,
Ἐκ πυκινῆς δ' ὕλης πόρθον κλάσε χερσὶ παχείῃ
Φύλλων, ὡς ῥύσαιτο περὶ χροὶ μήδεα φωτός.

VIII. Hæc vero oculorum humanorum apertio, & nuditatis propriæ agnitio, & folii ficulnei ſutela, & cinctoriorum aptatio, quando inter ſe non tantum ſed & cum præcedenti fructus vetiti uſu per repetitam Copulam *Et* connectuntur, ſignificatur ſimul proxima eorum ad peccatum ſequela, ut *tunc*, ſecundum verſionem *Tremellii & Junii*, quando illud fuit commiſſum mox hæc contigerint abſque ulla notabili mora. Nec videtur in his quidquam eſſe hactenus quod culpari mereatur, etiamſi humana ex peccato miſeria ex eis eluceat. Niſi hoc ſtatuatur, tegumenta hæc corporis quæſiviſſe homines, ad ſe vel ſcelus ſuum occultandum coram Deo, vel etiam corpus ſuum exornandum ſupra quam creator fecerat. Cujus tamen ſcopi, unius vel alterius, nulla eſt ex textu demonſtratio, qui ad pudorem maxime nos videtur ducere. Unde non admodum ad ſcopum Spiritus Sancti hæc narrantis faciunt allegoricæ ſeu tropologicæ obſervationes Veterum & Recentiorum, de hominibus male conantibus peccati ſui fœditatem ſeu auferre ipſis ſuo conſilio ſeu obvelare, vel per Scripturæ hæc & illa conquiſita verba, vel per profeſſionem ſterilem Chriſtianiſmi, vel per ſermones doloſos, vel per Opera Pœnitentiæ & Meritoria extra Chriſtum, vel per qualeſcunque demum prætextus vanos, quæ omnia ſint *foliorum ficulneorum* inſtar inepta; ſecundum paræmias Gentilium varias ſimiles à Ficu petitas tanquam imbecilli & *inutili ligno* apud *Horatium*, ἀνδρῶν συκίνων apud *Theocritum*, Φιλυρείας συκίνης apud *Ariſtophanem*, γνώμης συκίνης apud *Lucianum*, μαχαίρας συκίνης apud *Heſychium &c.* Quales videre etiam potes apud *Ambroſium de Parad.*

Quid de hoc facto judicandum ſit; ubi de Adamianis veteribus quoque agitur.

Cap. XIII. Ex adverſo ſicut decens & utile eſt, noſtram nos ex peccato nuditatem agnoſcere, ita & decens pudor docet omnes corporis tegumenta induere neceſſaria, in quibus arte multa & pretio ſæpius magiſque peccatur quam naturalium adjumentorum uſu, in quibus & acquieſcendum eſt ubi conditio noſtra non ſuppeditat alia. Recte adeò *Auguſtinus Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 14. *Quod adverſus damnatam culpam inobedientiæ voluntatem libido inobedienter movebat, verecundia pudenter tegebat. Ex hoc omnes gentes, quoniam ab illa ſtirpe procreatæ ſunt, uſque adeo tenent inſitum pudenda velare, ut quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, ſed cum earum tegumentis lavant. Per opacas quoque Indiæ ſolitudines quum quidam nudi philoſophentur, unde Gymnoſophiſtæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegumenta quibus per cætera membrorum carent.* Ad quem locum videri poſſunt quæ in rem eandem contulerunt *Joh. Lud. Vives* ex *Herodoto*, *Diodoro*, *Strabone*, *Cicerone*, *&c.* & *Leon. Coquens* ex iiſdem Autoribus, iiſdem æque verbis quam citationibus cum *Pererio* heic uſus, quæ hanc habent clauſulam; *Videtur igitur hæc tegendorum nudendorum cura ex illo primorum parentum exemplo velut hereditaria quadam & naturali diſciplina ad omnes gentes permanaſſe.* Damnati hinc ab ævo fuere Hæretici, non tam *Nudipedales*, ex ſequela divini mandati ad Moſen Joſuam & Jeſaiam ſic dicti apud *Auguſtinum Hær.* LXVIII. quam *Adamiani*, eidem cum ſeu diſtincti ab *Adamitis*, de quibus ſcribit *Auguſtinus Hær.* XXXI. *Ex Adam dicti, cujus imitantur in Paradiſo nuditatem quæ fuit ante peccatum. Unde & nuptias averſantur quia nec prius quam peccaſſet Adam nec prius quam dimiſſus eſſet de Paradiſo, cognovit uxorem. Nudi itaque mares fœmineque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant ſacramenta. Et ex hoc Paradiſum ſuam interpretantur Eccleſiam.* Dum eadem legas apud *Epiphanium Hær.* LII. cujus *Synopſis* eſt; Ἀδαμιανοὶ δεύτερον Ἀδὰμ ζωὴν καλούμενοι χάριτος ἢ ἀληθείας μᾶλλον τὸ δόγμα ἔχοντες; γυμνοὶ γὰρ, ὡς ἐκ μητρὸς, ἄνδρες τε ἅμα γυναῖκες ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνάγοντες, καὶ ἅτινα τὰς ἀναγνώσεις καὶ εὐχὰς καὶ πᾶν ἐπὶ ἐκκλησίᾳ ποιοῦσι, δηθὲν μονάζοντές τε καὶ ἐγκρατευόμενοι ἔτι, καὶ γάμου μὴ δεχόμενοι, οἱ τὴν αὐτῶν ἐκκλησίαν παράδεισον ἡγούμενοι. Et qui de hos homines Talpis comparat, de ipſorum hæreſi dicens, ὡς μὴν μὴ ἡ καρδία τυφλώττει καὶ ἀνοητήσῃ, ἐρημίαν ἢ ἑαυτῇ ἐργάζεται καὶ τὴν σύνεσιν ἑαυτῆς κάτωθεν ἐκτέμ-

τέμνῃ &c. referens etiam amplius, quod Ecclesias suas in hypocaustis extruerent igne ad calorem structo, & vestimenta omnia ante ingressum deponerent & in egressu reciperent, &c. Quæcunque sane fuerit apud hos homines Adamicæ puritatis imitandæ prætextus, duxit ea praxis indubie ad vagas libidines, & sic opprobriis Christianorum veteribus occasionem pessime dedit. Sicuti hinc etiam legimus apud *Theodoretum Her. Fab Lib. I. 6.* Πρόδηλος δὲ καὶ ὁ δεξάμενος τὴν τῶν καλουμένων Ἀδαμιτῶν συστήσασθαι αἵρεσιν· ὅστις φανερῶς λαγνεύειν τοῖς καρποφόροις προσέθηκε δόγμασι, κοινὰς δὲ εἶναι τὰς γυναῖκας ἐνομοθέτησεν, ἃ δὴ χαίρειν ἐᾷ ἐν τοῖς κοινοῖς δείπνοις μόνον τὸ λυχνιαῖον φῶς ἐκ ποδῶν ποιούμενοι, ἥπερ ἂν ἕκαστος ἐπέτυχε συμείγνυτο, ἀλλὰ δὴ καὶ πλεῖον ἢ τοιαύτην ἀκολασίαν ὑπεισήνεγκαν μυσικήν· καὶ τοῦτο ἢ μάρτυρα ἢ στεφανίτην παρέξομαι κλήμεντα ἱερὸν ἄνδρα &c. Nec prætermittenda heic *Danei* observatio ad *Augustinum*; *Ne nunc quidem hujus secta nomen extaret, nisi Monachi quidam qui se falso pietatis & vitæ austeritatis prætextu commendarunt, horum hæreticorum impudentes prorsus mores retinuissent, & inter sanctissima ordinis & regulæ suæ præcepta posuissent, quales ii qui etiam nunc hodie Adamitæ dicuntur vigentque plurimum in Italia, & alii quidam qui Theodosii junioris seculo vixerunt, de quibus scribit Enagrius Lib. I. Hist. Cap. 21. Vivunt enim nudi, non necessitate quidem adacti, vel inopia vestimentorum, sed ex voti professione. Quo conversationis genere nihil certe dici vel cogitari potest fœdius & turpius; sed fœdis hominibus Monachis perplacent fœdi mores. In quo sunt primis & sanctioribus Monachis dissimillimi, qui quanquam soli tamen nunquam se nudos videre sustinuerunt; quod refert variis in locis Historia Eccl. Socrates Lib. IV. Cap. 23. Sozomenus Lib. I. Cap. 14.* De Monachis Palæstinæ apud *Enagrium* hoc legas; ἐς ἔρημον γὰρ κεκαυμένην σφᾶς αὐτὰς ἀφέντες, ἢ μόνα τὰ τῆς φύσεως ἀναγκαῖα προσειληφότες, ἄνδρες τε καὶ γύναια, τὸ λοιπὸν ζῶμα γυμνὸν, κρυμοῖς τε ἐξαισίοις ἀέρωντε πυρακτώσεσιν ὑπηνέμεσιν, ὑπίσης ἀλγεινὰ καὶ ψύχεα προφερόντες &c. Et dein: Καὶ βαλανείοις ἢ συχνοῖς ὁμιλοῦσι τὰ πολλὰ γυναιξὶ συναυλιζόμενοι καὶ συλλουόμενοι, ὅτω τῶν παθῶν προσεγενόμενοι ὡς καὶ τῆς φύσεως τυραννήσαι, καὶ μηδὲ τῇ ὄψει μηδὲ τῇ ἁφῇ μηδὲ μέχρι αὐτῆς τῆς προσλοχῆς ἡδέως ἢ ἰδίαν ἀποκρύπτεσθαι φύσιν &c. Sed nihil hoc in istis hominibus impedit, ut Nuditatem, seu totius corporis seu maximæ etiam partis, seu in sacris seu in publico hominum conspectu alio, qua-

lem *Anabaptiſta* quidam ante ſeculum unum & alterum Amſtelodami etiam temere tentarunt, poſt lapſum Adami manente ſemper corruptione, non debeamus magnopere improbare tanquam Cynicorum impudenti inverecundiæ magis quam Chriſtianorum modeſtiæ convenientem. Ad quam etiam ſpectans Paulus dixit 1. *Cor.* XII. 23. *καὶ ἃ δοκοῦμεν ἀτιμότερα εἶναι τοῦ σώματος, τούτοις τιμὴν περισσοτέραν περιτίθεμεν, καὶ τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν ἔχει, τὰ δὲ εὐσχήμονα ἡμῶν οὐ χρείαν ἔχει, &c.*

CAPUT NONUM.

Quo Terror & Abſconſio Hominis lapſi ad auditam Dei Vocem declaratur.

Tranſitus ad Adami Evæque terrorem.

Uti duo proximi & inſeparabiles effectus omnis peccati ſunt Macula & Reatus, ita hi viciſſim diſtincte pariunt in homine peccante Pudorem triſtem & Terrorem auxium, ubi rite attenduntur. Neque enim de fœdata à ſe Dei Imagine optima poteſt cogitare homo, quin pudere debeat ſceleris commiſſi; neque Meritum peccati peſſimum conſiderare poteſt ipſe, quin ad imminens horreat Dei judicium quod evitare omni induſtria ſua non poterit unquam. Unde & rem hanc in primis hominibus lapſis nobis ita deſcribit Moſes, ut poſt traditam & expoſitam nunc pudibundam Nuditatis ipſius agnitionem, per folii ficulnei aptationem quoque declaratam, agat de eorundem *Terrore* magno; hujus exhibens tum *Cauſam* primò notabilem, tum dein etiam *Effectum* conſpicuum.

Jehovah Deus cujus vox audita eſt.

II. Sic enim pergit Moſes *Gen.* III. 8. *Et audiverunt vocem Jehovæ Dei ambulantem in horto ad ventum diei &c.* Dicitur hoc indubie de duobus illis hominibus, de quibus proximè actum eſt; uti & hoc ipſo verſu denuo nominantur *Adam & Uxor ejus.* Neque eſt, ut hæreamus diu in nominibus *Jehovæ Dei*, יהוה אלהים / κυρίου τοῦ θεοῦ, *Domini Dei*, apud LXX. & *Vulgatum*, quibus ſolitum מימרא *Onkelos* & *Jonathan* præmittunt, quæ duo ſæpe jam conjunctim fuerunt adhibita *Gen.* 11. 4. 5. 7. 8. 9. 15. 16. 18. 19. 21. 22. cum manifeſto reſpectu ad ea quæ Lapſum adeoque Fœdus Gratiæ anteceſſerunt; unde non debet vel unum vel alterum judi-

judicari illuc neceſſario reſpicere, ſed per proprium & quodammodò communius nomen, vel abſolutum & relativum, verus Deus tanto clarius exprimitur. Enimverò cum *Jehovah Deus* cujus heic auditur vox ſe eundem declaret qui eſum de Arbore Scientiæ interdixerat *verſ.* 11. oportet heic non ſolum Filium, ſeu talem ſeu ut Mediatorem lapſi nunc hominis, ſed Triunum potius Deum intelligere, quem Fœdus cum Adamo erexiſſe antea obſervavimus *Lib. II. Cap.* VII. §. 2. & quem etiam *Auguſtinus* heic ſignificavit per *ſubſtantiam illam inviſibilem & ubique totam qua eſt Patris & Filii & Spiritus Sancti Lib.* XI. *de Civ. D. Cap.* 33. Quo magis idem ille Jehovah Deus eſt, qui ſententiam in Serpentem ferens de *Semine Mulieris* in tertia loquitur perſona *verſ.* 15. & quidein adhuc dixit, *ecce homo factus eſt ſicut unus ex nobis verſ.* 22. cum manifeſto ad Trinitatem reſpectu. Moneo autem id heic, quia propter mutatum hominis ſtatum jam fuit Mediatori locus, qui dein hominibus locutus eſt & apparuit varie admodum; & quia alii ſunt qui heic pro Filio Mediatore acrius diſputant. Nempe urgent; hunc *ab initio eſſe locutum Iſ.* XLVIII. 15. *Joh.* VIII. 24. 25. *&c.* hunc dici ideo הדבר / λόγον ϗ θεὸν, & המדבר *Iſ.* LII. 6 *&c.* hunc cum Patriarchis tam ante quam poſt Diluvium eſſe locutum 1. *Pet.* III. 19. 20. *Exod.* XXIII. 20. 23. *Hebr.* XII. 25. 26. *&c.* & quidem cum excluſione quadam Patris *Joh.* V. 37. huic denique apriſſime convenire, tum apparitionem viſibilem in præludium futuræ Incarnationis, tum erectionem benevolam hominum lapſorum per Proteuangelium dein heic ſubjectum. Quæ omnia tamen non potuerunt apud Viros Doct. à quibus etiam maxime nonnunquam urgentur impedire, ne ſcriberent ſimul; *Atque hic quidem nos duas haſce voces* יהוה אלהים *vi quoque ſignificationis ſuæ unum illud Trinumque denotare Numen cenſemus, quod paulo ante ſibimet dixerat ipſi, faciamus hominem in imagine noſtra ſecundum ſimilitudinem noſtram Gen.* 1. 26. *Adeoque quicquid hic orationis eſt, toti fatemur ac individuæ poſſe Trinitati tribui. Sed & illud non difficili largimur manu, ſi oeconomiam ſpectes ſalutis noſtræ, Patrem, uti ordine primus eſt, ita in hoc quoque primo omnium verbo gratiæ* (Proteuangelio dein ſequente) *principem ſibi locum vindicare, propterque ſponſionem Filii æternam, tum futurum ejus ſacrificium, tum ſuam porro peccatori gratiam & Spiritus Sancti adverſus Diabolum efficax auxilium promittere.* Hæc utique ſi vera

ſunt, uti veriſſima eſſe credimus, non video quo pacto hoc ſibi ſimul quiſquam perſuadere queat, *Scripturam ab illis ſtare magnaque rationum momenta*, jam adducta, *quotquot electe Filium Dei coram & voce in aëre formata hæc arbitrantur olim verba pronunciaſſe*. Neque enim per Numen Trinum, aut œconomice Patrem, nos abſque nimia confuſione videmur *electe Filium Dei* poſſe intelligere. Dum nihil aliud probant loca & argumenta omnia adducta, quam huic ut Filio juxta Patrem competere locutionem omnem antiquam, & hunc Prophetam quoque apud populum ſuum egiſſe ab omni retrò tempore quo ille Mediator à Deo aut Patre declaratus eſt, quod in Proteuangelio primum videtur contigiſſe, ubi aſſumptæ à Jehovah Deo humanæ formæ nulla plane mentio deprehenditur adhuc; quamquam hoc *maxime probabile* videatur etiam *Cel. Riveto*, *figuram corpoream cum inſigni & divina majeſtate* nominanti.

Ejuſdem Vox ipſa declaratur.

III. Iſtius Jehovæ Dei *vox*, קול / ἡ φωνὴ, ab aliquibus intelligitur articulata; ſive quædam Dei ad ſe ipſum, de ſua adverſus Adamum benignitate, de ipſius tranſgreſſione, & de ſumendo nunc ſupplicio; ſive potius ad Adamum, & nominatim illa, *ubi es*, vel *eſtis vos*, quemadmodum colligunt ex *verſ.* 9. quo tum ejuſdem vocis repetitio nobis expoſita debet credi. Hoc tamen, ab ipſo *Cel. Riveto* inculcatum, complures non probant cum *Pererio*; *Verum non recte*, inquit, *cum enim hoc dixit Deus jam erat Adamus abſconditus, idcirco enim ita Deus locutus eſt, ſiquidem per hanc vocem non modo Adamus non eſt abſconditus ſed potius cum eſſet abſconditus ex latibulo ſuo proceſſit in apertum & in Dei conſpectum venit.* Ergo alii vocem heic cogitant inarticulatam, ſeu ſonum, extra ordinem & naturæ curſum à Deo formatum in aëre, ſive molliorem & antea forte ſolitum, cum divina ad hoc tempus ſceleris commiſſi diſſimulatione, ſive duriorem & inſolitum, qui iræ divinæ jam amplius declarandæ eſſet index; & quem vel vento valide impulſo & cum fragore concutienti arbores, *coll. Iob.* XXXVIII. 1. & 2. *Sam.* v. 24. *&c.* vel deſcendentibus imbribus & prorumpentibus cum impetu fluviorum aquis, *coll. Ezech.* I. 24. *Apoc.* I. 15. XIV. 2. *&c.* vel dehiſcentis terræ ſtrepitui terribili, vel denique tonitruum cœleſtium vehementiſſimo fragori, *coll Exod.* XX 16. 2. *Sam.* XXII. 14. *Iob.* XXXVII. 4. 5. *Pſal.* XXIX. 3. 4. *&c.* ſimilem ponunt. Inter quas ſententias difficilis latis eſt electio, quando non niſi generalem

lem vocem adhibuit Moſes, & Dei ſe manifeſtantis viæ variæ ſunt non ineptæ. Non male adeo ſcripſit *Joh. Clericus*; *Strepitus, Hebr.* קול / *qua vox ambigua eſt, vocem enim loquentis & quemvis ſtrepitum ſignificat. Pro locorum circumſtantiis rerumque natura alterutra eligenda eſt ſignificatio. Cum autem nulla Dei referantur verba, quibus eum adventare intellexerint primi parentes, ante quam Adamum nomine appellaret, videtur hic deſignari Strepitus neſcio quis Dei adventus prænuntius, cujus meminit alibi Scriptura. Sic* 1. *Reg.* XIX. 12. *poſt ventum procelloſum atque preſterem, Strepitus* קול *tenuis & lenis Dei adeſſe ſignificat. Ezechiel Cap.* 1. 24. *ſonitum Omnipotentis ſonitui aquarum multarum confert. Potuit igitur Adamus aut tenuem ſonitum venti ſibilo æquabiliorem, aut etiam vento majorem quaſi ingentis fluvii, inter Paradiſi arbores audire; quod cum ſolitum eſſet ſignum advenientis Dei, mox eum adfuturum ſenſit, &c.* Utique fuit hæc vox, qua Deus ſe prodidit, vere corporea, ſed alia ac illa quam homo edit, & quam creaturæ aliæ meræ naturaliter edere poterant; ut ea ſic Dei vox à Moſe dici & ut talis ab hominibus etiam lapſis ſatis feliciter diſcerni potuerit.

IV. Quæ cum hac Jehovæ Dei Voce jungitur *ambulatio in horto*, aliquid etiam controverſiæ ſed non adeo gravis habet. Poſſunt enim voces Hebrææ, מתהלך בגן / referri; non quidem ad Adamum, quaſi ille obambulans in Paradiſo audiviſſet Dei vocem; quæ ſententia, à *Fagio* quoque memorata, ex verbo plurali *audiverunt &c.* refutatur; ſed vel ad Jehovam Deum, qui in horto ambulaverit per humanam aliquam formam aut aliud præſentiæ ſuæ viſibile vel auditum ſymbolum ita ut & forte ejus ambulantis vox ſeu ſonus fuerit ab hominibus perceptus, quando legendum heic eſt latine, *& audiverunt vocem Jehovæ Dei ambulantis &c.* vel directe ad ipſam vocem Dei, cujus ambulatio in horto erit ejus tum progreſſus per hortum varius, tum & intenſio per gradus & temporis ſpatia varia. Priorem in modum habent LXX. & *Vulgatus*, τ̃ φωνῆς, vel ἡ φωνὴ, κυρίε τ̃ θεῦ περιπατοῦντ̃ ἐν τῷ παραδείσῳ, *vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo, &c.* Sed poſteriori ratione verterunt *Tremellius & Junius, vocem Jehovæ Dei itantem per hortum ipſum*; atque obſervatur à *Fagio* cum aliis, *ambulandi verbum alibi & voci tribui, ut Exod* XIX. 19. *& factum eſt cum vox tubæ procederet,* קול השופר הולך / *& fortiſſima fieret, &c. eſſe ergo vocem ambulantem qua intenditur & aures acute percellit.*

Uti & Ambulatio ejus in Horto.

cellit. Enimvero licet non ſit inter iſtas conſtructiones & expoſitiones varias multum diſcriminis realis, ambulatione hac una alteram ſemper inferente tam rei quam auditus Adamici reſpectu; eligo tamen poſteriorem, tanquam aptiorem dum ſic magis immediate ambulatio cum auditu Adami connectiiur, & paulo etiam pleniorem, quando præter loci mutationem ita etiam vocis ipſius alteratio notatur. Habemus heic adeo Dei vocem; non extra aut ſupra ſed intra hortum, illum ipſum Paradiſiacum, præſtantiſſimum in quo homines commorabantur; & quidem illic non ſimpliciter euntem per arbores & ad aures Adami, ſed & itantem ambulantemque varie, nunc hnc nunc illuc, & nunc tenuius nunc validius, ſecundum Verbi vim & Formæ ſenſum frequentativum.

Quæ facta ad Ventum Diei.

V. Sed præcipua eſt quæſtio de ſenſu phraſios adjectæ, ſeu ad hominum auditum, ſeu potius directe ad ambulationem divinæ vocis in horto, *ad ventum diei*, לרוח היום. Pro ea *Onkelos* cum *Ionathane* habet יבא למנח *ad requiem diei*; quod per *Veſperam* exponit *Fagius, quod tum æſtus ſolis ac diei quieſcere ac remittere incipiat*, ſimul heic reperiens cum *Ireneo* aliiſque myſterium *veſperæ mundi* ſub quam Chriſtus in mundum venturus erat. Spectat ad iſtius exegeſios declarationem verſio *Theodotionis*, laudata ab *Hieronymo in Queſt. in Gen.* ἐν τῷ πνεύματι περὶ καταψυξιν τῆς ἡμέρας, *ut meridiano calore tranſacto refrigerium auræ ſpirantis oſtenderet*; dum *Druſius* ex *Abenmelecho* hoc quoque adjecit, *R. Iona expoſuit in ſenſu refrigerii, ac ſi diceret, quo tempore dies refrigeratur, id fit cum aër ejus refrigeratur, poſſumus etiam exponere ut verba ſonant in ſignificatione venti flantis, ut ſi diceret, quo tempore dies ſe flectit ad veſperam, quando ventus flat.* Quin etiam in ſenſum eundem reddiderunt LXX. per δειλινὸν, & *Latini* olim apud *Hieronymum* alioſque *poſt meridiem*. & *Hieronymus* ipſe *ad veſperam*, & *Vulgatus*, *ad auram poſt meridiem.* Utique niſi ventum diei ad quietem ſeu ceſſationem æſtus veſpertinam ſic accommodaſſent alii, & niſi homini *reſpiratio* ad quietem ſolcret tribui, potuiſſet conjici an non de *requie diei* heic loquentes pro לרוח male legiſſent למנוח. Interim non requiem, ſed תקפא היום *robur diei* reperimus in Paraphraſi *Ieroſolymitana*; & *reditum* ſeu *converſionem diei* apud *Syrum*; & literæ Hebraicæ magis in ærens *Aquila* dixit, ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας, & *Symmachus*, ἀπὸ πνεύματος ἡμέρας. Quod ad realem hu-

Digitized by Google

hujus phraſios expoſitionem attinet, *Doct. Grotius* duas voces לרוח היום à ſe invicem dividit; *ad auram* exponens *cum motu quodam aëris inſolito qui ſignum divinæ præſentiæ* 1. *Reg.* XIX. 12. *Act.* II. 2. & tum *poſt meridiem* declarans, *aut ipſo meridie*, היום / *ſolet enim pars potiſſima totius nomen induere. Theocritus Idul.* I. ἁ θέμις ὦ πιμὰν, τὸ μεζαμβεινὸν, ἁ θέμις ἄμμιν Συρίσδεν, τὰ πᾶνα δεδοικαμες. *Ovidius Faſt.* IV. *Nec Dryadas nec nos videamus labra Diane, Nec Faunum medio cum premit aura die.* Atque inſulſe *Iſid. Clarius* hoic ponit in illis *ad auram diei*, ad ambulationem Dei relatis, *humani moris locutionem, quaſi ad refrigerium diurni caloris ambularet*; quam tamen ipſam exegeſin, cum præcedentis dormitionis Dei inſinuatione conjunctam à *Ruperto*, aliis omnibus præfert *Nic. Fullerus Miſc. Sacr. Lib. III. Cap.* 20. Dum alias explicationes referre licet ad tres claſſes, ut vel Tempus vel Locum vel Modum vocis Dei ambulantis declarent voces Moſis. Qui de *Tempore* capiunt, vulgo quidem, ut ex adductis verſionibus apparet, *Veſperam* intelligunt, ſeu *pomeridiani* temporis priorem aliquam aut poſteriorem partem, oppoſitam τῷ היום חם *Gen.* XVIII. 1. ſive quod tum curſus & æſtus diei ceſſet, ſive quod homines ipſi ab opere diurno tunc ſoleant reſpirare, ſive quod ſub veſperam ventus ſpirare ſoleat potiſſimum ſole vim ſuam amittente, & præſertim quidem in locis maritimis, uti pluribus apud *Pererium* quoque legas. Alii tamen ſunt qui tempus *Matutinum* ſubſtituunt. Ita ipſe *Calvinus* noſter ſcripſit; *Ego in diverſam conjecturam magis inclino, quod ſuo integumento operti noctem in ſilentio & quiete tranſegerint adjuvantibus eorum hypocriſin tenebris, deinde circa auroram rurſus de integro expergefacti ad ſe ipſos redierint. Scimus ex oriente ſole naturaliter auram excitari, ſimul ergo cum flatu Deus apparuit, veſpertinam autem Auram improprie Moſes Diei vocaret.* Quod ut *probabiliſſimum* & *confirmatum* ex *Cant.* II. 17. laudat *Rivetus.* Et nuperrime *Iob. Clericus; Malim intelligi de aura ſub diluculum flante, quæ aura diei dici poteſt, quod diem exorientem comitetur. Sic apud Salomonem Cant.* II. 17. *deſcribitur aurora hiſce verbis, donec adſpiret dies & fugiant umbræ. Hinc Hebræi auroram* רוח *vocant* מן רח *flavit. Græci eadem de ratione* ἄγχαυρον *dicunt*, ἐπὶ γὰρ τοῦτον ὁ καιρὸν, *inquit Apollonii Scholiaſtes ad Lib.* IV. *Verſ.* 111. αἰ ἄυρῃ πνέυσι, καὶ τοῦτο γὰρ ἐκ μ πνεῖ, ἄυρη δ' ἐκ πέμπει ψυχρὴ πέλει ἠῶθι θεὸ, *Odyſſ.* I. *Verſ.* 469. *&c. Ideo Vitruvius Architect.*

tect Lib. I. Cap. IV. evitari vult ab ædificantibus paluſtrem vicinitatem, quia cum aura matutina cum ſole ad oppidum pervenient & iis orta nebula adjungentur &c. efficient locum peſtilentem. Nec ſcio cur non oc urrerint hactenus alii, qui in *Vento Diei* reperirent, ſeu ſervidiſſimum ejus calorem motumque, ſeu integrum ejus curſum ac fluxum, inſtar venti progredientis celerem, ſecundum ea quæ annotavimus *ad Cant II. 17.* Qui porro ad *Locum* in hac phraſi ſpectant, hi nominant; vel *Orientem*, unde dies aſpirat; vel *Occidentem*, unde in Palæſtina & vicinis locis in primis veſperi ventus ſurgebat; vel *Septentrionem*, unde eſt frigus adverſus ſolis æſtum; vel *Meridiem*, quæ plaga eſt ſolis & diei orbita præcipua; vel denique communiter eam *Plagam*, unde tempore auditæ hujus vocis lumen *Diei* affulgeret. Ita noviſſime *Cl. Gouſſetius*; ל *in ſitu loci deſcribendo ſignificat quoque plagas mundi, & ut loqui amant ventos, per quorum reſpectum locus aliquis ſolet determinari &c. Hac forte locutio ea eſt, per quam debet exponi* לרוח היום *Gen. III. 8. quæ utcunque ſpectetur habet ſemper aliquid inuſitatum, quaſi diceret ſonum Dei ambulantis ab illo horti latere aut parte unde dies lucebat; non dicit ab oriente, quia potuit hora meridiana jam veniſſe & tranſiſſe; ſed a regione unde dies lucebat prout Sol tunc erat poſitus. Quod contulit ad majorem nuditatis pudorem ambobus reis provocandum, quia magis exponerentur luci & ita clarius conſpiciendi eſſent ab oculis Dei quos metuebant. Inde & reflexiones myſticæ, quod Deus judicare volens lucem a parte ſui habet, & peccata in apertiſſima luce conſpicit, quam ex adverſo peccator maxime timet & fugit.* Quod ille etiam cum refutatione aliarum expoſitionum repetiit ad vocem רוח; *Certe cum præcedat nomen horti, hoc modo, ambulans* בגן לרוח היום / *commode ſic ſignificatur horti ejuſdem latere obverſo ad diem. Utcunque ſit, hæc expoſitio minus ſalebroſa eſt aliis aliquot quas Viri Docti ediderunt, &c.* Interim recedit ille ſic à propria notione, tam *venti*, de plaga intellecti, quam *diei*, de ſole expoſiti; nec hoc ſatis videtur attendere, quod die pleno undique fere æqualiter lux hominibus affulgeat, quodque talis phraſis *venti diei* ſeu *plagæ ſolis* ſatis indefinita vix ad punctum illius temporis auditæ vocis cogitata noſtra determinet. Tandem qui ad *Modum* ambulantis vocis Dei heic ſpectant, hi *Ventum* heic reperiunt *durum*, ſeu *molliorem*, qualis is pleno die præ nocte vel crepuſculo eſſe ſolebat, & forte folia luce clara impellens pavo-

pavorem tamen heic incutiebat, seu *duriorem* & procellosum, qualis non nisi diurnus & brevis esse solet, vel etiam per fulgura juncta diem ex opaca nocte adducit; in & cum quo vox Dei in horto ambulans fuerit audita. Ego post hæc omnia lustrata hoc judico simplicissimum; ut היום cum *He* designativo accipiatur non promiscue de *die* oppositio nocti, sed determinatè dè *die hoc* aut *illo* commissi ab hominibus sceleris; & ut רוח seu *ventus* ejus sit ventus, validus potius & insolitus tanquam istud nomen magis merens quam mollis & consuetus, quem tum Deus iratus excitavit; & ut ל præpositio dicat, *in*, *cum*, & *juxta* hunc ventum ambulasse seu Deum seu vocem in horto illo ad auditum Adami. Ad quam sententiam uti proxime accessit *Grotius*, ita eandem spectasse videntur *Tremellius & Junius*, *ad ventum illius diei, id est vento illius diei quum subinde resflaret vocem ad aures illorum reportante*; atque *Piscator*, *hoc ideò videtur addere Moses, ut significet Dei inclamantis eminus Adamum per ventum illo die in horto flantem delatam fuisse ad Adami aures, & sic articulus* ה *habet vim ἀναφορικήν.*

VI. Non sonuit tantum hæc vox, sed & eam *audiverunt* Protoplasti, שמעו / ἤκουσαν, *cum audissent*, apud LXX. & *Vulgatum*. Sic scilicet non negatur vere eam sonuisse, ac si tremor feciſſet eam inaniter audiri ab hominibus; sed simul ponitur, eam ad aures utriusque hominis perveniſſe, qui & ad illam attenderint, & illam pro Divina agnoverint satis recte. Atque hoc quando per Copulam *Vau* iterum cum præcedentibus connectitur, excludenda est omnis mora, ita ut ad peccatum commissum & sumpta tegendæ nuditati folia ficulnea hoc mox sit consecutum; nec fingenda pro arbitrio nostro est longa admodum vocis hujus ambulantis duratio, prius quam vel absconderent se homines, vel Adamum ex latibulo evocaret Deus. Unde non nisi vana isthæc sunt *Jac. Altingii* somnia, quæ expressit *Epist.* LXXVI. *ad Ioh. Rod. Westenium*; *Vox tonitru & fulgurum testis iræ potentiaque Dei insuperabilis ree creaturæ, quam tota nocte septima sonuisse & fulgetra hanc collustrasse conjectura mihi est, quia septimi diei nulla præcedanea vespera seu nox memoratur, cum tamen hoc non secus quam aliis diebus vespera antecesserit mane, & Adam ejusque uxor absconderunt se in densitate arborum horti, non secus ac damnandi optabunt facere Apoc.* VI. 15. *Toto autem illo tempore donec Deus articulate evocavit passi sunt tormen-*

De Auditu vocis hujus Divinæ agitur.

menta inexplicabilia &c. De quibus, tanquam Mortem denunciatam unice conſtituentibus, uti prolixe etiam alias agit *Lib. 1. de Sabb. Cap. 9. quid inſuper in latebris illis ſuis paſſi ſint, quas animæ inteſtinas angustias, quæ corporis exinde æſtuantis ſecreta tormenta, quis fando enarrabit? &c.* ita & illud de Tota Nocte durantis hujus divinæ vocis poſuit in breviſſima *Anal. Exeg. Gen. Vox ergo Dei indeſinenter perambulavit hortum, nullas in eo latebras relinquens, quo tonitruorum murmura & fulgetrorum flammæ non pervenirent. Hoc teſtimonium præſentis Dei irati, judicis vindiciſque potentiſſimi, tantopere reos non modo exterruit, ſed etiam ea tormenta ipſorum cordibus & conſcientiis admovit, non ſine corporum afflictione graviſſima* Prov. XVII. 22. *ut nec mutua ſocietas nec horti amœnitas amplius juvaret aut placeret, ſed quæreretur una ſolitudo. Attamen ſunt inter denſiſſimas arborum tenebras nequicquam; nam ne quidem poſt occaſum ſolem ulla Veſpera ſeu Nox obſervata, unde ſilentium de Veſpera ſeptimi diei quæ tamen ejus mane ſine dubio anteceſſit &c.* Quod plurimum ſane abeſt à cogitatis *Calvini* noſtri, quod *ſuo integumento operti* homines primi primam à lapſu *noctem in ſilentio & quiete tranſegerint, adjuvantibus eorum hypocriſin tenebris &c.* Sed uti hoc probare non poſſum, ob eundem lapſus humani & judicii Divini diem; ita nec pœnam Adami præcipuam conſtituere licet ante ipſam cauſæ inquiſitionem & ſententiam latam, nec de iſta conjunctione terroris cum corporum afflictione graviſſima, aut de ejuſdem duratione continua per noctem integram, aut de ſolitudine mutuæ ſocietati antepoſita, aut de perpetua noctis colluſtratione per fulgetra cum tonitribus juncta, quidquam apud Moſen vel alibi in Scriptura legitur. Quod poſtremum dum ille ex nulla mentione *veſperæ* ad diem ſeptimum ſtudet aſſerere, non cogitat ſane; nec illic mentionem *& mane* eſſe factam; nec fulgetra etiam perpetua noctem plane tollere, aut diem continuare, aut tempus mutare; nec conjecturas multas alias ab ævo deeſſe cur Moſes die ſeptimo finito non dicat tunc fuiſſe veſperam & mane; cujus ſilentii ratio hæc optima eſt quod Quies Dei cum Die Septimo non ſit abrupta ſicuti opera præcedentium dierum ſingulorum. Longe ergò apriores hic ſunt obſervationes morales; de Deo Judice ad peccatum commiſſum ſe manifeſtante hominibus; de Voce ipſius multiplici quâ id agit; de Vocis iſtius proceſſu vario; de Hominibus eam percipientibus & dignoſcentibus; &

quæ

quæ id genus aliæ ſunt, utilitate practica ſe haud parum commendantes.

VII. Quod ex auditu divinæ vocis conſecutum eſt, dignum quoque ſua annotatione judicavit Moſes per Spiritum; *Et abſcondit ſe Adam & Uxor ejus à facie Jehovæ Dei in medio arboris horti.* De Perſonis duabus, jam ſingulatim nominatis, nihil eſt quod denuo moneamus. Niſi hoc forte, quod *Adam*, ſeu Vir poſt Mulierem lapſus & qui fortiſſimus potuiſſet videri, jam præponatur, tanquam vel perſona dignior, vel prior agnoſcens Dei vocem, vel metu citius magisque correptus & hinc ante Mulierem aufugiens; & quod Mulier heic non appelletur nudo nomine ſexus, ſed deſcribatur à vinculo conjugii cum Adamo tanquam אשתו / *ejus Uxor*, quæ hinc Virum ſuum antea ex affectu ſeductum, nunc per imitationem aut affectum aut vanam aliquam fiduciam ſecuta eſt in fuga. Res homini utique huic tributa eſt *ſui abſconſio à facie Jehovæ Dei in medio arboris horti.* Scilicet *Jehovæ Dei*, iterum gemino hoc nomine ut initio verſus hujus appellati, *facies*, פני / πρόσωπον, heic ſicuti paſſim alias in Scriptura dicit; non proprie humanam aliquam formam à Deo aſſumptam, aut ejus partem anteriorem & ſuperiorem, neque Filium Dei ut verum characterem Perſonæ Patris, & Angelum faciei ipſius; ſed ipſum Deum, & quidem ut præſentem ſpeciali aliqua declaratione ſui, ut cognitione ſua penetrantiſſima intuentem, & ut iram ſuam terribilem porro teſtantem peccatori intuitu ſuo non minus quam benevolentiam obedienti, prout iſte divinæ faciei ſenſus ex rei natura & Scripturæ uſu notiſſimus eſt. Sic ut in facie Dei ejus ſimul præſentiam ſcientiam & vindictam habeamus cogitandam; à qua cum dicitur homo uterque *ſe abſcondiſſe*, aut *latitaſſe*, per verbum התחבא / ἐκρύβησαν apud LXX. manifeſtum eſt ſpectari, non effectum integrum, cum nemo Dei omnipræſentis omniſcii & juſtiſſimi faciei plane ſe ſubducere queat, ſed deſiderium & conatum vanum hominis, junctum cum externa receptione ſui, non extra hortum præſtantem quem amabat, ſed ad *arboris horti medium*, tanquam locum obſcuriorem & rutiorem ex ipſius vaniſſimo judicio. Quando in Hebræo heic eſt nomen ſingulare גן עץ / *arboris horti*, ξ ξύλε ξ παραδείσε, *ligni Paradiſi*, apud LXX. & *Vulgatum*, monuit *Druſius*; *Iohannem Temporarium ex numero colligere Ficum Indicam fuiſſe ſub qua Adam cum uxore delituerit, & cujus*

Abſconſio Adami & Uxoris ad eam auditam inſecuta.

foliis poſtea ſe texerit, nam ſub ea arbore commode hominem latere poſſe. Alii plures Arborem Scientiæ volunt deſignari, in qua deliquerat, quaſi ſub eadem ſeſe abdiderit, notante etiam *Fagio*; dum verius ab ea videtur fuiſſe auſugiturus cum horrore. Alii ſpectant etiam, cum majori ſpecie quandam, majorum Arborum denſitatem, quæ in una aut altera horti illuſtris parte inſtar ſylvæ fuerit, & quam ad ſcopum ſuum præ ſparſis arboribus & liberiori cœlo elegerit homo. Sed ſimplicius longe eſt *Arboris* nomen collectivo ſenſu accipere pro Arboribus; quod etiam egit *Druſius, coll. Exod. x. 15. &c.* Quandò præterea *medium* non heic ſtricte capitur de illo ſeu horti ſeu arborum puncto quod æqualiter à reliquis omnibus circumjacentibus diſtaret, ſed *in medio* idem eſt, quod *intra* vel *inter*, ex obſervatione *Fagii* quoque; uti nos etiam hunc ſenſum ejus locutionis בתוך הגן ad *Gen. II. 9.* adſtruiximus *Lib. I. Cap. XVII. §. 10.* quæ tamen ad interiores potius quam ad exteriores horti & arborum ejus partes nos ducit. Nec abſque ratione omni ſenſum Moſis hunc notavit eſſe *Fagius, quod Adam cum uxore ſua ſub vel inter arbores horti ſeſe occultavit fugiens de una arbore ad aliam à voce Dei inſectantis*; dum certiſſime non minus conquiſitum eſt, hanc abſconſionem in medio arboris horti velle referre ad foliorum ficulneorum indumentum, quam indumentum illud ad hanc abſconſionem, & ſunt res illæ duæ diſtinctiſſimæ ſe invicem ſecutæ, una magis ex pudore, altera præcipue ex terrore. Ejus verò abſconſionis cauſam dedit ipſe Adamus *verſ. 10.* nempe *metum* ſui judicis & pœnæ ab ipſo denunciandæ ac infligendæ quo correptus erat. Ita Conſcientia propria redarguit & condemnavit reum Adamum cum Eva, atque per ſui amorem juſſit pœnam ulteriorem quantum & quam diu pote avertere; ſicuti idem naturaliter in omnibus poſteris quoque obtinet, nec ipſi ſancti, quia & dum adhuc ſunt peccatores, iſtum à divina voce & facie metum facile deponere queunt.

Et quid de ea judicandum ſit.

VIII. Quid ergo dicemus? abſconſionem hanc à Dei facie in medio arboris poſt auditam Dei vocem fuiſſe laudabilem an culpabilem? & quouſque? Poteſt hoc ſane ut laudabile ſpectari in Protoplaſtis, æque quam in eorum poſteris; quod culpæ ſuæ fuerint conſcii, & factis ipſis hanc conſcientiam oſtenderint; quod Dei perinde agnoverint majeſtatem & ſcientiam & potentiam & juſtitiam, à quibus virtutibus ſibi metuendum habebant; quod nulla impu-

denti

Digitized by Google

denri contumacia aut arrogantia se consequenter adversus Deum extulerint ; & quæ forte sunt similia plura. Ad quæ spectans *Irenæus* dudum scripsit *Lib. III. Cap.* 37. *Ab altero seductus Adam sub occasione immortalitatis, statim timore corripitur ac absconditur, non quasi possit effugere Deum, sed confusus, quoniam transgressus præceptum ejus indignus est venire in conspectum & colloquium Dei. Timor autem Domini initium intelligentiæ; intellectus vero transgressionis fecit pœnitentiam ; pœnitentibus autem largitur benignitatem suam Deus.* Sed & debet hoc ut admodum culpabile in hoc facto animadverti, quod reatus conscientia Protoplastos non impulit ad quærendam quacunque ratione divinam gratiam, sed ad divagandum ab ipso, cum magis aut minus seria exspectatione latibuli apud creaturas ullas reperiendi. Mollius utique *Augustinus Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 33. *Cum Deus avertit intrinsecus faciem suam & fit homo conturbatus, non miremur hæc fieri quæ similia sunt dementiæ per nimium pudorem ac timorem, illo quoque occulto instinctu non quiescente, ut ea nescientes facerent quæ aliquid significarent quandoque scituris posteris propter quos ista conscripta sunt.* Dum alii durius invehuntur in homines, qui Divinam hoc facto scientiam & potentiam abnegarunt, inter Arbores se tectos tutosque arbitrantes, & ex hoc fundamento se Deo subtrahentes cum confugio ad creaturas. Ita & *Chrysostomus Serm.* XVII. *in Gen.* Πόσης σὺκ ἂν εἴη τούτου ἀνοίας; τὸ θεὸν τὸ παντα χοῦ παρόντα, τὸ δημιουργὸν τὸ ἀπὸ ϛ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα σφαγάγοντα, τὸ τὰ λανθάνοντα ἐπισάμενον, τὸ πλάσαντα καταμόνας τὰς καρδίας τῶν ἀνθρώπων, καὶ σωίντα εἰς πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν, τὸ ἐτάζοντα καρδίας καὶ νεφρούς, τὸ αὐτὰ τὰ κινήματα τῶν καρδίας ἡμῶν ἐπισάμενον, κρύπτεσθαι ἐπεχείρει, &c. Τοιοῦτον γὰρ τὸ ἁμαρτανόντων τὸ ἔθος, κἂν μὴ δύνωνται λανθάνειν, ὅμως ἀπαξάζουσι λανθάνειν &c. Quando adhuc Adami factum hoc cum illo flagitionum comparat, ἀ δυνάμενον λαθεῖν τὸ οἰκεῖον δεσπότην, ὧδε κἀκεῖ περὶ τὰς γωνίας ϛ οἰκου ἐπιτείχειν ἐπιχειρήσαντας, ϛ φόβῳ κατασείοντος αὐτῶν τὴν διάνοιαν &c.

CAPUT DECIMUM.

Quo Examen Dei Judiciale de Homine lapſo illuſtratur.

Actio Dei adverſus Hominem lapſum.

Abſconſionem ſui à facie Jehovæ tentaſſe hominem utrumque fruſtra, liquet ex ulteriori eventu; quando ea non obſtante Deus præſens Examen Judiciale inſtituit cum eo, primum duplici aut triplici *Interrogatione* propoſita *Adamo*, & tandem una quoque *Mulieri*, ad quam quiſque pro ſe *reſpondernnt*. Et eſt proœmium dignum quo ad hujus Examinis tractationem ſibi viam ſternit *Chryſoſtomus Serm.* XVII. *in Gen.* Ἀκόσωμεν τοίνυν εἰ δοκεῖ, τίνα μὲν ὁ δικαστὴς ἐπερωτᾷ, τίνα δὲ οἱ κατάδικοι ἀποκρίνονται, &c. ἀλλὰ σωτείνατέ μοι φιλαλήθειαν καὶ μὴ πολλῆς δεῖσθε τοῖς λεγομένοις προσέχετε· εἰ γὰρ δικαστὴν ὁρῶντες ἅπαντα ἐφ' ὑψηλοῦ βήματος καθήμενον, καὶ τοὺς κατηγόρους εἰς μέσον ἄγοντα &c. μὴ πολλῆς δεῖσθε παρ' ἐμοῦ, ἀκούσαι βουλόμενοι, τί μὲν ὁ δικαστὴς λέγει, τί δὲ ὁ ὑπόδικος ἀποκρίνεται, πολλῷ μᾶλλον τοῦτο ποιεῖν ὑμᾶς δίκαιον ἐρῶντας τὸν δημιουργὸν τῆς φύσεως δίκην εἰσαγομένου τῆς ὑπ' αὐτοῦ δημιουργηθέντων· ἀλλ' ἐὰν προσέχητε μὴ ἀκαιρείας ὄψεσθε πόσον τὸ μέσον τῆς θεοῦ φιλανθρωπίας καὶ τῆς ἀνθρώπων πρὸς τὰς ὁμογενεῖς ἀωρεότητος, &c.

Clamor Jehovæ Dei ad Adamum.

II. Sic itaque narrat Moſes poſt expoſitam hominis propriam abſconſionem *Gen.* III. 9. *Et clamavit Jehovah Deus ad Adamum, dixitque ei, ubi tu?* Idem qui antea Deus Triunus gemino nomine ſuo *Jehovæ Dei* heic exprimitur ut ante *verſ.* 8. ſubſtituto heic iterum *Verbo* ejus in *Targum Ieros.* Et habet actio ejus pro objecto *Adamum*, unum directe tanquam per ipſam creationem Caput Mulieris, & cum quo immediate Deus Fœdus ſuum erexerat, notante etiam *Auguſtino*; quamquam res conſequenter etiam ſpectet ad Mulierem; quæ juxta ipſum peccaverat, & jam ob auditam Domini vocem ſe abſconderat. Conſiſtit autem actio Dei in *clamore*, ſeu fortiori voce qualis etiam à ſtupentibus & indignantibus æque quam ferventibus & feſtinantibus adhiberi ſolet, *ad* Adamum ſe elongantem & ſubducentem directo, qui adeo non inarticulatus aliquis ſonus amplius fuit ſed articulata &

in-

Digitized by Google

& intelligibilis vox, יקרא אל האדם / ἐκάλεσεν τὸν ἀδάμ, *vocavit Adam*, apud LXX. & *Vulgatum*, ſive ipſum illud nomen adhibuerit Deus, uti vulgo ſupponitur ex LXX. id repetentibus, ſive idem non expreſſerit, cum id diſerte Moſes non dicat. *An non ante vocatus fuerat?* inquit *Calvinus*; *verum ille fuerat confuſus ſonus, qui nondum ſatis habebat vigoris ad premendas conſcientias, itaque nunc propius inſtat Deus &c.* Atque ita jam apparet ſcopus præcedentis etiam vocis Dei, quæ, ſi non ad Adamum, fuit tamen propter eum. Argumentum hujus clamoris non tacet quoque Moſes, cum Jehovam Deum *ei*, ſeu Adamo, fert *dixiſſe* diſtincte ut intelligeret per clamorem illum, *ubi tu?* איכה / ποῦ εἶ; *ubi es?* apud LXX. & *Vulgatum*. Non eſt iſta vox comminantis, ac ſi eſſet ab אי / ſed interrogantis ab איה vel אי / & ſpectat interrogatio directe, non ad ſtatum Adami in quo eſſet, ſicuti voluit *Ambroſius de Parad. Cap.* XIV. *ubi ergo es, hoc eſt, non in quo loco quæro, ſed in quo ſtatu, quo te deduxerunt peccata tua ut fugias Deum tuum quem ante quærebas?* & eleganter Latini ipſi locum pro ſtatu & fortuna nonnunquam capiunt; ſed potius ad locum ipſum in quo latitabat Adam. Enimvero non eſt hæc interrogatio ignorantis, cum Dei oculis omnia intime paterent tunc uti nunc tanquam ab ipſo creata conſervata gubernata & occupata; ſed, docente id etiam Adami reſponſo, verius admirantis, quod ad umbras aufugeret, & indignantis, quod ita ſe ipſi ſubducere tentaret, & vocantis, ut prodiret palam & ſe ipſi ſiſteret porro examinandum de rebus ſuis, per modum citationis ad juſtiſſimum tribunal. *Quaſi dicat*, inquit *Piſcator, cur latitas, prodi in conſpectum meum, neque enim ignorabat ubi eſſet, ſed increpat latitantem, ac poſtulat ut fugæ ſuæ & occultationis rationem reddat.* Nec meretur adeò magnopere culpari iſta *Jonathanis* Paraphraſis; *Annon totus mundus quem creavi detectus eſt coram me? tenebræ ſicut lux? & quomodo tu cogitas in corde tuo abſcondere te à coram me? an non locum in quo abſconditus es ego video? & ubi ſunt mandata quæ ego mandavi tibi?* Quemadmodum & *Auguſtinus* dicit *eſſe vocem increpantis, non ignorantis, Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 34. Dum ad ſtatum magis quam ad locum heic ſpectavit *Chryſoſtomus*, & in oſtendenda Dei ex his verbis clementia maxime hæret; Ἐξ αὐτῆς τῆς ἐρωτήσεως ἄξιον ἐκπλαγῆναι τὴν θεοῦ πρὸς ὑπερβάλλουσαν φιλανθρωπίαν, οὐχ ὅτι ἐκάλεσε μόνον, ἀλλ' ὅτι καὶ δι' ἑαυτοῦ ἐκάλεσεν, ὅπερ ἀνθρώπων τις οὐκ ἄν ποτε

ἀνάχοιτο ὅτι τ ὁμογενῶν καὶ τῆς αὐτῆς αὐτῷ φύσεως κοινωνούντων &c. Ὅσῳ πόσῃ δύναμις ἴσχυσεν ἐν τῇ βοῇ ταύτῃ λέξει. Καὶ αὐτὸ ἦ τὸ καλέσαι πολλῆς καὶ ἀφάτου φιλανθρωπίας, καὶ τὸ τῷ καταισχυνομένῳ καὶ μηδὲ ἆραι τὸ σῶμα τολμῶντι μηδὲ ἀναβλέψαι γλῶττάν καὶ ἀφορμὴν δοῦναι ἀφ' ἑαυτοῦ ἐρωτήσεως, πολλῆς ἀγαθότητος· τὸ ἦ λέγειν, πῦ εἶ, πολλὴν ἔχει τὴν ἰσχὺν μετὰ τῆς φιλανθρωπίας, μονονοὺ γὰρ αἰνίττεται αὐτῷ ἀφ' ἑαυτοῦ λέγων πρὸς αὐτόν, τί γέγονεν; ἑτέρωθί σε κατέλιπον ἢ ἑτέρωθι νῦν εὑρίσκω, ἑτέρᾳ δέξῃ ἡμφιεσμένον καταλιπὼν νῦν ἔνδον ἐν γυμνότητι, πῦ εἶ; πόθεν σοι συνέβη τοῦτο; τίς σε εἰς τοσαύτην ἦγαγε μεταβολήν; ποίου λησοῦς καὶ τοιχωρύχου ὄντως ἀθέσαν ἅπασαν ὡλόκληρον τ πρόσκτησιν ἀφελόμενον ἐν τοσαύτῃ πενίᾳ κατέσησε; πόθεν σοι τ γυμνώσεως ἡ αἴσθησις γέγονε; τίς σε αὖ πάλιν τ ἀφαιρέσεως ἢ θαυμαστὴν ἐκείνην ἐνδύσαι ὁ πρόσθεν ἐτύγχανες; πῆς ἡ ἀθρόα αὕτη μεταβολή; ποία καταιγὶς οὕτω σφοδρᾷ ταχέως ἅπαντά σε τ φόρτον κατέδοσε; τί γέγονεν, ὅτι τὸν τοσαῦτα διεργετήσαντα, καὶ εἰς τοσαύτην ἀναγαγόντα τιμὴν κρύπτεσθαι ἐπιχειρεῖς; τίνα δεδοικὼς νῦν λανθάνειν σπουδάζεις; μὴ γὰρ κατήγορον παρέσηκε; μὴ γὰρ μάρτυρες ἐφεστήκασι; πόθεν σοι ἡ τοσαύτη δειλία καὶ ὁ φόβος κατεσκεδάσθη; &c. In quibus posteriora præ prioribus ad scopum verborum horum Dei videntur facere. Isthoc autem modo clamans ad Adamum latitantem, potius quam ipsas *Adami latebras adiens* secundum *Clerici* observationem, quando occurrit heic Deus, non est illud intelligendum de mere intellectuali sed omnino etiam de sensuali voce Dei; neque ea tantum imaginaria in phantasia aut repræsentatione aliqua ecstatica, sed etiam vera; absque necessitate tamen vel ad oculum simul repræsentatæ vel vere assumptæ humanæ alicujus formæ, quam cur heic magis quam antea in creatione & legislatione ponant Veteres & Recentiores multi, nullum in narratione Mosis reperio argumentum; dum potius prodiisse ex & cum priori valida Dei invisibilis voce ad ventum diei hic clamor similiter videtur fuisse junctus. Considerare præterea oportet hunc Dei clamorem, ut nequaquam longius dilatum, sed celeriter satis insecutum ad ea quæ præcesserunt de hominis Lapsi pudore & terrore; propter Copulam *Vau* connexivam quæ heic similiter ut antea legitur, & propter divinarum virtutum manifestandarum gloriam, quæ non sinit integram noctem heic interponi sive tranquillam sive etiam anxiam Adamo. Nec difficulter tandem in hoc Adami exemplo observare licet Dei vias cum pec-

caco-

catoribus ; quos aufugientes & latitantes voce ſua potentiſſima perſequitur, citius vel ſerius, ut ad dandam factorum peſſimorum & inſaniæ omnis rationem adigat, nec per virtutes ſuas finet elabi ſemper.

III. Ita valide compellatus Adam non potuit amplius tacere, ſed reſpondit ſatis late *verſ.* 10. *Et dixit*, idem ille qui vocatus directe erat Adam, ויאמר / καὶ εἶπεν αὐτῷ, *qui ait*, apud LXX. & *Vulgatum*, *vocem tuam audivi in horto, & metui, quoniam nudus ego, & abſcondi me.* In quibus vocibus planiſſimis vertendis nulla fere eſt varietas; niſi quod LXX. aliquid intruſerunt ex prioribus, τ̃ φωνῆς σου ἤκουσα περιπατοῦντός σου ἐν τῷ παραδείσῳ, &c. Enimvero ſic videntur illi ſignificaſſe, quod *vox* illa Dei *in horto audita* non ſit iſta præſens vocatio quam jam audiebat Adam, ſed præcedens ſonus index divinæ majeſtatis & ſimul iræ. Unde ſecutus in Adamo erat *metus*, revera quidem ſubeundi Dei judicium terribile in quo conſiſtere non poſſet & hinc pœnæ infligendæ, ſed ſecundum præſentem Adami ſenſum pudoris ob amiſſum ſuum decus per quod Deo videnti diſpliceret. Sicuti tanquam rationem metus addit, *quoniam nudus ego*, כי ערם אנכי / ὅτι γυμνός εἰμι apud LXX. in præſenti, *eo quod nudus eſſem* apud *Vulgatum* in præterito, & rectius quidem, cum & metus ad auditam Dei vocem heic in præterito memoretur, etiamſi temporis præſentis continuatio nec in metu nec in nuditate excludatur. Repetit heic *Clericus* ſuam nuditatis expoſitionem de peccato; *Obſervandum hic Adamum non dicere, quia nudus eram cingulum mihi feci quod me nuditatis puderet mea, quod dicere eum oportuit ſi de nuditate propriè dicta ageretur, ſed quia nudus ſum timui, quaſi diceret, quia te offendi timui iram tuam &c.* Sicuti & *Jonathan* ad memoratam nuditatem exegeticè adjecit, *& præcepta quæ mandaſti mihi tranſgreſſus ſum.* Sed obſtat manifeſte ſequens dein demum Dei interrogatio de agnitæ nuditatis cauſa & de facto Adami, quæ oſtendit de peccati conſequenti fructu magis quam de ipſo peccato heic loqui Adam, uti etiam verba ſonant. Nempe eſt heic eadem *nuditas* corporis de qua antea actum eſt *verſ.* 7. poſt peccatum Adamo gravis per roboris ſanctitatis & gloriæ prioris ablationem, juxta dicta *Cap. VIII.* §. 4. adverſus quam ideo folia ficulnea ipſe mox conſuit. Sed quomodò, inquiunt, poſt hæc conſuta ante auditam dein Dei vocem, quæ alias conſutionem illam facilè impe-

Adami ad hunc Clamorem Reſponſio.

diſſet, Adam ſibi adhuc nuditatem in audita ipſa voce poteſt tribuere, tanquam cauſam abſconſionis ſuæ? Ad hoc dubium non malè ego putem cogitari, dè Adami tum ſimulatione aliqua indecora circa facti ſui circumſtantias, tum animi durante adhuc confuſione, quæ utraque potuit efficere ut nuditatis agnitionem & timorem hinc ortum minus apto loco exponeret. Sed & præterea non tegebant eum ita Cinctoria ficulnea, ut non magna pars corporis maneret denudata etiamnum, & tectarum quoque partium nuditas ignominioſa ex ipſis conſutis cinctoriis poſſet conſtare. Ex iſto autem metu propter probroſam nuditatem dicit Adam, *& abſcondi me*, ואחבא / καὶ ἐκρύβην, nempe in medio arboris horti, ſicuti antea Moſes narraverat; *ideò occultavi me præ pudore*, dixit paraphraſtice *Jonathan*. Utcunque ergo latum ſit hoc reſponſum, minime tamen decens aut ſufficiens idem judicari debet, quandò ita culpam ſuam diſſimulat Adam, de ea plane tacens, ut ſuam abſconſionem velit etiam haberi pro argumento venerationis Divinæ majeſtatis, tanquam cujus oculis nollet ipſe denudatus ſe indecore objicere aut exponere. Quomodo ad inſatuati Adami exemplum ſolent etiam frequenter agere poſteri, & egit Saul 1. *Sam.* xv. 13. 14. 15. *&c.*

Repetita duplex Dei ad Adamum Interrogatio.

IV. Hinc eſt, quod repetita duplici Interrogatione Adamum magis urget Deus ad delicti ſui confeſſionem *verſ.* 11. *Et dixit*, ויאמר / nempe Jehovah Deus ex ipſo ſermonis argumento, *cui dixit*, apud *Vulgatum*, καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ θεός apud LXX. *quis indicavit tibi quod nudus tu? an de Arbore de qua ipſa præcepi tibi ne ederes ediſti?* Primum interrogationis membrum redditur Græce, τίς ἀνήγγειλέ σοι ὅτι γυμνὸς εἶ; & à *Vulgato*, *quis enim indicavit tibi quod nudus eſſes?* notante ad hæc *Corn. à Lapide*, *vox enim non eſt in Hebræo, nec eſt cauſalis, ſed emphatica, idemque valet quod enimvero, ſed enim, atqui, inſtat enim & urget hic Deus Adamum, ut ſuæ nuditatis cauſam ac culpam agnoſcat.* In eo nuditatem Adami debilem peccaminoſam & probroſam non negat aut dubiam facit Deus, ſed potius ex re & confeſſione Adami conſtantem agnoſcit; rogat autem, unde ſit in ipſo nuditatis hujus ut pudibundæ agnitio, quam cum nemo alter ſignificaſſet ipſa mala facti conſcientia docuiſſe debebat, ſeu iſte ipſius ſtatus per quem nuditatis corporeæ nunc magis quam antea puderet. Dum à nuditate corporea nos præter rem in his verbis iterum abducere ſtudet *Clericus*; *Ut ſuperio-*

riora verbu nuditati proprie dicta non ſatis conveniunt, ita hic ad ἐχηματισμένον ſermonem redit ſcriptor Divinus, ut videatur de vera nuditate agi, niſi res ipſa obſtet. Nudum antea dici oſtendimus, qui violati præcepti divini reus adeoque divinæ iræ obnoxius eſt. Hæc autem verba hunc ſenſum ſundunt, quis tibi dixit me eſſe tibi iratum? ſeu te in eo ſtatu eſſe in quo iram meam pertimeſcas? Sed ubi continuò de nuditate eodem modo actum eſt, ego nullum reditum novum ad ἐχηματισμένον ſermonem heic reperio; nec oſtendit ille, quid hic jam in re obſtet adverſus veram nuditatem, & ſenſum illum tranſgreſſionis ac iræ divinæ neceſſarium faciat. Unde magis probanda videtur ſequens ipſius obſervatio, ſi illud quod de ira Dei immiſcetur tollas; *Hæc autem interrogatio eo non pertinet ut ab Adamo Deus reſponſum exprimat, ſibi quidem à nemine de ira divina quidquam dictum fuiſſe, ſed ſe ex facto ſuo facile id collegiſſe. Neque enim eum patitur iis verbis reponere, ſtatim de Arboris illicitæ fructu ſciſcitans. Eodem ergo res recidit, ac ſi Deus dicens induceretur, Adamum nihil de ira divina in ſe concitata ſuſpicaturum fuiſſe, niſi ſibi præcepti ejus violati conſcius eſſet.* Quamquam id apud hanc interrogationem abſque exſpectata reſponſione alias quoque cogitari poſſit non male, quod vel tacuerit Adam neſciens quid ipſe reſponſurus eſſet, atque hinc ad alteram interrogationem progreſſus ſit Deus, vel occaſionem hic Adamo voluerit præripere ulterioris diſſimulationis indecoræ, ipſum continuato ſermone ad Eſum fructus vetiti agnoſcendum ducens. Quæ res utcunque ſe habeat, ad veram agnitæ cum pudore nuditatis cauſam pergit mox Deus in altero interrogationis hujus membro; *An de Arbore, de qua ipſa præcepi tibi ne ederes, ediſti?* Quæ voces redditæ à LXX. & *Vulgato* per ſubſtitutum εἰ μὴ *niſi quod*, pro ה interrogativo, & per additum μόνῳ epitheton ad Arborem interdictam à Græcis, ſufficientem habent lucem ex iis quæ antea ad Fœderis Legem Symbolicam *Lib. II. Cap.* IX. ejuſque Tranſgreſſionem *Lib. III. Cap.* I. dicta ſunt. Manifeſtum utique heic eſt, לבלתי cum ſequenti infinitivo in eundem ſenſum redire cum שלא vel שאל / uti notavit *Fagius*; & infra vim verbi צויתי male ſubſiſtere *Clericum* per ſuum *monui*, dum magis emphaticè Deus expreſſit ſerium ſuum mandatum, quod agnoſcendum habebat modo Adam. Nempe *non quærit* ita Deus, notante etiam *Piſcatore*, *tanquam ignorans, eſt enim omniſcius, ſed ut eliciat Adæ confeſſionem, & poſtea tan-*

Digitized by Google

tanquam judex ſententiam in illum ut reum pronuntiet. Atque ita hoc agit, ut ſe rei geſtæ ſatis conſcium jam oſtendat Deus, & confeſſionem ejus, tanquam peſſimæ quoque adverſus mandatum, ori ejus quaſi indat. In qua interrogatione multis denuo bonitatem Dei commendat. *Chryſoſtomus;* Ὅρα φιλανθρωπίαν ἀπορήτου καὶ ἀνεξικακίας ὑπερβολήν· δυνάμενος γὰρ εὐθέως μηδὲ ἀπολογίαν αἰτῆσαι τὸν τοσαύτην ἡμαρτηκότα, αὐτὸς τὸ ἐπιτίμιον ἐπάγειν, ὁ πολλαπλῶν ὤφειλεν εἰ τολμηρὸς εἴη, μακροθυμεῖ, καὶ ἀνέχεται, καὶ ἐρωτᾷ, καὶ ἀπόκρισιν δέχεται, καὶ πάλιν ἐρωτᾷ μονονουχὶ εἰς ἀπολογίαν αὐτὸν ἐκκαλούμενος, ἵνα ἀφορμὴν λαβὼν τὴν οἰκείαν φιλανθρωπίαν ἐκ μὴ τοσαύτην τολμήσας καὶ αὐτὸν ἐπιδείξηται, παιδεύων ἡμᾶς καὶ διὰ τούτου ἐπιεικῆ δικάζωμεν τοῖς οἰκείοις μὴ ἀναμέσως αὐτοῖς προσφέρεσθαι &c. σπόπει ἀγαπητὲ τὸ ἀκριβὲς τοῦ θεοῦ τὴν ὑπερβολήν, ὅπως καθάπερ φίλος φίλῳ διαλεγόμενος καὶ ἐγκαλῶν εἰς πολλὰ τὰ παρ' αὐτοῦ ἐσταλθέντα, οὕτω πρὸς αὐτὸν τὴν διάλεξιν ποιεῖται, &c. Sicuti & in verbis mandati recenſitis inculcat magnopere illud τοῦτο μόνον, quod in Græco textu legitur. Is ſane, quem hic ſervat ordinem Deus apud Adamum, etiamnum in peccatoribus obſervari poteſt, quos ad examen ſui & culpæ ſuæ agnitionem variis modis pellit Deus, antequam & dum etiam punit.

Adami Principalis Reſponſio.

V. Nunc itaque debuit Adam qualemcunque facti ſui peſſimi confeſſionem edere, ſed quæ iterum carpi meretur, ſecundum argumentum *verſ.* 12. *Et Adam*, à Deo rogatus, *dixit*, per modum reſponſi ad Jehovam Deum, *Mulier, quam dediſti mecum, ipſa dedit mihi de Arbore, & edi.* Quæ verba, expoſita à nobis *Cap.* III. §. 4. & 5. nova luce nulla opus habent. Non Serpentem cum quo ipſi immediate res non fuerat, ſed *Mulierem* ſic ſcil. accuſat Adam; non aliam quæ nulla erat, ſed illam ipſam *quam*, inquit ad Deum, *dediſti mecum*, tanquam naturæ meæ ſociam, paradiſi mecum incolam, & arctiſſimo conjugii vinculo mihi junctam, אשר נתתה עמדי / ἡ γυνὴ ἣν ἔδωκας μετ' ἐμοῦ, *quam dediſti mihi ſociam*, apud LXX & *Vulgatum.* Ubi notant amplius emphaſin illam vocis עמדי / à עמד *ſtando* repetendæ, ut vel præſentiæ dicat perpetuitatem, *coll. Pſal.* XXXIII. 4. *&c.* vel etiam miniſterium Mulieris Viro præſtandum, ob ſtationem miniſtrantium apud dominos ſuos, præeunte inter alios *Fagio*; *Et certe emphaſim habet vox* עמדי *i. mecum. Nam etſi idem ſignificet quod* עמי / *tamen majorem habet epitaſim, præſertim hoc in loco. Eſt enim deductum à verbo* עמד / *quod non ſemper ſimpliciter*

ſtat

ſtare ſignificat, ſed emphaticῶs, ut infra de Abrahamo Cap. XVIII. eum Angelos hoſpitio excepiſſet dicitur, ipſe vero ſtabat juxta eos ſub arbore &c. quod non eſt intelligendum, quaſi immotus Abraham ſteterit inſtar ſtipitis, ſed ſicut miniſtri menſæ adſtant ad menſam, illi enim jam currunt jam huc illucque reſpiciunt, quid deſit, quid parandum quid exportandum ſit, conſiderantes. Item eodem Cap. & Abraham adhuc ſtabat coram vel ante Dominum &c. Ubi quoque non ſimpliciter coram Domino Abraham ſtetit, ſed ſupplex Dominum rogavit &c. Sic quoque emphaticum eſt vocabulum עִמְּדִי *in præſenti loco, q. d. Adam Mulier quam dediſti mihi ut adſtaret, juvaret, obſecunduret, eſſetque vicarium auxilium, ipſa autor hujus mali extitit. Supra ubi dicitur, & dedit etiam viro qui ſecum erat, habetur vox* עמה / *& non* עִמְּדִי. *Aliter enim Adam uxori adeſſe debebat, nempe tanquam caput cujus imperio ipſa ſubjecta erat, aliter quoque ipſa Viro adeſſe debebat, nempe tanquam ſerva & miniſtra; ſed hunc ordinem uterque perverterunt contra verbum Domini.* Sed dubito per uſum continuum ס עִמְּדִי pro עִמִּי / an illa obſervatio ſatis ſit ſolida, & non potius ד per euphonicam epentheſin addatur; nec ſcio, quo pacto miniſterium mulieris queat ad excuſationem Adami facere, cui ille hinc potius non debuiſſet obſequi, niſi ſpectari velit Mulierem ut victus ſuppeditandi conſtitutam miniſtram. Eſt interim hæc Mulieris deſcriptio omnino compoſita ad ſui excuſationem, ſi non ſimul ad Dei accuſationem, tum quod eſſet *data* à Deo, tum quod ipſi tam arctè eſſet velut *addita*. Illa enim *ipſa*, inquit, αὕτη, הוא / non cum *Schurek* ſed *Hirek*, illa *mihi*, marito amanti nec carpenti ipſi, *de Arbore*, ſeu *de fructibus Arboris* apud *Jonathanem*, æque *dedit* quam edit ipſa prius abſque conſpecta aliquo damno. Quo ipſo tamen minime negat ille, perſuaſionem Mulieris verbalem acceſſiſſe, quæ optimè colligitur ex *verſſ.* 17. 20. *&c.* ſecundum ea quæ dudum ſcripſimus *Cap. III. §. 3. & 4.* Quamquam aliter ſtatuat cum aliis *Chryſoſtomus*; μὴ γὰρ παρεπάλεσε; μὴ γὰρ διελέχθη; μὴ γὰρ ἠπάτησεν; ἔδωκε μόνον; καὶ εὐθέως μὴ τοσαύτης εὐκολίας ὄσης ἡ μεταλήψις ὑπήχθης, ἀδεμίαν μνήμην ποιησάμενος τῆς ἐντολῆς, ἀλλ' ἐνόμισας ἀπατᾶσθαι παρ' ἐμοῦ, *&c.* Ex iſta autem datione hoc porro eſt conſecutum, *& edi*, in continenti, ואכל / nempe de Arbore ſeu ejus fructu, quod adeo ex manu mulieris accepi & deglutivi. Ita rem præcipuam, ſeu Eſum fructus vetiti agnoſcit Adam, neque enim poteſt aliter; ſed abs-

que

que apparente etiamnum magna humiliatione ſub Deo, aut ulla gratiæ ejus imploratione, imo cum excuſatione indecora ſui, & Conjugis ſuæ maligna ſeu invida quadam accuſatione; procul mentione amoris ſui in Mulierem qui ipſum huc impuliſſet. Per quas obſervationes aggravarunt heic Adami culpam ab ævo, cum *Auguſtino Lib.* XIV. *de Civ. D. Cap.* 14. *Sed eſt pejor damnabiliorque ſuperbia, qua etiam in peccatis manifeſtis ſuffugium excuſationis inquiritur, ſicut illi primi homines &c. Nuſquam hic ſonat petitio veniæ, nuſquam imploratio medicinæ. Nam licet iſti non ſicut Cain quod commiſerunt negent, adhuc tamen ſuperbia quærit in alium referre quod perperam fecit, &c. Sed accuſatio potius quam excuſatio vera eſt, ubi mandati divini eſt aperta tranſgreſſio. Neque enim hoc propterea non fecerunt, quia id mulier Serpente ſuadente, Vir Muliere impertiente commiſit, quaſi quicquam Deo cui vel crederetur vel cederetur anteponendum fuerit.* Quin & paſſim notant *Papiſtæ* in hac excuſatione Adami majorem longe culpam quam in illa Evæ, cum *Pererio*; *Excuſatio peccati in Adamo deteſtabilior fuit quam in Eva, nam hæc culpam in Serpentem tranſtulit, Adamus vero in Deum, dicens, Mulier &c q. d. tu dando mihi ſociam Mulierem peccandi occaſionem præbuiſti &c.* Qui & adduxit ex *Auguſtino* ſequentia haud in omnibus probanda verba; *Cum Adam de perpetrata à Domino argueretur inobedientia, non ſe humiliter ut culpa exigebat accuſavit, ſed Auctorem ſuperbiæ accuſavit dicens, Mulier &c. Hæc dicendo ſe putavit excuſatum, & ſic accuſavit Creatorem Mulieris, quæ ad peccandum virum traxerat in culpam. Qui ſi humiliter ſe accuſaſſet, & in auctorem ſuum culpam non retorſiſſet, à Paradiſo non exulaſſet.* Sed quidquid dediſſet Mulier ſocio, ederat tamen Adam de fructu abſolute vetito, cum ſciret contrarium Dei mandatum, atque ipſe in eſum conſentiret, qui obloqui redarguere & retrahere Mulierem potius quam ſequi in malo debuiſſet, tanquam caput ejus & fœderatæ in eo poſteritatis omnis naturalis. Unde & hanc apologiam Adami meritò redarguit *Chryſoſtomus*; Ἐλεεινὰ τὰ ῥήματα, πολλοῦ δὲ οἰκτιρμοῦ καὶ ἱκανὰ πρὸς φιλανθρωπίαν ἅπαντας τὸν δεσπότην, τὸ ἔτως ἥμερον καὶ ἀγαθότητι νικῶντα τὰ ἡμῶν πλημμελήματα, &c. Ταῦτα δοκεῖ μὲν ἀπολογίαν τινὰ ἔχειν, πάσης δὲ ἀπεριφρήτου συγγνώμης· ποίας γὰρ ἂν τις συγγνώμης ἄξιος φήσει τοῦ ἑαυτοῦ ἐντολῶν καταφρονητὴς, καὶ τοῦ παρ' ἑαυτοῦ ῥηθέντων προτιμητέρας ἡγησάμενος τὰς τῆς γυναικὸς λόγους; εἰ

οὐ γὰρ ᾔδει ἡ γυνὴ ἔδακεν, ἀλλ' ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμὴ καὶ ὁ φόβος καὶ ἀπειλὴ ἱκανὸς ἦν ἀποσοβῆσαι φυγεῖν καὶ μεταλαβεῖν. Μὴ γὰρ σὺ οὐκ ᾔδεις; μὴ γὰρ ἠγνόεις; &c. ὥστε εἰ καὶ ἡ γυνή σοι σὺν καὶ ἐβάστασεν τὴν ἐντολήν ὑπηρετήσατο, ἀλλ' ὑδὲ ὅτως ἀναίδυνον ἔση, ἀξιοπιστότερον γὰρ ἐχθρῶν ἡγήσασθε παρ' ἐμοῦ ἐντολῶν, καὶ ὃ μόνον αὐτόν σε ἀπαλλάσσει καὶ βρῶσιν, ἀλλὰ καὶ τῇ γυναικὶ δεῖξαι τὸ ἁμαρτημάτων τὸ μέγεθος, κεφαλὴ γὰρ εἶ τῆς γυναικὸς, καὶ δεῖ σε ἐκείνην παρήχθη, &c. Μηδενὶ ἐπιρρῴ τὴν αἰτίαν ἐπιφέρε. ἀλλὰ σαυτῷ καὶ τῇ σῇ ῥᾳθυμίᾳ, ὃ γὰρ εἰ μὴ ἠβουλήθης, ἡ γυνή σε ἠδύνατο εἰς τὸ ὀλιγῶν τοσοῦτον ἀγαγεῖν, &c. Solent autem etiamnum ita agere ad Adami exemplum homines peccatores, antequam divina gratia decenter emolliantur, ut peccata fateri coacti ea cum aliorum & Dei nonnunquam ipsius accusatione simul excusent. Sicuti & *Augustinus Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 34. postquam de Adamo scripserat, *nunquid dixit, peccavi? superbia habet confusionis deformitatem & non habet confessionis humilitatem*, subjecit; *Ad hæc ista conscripta sunt, quia & ipsæ interrogationes nimirum ad hoc factæ sunt, ut & veraciter & utiliter scriberentur, quia si mendaciter, non utique utiliter, ut advertamus quo morbo superbiæ laborent homines hodie, non nisi in Creatorem conantes referre si quid egerint mali, tamen sibi velint tribui si quid egerint boni &c.* Sed aliter agere vere humiles & decenter contritos peccatores constat, ad quos solent heic *Papistæ* applicare illud *Prov.* XVIII. 17. *justus prior est accusator sui*, quomodo reddit *Vulgatus* Hebræa, צדיק הראשון בריבו / juxta Græcos, δίκαιος ἑαυτῷ καλήγορος ἐν πρωτολογίᾳ.

VI. Hanc porro excusationis insufficientiam linquit *Jehovah Deus* Adamo nunc quidem meditandam, & *Mulieri*, tam graviter accusatæ, ac in & cum Adamo evocatæ, nec adeo à Viro absenti, ad hanc conversus, *dixit, quid hoc feciſti? vers.* 13. Voces Hebræas, מה זאת עשית / vertunt aliqui cum *Tremellio & Junio, quid hoc est quod feciſti? q. d. quale & quantum flagitium commisisti, quæ & offendisti & offensioni fuisti viro tuo?* Quod licet non sequatur in textu, *non* tamen *rejicit Piscator.* Sed absque illo supplemento Pronominis Relativi credunt alii geminam heic esse interrogationem, *quid? hoccine feciſti?* & plures מה heic positum esse pro למה / vel על מה / *coll. Exod.* XIV. 5. 11. *&c.* vertentibus hinc *Græcis* cum *Vulgato*, τί τοῦτο ἐποίησας; *quare hoc feciſti?* Per *hoc*, זאת / absolute positum intellige; aut illud omne quod fecerat peccans Mulier edendo

Divina Mulieris Interrogatio.

edendo & dando ad edendum viro, quodque erat indecentiſſimum ad ſtuporem uſque; aut Eſum ſolum proprium fructus vetiti, idem nempe quod in Viro taxatum jam fuerat & præcipuum crimen conſtituerat; aut ſolam directe Dationem fructus Viro factam, de qua Adam proxime locutus erat, per quam Eſus proprius minimè excludebatur tamen. Quod poſtremum ob rerum connexionem, & ſequens etiam Mulieris reſponſum, non debet diſplicere, *coll. verſ.* 14. Hoc autem non rogat Deus an *fecerit* Mulier, id quod Vir coram ea de ipſa dixerat merito tanquam verum ſupponens; ſed *quid*, aut *ob quid*, fecerit? viſurus an & illa prætextum aliquem eſſet adductura, in facto rationi omni adverſo. Ipſa nempe Mulier juxta Adamum ſub Fœderis Lege pro ſe erat conſtituta, etiamſi hanc immediatè accepiſſet ſolus Adam, ideoque & hæc à Deo erat ad examen juſtum vocanda. Confer *Fagii* Commentarium; *Emphaſim habet Pronomen* זאת / *nam non tantum ſimpliciter ad præcedens refertur, ſed ad totam illam tragœdiam de qua Dominus cum Adam agit, q. d. Cur tranſgreſſa es Legem? & cur etiam eò impietatis pertraxiſti maritum? &c. Sed quæſtio hic ſuboritur, cur ad Evam potius dixerit Deus, cur hoc feciſti? cum non Eva ſed Adam Legem à Deo acceperit. Ad hoc reſpondetur ab Hebræis quoque, etiam Eva, quia os de oſſibus Adæ & caro de carne ejus fuerit, Legem datam fuiſſe. Ad Evam vero potius quam ad Adam dicit, cur hoc feciſti, quod velit eam agnoſcere & confiteri peccatum ſuum, & non culpam rejicere in alium, quod deteſtatur & odit Dominus.* Utique in hac ipſa interrogatione, licet non ſit expreſſa præcepti Evæ dati mentio, inſinuatur hoc ſatis, quando ſit cum admiratione, ob quam *Calvinus* exponit, *quomodo feciſti hoc? qui fieri potuit? &c.* & cum indignatione haud levi facti indigniſſimi. Dum in ea irriſionis quoque ſpeciem aliquam ponit *Chryſoſtomus*; τί σοι τὸ ἄφελε γέγονεν ὁπὸ πονηρίας ἀπειρασίας; τί σοι τὸ ἀπάτης τὸ κέρδος, ἣν ἐκόσμια ἠπατήθης, καὶ τὸν ἄνδρα ἠνώχλησον τὸ ἀπάτης ἐξαμεῖν; &c.

Mulieris denique ad hanc Reſponſio.

VII. Ad hanc interrogationem ergo & *Mulier*, quæ hactenus tacuerat, reſpondendo *dixit verſ.* 13. (*quæ reſpondit* apud *Vulgatum*, liberrime pro ותאמר האשה /) *Serpens ſeduxit me, & edi.* De *Serpente*, נחש / cum loquatur Mulier qui ad ipſam locutus erat *verſ.* 1. illic jam docuimus intelligi Animal verum iſtius nominis à Diabolo obſeſſum, quem minus forte diſtincte adhuc noverat Mulier, & qui-

qui quod ſub Animali inviſibiliter latuiſſet nullo alio nomine peculiariter vel heic vel antea exprimitur. Ille, inquit Mulier, *me*, officii mei cæteroquin ſatis conſciam, *ſeduxit*, השיאני / ἠπάτησέ με, *decepit me*, apud LXX. & *Vulgatum*. Prolixius in ſenſum hujus Verbi Hebræi excurrit *Thomas Malvenda*; *Verbum* השיא *in Hiphil, ut hic ponitur, magnam deceptionem & ſeductionem, verſutam impoſturam ſerpentis indicat. In hac Conjugatione quatuordecies in Scriptura occurrit, & Noſter pluries per decipere, vel ſeducere, convertit, niſi his locis, Pſal.* LXXXVIII. 23. *proficere*, *Abd.* 7. *illudere*, *ibid. verſ.* 3. *efferre*, *Pſal.* LIV. 16. *venire*, *Iſa.* XXXVII. 26. *eradicare*, 2. *Reg.* XIX. 25. *eſſe in ruinam. Quæ omnes ſignificationes apte huic loco quadrent.* 1. *Serpens profecit in me, obtinuit quod volebat.* 2. *Proficere me fecit, ironicè ſcil. evaſi pulchre ſciens bonum & malum tanquam Deus.* 3. *Illuſit mihi ampliſſime & feliciter pro voto.* 4. *Extulit me ſuperbia, vel ironice ad dignitatem divinam, aut me extra me tulit, ſeu tulit mihi omnia bona, perdidit me.* 5. *Venit mihi, venit in me, aut circumvenit me.* 6. *Eradicavit me, validam inſertam & plantatam in juſtitia & ſanctitate originali.* 7. *Fuit mihi in ruinam, ſane maximam, qua totum genus humanum hauſit. Notant verbum* נשא *ſignificare, obruere aliquem, obtundere clamoribus, verbis & argumentis fallacibus perſuaſibilibus, & arte ſophiſtica obtrudere; quod hic mire in Serpentem congruit. Aliqui conſentiente voce exponunt, conjecit me in naſſam. Alii, perſuaſit mihi, concitavit. Nonnulli, oppreſſit me, vel deſolavit me, ut conveniat cum verbo* שאה / *nec deſunt qui, abduxit me, vel ſublevavit me, id eſt abduxit me à vero & recto, & ſublevavit me in vanitatem & appetitum ſciendi bonum & malum.* Sed tot quæſitis ambagibus heic opus non eſt, quando ex contextu omni & rei natura ſatis liquet, verbum illud, ſive referas ad נשא cum puncto ſiniſtro, ſive ad נשה / ſive ad נשח / ſive ad שאה / ſive ad שוא / &c. in ordinario ſignificatu *deceptionis* vel *ſeductionis* heic eſſe aptiſſimum; unde & paraphraſtice *Jonathan* habet, *ſerpens decepit me ſecundum ſapientiam ſuam, & ſeduxit me in improbitate ſua.* Eſtque in hoc verbo Mulieris non tam accuſatio Dei, qui Serpentem creaſſet, ac ſi illa vis in ה præpoſito lateret ſecundum obſervationem *Leon. Marii* & aliorum, conferentium Viri vocem de Muliere; quam quidem Serpentis, qui ipſam non modo ab officio ſuo & propoſito præmio in culpam indecentem & pœnam magnam abduxiſſet, ſed & frau-

dulento ſermone circumveniſſet ad hoc. Addit quoque Mulier, *& edi* mox, de fructu nempe Arboris vetitæ quem mihi ſumpſi contra tuum præceptum. Quia Hebræa vox per *Tſere* in fine punctatur, pro Participio eam habuerunt aliqui Maſculino, in quo Mulieri tributo myſteria tum etiam quæſita ſunt, uti à *Malvenda*; אוכל *participium præſens maſculinum idem omnino quod in præc. verſu Viro tribuitur, & comedens fui, vel & comedo. Sic enim Latini interdum loquuntur & rem præteritam per præſens enuntiant ut quaſi ob oculos ponant. Nec ſine myſterio Mulieri tribuitur participium maſculeum; ut animum maſculum ſuperbum ac validum ad tranſgrediendum Dei præceptum innueret; vel ut unum idemque peccatum Mulieris & Viri ejus indicaret, quod præcipue maſculum erat, nam ſi ſola Heva peccaſſet non nocuiſſet generi, ex ſola enim traduce virilis ſeminis propagatur peccatum in poſteros.* Sed omne illud myſterium concidit, quando attendimus non tantum אוכל / ſed etiam תוכל & יוכל in futuro tam per *Tſere* quam per *Patach* ſolere punctari; ut non ſit cur heic de Participio Maſculino cogitemus. Iſtum vero Eſum quando per copulam Eva nectit, non ſpectat tantum finem ſed & ſimul effectum ſeductionis ſerpentinæ; nec tantum fatetur culpam ſuam per Serpentis aſtutam malitiam, ſed & uti per ſeductionem excuſat eſum ita etiam per eſum ſuum proprium juxta illam excuſat dationem fructus Adamo factam, quo ſic divinæ interrogationi magis reſpondeant Mulieris voces. Ut non neget ſe dediſſe Viro edendum, neque ad hoc plane taceat, ſed hoc videatur velle, ſe nequaquam per invidiam aut deteriorem affectum in Virum fuiſſe motam ad dandum illi fructum, ſed ipſam ſeductam prius etiam ediſſe ante virum abſque præſenti tum mali ſenſu. Niſi libeat, ſeductionem Serpentis directe etiam referre ad dationem illam, dum ſuaſerit ille non uni Mulieri ſed huic etiam una cum viro ad certiorem & majorem utriuſque felicitatem edere, juxta locutionem Serpentis pluralem, *non moriendo moriemini &c.* Præterquam quod heic annotavit *Clericus*; *An hoc tantum dixerit Heva, an vero qua illa deceptio fuerit fuſius expoſuerit, nobis conſtare nequit, quia neſcimus, an verba ipſa Hevæ an eorum ſenſum idque per compendium referat Moſes. Nam ut diximus ad verſ. 3. in directis orationibus ſæpe ſolus continetur ſenſus.* Quæ hactenus dicta probari poſſunt præſequentibus; *Cæteroqui frigide admodum fœdum factum excuſans inducitur prima parens, quippe qua ſemet*

ipſa

ipsa decepisset, dum Creatorem invidia in animo suo insimularat. Debuit enim Moses per compendium rem referens ejus tamen præcipuam summam nobis exponere; neque hoc in dubium debet vocari, quin Mulieris excusatio sit satis frigida, cum meliorem illa in fœdo scelere nullam reperire posset. Unde est illa *Chrysostomi* observatio; Ὅρα γὰρ ταύτην ἐν ποίᾳ δεινὰ καθεζομένην καὶ ἀπολογουμένην ὡς ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις· καθάπερ γὰρ ὁ ἀνὴρ τὴν αἰτίαν ἔδωκε τῇ γυναικὶ ἔδοξε μετάγειν λέγων ἡ γυνὴ ἣν ἔγνως μοι καὶ ἔφαγον, οὕτω καὶ αὐτὴ τὴν ἀθεμίαν εὐρίσκουσα ἀποφυγὴν ὁμολογεῖ τὸ γεγενημένον, καὶ φησιν, ὁ ὄφις ἠπάτησέ με καὶ ἔφαγον, τὸ πονηρὸν ἐκεῖνο θηρίον τοῦτον ἡμῖν τὸν ὄλεθρον ἐπεξεύρηκεν, ἐκείνου ἡ ὀλέθρια συμβουλὴ εἰς ταύτην ἡμᾶς τὴν αἰσχύνην ἤγαγεν &c. Καὶ αὐτὴ πάλιν ἀπολογίαν συντιθεῖσα οὐκ εἶπεν, ὁ ὄφις ἠνάγκασέ με καὶ ἔφαγον, ἀλλὰ τί; ὁ ὄφις ἠπάτησέ με, ἔδει ἀπατηθῆναι καὶ μὴ ἀπατηθῆναι κυρία ἦν &c. Ὅρα γὰρ, ἐχθρὸς τῆς ζωτικῆς τῆς ἡμετέρας, ἐπεργάζεται διὰ τοῦ πονηροῦ ἐκείνου θηρίου, καὶ τῇ συμβουλῇ εἰσαγαγὼν ἠπάτησεν, οὐκ ἠνάγκασεν, οὐκ ἐβιάσατο, ἀλλὰ διὰ τῆς ἐλευθερίας συμβουλῆς τῷ ἀπάτῃ εἰς ἔργον ἤγαγεν· ἐπειδὴ εὗρε τὴν γυναῖκα εὐκόλως δυναμένην βλαφθῆναι ἢ ἀπάτῃ ἢ πάσης τῆς συμβουλῆς ἐστερημένην, &c. Debuerat utique Mulier Deo magis obedire fœderaliter mandanti, quam Serpenti occasionaliter suadenti; neque viribus ingenii atque voluntatis adversus seductionem fuerat ipsa destituta, si his decenter fuisset usa; dum nec alterius suasio, nec propria etiam deceptio, à peccato quemquam male agentem liberat, etiamsi culpam vulgo quadantenus minuat.

CAPUT UNDECIMUM.

Quo Sententia Dei in Mulierem lata declaratur.

Examinis Divini proxima sequela.

Post rei hominis Examen diligens solet sequi judicis in eundem Sententia. Quam cum ferre absque mora omni potuisset gravissimam Deus in Hominem utrumque reum confitentem, & leviter excusantem, differt ille tamen & moderatur gratissimo modo. Quandoquidem Serpentem, primum transgressionis autorem quem Mulier nominaverat, etiam absque antecedenti interrogatione ulla quæ heic minus erat necessaria, ita mox ante omnia damnat ut hoc ipso salutem

lutem ex ſingulari gratia promittat Homini cum parte Seminis ſui magna *Gen.* III. 14. 15. de qua re agetur à nobis *Lib. IV.* Dein tamen Hominem utrumque voluit ſentire tranſgreſſionis propriæ malum ac diſplicentiæ ſuæ fructum amarum. Atque heic denunciationis pœnalis initium facit à Muliere, quæ prior ab ipſo defecerat ad Satanæ ſeductionem; juxta textum Moſis *Gen.* III. 16. *Ad Mulierem dixit, multiplicando multiplicabo dolorem tuum & pregnationem tuam, in dolore paries liberos, & ad Virum tuum appetitus tuus, & ipſe dominabitur in te.*

Dei in Mulierem Sententia.

II. Prodit hic ipſe ſermo, non minus quam præcedens contextus *verſ.* 14. loquentem *Jehovam Deum*; qui heic pro tribunali agens, *ad Mulierem*, ſeductam & ſeductricem, *dixit*, eam coram compellans, ſententiam pro meritis quidem leviſſimam ſed in ſe duram tamen & ingratam; πρὸς τὴν γυναῖκα εἶπε, *Mulieri quoque dixit*, habent prò Hebræis, אל האשה אמר / LXX. & *Vulgatus*. Eſt ea autem Mulieri plane ſpecialis; dum hæc partem ſuam quoque erat habitura in ſententia Adami ut repræſentantis genus integrum humanum utriuſque ſexus. Eſtque fere bimembris, tanquam dolorem primo, & ſervitutem dein ei denuncians; prout utrumque hoc malum rurſus plus quam una phraſi declaratur. Nec prætermittitur heic expreſſe culpæ repetitio, quando hæc ex antecedenti narratione integra ſatis poterat conſtare tum Mulieri tum nobis.

Dolor & Prægnatio Mulieris declaratur.

III. In primo ſententiæ membro memoratur primum *tuus*, Mulieris compellatæ, ſeu *labor*, ſeu *agritudo*, ſeu *dolor*, עצבון / & *tua*, ejuſdem Mulieris, *prægnatio*, ſive *geſtatio*, והרונך / cujus utriuſque *multiplicationem* denunciat Deus. Pro Hebræa voce prima habent LXX & *Vulgatus* pluraliter τὰς λύπας σου, *erumnas tuas*, etiam *Onkelos* צערכי / pro altera *Graci*, καὶ τὸν στεναγμόν σου, ſed *Vulgatus*, & *conceptus tuos*. Accipiunt vero primam, in qua ו *ad auxeſin doloris* refert *Malvenda*, aliis id trahentibus ad diminutionem præſentem, generalius aliqui de omni dolore Mulieri præ viro ſuperveniente, ex quo ſpecialim dolor geſtationis dein nominetur; uti ſic *Tremellius & Junius* verterunt *dolorem tuum, etiam conceptus tui*, atque annotarunt, *inde a conceptu dolori conjuncta erunt geſtatio, partus, educatio & cura liberorum, quam ad functionem obeundam viro jungeris* 1. *Tim.* II. 15. & *Cl. Coccejus* etiam loquitur de *plurimo dolore ex multis cauſis*. Dum alii cum *Jarchio* nomen illud ad moleſtiam educationis liberorum, de quorum geſtatione & partu dein

dein agitur restringunt; vel cum *Fagio* nomen illud pro genere habent cujus species sint sequens dolor gestationis & partus; vel etiam ut speciem aliam plane à gestatione & partu distinguunt cum *Jonathane*, heic habente בעצב תלדי בנים *afflictiones tuas per sanguinem virginitatis*. Cum quibus exegesibus omnibus possumus etiam conferre *novem* præter mortem *maledictiones* quas dicitur Deus fœminæ impertiisse apud *R. Eliezerem* Cap. XIV. quæ sunt *afflictio sanguinis menstruati, sanguinis virginitatis ejus, &c.* Est tamen apud Interpretes longe communius primum illud nomen עצבון considerare tanquam pertinens plane ad sequens הרונך / per quod idem determinetur & specifice magis explicetur, ut sit adeo *dolor tuus & prægnatio tua* tantundem quam dolor prægnationis tuæ, per Hendyadyn, quam etiam *Corn. à Lapide* heic ponit collato illo Poëtæ, *aurum frænosque momordit, id est frænos aureos mormordit*, dum Grammatici exempla ejus ex Scripturis collegerunt dudum plurima, & ex *Picherello* tam sacra quam profana varia adduxit *Gatakerus*. Sed uti *erumnas conceptuum* tum latissime præter rem extendit *à Lapide*, ad eas quæ sunt *ante conceptum*, ut *sordes & fluxus menstrui*, quæ sunt *in ipso conceptu*, ut *defloratio pudor & dolor*, & quæ sunt *post conceptum*, ut *immunditia, fœtor, retentio menstruorum, incontinens appetitus, pondus prolis per novem menses, fastidia spasmi, & plurima pericula, de quibus Aristoteles Lib. III. de Hist. Anim. Cap. 4.* ita mirum est, quam divagentur heic Latini aliqui ex occasione vocis *conceptuum*, quam & ad ipsos fœtus conceptos trahunt, dum alii spectarunt ad tempus gestationis. Hoc nempe postremum ex *Hier. Oleastro* producit *Pererius, arbitranti si non peccasset primus homo fore ut statim proles concepta ederetur in lucem, in pœnam autem peccati tempus illud per novem menses multiplicatum & prolatatum esse*; sed & rejicit ille tanquam *falsum absurdum & ridiculum*, quod ea fœtus mansio in utero naturalis sit & ex causis naturalibus proficiscatur; etiamsi nos putemus ex præsenti naturæ corruptæ conditione debiliori eam in primæva integritate per omnia non posse æstimari. Ast illud de ipso fœtu concepto spectavit dudum *Rupertus Lib. III. de Trin. Cap. 22. Quia Serpenti credidit dicenti, eritis sicut dii, juste ipsa, contra hoc quod Deus vivorum est & non mortuorum, non vivorum sed mortuorum esse mater meruit, dicente Deo, multiplicabo conceptus tuos. Omnes enim conceptus ejus anima & corpore in peccato mori-*

moriuntur, & nemo eorum vivit niſi vivificetur per Chriſtum. Quod quam ſit abſonum, ubi de fœtus morte corporali vel ſpirituali nihil eſt in textu, & prolis multiplicatio pro benedictione eſt habenda, tenetur tamen à plurimis cum aliqua uberiori exegeſi. Uti ſic ipſe *Pererius* ſcribit; *Multiplicatio conceptus quatuor ob cauſas intelligitur poſt peccatum eſſe pœna mulieris & magnum quoddam malum. Primum quoniam multi conceptus, priusquam ad maturitatem & perfectionem veniant, per abortum in utero matris intereunt. Deinde quia multi generantur partium corporis vel mole vel numero vel figura vel ſitu vel imbecillitate & deformitate vel ſenſuum vitio vel animi & rationis defectu depravati atque monſtroſi, quod maximo dolori eſt parentibus. Præterea eorum qui generantur pauci ſunt electi & prædeſtinati, plerique vero propter eorum flagitia æternis ſuppliciis deſtinati. His accedit, multitudinem prolis plerunque, vel ob parentum paupertatem cui educandæ non ſufficiunt, vel propter flagitioſam & probroſam vitam, vel propter miſerrimos caſus & exitus, acerbiſſimum parentibus tormentum & infortunium eſſe ſolere.* Ad quæ omnia hoc obſervare oportet, quod ſic male ipſam rem optabilem expreſſiſſet Deus pro ejus accidentibus aut conſequentibus moleſtis, quorum nulla quidem in hoc textu fit mentio; quodque ea non amplius fere ad Mulierem quam ad Virum ſpectent. Sed nec ipſam vocem *conceptus* heic adeo eſſe commodam quam quidem illam *prægnationis*, optime oſtendit *Doct. Gatakerus Adverſ. Miſc. Lib. II. Cap. 3. Cæterum quod* מ הרון *quaſi unanimi conſenſu Conceptum vertere, haud itidem probandum cenſuerim. Etenim conceptus dolores quis unquam fando accepit? In conceptu lubentia magis conſuevit eſſe, in geſtatione & parturitione anxietas &c. Nec vero ſatis hic fuerit Conceptus nomine prolem ipſam ſive rem conceptam intelligere, licet* הרון *ita uſurpetur Ruth.* IV. 13. *ſed & Latinis Conceptus eo ſenſu ſumatur, unde mortuus Conceptus Plinio Lib.* XX. *Cap.* 22. *Neque enim concepta prolis ſed geſtantis parientiſque dolores hi. Sed nec per ſynecdochen totum uteri ferendi ſpatium Conceptus nomine deſignari, quia is eſt alter intervalli terminus &c. neque enim à conceptu ſtatim incommoda illa quæ prægnantes infeſtant mulieres invadunt, &c. Itaque Oleaſtrius haud abſurde* הרון *Gravidationem vult verti; mihi optio ſi detur, Prægnatum prætulerim, quam vocem apud Tertullianum alicubi memini legiſſe, vel Prægnationem etiam, qua Varronem uſum oſtendimus. Verbum* הרה *proprie*

præ-

prægnantem esse ἐν γαστρὶ ἔχειν, *quomodo Græci LXX. reddidere*, Gen. XVI. 4. *Iud.* XIII. 3. collato etiam Ischomachi joco ex *Athenæo*; *&c. A verbo* הרה *prægnantem esse fit nomen verbale* הרה *prægnans* ἐν γαστρὶ ἔχουσα, *ut Græci Matt.* I. 18. XXIV. 19. *Apoc.* XII. 2. *Iesa.* VII. 14. 2. *Sam.* XI. 5. *Gen* XVIII. 11. 1. *Sam.* IV. 19. *&c.* quod ille etiam notat habere affinitatem in voce & externa apparentia cum הר *monte &c.* Utique licet dolores prægnationis etiam dici possent dolores conceptus tanquam ex conceptu ortum suum habentes, rectius tamen illi prægnationis ab immediata & durante sua causa dicentur; neque dubium est ex modo dictis & adductis, quin הרון per *prægnationem* continuatam rectius quam per *conceptum* transeuntem reddatur. Enimverò, licet non abhorrerem alias à voce עצבון distinguenda, tanquam vel generalius dolores & infirmitates muliebres vel specifice eas quæ opponuntur doloribus & infirmitatibus prægnantium notante, ab altera הרון / videtur tamen fere necessarium ut conjungendo voces duas dolorem prægnationis heic reperiamus solum expressum, quando multiplicatio prægnationis per se nullum sensum pœnalem fundit. Atque ita rem plurimi, etiam ex *Papistis*, capiunt, ipso quoque scribente *Pererio*; *Vel illud, multiplicabo conceptus & ærumnas tuas, sic dictum est modo loquendi divinæ scripturæ non infrequenti, ut si dictum esset, multiplicabo conceptus tuos cum ærumnis, vel in conceptibus tuis multiplicabo tibi ærumnas, seu ut vox Hebræa sonat, dolores, angustias, compressiones, & alia mala quibus mulier afficitur dum fœtum gestat in utero. Multa enim eo tempore contingunt Mulieri valde molesta & acerba, ut cibi fastidium, frequens suspiratio, tardus motus, color infestus, pericula abortus, notabilis animi & corporis perturbatio & vexatio*; collato ad id *Plinio Lib. VII. Cap. 6. & 7.* ac *Aristotele Lib. VII. Hist. Anim. Cap. 4.* Uti rem eandem breviter dixit *Grotius*; *Ærumnas ex conceptu, prægnantium scilicet mala. Frequens sacris literis figura* ἐν Δεῖ δυοῖν. *Vide quæ notavimus ad Ioh.* III. 5. Et hunc secutus est nuper etiam *Clericus*; carpens tamen quod ille textum hunc perperam inverso ordine illic citaverit, ac si legeretur heic *conceptus & dolor.*

IV. Istum dolorem prægnationis Mulieri per Pronomen repetitum *tui* non modo adscribit Deus judex, sed etiam ejus *multiplicationem* per geminatum verbum. Sicuti autem non minus recte illud pronomen heic fuit adhibitum respectu temporis futuri solius in quo dolor ille obtineret & pœnæ jam incumbentis, quam re- Ejus Multiplicatio quo pacto intelligenda.

ſpectu aut temporis lapſum præcedentis quo certe dolorem illum experta nondum erat, aut ipſius conditionis naturæ ex qua illum fluxiſſe non putamus; ita nec *multiplicatio* infert dolorem aliquem ſimilem, qui vel fuerit ante peccatum aut quem natura mulieris in prægnatione neceſſario ſubiiſſet, & qui nunc tantum eſſet adaugendus. Phraſis enim illa, הרבה ארבה / *multiplicando*, ut ſit infinitivum irregulariter punctatum, vel *multum*, ut ſit nomen adverbiaſcens, *multiplicabo*, πληθύνων πληθυνῶ apud LXX. *multiplicabo* ſimpliciter apud *Vulgatum*, quam *magnitudinis* non minus quam *multitudinis* rationem habere & hinc *augendo augebo* vertere ſe malle ſcripſit *Gataker*us, dicit ita certam magnam variam & durantem multiplicationem doloris; ut ipſa illa multiplicatio innuat dolores eos prægnationis fore non comparative plures aut majores quam hactenus fuiſſent aut futuri fuiſſent, ſed poſitive multos & magnos qui nulli hactenus fuerant aut futuri fuerant. Quæ res Linguæ Hebrææ peritis nequit eſſe dubia, quando verbi רבה / notantis per ſe non *plus* aut *majus* ſed *multum* aut *magnum eſſe*, forma *Hiphil* ſignificationem tantum facit tranſitivam abſque majori ejus mutatione; quod in verbis ſimilibus omnibus hanc aut illam qualitatem rei aut perſonæ exprimentibus perinde obtinet. Neque enim aliter judicare poſſumus, quam hominis dolorem & moleſtiam omnem, adeoque etiam prægnationis conceptum ſequentis quæ juxta partum in integritate obtinuiſſet, eſſe fructum malum peccati, à quo ſi abſtinuiſſet homo non ſiviſſet Deus ipſius felicitatem dolore aliquo vel minimo turbari, prout hunc omnem etiam à prægnantibus ſemper avertere non minus facile fuiſſet Deo, quam ei nunc eſt eundem quoad gradum majorem & certa temporum momenta in multis cohibere. Ergo Deus eſt doloris hujus muliebris autor, non tanquam creator ſed Judex, onera prægnantium augens vireſque earum minuens; cujus in hac decernenda adverſus Mulierem pœna æquitas poſſet etiam amplius oſtendi, quatenus quæ deglutierat cum voluptate fructum vetitum & eundem deglutiendum viro ſuo dederat, nunc etiam in ventrem viro interveniente erat receptura fœtum qui ipſam multum angeret. Quod & ad ſequentem partus dolorem obſervavit *Rupertus*. Ut mittam alia ſimilia.

Liberorum Partus in Dolore.

V. Sed doloris prægnationis terminum & complementum ſimul addit Deus, ſicut ad labores vitæ hujus deinde *verſ.* 10. in ſententia Ada-

Adami mortem adjecit. Dicit enim porro Deus ad Mulierem; *In dolore paries liberos.* Res ipsa non est nova aut pœnalis, sed ex antiqua benedictione creationem secuta per Dei bonitatem reliquam omnino fluens; *liberos*, seu *filios* filiasque sub iis passim comprehensas, non unum aut paucos sed multos, ex quibus dein habeas & videas nepotes, *paries*, seu post conceptum & prægnationem proferes in lucem & vitam, & quidem decenti tempore & modo integros etiam, תלדי בנים / τέξῃ τέκνα apud LXX. Verum in pœnali denunciatione spectatur istius rei bonæ & lætæ modus, futuram scilicet eam esse *in dolore*, seu cum & per laborem molestum qualis in prægnatione antea multiplicandus dicebatur; בעצב / ἐν λύπαις apud LXX. בעצר apud *Onkelosum* & *Jonathanem*. Neque dubium esse debet, quin *dolor* hic, in quem terminatur prægnationis dolor multiplicatus ipse, intelligatur satis magnus; non tamen comparative major quam videri is posset ante lapsum vel fuisse vel futurus fuisse, unde est heic locutio nullo modo comparata sed plane absoluta, *in dolore paries liberos.* Sed, inquiunt nonnulli cum *Pererio*, *naturale est mulieri cum labore ac dolore filios parere, naturalis enim uteri meatus angustior est, quam ut per eum fœtus exire possit &c.* collata etiam hujus rei deductione ex *Basilio. Si igitur naturale est mulieri parere cum dolore, quomodo Deus Evæ pro sceleris admissi pœna dolores partus inflixit?* Et respondet ipse mox; *Verum in statu innocentiæ Deus singulari quadam & supernaturali ratione Mulierem omni labore & dolore partus liberasset, fecisseque ut fœtum & sine labore ac molestia in utero gereret & sine ullo doloris sensu in lucem ederet; qua Dei gratia & beneficio propter peccatum privata mulier obnoxia fuit doloribus partus. Qui sane dolores simpliciter quidem naturales sunt Mulieri, respectu autem habito ad statum innocentiæ, in quo ab hujusmodi doloribus immunis & vacua Eva fuisset, peccati pœna censeri debent.* In quibus hoc omnino improbari debet, quod dolor ponatur ut naturalis absolute & simpliciter ante lapsum ipsum in muliebri partu, quodque supernaturali miraculo ille etiam ante peccatum fuerit avertendus, uti dein rursus repetit; *At enim scire oportet, vacuitatem illam dolorum in partu non tantum non potuisse proficisci ex ulla causa naturali, sed neque ex aliqua virtute supernaturali in corpore & membris ipsius mulieris inhærente ac manante esse profectam, verum quotiescunque id fiebat, novo Dei potentiæ miraculo fiebat, quanquam quia id fuisset in eo statu usitatum & perpetuum non fuis-*

set pro miraculo habitum. Scilicet hoc est ex eodem principio *Pelagiano*, ex quo alias ipsa quoque Mors corporea urgetur ut naturalis homini absolutè, sed Immortalitas ejus ut donum supernaturale Adami. Et consentit plane *Clericus*; *Hic autem dolor, qui pronè est muliebre corpus sine miraculo vitari nequiret, in pœnam vertit, quod in hominum innocentium gratiam multa præter naturæ ordinem efficere potuisset Deus.* Enimvero nullus dolor ex natura per se & naturali ac necessario corporis usu fluit aut fluere potest; sed is omnis certissimè est peccati consequens. Nec ulla est ex muliebris corporis constitutione necessitas absoluta doloris in partu; quando & sopor, qualis immissus fuit Adamo in formatione Evæ ex ipso, eum potuit tempore partus impedire; & partum retardantia ac difficilem reddentia incommoda à fœtu arceri; & uteri muliebris partes molliter laxatæ exitum facillimum illi præbere, juxta illud *Augustini Lib.* XIV. *de Cap.* 26. *ut ad pariendum non doloris gemitus sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret &c.* Dum de *Arbore Vitæ* heic absque fundamento loquitur *Grotius*, tanquam *quæ faciliores* mulieri non peccanti *fecisset partus quam nulla aristolochia.* Quo modo si dolor à partu omnis potuit facillime abesse & certissime abfuisset, non est sane ut de congressu absque dolore simus adeo soliciti, ut vel congressum omnem ad generationem hominibus integris denegemus, ex simplici divina benedictione proventuris tum posteris, quod ab omni Scriptura & ratione abhorret, vel ad extraordinarium heic quoque miraculum recurramus. Non male in hanc rem iterum *Augustinus loc. cit. In tanta facilitate rerum & felicitate hominum absit ut suspicemur non potuisse prolem seri sine libidinis morbo sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra quo tatera, & sine ardoris illecebroso stimulo cum tranquillitate animi & corporis nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris. Neque enim quia experientia probari non potest ideo credendum non est, quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, sed spontanea potestas sicut opus esset adhiberet, ita tunc potuisse utero conjugis salva integritate fœminei genitalis virile semen immitti, sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Eadem quippe via posset illud injici qua hoc potest ejici &c.* Sed sicut antea *Augustinus Cap.* 23. de hoc argumento non egerat nisi cum multa verecundiæ protestatione, ita idem heic quoque agit, & nos merito cum eo dicimus, *impedii loquentem*

pu-

pudor, etsi non deficiat ratio cogitantem. Est autem dolor partus in Muliere præ aliis animantibus, de quo heic agitur, non tantum communiter per experientiam quotidianam notus, & à Physiologis Medicisque latius descriptus, sed & passim in Scripturis celebratus ut gravissimus & acutissimus *Psal.* XLVIII. 7. *Ies.* XXI. 8. XXVI. 17. *Ier.* VI. 24. *&c.* sicuti & *Homerus* Agamemnonis vulnerati cruciatus descripturus dixit *Iliad.* XI.

Ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα,
Δεινὰ, τά τε Εἰλείθυια μογοστόκοι ἐπέβηκαν
Ἥρης ἰφθίμης πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσα.

Et faciunt ad doloris istius acerbitatem comprobandam, tum oriens inde magna & longe sæpe debilitas, tum supervenieus frequenter ipsa Mors, uti in Rachelitico partu Binjaminis *Gen.* XXXV. 17. 18. 19. Merito ergo & dolor ille partus in pœnam haud exiguam Mulieri à Deo denunciatur, & post dolorem prægnationis subjicitur, qui in eum exit & in eo augetur plurimum.

VI. Aliud Pœnæ Muliebris genus constitit in ejus servili subjectione, exprimiturque gemina phrasi inter se relativa; *Et ad Virum tuum appetitus tuus, & ipse dominabitur in te.* Phrasin primam illustravimus olim studiose *EXERC. TEXT. II. Part.* 1. sicuti & de analoga altera deinde diximus in *Anal. Exeg. Cant. Cap.* VII. 10. §. XVII. quæ loca vide. Scilicet pro Hebræis vocibus, ואל אישך תשוקתך / habent LXX. καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σὺ ἡ ἀποστροφή σου quasi legissent תשובתך / notante etiam *Clerico*, dum *Aquila* ex annotatione *Hieronymi* pro ἀποστροφὴ posuit *societatem*, & *Symmachus appetitum vel impetum*, uti *Onkelos* adhibuit vocem תאובתך / & *Ionathan* טוכך / sed *Vulgatus* omnium liberrime, *& sub viri potestate eris.* Ipsam autem vocem Hebræam תשוקה aliqui deducunt à שׁפק / sensu *discurrendi* aut *accurrendi*; quando heic reperiunt *recursum*, *cursitationem*, vel *accursitationem*, Mulieris *ad Virum* suum, seu tutelæ fruendæ & auxilii implorandi, seu consilii rogandi & voluntatis cognoscendæ, seu jussus exsequendi, seu indivulsæ sequelæ, causa. Dum de *gressu* & *itione animi* heic loquitur generatim *Cl. Gussetius*, qua *tenditur ad aliquod objectum mobilius, perfectionis causa, saltem ejus quæ in honore consistit, plus enim honoris esse sociari superiori, quapropter ad hanc societatem tenditur, seu acquirendam seu conservandam, & ea redimitur libenter aliquo pretio, etiam patiendæ dominationis ejus.* Sed

Mulieris Appetitus ad Virum, cum hujus in eam Dominio.

mirum eſt & adverſum plane contextui quod addit ; *Quapropter pœna non eſt, nam nec pœna eſt Gen.* IV. 7. *nec Cant.* VII. 10. *quare ergo eſſet Gen.* III. 16. *imo naturale quid eſt ac perfectivum, commendatur itaque tantum officii nomine.* Alii autem vocem תשוקה derivant à cognato פשק ſenſu *appetendi* ; quando heic cogitant de appetitu Mulieris, vel tendente ad Viri ſeu dominium ſeu curam ſeu præſentiam ſeu congreſſum, vel qui ſit *cum* Viro huic minime adverſus, ſeu *juxta* Virum ad ipſius placitum , ſeu *apud* Virum ut non exſequatur cum Mulier ipſo invito ſed potius id appetat æque quam agat quod ipſi placet, quod etiam Latine dici poteſt *ad Virum.* Id certum eſt, ſive una ſive alia ex his explicationibus placeat, ſubjectionem Mulieris ſub Virum ſuum Adamum heic potius quam aliud quidquam ſignificari; ducente illuc amplius, tum uſu hujus ejuſdem phraſios de Habele reſpectu Kajini cui ut primogenito ſubjectus erat *Gen.* IV. 7. tum correlata phraſi de Viro addita, *& ipſe*, Adam Vir tuus, ad quem appetitus tuus erit, *in te*, uxorem ſuam, *dominabitur*, non tantum excellentia multiplici præ te, ſed & imperio ſupra te hujuſque actibus variis, quemadmodum & hoc de Habele reſpectu Kajini dicitur *Gen.* IV. 7. καὶ αὐτός σε κυριεύσει, *& ipſe dominabitur tui*, apud LXX. & *Vulgatum.* Nec eſt qui attendens non videat , hanc ſubjectionem Mulieris ſub Virum ſuum cum Viri Dominio in eam eſſe ita gravem & pœnalem inter ejuſdem naturæ participes ac matrimonii vinculo arcto junctos, ut etiam ſit ad peccatum Mulieris à Viro ſuo per Lapſum divagatæ & hujus lapſum ſuaſione ſua quoque cauſatæ prorſus accommodata. Secundum id quod prolixius inculcat *Chryſoſtomus*; Μονονυχὶ ἀπολογούμενον πρὸς τὴν γυναῖκα ὁ φιλάνθρωπος θεὸς ταῦτά φησιν , ὅτι ἐγὼ μὲν ἐξ ἀρχῆς ὁμοτιμίαν σε ἐδημιούργησα , καὶ τὴν αὐτῆς ἀξίαν ἐν ἅπασιν αὐτῷ κοινωνεῖν ἐβουλήθην, καὶ ὥσπερ τῷ ἀνδρὶ ἔτσι καὶ σοὶ τὴν τῶν πάντων ἀρχὴν ἐνεχείρισα, ἀλλ' ἐπειδὴ σὺκ ἐχρήσω εἰς δέον τῇ ὁμοτιμίᾳ , διὰ τοῦτό σε ὑποτάττω τῷ ἀνδρὶ &c. ἐπειδὴ καταλιποῦσα τὴν ὁμότιμον , καὶ τὴν αὐτῆς σοὶ φύσιν κοινωνοῦσα , καὶ δι' ὧν ἐδημιουργήθης , τῷ ποιητῇ θηρίῳ τῷ ὄφει εἰς ὁμιλίαν ἐλθεῖν ἠβουλήθης , καὶ ἢ παρ' ἐκείνου δέξασθαι συμβουλήν. διὰ τοῦτό σε λοιπὸν τούτῳ ὑποτάττω, καὶ τοῦτόν σοι κύριον ἀποφαίνω , ὥστε ἢ τούτου δεσποτείαν ὑπομένειν, ἢ ἐπειδὴ σὺκ ἔγνως ἄρχειν μάθε καλῶς ἄρχεσθαι , &c. βέλτιόν σε ὑπὸ τοῦτον εἶναι καὶ τοῦ τούτου δεσποτείαν τυγχάνειν , ἢ ἀδείας ἀπολαύοντα καὶ ἐξουσίας καὶ χρημάτων φέρεσθαι· ἐπεὶ καὶ ἵππῳ λυσιτελὲς ἂν γένοιτο

χα-

χαλινὸν ἔχει ἑαυτὴν βαδίζειν, ἢ ἀνδρὸς τούτου χεῖρας φέρειν, &c. Sed quæ in his præmisit *Chryſoſtomus* de præcedenti Mulieris cum Viro paritate haud videntur poſſe conciliari cum Pauli dictis quibus Viri Dominium ſuper Mulierem ex ipſa creatione derivat; tum 1. *Tim.* II. 12. 13. γυναικὶ δὲ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω, οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρός, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ, ἀδὰμ γὰρ πρῶτος ἐπλάσθη, εἶτα Εὔα, &c. tum 1. *Cor.* XI. 7. &c. *Vir enim non debet tegere caput, eikὼν καὶ δόξα θεοῦ ὑπάρχων, γυνὴ δὲ δόξα ἀνδρός ἐστι, οὐ γάρ ἐστιν ἀνὴρ ἐκ γυναικὸς, ἀλλὰ γυνὴ ἐξ ἀνδρός, καὶ γὰρ οὐκ ἐκτίσθη ἀνὴρ διὰ τὴν γυναῖκα, ἀλλὰ γυνὴ διὰ τὸν ἄνδρα, &c.* Unde dubium quod inde oritur ita rectè ſolet ſolvi, ut dicatur ſubjectionem Mulieris ſub Maritum, quæ lubens & facilis fuiſſet, poſt peccatum pœnalem evaſiſſe; tum per Muliebris animi naturalem nunc averſationem ab ea, qui in Deum rebellis in maritum quoque talis deprehenditur; tum per Viri, ſimiliter corrupti, ſeu ſeveritatem majorem ſeu etiam manifeſtam iniquitatem, quam ipſa tamen ferendam haberet, quorſum ſpectavit ſorte *Jonathan*, ad Viri dominium adjiciens, & *ad mundandum & ad peccandum.* Conſer *Auguſtinum Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 37. *Videndum eſt quemadmodum proprie poſſit accipi. Neque enim & ante peccatum aliter factam fuiſſe decet credere Mulierem, niſi ut Vir ei dominaretur, & ad eum ipſa ſerviendo converteretur. Sed recte accipi poteſt, hanc ſervitutem ſignificatam, qua cujuſdam conditionis potius eſt quam dilectionis, ut etiam ipſa talis ſervitus, qua homines hominibus poſtea eſſe ſervi ceperunt, de pœna peccati reperiatur exorta. Dixit quidem Apoſtolus, per charitatem ſervite invicem, ſed nequaquam diceret, invicem dominamini. Poſſunt itaque conjuges per charitatem ſervire invicem, ſed Mulierem non permittit Apoſtolus dominari in Virum. Hoc enim Viro potius Dei ſententia detulit, & Maritum habere dominum meruit Mulieris non natura ſed culpa. Quod tamen niſi ſervetur, depravabitur amplius natura & augebitur culpa.* Non eſt tamen illud Viri in Mulierem dominium plane ſolutum lege omni; vel Civili per quam tyrannidi indecenti prudenter occurratur; vel Naturali & Divina, per quam terminos ſuos accipit æquiſſimos illud æque quam Dominium majus Parentum in Liberos & Herorum in ſervos, adeoque indecens abuſus ejus à Deo erit rigidiſſime ulciſcendus. Unde eſt Petrinum illud 1. *Pet.* III. 5. 6. 7. *Ita enim olim & ſancta mulieres ſperantes in Deum ornabant ſe,* ὑποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀν-

δράσι-

δεχέσιν, ὡς σάρκα ὑπήκοοι τῷ ἀβελ καὶ κύριον αὐτὸν καλοῦσα, &c. *Viri similiter, συνοικοῦντες κατὰ γνῶσιν, ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει τῷ γυναικείῳ ἀπονέμοντες τιμὴν, ὡς καὶ συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς εἰς τὸ μὴ ἐγκόπτεσθαι τὰς εὐχὰς ὑμῶν, &c.*

Pœnæ hujus Extensio ad Sexum integrum Muliebrem.

VII. Ex iis, quæ ad illustrationem sententiæ in Mulierem lapsam latæ jam sunt dicta, clarum est, non male quidem inter *maledictiones novem fœminæ* poni apud *R. Eliezerem* Cap. XIV. *afflictionem conceptionis in utero, dolorem partus*, cum sequente *molestia educationis liberorum, perforationem auris ejus veluti mancipii æterni ut tanquam ancilla serviat marito suo*, quorsum forte etiam spectat *caput velatum instar lugentis, non radendum nisi ob scortationem*, sed hoc gratis addi, quod *non sit fidelis seu idonea ad testimonium*. Et constat porro, sententiam eandem non spectare ad primam Mulierem solam, sed ad sexum totum Muliebrem ex ea natam & in ea quasi repræsentatam simul debere extendi. Siquidem & eventus juxta Dei verbum docet; tum communem Mulierum prægnantium & parientium dolorem, post peccatum & cum peccato satis naturalem, etiamsi ejus gradus in variis magnopere varient; tum decentem uxorum omnium sub viris suis subjectionem, quæ etiam in variis magis minusque difficilis est longe. Nec velim mihi objicias; vel exempla prægnantium & parientium absque omni dolore, quæ aut nulla puto aut rarissima prorsus ex singulari Dei indulgentia; vel uxores multas, quæ per maritorum lenitatem aut conditionem aliam multiplicem aut Principalem etiam dignitatem sint vere Viris suis superiores, siquidem in his non est nisi communis manentisque juris domestici quædam restrictio in exercitio suo ex supervenientibus aliis causis notabilibus magis minusve æquis, in quas heic non inquirimus. Si pergas objicere, Pœnam omnem Muliebrem sic esse ad fœminas nuptas restrictam, & ab ea eximi prorsus Virgines, quæ nec gerunt uterum nec pariunt nec habent Viros quibus obediant, dicam ego; ita se rem quidem habere, quoniam fœminam conjugem heic compellavit Deus; sed ad Conjugii vinculum, per organa generationis corporea & per inditum communiter viri desiderium, quod heic aliquos reperire quoque modo notavimus, factas esse Mulieres tantum non omnes, quorsum tanquam ad perfectiorem statum innuptæ tendunt; & præterea esse in ipsis Virginibus, tum plurima uteri incommoda, tum minorem præ Virisæstimationem & potestatem, quæ per ma-

manifeſtam analogiam huc referri poſſunt, & punitionem ſpecialem integri ſexus hoc ipſo comprobant. A qua neque nos cum *Papiſtis* prorſus eximere audemus B. Virginem Mariam, quæ tanquam filia Evæ & peccatrix per Chriſtum ſalvanda, non obſtante conceptione ex Spiritu Sancto geſtationeque & partu Filii Dei, ita aperto peperit hunc utero, ut nullo argumento ipſam ab omni dolore immunem aſſerere queamus, quæque Viro ſuo cui deſponſata fuit & cohabitavit indubie tam obſequium quam amorem debitum præſtitit, *coll. Luc.* 11. 48. *&c.*

CAPUT DUODECIMUM.

Quo Sententia Dei in Adamum exponitur.

Quam late autem ſententia Dei in Evam extendatur, non pertinet illa tamen, vel ad Genus integrum Humanum, quod in ea non repræſentabatur ſed in Viro, vel ad Adamum ipſum, qui ſic potius de poſteris ſibi naſcituris ex Eva confirmabatur, & Dominus mulieris amplior conſtituebatur. Ergo alia ſequitur proxime Jehovæ Dei judicis vox *verſſ.* 17. 18. 19. qui nempe *Adamo*, ſeu *ad Adamum*, à muliere ſeductum & poſt hanc lapſum, *dixit* conſequenter intelligibili altaque voce; tum *Culpam* qua ſe nequiter polluerat; tum *Pœnam* cui cum omni genere ſuo ſubjiceretur duplicem, *Vitam* nempe *Moleſtam* primo & dein *Mortem* certam. Quæ nunc propius luſtranda veniunt. Tranſitus ad Sententiam in Adamum latam.

II. Hoc ergo eſt, quod pro ſententiæ ſuæ fundamento ad Adamum ante omnia dicit Jehovah Deus; *Quoniam audiviſti ad vocem uxoris tuæ, & ediſti de Arbore de qua præcepi tibi dicendo, non edes de ea.* Res præcipuè culpabilis eſt *Eſus* de Arbore vetita ſeu ejus fructu, apud quam ad oſtendendam æquitatem interdicti adjectivum μόνου heic rurſus addiderunt LXX. Cum ea tamen jungitur eique præmittitur *Auditus ad* uxoris *vocem*; qui vel dicit ipſam vocis ejus ſequelam & obedientiam in eſu memorato, adeoque ad facti ipſius modum & circumſtantiam reſpicit, prout per auditum millies metonymice exprimitur obedientia, atque inprimis eam vim audiendi verbum apud Hebræos habere monet *Fagius* ſi ſequatur præpoſitio *in* vel *ad* quæ heic eſt in לקול / vel apte Culpæ Adamicæ præmiſſa declaratio.

fatis exprimit, non quidem ſimplicem vocis muliebris auditum, qui cum rejectione & deteſtatione ejus Adamo non potuiſſet imputari in culpam, ſed auditum avidum attentum & hinc credulum, qui ad Eſum diſpoſuit & duxit Adamum, & per ſe etiam ſumme culpalibis erat, ſicuti auditus ſimilis verborum Serpentis in Muliere. Utique quando Mulieri, *Uxori* Adami, heic tribuitur *vox*, non aliqua inarticulata ſed articulata hæc eſt, & non alia qualiſcunque ſed quæ ad eſum fructus vetiti pellebat; nec illa quidem quoad rei præcipuæ ſummam diverſa à voce ſerpentis, ſed ab hoc indubie hauſta; quæ ergo cum datione fructus omnino ſuit conjuncta, etiamſi non fuerit antea memorata *verſ.* 6. ſecundum ea quæ latius diximus *Cap. II. §. 3. Cap. III. §. 4. &c.* Ea autem vox, cum eſſet divinæ voci adverſiſſima, à Satana accepta, & à Dei obſequio abducens, neutiquam fuiſſet audienda eo quo diximus modo, etiamſi ab Uxore dilecta & diligente proveniret; & ad hanc tamen audiviſſe Adam peccans deprehenditur, non ergo abſque deceptione ex amore Uxoris tantum ediſſe, ſecundum ea quæ antea hac de re diſputavimus *Cap. II. &c.* Atque hoc jam, apud ſententiam humani generis integri merito repetitum, per *quia* ſeu *quoniam* præmittitur heic tanquam mali denunciati ratio vera, de quo Adam ſic diſceret non Deum ſed ſe ipſum accuſare. Rectè ad hæc *Chryſoſtomus*; Ἐπειδὴ ἤκουσέ φησι τῆς γυναικός σου, καὶ ἔφαγες ἀπὸ τοῦ ξύλου, καὶ τὴν ἐντολὴν παρεπήσω τὴν παρ' ἐκείνης συμβουλὴν, καὶ οὐκ ἠβουλήθης τοῦ ξύλου τοῦ ἑνὸς τούτου μόνου ὃ ἐνετειλάμην σοι μὴ φαγεῖν, μὴ δὲ πολλῶν σε ἀπέχεσθαι ἐκέλευσα, ἑνὸς μόνου, καὶ οὐδὲ τούτου ἠνέσχου, ἀλλ' ἐπλανήθης τῆς ἐμῶν ἐντολῶν ἐπείσθης τῇ γυναικὶ, διὰ τοῦτο μαθήσῃ δι' αὐτῶν τῶν ἔργων ὅσον εἰργάζω κακόν. Ἀκούσατε ἄνδρες, ἀκούσατε καὶ γυναῖκες, οἱ μὲν ἵνα μὴ ἀνέχονται τῶν ποιούντων συμβουλευόντων, οἱ δὲ ἵνα μὴ τοιαῦτα συμβουλεύωσιν· εἰ γὰρ ἔστιν ὅτε τὴν γυναῖκα τῆς αἰτίας μεταγαγὼν ἀπὸ μιᾶς τῆς ξιώθη συγγνώμης, ποίαν ἂν ἔχοις ἀπολογίαν σχοίης λέγων, ὅτι διὰ τὴν γυναῖκα τὸ καὶ τὸ ἥμαρτον, καὶ τὸ καὶ τὸ ἔπραξα &c. Generatim ſane aliorum male ſuadentium culpa male ſequentes nec à culpa nec à pœna liberos & immunes præſtat.

Maledictio Terræ in pœnam Adamo denunciata.

III. Malum primum Adamo ob malitiam ejus conſtitutum ſatis late deſcribitur; *Maledicta terra propter te, in dolore edes eam omnibus diebus vitæ tuæ. Et ſpinam tribulumque germinabit tibi, & edes herbam agri. In ſudore vultus tui edes panem, donec &c.* Etiam

ſi

ſi de Terra agatur ſecundum conſtructionem tanquam ſubjecto judicii divini, tamen homo heic ſpectatur iterum ut ejus cauſa & præcipuum objectum, per illud בעבורך / pro quo LXX. habent ἐν τοῖς ἔργοις σε, *Vulgatus in opere tuo*, & *Hieronymus in Quæſt. Hebr. in operibus tuis* (qui addit *opera hic non ruris colendi, ut plerique putant, ſed peccata ſignificant, ut in Hebræo habetur*,) ac ſi legiſſent, notante cum aliis *Lud. Cappello*, בעבורך per ר. Sed & retento ר / ad notionem עבר *tranſeundi* heic ſpectavit *Theodotion*, vertens, *in tranſgreſſione tua*; quod & *Hieronymus* videtur voluiſſe, in Hebræo notans haberi *peccata*. Vulgo tamen בעבור heic habetur pro ſolita Præpoſitione *propter*, ſicuti & *Aquila* vertit *propter te*, & *Onkelos* dixit בדילך. Sed & hoc iterum varie capitur; vel objective, ut *propter te* tantundem ſit quam *tibi*, & quod ad te ac uſum tuum attinet, uti cum aliis vult *Grotius*; vel cauſaliter, ut ſit ſeu tui non moniti aut impediti cauſa בגין דלא חויאת לך חובך *eo quod non indicarit tibi delictum tuum*, dixit *Jonathan* (dum apud *R. Eliezerem Cap.* XIV. ineptiſſime lego, *cum homo peccaverit quid deliquit terra quod ſit execrationi obnoxia? non aliunde niſi quod indicaverit hoc factum idcirco maledicta fuit, quo tempore enim homines committunt enormia peccata tum immittit hominibus plagam, cum vero homines leviora patrant delicta tum ferit fructus terræ propter iniquitates hominum &c.*) ſeu potius ob & ad tranſgreſſionem tuam puniendam; quo modo ſimpliciſſime verba fluunt, & ad quem *Hieronymus* heic etiam *opera* traxit, ſequentibus *Papiſtis* plurimis, dum alii de labore & ſudore Adami in terra colenda apud illam vocem jam cogitant. Confer etiam *Joh. Clerici* annotationem; *LXX. pro* בעבורך *videntur legiſſe* בעבוד / *ad verbum* ἐν τῷ ἐργάζεσθαί σε *cum illam colet. Qui ſenſus non ſpernendus eſt, etſi ſatis gravis ea non eſt cauſa ad rejiciendam Hebraici juxta ac Samaritici Codicis lectionem, quæ & ipſa commodiſſimam fundit ſententiam.* Eſt utique haud minus alienum quod præterea heic adduxit *Thomas Malvenda*; *Ut fons eſt fœcundus poſſis exponere, in frumento tuo præteriti anni, id eſt non fundat tibi frumentum quod ſervetur in annum ſequentem*, עבור *enim frumentum præteriti anni ſignificare ajunt Joſ.* v. 11. 12. *ubi Noſter fruges exponit, ut hic recte vertas, maledicta terra in frugibus tuis. Aliter, maledicta terra in tranſitu tuo &c. commeatum & victum Hiſpanice dicimus, tranſire, tranſigere, ac ſi dicat, execrata terra in victu &*

commeatu tuo, egre tibi ac difficulter victum ſuppeditabit &c. Nihil ſane id genus conquiſitis ſubtilitatibus heic opus eſt, per quas in majores difficultates inducamur, dum ſententiæ divinæ modus hoc omnino exigit quod ſimpliciſſimum eſt, ut propter hominem ſeu propter illius culpam hoc malum terræ dicatur ſecuturum, *coll. Rom.* VIII. 20. *&c.* Porro *Terra*, Hebraice האדמה quod *7 heodotion* retinuit & per γῆν παρθενικὴν expoſuit *Heſychius*, ἡ γῆ apud LXX. hic intelligenda eſt in ſua latitudine, prout complectitur quidem ipſam terram Paradiſi hactenus ab Adamo habitatam præ reliquo orbe ab ipſo fœdatam & omnino communi maledictioni etiam ſubjectam; ſed extendit ſe præterea maxime ulterius ad omnem orbis terreſtris ſuperficiem quæ fructus aut victum homini editura erat, *coll. verſ.* 23. Quin & per analogiam licebit ſimul cogitare de mari & aquis reliquis terræ, ex quibus non niſi cum difficultate magna victum aliquem ſibi quæſiturus porrò erat homo; dum ineptiſſime quandoque *Papiſtæ* carnium præ piſcibus eſum ex hac terræ ſolius maledictione damnant. Utique non decet terram heic ſeparare ab iis quæ ſunt in ipſius ſuperficie, ſed ex adverſo cum iis jungere. Et ſi roges, quid ſibi velit hujus *maledictio*, liquere poterit, tum ex oppoſita benedictione, tum ex iis quæ exegetice heic ſubjiciuntur; per eam non ſpectari ad maledictionem homini per abuſum ſui allatam, ſed notari non quidem plane ablatam attamen magnopere imminutam ejus bonitatem præſtantem multiplicem & inprimis lætam in humanos uſus facilemque fertilitatem, *coll. Deut.* XXVIII. 17. *&c.* ex qua Divina terræ maledictione ſequitur etiam ejus averſatio & opprobrium hominum in ea laborantium, *coll. Hebr.* VI. 8. *&c.* Unde probari heic poteſt gloſſa *Grotii*; *Non erit terra, qualis Paradiſus, qui te ſponte alebat vegetumque præſtabat, ſed ſubacta multo labore ne ſic quidem puras fruges proferet, ut ſequentia exponunt, & Hebr.* VI. 8. *habet enim κατάρα terra ut & retum aliarum ſuos gradus, vide Lev.* XXVI. 18. *Deut* XXVIII. 24. 38. 39. 40. 42. Nec male ad hæc ſcripſit *Clericus*; *Maledicta erit, hoc eſt, minuetur ejus fertilitas, adeo ut quæ ſponte antea edebat tellus, ea ſine labore humano eoque non levi non ſint proventura. Notum eſt Poëtas de ſæculo aureo paria dixiſſe iis quæ hic innuuntur. Inſtar omnium erit Heſiodus quem omnes ſunt ſequuti,*

—— —— Καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον, *&c.*

Vide

Vide Virgilium Georg. 1. & Eclogam IV. & Ovidium Metam. Lib. 1. Idem etiam mutationem in deterius poſtea factam haud multo aliter ac Moſes deſcribunt. Sicuti vero Deus Terræ bonitatem omnem benedictione ſua indiderat ad hominis integri facilem & lætum uſum, mediatum vel immediatum, ita nihil prorſus in eo eſt iniqui, quod in pœnam hominis lapſi bonitatem eandem maledictione ſua adeo imminuat; quomodo aliud ſæpe eſt proximum ſubjectum materialis quam formalis pœnæ, perditis ſic in Diluvio etiam animantibus brutis cum hominibus. Imo nihil æquius debet videri, quam ubi læto omni proventu Terræ & Paradiſi ipſius non fuerat contentus homo, niſi de una Arbore Scientiæ etiam comederet, eundem hoc proventu magnopere privari, nec poſſe abſque moleſtia magna neceſſitatibus ſuis jam amplius proſpicere. Audiri ad hæc etiam meretur *Chryſoſtomus*; Ὅρα φιλανθρωπίαν δεσπότου, πῶς μὲν τὸ ἄφιν τιμωρεῖται, πῶς δὲ τὸ λογικὸν πεῖρο ζᾶον, ἐκείνῳ γάρ φησιν; ἐπικαλάσθω σὺ δὲ τὴν γῆν, ἐνταῦθα δὲ οὐκ ἔτως, ἀλλὰ τί; ἐπικαλάσθω ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου. Καὶ εἰκότως, ἐπειδὴ γὰρ δι' αὐτὸν ἄνθρωπον παρήχθη, ἵνα ὕστως ἀπολαύσῃ δύνηται τὰ ἐξ αὐτῆς ἀναδιδομένων, διὰ τοῦτο ἐπιτίθησι διὰ τὸ ἀνθρωπον αἰμαρτόντα ταύτῃ τὴν κατάραν πάλιν, ἐπειδὴ εἰς αὐτὸν κατάσκε πάλιν ὁ ἀνθρωπος ἐλυμαίνετο τῇ ἀνέσει τῆς ἀδείας.

IV. Audiamus vero ipſam divinam maledictionis hujus terræ explicationem per conſequentia ejus effecta. Generale hoc præcedit; *In dolore edes eam omnibus diebus vitæ tuæ.* Pronomen *eam* in תוכלנה omnino ſpectat ad terram proxime nominatam; quam cum *eſurus* dicitur Adam, manifeſta eſt eadem Metonymia quam antea in Arbore pro fructu poſita habuimus; unde pro ea *proventum ejus* poſuerunt *Tremellius & Junius*, & *fructum* ejus perinde *Clericus*, alii autem *de* vel *ex ea*, cum *Vulgato*, LXX retinentibus αὐτῆς. דרך קצרה dixit *Aben Ezra*, & *Laconiſmum* Hebraicæ Linguæ *Fagius*, juxta illud 1. *Reg.* 11. 7. *& erunt inter comedentes menſam tuam, h. e. inter convivas menſæ tuæ, qui ſcilicet cibis menſæ tuæ veſcuntur.* Hoc vero ſicuti hactenus malum minime eſt, ſed potius bonum magnum, de terræ fructu in vita hac terreſtri edere; ita pœnale id demum evadit per conſtantem eſus modum, *in dolore omnibus diebus vitæ tuæ*, ſeu Adami compellati, ἐν λύπαις, *in laboribus*, apud LXX & *Vulgatum*. Per nos licet *dolorem* illum, qualis mulieri in prægnatione & partu antea quoque tributus per eandem &

Sequentia hinc Adami incommoda variis phraſibus expoſita.

cognatam vocem, exponere de moleſto labore & cultu terræ ac frugum ejus qui omnibus hoc eſt quibusvis & ſingulis vitæ diebus ad mortem uſque duraret, *coll. verſſ.* 18. 19. uti agunt vulgo Interpretes. Putem tamen *dolorem* hunc non incommode à ſequenti illo labore ſic poſſe diſtingui, ut magis ſpectet ad moleſtiam, ægritudinem, & anxietatem omnem, homini in hac terra & vita terreſtri ſupervenientem, tum corporis tum etiam animæ reſpectu, cujus ante vitæ hujus brevioris vel longioris finem non eſt quoque finis. In & cum quo, imo & ex quo, dolore quod ederet homo de terra, hoc ita eſt ex peccato ipſius ut ſimul ex terræ dicta maledictione quoque fluat, quæ incolam ſuum multis modis angeret. Speciatim vero tria ſubjiciuntur de terra maledicta, quorum primum eſt; *Et ſpinam & tribulum germinabit tibi.* Vox una Hebræa קוץ / à LXX & *Vulgato* reddita per ἀκάνθας, *ſpinas*, ab *Onkeloſo Jonathane* ac *Hieroſolymitano* per כוכין / à tædio quod pungendo adfert frutex hic, vel ab hominum horrore ſic putatur dici, alias etiam per *lappam* reddita; vox altera דרדר / per τριβόλους *tribulos* expreſſa à LXX & *Vulgato*, per אטדין / ab *Onkeloſo* ac *Ionathane*, ſed ab *Hieroſolymitano* in plurali retenta, à creſcendi libertate deducitur vulgo, & ab aliis quoque per *lolium* vel *cardum* vel *rhamnum* exponitur. Sunt autem illæ voces duæ etiam conjunctæ *Hoſ.* x. 8. ſicuti ἀκάνθας καὶ τριβόλους junxit Paulus *Hebr.* vi. 8. & קוצי המדבר ואת הברקנים reperimus *Iud.* viii. 7. 16. & קוץ שמיר *Ieſ.* xxxii. 13. *&c.* Nec opus eſt ſcrupuloſa earum diſtinctione, ut ad *majorem ſpinam* una ad *minorem* altera referatur cum *Aben-Ezra*, vel aliter; quando ea ſemper manebit minus certa, & certum eſt, quod notante etiam *Piſcatore* per ſynecdochen ſpeciei heic *omnis generis inutiles ac noxiæ herbæ* ſignificentur. Has autem quando terra dicitur *germinatura*, ſeu eductura & prolatura ex ſinu ſuo, תצמיח / ἀνατελεῖ apud LXX. non qualiſcunque proventus earum ſed maxima ubique copia absque humana ſatione, imo & cum humanæ ſationis bonæ interitu, ſic manifeſte denotatur; nec eſt conſequenter *tibi*, לך / *tui*, hic in bonum tuum, ſed in damnum & in afflictionem tuam, vel pro exſpectatione tua bona, dum *Ionathan* heic rurſus habet *propter te.* Gemino modo non male hoc illuſtravit *Clericus*; *Hoc eſt, niſi diligenter terram colas, ex ea veſpretæ atque herbæ inutiles ubique pro frugiferis arboribus & ſalubribus herbis naſcentur, aut cum ſeveris arbores ſegetes atque olera, alia*

omnia

omnia orientur aut degenerabunt, *vid. Iob.* xxxi. 4. *Ier.* xii. 13. Quæ duo nescio cur non potius ut decet junxerit ille, quam ut *priorem sensum prætulerit.* Alterum directe iterum de Adamo compellato dicitur; *Et edes herbam agri.* Quod aliqui capiunt per modum promissionis comminationi priori restringendæ subjectæ, ac si diceretur, ita provenient spinæ & tribuli, ut tamen herba necessaria agri tibi ad esum non sit defutura prorsus. Sed præstat in sensu pœnali heic quoque pergere; sive עשב השדה / τ χόρτον τ ἀγροῦ, *herbam* aut *herbas terræ*, apud LXX & *Vulgatum*, volueris intelligere de frumentis extra Paradisum instructissimum proventuris, *coll. Gen.* i. 29. *Psal.* civ. 14. *&c.* qui victus Paradisiaco nunc foret longe vilior, nec absque sudore acquirendus, uti ex antecedenti & consequenti contextu videtur subintelligendum; sive eadem *herba agri* heic ponatur pro viliori victu animantium brutorum, multum infra nobiliora frumenta hærenti. Quem sensum cum spectaret *Ionathan*, nec tamen eundem cerneret convenire cum eventu apud homines, subjecit heic deprecationem Adami; *Respondit Adam & dixit, obsecro per miserationes à coram te Iehovah, ne reputemur sicut bestia ut edamus herbam superficiei agri, surgemus nunc & laborabimus labore manuum nostrarum, & comedemus cibum de cibo terræ, & sic discrimen fiat nunc coram te inter filios hominis & natos jumentorum.* Quæ eadem fere verba in *Targum Ierosol.* etiam leguntur. Sed nihil opus est talibus supplementis; quando rectius forte dicitur, Deum heic loqui de eo victu vilissimo, qui nunc porro sponte absque satione & cultura ipsi provenirct tantum, *coll. Deut.* xi. 15. *&c.* & ad quem sumendum agri sterilis maledictio sæpius ipsum cogeret egenum sed ipse non semper esset restrictus. Tertium tandem hoc adjicitur; *In sudore vultus tui edes panem.* Ubi *panem*, לחם / τ ἄρτον σου, cum additamento Pronominis apud LXX. communius quidem vulgo exponunt de cibo omni, *coll. Psal.* cxxxvi. 25. *Prov.* xxvii. 27. xxx. 25. *&c.* sed non minus recte forte per progressum aliquem ab herba agri licet exponere de cibo isto communissimo quem ex frumento apte solent homines conficere in suum nutrimentum. Quem cum homini tribuit Deus, non debet hoc trahi ad exclusionem alius omnis victus, ex *butyro*, *lacte*, *ovis*, *caseo*, *carnibus*, *&c.* sicuti huc trahitur ab ipso *Munstero.* Sed id vult Deus, ne panem quidem vulgarem & necessarium quam maxime vitæ sustentandæ ex frumento apto *esu-*

rum esse hominem, nisi *in vultus* sui *sudore*, בזעת אפין / ἐν ἱδρῶτι τοῦ προσώπου σου apud LXX. Ubi sunt qui זעה / referunt ad radicem יזע / sensu *commotionis*, qualis in laborantium *naribus* solet per respirationem altiorem & frequentiorem quam maxime observari, unde forte est quod *laborem vola manus* substituit *Jonathan*; dum alii conjiciunt de radice inusitata יזע / à qua sit nomen יזע / sensu *sudoris Ezech.* XLIV. 18. seu humoris per poros emissi ex labore & fatigatione. Qui quod heic ad *nares*, seu *nasum*, urgente *Pichérello*, seu *faciem* & *vultum* narium sedem refertur, id vel communiter ad personam ipsam per synecdochen suum habet respectum, vel maximum dicit sudorem, qui ad detectam corporis partem hanc ipsam extenditur, vel sudorem dicit conspicuum omnibus. Nec notat ille ipse sudor aliud, quam laborem molestum cum fatigatione & virium consumptione magna; nec abludit sic omni modo יגיע כפיך *Psal.* CXXVIII. 2. aut *Jonathanis* supra adducta Paraphrasis. Non est etiam plane præter rem, quod *Aben Ezra* observavit, sudorem ad literam excitari in pane sumendo, per ventilationem, commolitionem, subactionem farinæ, pinsionem, coctionem, &c. quibus tamen ipse laboriosus terræ cultus ad frumentum serendum & colligendum fuisset merito præmittendus. Verum sicut verborum horum occasio & propositionis modus arguit satis, non dici hæc per modum promissi, acsi sensus esset, fructum optatum sudoris tui habebis, *coll. Psal.* CXXVIII. 2. ita neque hæc proprie habent rationem mandati, secundum observationem *Fagii*; *Solicitudo victus Viro pro se & aliis hic imposita est, damnatur otium & inertia fomentum peccati. Otia enim dant vitia, & otia si tollas periere cupidinis arcus. Hæc perpendant ventres pigri, ad nihil aliud quam ad fruges consumendas nati.* Sed sunt hæc omnino spectanda per modum pœnæ denunciatæ, urgente hoc *Gatakero; Quin & illud observatum velim, verba illa &c. interminati, non interdicti rationem habere, itaque periocham istam haud satis commode usurpare, qui eam adversus homines desides & ignavos, etiamsi censura notaque gravissima plane haud indignos, interquent & inde probatum eunt, teneri unumquemque ad certum vitæ in quo se sedulo jugiterque exerceat atque desudet, institutum aliquod arripiendum. Neque enim istic labor necessarius sedulitasve injungitur, quæ & ante lapsum obtinebat, sed labori necessario comes jam familiaris futura ærumna lassitudo tædium adjungitur, quæ lenire tamen, modo*

ne

ne officium defugiendo id fiat, nemini unquam negatum est. Ac proinde censuræ justissimæ fundus infirmus substernitur, ubi ex his verbis homines desidiosi redarguuntur. Quo modo tollitur simul dubium familiare, quod petitur ex mandato custodiendi & colendi horti ante lapsum jam dato, unde labor non videatur in pœnam homini imputandus demum post lapsum. Siquidem ille labor prior fuit absque molestia & ad ipsam hominis delectationem faciens; & heic non agitur de labore simpliciter, sed de eo qui cum dolore & virium absumptione esset connexus, qualis ante lapsum nullus obtinuit, pessime sane cogitantibus heic Hebræis quibusdam de sudore qui est inter hominis ægri adjumenta. Dum apud *spinas & tribulos* cogitare simul oportet, non defuturas quidem fuisse eas herbas in statu Integritatis, ad majorem terræ pulchritudinem ex illa plantarum varietate & alios forte usus complures; sed earum proventum secundum hanc maledictionem fuisse multiplicatum adeò, etiam in locis herbarum meliorum quæ industria humana ad majorem usum excolerentur, ut hinc in molestiam & detrimentum hominis cederent & sic pœnales evaderent. Vide autem in his omnibus phrasibus ita Dei longanimitatem, qui dies vitæ Adami protendit in numerum magnum, ejusque bonitatem qui victum ad edendum præbet, ut simul agnoscas ejus æquissimam retributionem, quando eum qui peccaverat per esum fructus vetiti petulantissimum punivit per esus necessarii difficultatem & molestiam maximam, notante dudum *Grotio* & laudante ipsum *Majemonidem*.

Mors ad molestias vitæ & ex eis secutura.

V. Sed alterum est Malum gravius Mortis, in quod exiret Vita hæc molesta Adamo denunciata. Unde sequitur non tantum terminative, *donec revertaris tu in terram, quoniam ex ea sumptus es*, sed & positive, *quoniam pulvis tu, & in pulverem reverteris.* Quis ad hæc attendens verba dubitet, quin idem in re significetur per *reditum in terram* שוב אל האדמה / & per *reditum in pulverem* שוב אל עפר / unde & utrobique habent LXX. vocabulum idem Græcum ὑπὸ γῆν: nisi posteriori nomine Hebræo sit forte major quædam vilitatis & totalis disjectionis insinuatio, secundum ea quæ diximus *Lib. II. Cap.* 11. §. 9. Mirari autem omnino oportet, quo pacto *reditum in terram* heic potuerit *Vir Doctus*, à *Clar. Witsio* nostro redargutus, trahere ad *refugium in Paradisum* ex quo tanquam captivus esset jam tum abducendus; quamquam in Paradiso ille ad statum animarum spectans post hanc vitam, sic mortem heic

Digitized by Google

etiam reperire debeat. Sed nec minus admirandum eſt, *reditum in pulverem* ab ævo traxiſſe Judæos ad reſurrectionem ex morte, præeunte etiam *Jonathane* per iſtam ſuam paraphraſin; *In pulverem reverteris, quoniam ex pulvere tu reſurges, ad dandum judicium & rationem omnium quæ feceris, in die judicii magni.* Sicuti hanc phraſin ad aſſerendam Reſurrectionem ex Lege ſecundo loco produxit *Menaſſe Ben Iſrael Lib. I. de Reſurr. Cap.* 1. laudata autoritate *R. Simhon Ben Johai*; *Nam*, inquit, *non dicit, pulvis es & in pulverem ibis, ſed redibis. Argute equidem hoc obſervat Autor. Quia enim Adamus pulvis erat, non poterat utique in pulverem converti, atque idcirco non concinne dictum fuiſſet in textu, pulvis es & in pulverem converteris aut reverteris, ſed dicendum fuerat in pulverem ibis. Verum hoc loco reſurrectio mortuorum indicatur, tantundem enim eſt ac ſi legeretur dictum, pulvis nunc es ô Adam, illoque pulvere iterum indueris tempore reſuſcitationis mortuorum; quod neceſſarium non fuiſſet ſi Adam non peccaſſet, quia tum aut non fuiſſet moriturus, aut cum corpore ſimul atque animæ transferendus uti Hanoch & Elias.* Utique cum Deus heic ſit non in promiſſione boni ſed in denunciatione mali, ſponte concidunt iſtæ ſubtiles Scripturæ torſiones. Eſt adeo *converſio*, ſeu *reverſio*, ſeu *reditus in terram*, τὸ ἀποστρέψαι εἰς τὴν γῆν, heic non acceſſus ad aliquem locum terreſtrem, ſeu veterem ſeu novum, nequidèm proprie ipſum ſepulchrum; ſed *reſtitutio* in ſtatum priorem *terræ* meræ inanimatæ per animæ in morte receſſum à corpore, & *reſolutio* conſequens in *terram* informem per corruptionem corporis elegantiſſimi. Quorſum ducunt illa *Job.* 1. 21. *nudus exii ex utero matris meæ & nudus revertar illuc, Job.* XXXIV. 15. *exſpirabit omnis caro ſimul, & homo ad pulverem revertetur, Pſal.* XC. 3. *reducis hominem ad contritionem, diciſque revertimini filii hominis*, (quod tamen poſtremum verbum *Cl. Cocceius* cum aliis quibuſdam ad Reſurrectionem quoque trahit,) *Pſal.* CIV. 29. *exſpirabunt & ad pulverem ſuum revertentur, Pſal.* CXLVI. 4. *exibit ſpiritus ejus, revertetur in terram ſuam, Eccl.* XII. 7. *& revertetur pulvis ad terram ſicuti fuit, &c.* Atque hunc reditum in terram ita denunciat Deus Adamo, ut originem ejus ex terra per modum rationis annectat; *quoniam ex ea ſumptus es*, כי ממנה לקחת / ἐξ ἧς ἐλήφθης *de qua ſumptus es*, apud LXX. & *Vulgatum*, *ex qua creatus es* apud *Onkeloſum* & *Jonathanem*. Et hoc non reſpicit ad locum terræ à

quo

quo poſt formationem ſuam in Paradiſum eſſet tranſlatus, ſed ad materiam ex qua ſumpta à Deo ipſe corporis reſpectu erat formatus *Gen.* II. 7. Eſtque præterea notandum, quod hæc res per כי *quoniam* priori eventui hominis connectatur; non ac ſi ea eſſet cauſa ſeu proxima & certa ſeu ſufficiens mortis, quæ hinc etiam abſque peccato per naturam potuiſſet homini obvenire, ſic enim ſemper homo corpus habens ex terra formatum deberet manere mortalis; ſed quod hæc ſit ratio, cur mortem reditum in terram vocet Deus, & cur in illam potius quam in aliam materiam ille redeat, dum abſque peccato interveniente id nec futurum fuiſſet nec fieri potuiſſet, ſed Deus vitam hominis conſervaſſet & immutabilem tandem plane reddidiſſet. Sicuti non debemus ab his vocibus ſeparare illud quod præceſſit; *quoniam audiviſti ad vocem uxoris tuæ &c.* ſeu quoniam peccaſti adverſus me, & morte adeo dignum te feciſti. Connectitur vero amplius iſte reditus in terram per עד / *donec*, ἕως, cum præmiſſa vita moleſtiſſima; ut ſic deſignetur non tantum *duratio* moleſtiæ per omnes vitæ humanæ dies, quaſi hic eſſet terminus mali denunciati ad hoc ipſum non pertinens, ſecundum gloſſas *Socinianas* antea dudum à nobis explosas; ſed & exprimatur malorum priorum *complementum* pœnale, in quod illa eſſent exitura, imo & *effectus*, quem omnis prior moleſtia certiſſime productura tandem, eo fere modo quo diceremus hodie aliquem verberandum vel fame frigore aliove modo excruciandum eſſe ad mortem. Utique ne vel de re vel de hoc rei hujus modo ullatenus dubitaremus, rem eandem poſitive magis repetiit Deus; *Quoniam pulvis tu, & in pulverem reverteris.* Prius illud, *pulvis tu*, עפר אתה / γῆ εἶ, *pulvis es*, apud LXX. & *Vulgatum* recte in præſenti, non tantum innuit materiam ex qua homo erat creatus, ſed & ex qua etiamum conſtabat elegantius tantum expolita; quin etiam licet jam poſt lapſum in ea ſimul intelligere fragilitatem pulveream & corruptionem magnam ac continuam quæ corpori humano jam ſupervenerat, *coll. Gen.* XVIII. 27. *Pſal.* CIII. 14. *&c.* Nec male tamen dicitur, *& in pulverem reverteris*, ad fragilitatis exitum & corruptionis continuæ complementum exprimendum, per pulverem denotata totali corporis deſtructione, ſecundum illud *Job.* XIX. 25. *ultimo ſuper pulverem ſurget*, de quo egimus *EXERC TEXT. XII. Part. I.* Quo pacto cavillationes *Menaſſis* ſponte concidunt, etiam collato *Euripideo* illo apud *Cicero-*

nem Tusc. III. reddenda est terra terræ &c. Sive vero illud כי *quoniam*, ὅτι, *quia*, hic iterum præmissum exponatur assertive, ad innuendam rei certitudinem, non obstante etiam magna humani corporis elegantia & longiore vita, sive ratiocinative simul cum respectu ad priora, sive etiam antecedenter & causaliter cum respectu mutuo antecedentis membri ad consequens; sensus semper oritur commodissimus plane. Ἀπὸ γῆς σέ φησιν ἔπλασα, inquit *Theodoretus*, καὶ εἰς ἀμείνω πολλῷ μεταποιῶ φύσιν, ἐπειδὴ δὲ φυλάξαι με τὴν ἐντολὴν οὐκ ἠθέλησας πρὸς δὲ καὶ πρότερον ἐπάνειμι φύσιν &c.

Communes aliquæ Observationes adhuc adjiciuntur.

VI. Enimvero licet Mors illa juxta Molestias antecedentes hujus Vitæ per accedentem Dei gratiam in magnum bonum hominibus electis cedat, quod multis dudum ostenderunt Veteres, nec sit adeo ipsis pœna aliqua satisfactoria, videmus tamen illam per modum pœnæ seu mali consequentis ex peccato heic nobis quoque proponi quod sine peccato locum nullum habuisset; nec debere adeo vel Mortem haberi pro Sequela Naturæ, vel denunciationem hanc severitatis Dei in promissionem magnæ gratiæ converti. Neque prorsus male adeo scripsit heic *Clericus*; *Deus, qui aut aliqua ratione ab initio rerum instituta, aut potentia sua præter infirmarum naturarum ordinem, Adamo vitam sempiternam erat præstiturus si in officio mansisset, post peccatum ejus corpus suæ ipsius infirmitati conficiendum tradidit. Ex pulvere diluto constabat, adeoque nisi Deus aliqua obstaret, dissolvi potuit.* Subjecitque tum verba *Josephi*, quæ ad accersitam per peccatum vitæ brevitatem potius quam mortem ipsi videntur spectare. Licet præterea hæc Mors & Molestia Vitæ pertineat ad Mortem antea in comminatione expressam; non absolvit tamen illam integram, quando nec Adam mansit sub pœna illa præcipua Mortis Spiritualis & Æternæ, ab ea cum electo semine liberandus per Mediatorem secundum argumentum Proteuangelii Paradisiaci; quæ & causa debet judicari, cur in benigno judicio Adami Mortis Æternæ nulla explicita fiat mentio, secuturæ tamen certò in iis hominibus qui Mortem corpoream in Dei ira subirent nec per gratiam Messiæ liberarentur. Licet tandem Mors & Molestia Vitæ heic post præmissam duplicem pœnam specialem Mulieris sit denunciata soli Adamo; spectandum tamen est in eo ut Capite totum genus humanum ex ipso per Evam naturaliter descensurum, tam fœmininum quam masculinum, æque quam Eva ipsa, sicuti docet communis hominum omnium experi-

periẽtia, licet moleſtiarum hujus vitæ gradus æque quam tempus & modus Mortis in variis admodum variet, ſecundum illud *Syrac.* XL. 1. *&c.* ἀσχολία μεγάλη ἔκτισαι παντὶ ἀνθρώπῳ ζυγὸς βαρὺς ἐπὶ υἱοὺς ἀδὰμ, ἀφ' ἡμέρας ἐξόδου ἐκ γαστρὸς μητρὸς αὐτῶν ἕως ἐπιστρεφῆς ἡμέρας εἰς μητέρα πάντων, σὺν διαλογισμοῖς αὐτῶν καὶ φόβου καρδίας; ἐπίνοια δοξασίας, ἡμέρας τελευτῆς, ἀπὸ καθημένου ἐπὶ θρόνου δόξης καὶ ἕως πεταπεινωμένου ἐν γῇ καὶ σποδῷ, *&c.* Ex dictis autem judicare potes de iis quæ hic habet vera mixta falſis *R. Eliezer* Cap. XIV. *Eduxit Adamum & decrevit contra illum novem maledictiones & mortem, ſuccidit robur ejus, cum immunditie fluxus ſeminis, breviorem reddidit ſtaturam, cum ſorditie coitus, ut ſeminaret triticum, meteret ſpinas vel urticas, cibus ejus eſſet herba terræ veluti beſtiæ, panis ejus eſſet cum ſollicitudine, eſca ejus cum ſudore, & poſt hæc omnia mors.*

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Quo de Divina Similitudine Homini poſt Lapſum à Deo tributa agitur.

Tranſitus ad alias Peccati Adamici ſequelas.

Nondum finis eſt calamitatum quæ Homini per & propter peccatum ſupervenerunt, etiamſi has infinita ſua gratia plurimum temperaverit Deus, Serpenti propter Hominis ſeductionem maledicens in Proteuangelio. Refert enim Moſes, paucis aliis interjectis de eo quod Adam & Deus egerunt, tum declaratam à Deo hominis Infelicitatem magnam, tum Ejectionem hujus ex lætiſſimo Paradiſo, impeditumque Regreſſum in eundem. Quæ ad pleniorem hiſtoriæ cognitionem nunc ſucceſſive adhuc declaranda veniunt.

Inter quas nova Jehovæ Dei Dictio.

II. Nominatur ergò etiam *Gen.* III. 22. duplici nomine ſuo, male utroque apud *Vulgatum* omiſſo, *Iehovah Deus*, quem Trinum potius debere intelligi quam Filium ſolum, ante dudum notavimus ad *verſ.* 8. *Cap. IX.* §. 2. ducente illuc quoque ſubjecti heic ſermonis argumento de *uno ex nobis*; dum *in Targum Ieroſ.* reperimus ejus *Verbum*. Atque ille iterum poſt factas utrique homini & aptatas Tunicas, interpoſita Copula *Vau* quæ ad ejuſdem temporis ſucceſſionem proximam nos ducit ſimpliciſſime, fertur aliquid *dixiſſe*, abſque additione perſonæ ad quam hoc dictum ſit.

Digitized by Google

Unde libertatem ſumpſerunt quidam de Angelis à Deo compellatis heic cogitandi, cum ipſo *Ionathane* intrudente, *Angelis qui coram ipſo miniſtrabant*, ſicuti & *Grotius* ipſe *Angelos* nominavit. Sed hoc fit indubie ad arcenda facilius cogitata omnia de myſterio Trinitatis quod nobis in ipſo dicto clare occurrit. Alii rectius ergo dictum hoc Perſonarum Divinarum inter ſe volunt; quale etiam præceſſit *Gen.* 1. 26. ſive illud fuerit tacitum, ad Dei ſcientiam & voluntatem ſimpliciter nos ducens, prout illa per externum opus heic erat declaranda, ſive potius alte ſatis expreſſum ad Hominis auditum, qui per illud erudiretur & Dei voluntatem quoque diceret ſecundum quam ſe componendum habebat.

Quæ ſpectat ad Adamum, non excluſa tamen Muliere.

III. Hoc ſcilicet eſt primum à quo dictio hæc Jehovæ Dei incipit; *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis ſciendo bonum & malum.* Sic perſona de qua agitur eſt *Adam*, האדם/ quod nomen proprium heic LXX. cum *Vulgato* etiam retinuerunt, ſeu primus ille homo & Vir ex quo Mulier ipſa fuit facta & nos omnes ſumus nati. Etiamſi ſint Viri Docti Veteres & Recentiones, qui *Hominis* nomen præ illo Adami heic eligunt, idemque collective credunt tum intelligendum de *Muliere* non minus quam de Viro, *coll. Gen.* 1. 26. 27. v. 2. *&c.* argumento ejus rei petito, tum ex præfixo nomini huic ה quod nomen arguat appellativum, tum ex ſimilitudinis divinæ promiſſo facto antea à Serpente homini utrique ad quod heic palam alluditur, tum ex pari jam utriuſque hominis infelicitate ac juncta ejectione ex Paradiſo. Sed conſtat liberrimus uſus præfixi ה apud Hebræos, per quem fit ut ante Adami ab Uxore diſtincti Nomen idem idem etiam adjiciatur *Gen.* 11. 19. 22. 23. III. 8. 20. IV. 1. *&c.* ſicuti antea quoque monſtravimus *Lib.* II. *Cap.* 1. §. 9. & poſteriora duo argumenta nihil aliud monſtrant, quam rem enunciatam de Adamo ad Mulierem quoque pertinere, quod ἐξαγώνιον, ſed unde minus recte concluditur de Muliere eam heic directe & explicite enunciari, quando illa ſub Viro ſuo ut confirmato iterum capite ſuo potius comprehenditur. Et hoc voluit *Piſcator*, nomini *Hominis* quod *Tremellius & Iunius* uſurpaverant ſubſtituens illud *Adami*; *ex collatione verſ.* 23. *ubi dicitur eum deſumtum fuiſſe ex terra. Interim*, addit, *verum eſt, hanc ſententiam pertinere quoque ad Mulierem, per Synecdochen ſpeciei. Nec verò putandum appellative accipi debere propter præfixum Articulum, nam verſ.* 20. *illo præfixo tamen Adam proprie intelligitur.*

gitur. Interim quando de Adamo ipso heic similitudinem secum afferit Deus, apparet vocem decipientem Satanæ ad hunc quoque non tantum antea spectasse, sed & per Mulierem esse delatam indubie, & ab hoc vane simul creditam, secundum ea quæ antea disputavimus *Cap.* II. §. 3. *Cap.* III. §. 4. *&c.*

Et in qua mentio Unius ex Nobis.

IV. In eo autem quod de Adamo enunciatur præcipuè considerari debet illud, *unus ex nobis*, אחד ממנו / εἷς ἐξ ἡμῶν, quod cum *Judæis* & *AntiTrinitariis* aliis magnopere controvertitur. Scilicet Affixum in ממנו cum non modo sit Primæ personæ pluralis sed & Tertiæ singularis *coll. vers.* 3. 5. 11. 17. *&c.* *Paraphrasta* ab ævo exposuerunt posteriori ratione *ex se* aut *ex illo*, sive tum אחד *unum*, quod ad numerum traxerunt singularem, ab eo separarent sive hoc ei junctum relinquerent. Ita apud *Onkelosum* legitur; יחידי בעלמא מנית לארע וכל / quod aliqui vertunt, *unicus in mundo ex se cognoscendo &c.* alii, *unicus in mundo ex illo* ortus & factus ad cognoscendum, alii, *unicus in mundo ex ipso* est per liberum arbitrium quod sciat bonum ac malum, &c. Dum illud ממנו ad posteritatem ex Adamo trahitur à *Jonathane*; *Ecce Adam est unicus in terra, sicuti ego unicus in cœlis celsitudinis, & surgent ex eo qui sciant discernere inter bonum & malum &c.* Quod & fit in *Ieroſolym. Targum*; *Ecce Adam quem creavi unicum in mundo meo, sicuti ego unicus in cœlis celsitudinis, populi multi surgent ex eo; ex ipso surget populus qui sciat discernere inter bonum ac malum.* Enimvero, licet quandoque *Sociniani* istum pronominis Affixi usum etiam nobis objiciant, ac si *ex illo* collective esset dictum pro *ex illis* qui nempe cognoscunt bonum & malum, nihil est clarius; quam ista duo אחד ממנו / plane inter se cohærere, ob sensus integritatem, quæ in illo *sicut unus* non est, & qui in illo ממנו per se quoque nullus commodus reperitur; & quam ממנו ubi cum *uno* conjungitur debere sensum pluralem habere, cum non ex uno sed ex pluribus unum soleamus dicere, ut hinc non possit verti *ex illo*, sed debeat reddi *ex nobis*, notante ad hæc *Cl. Coccejo* quod Hebræi in tertia persona soleant dicere non ממנו / sed extra Scripturam מאלי / & ex Scriptura מאתו / *coll. Ies.* XLIV. 24. At quinam tum in istis *nobis* designantur? Ubi *sententiam alteram cum Christianorum tum Judæorum* dicit *Clericus*, *qui censent hic Deum sibi conjungere Angelos, propter vocis* אלהים *homonymiam, quasi diceret, homo factus est instar unius nostrum qui Dii vocamur. At hi nituntur iisdem rationibus quibus ad vers.* 5. *voce* אלהים

אלהים *Angelos intelligi probant Viri Docti. Habet ea phraſis, inſtar deorum ſciens bonum & malum, aliquid παρὰ μιώδες, atque ex ſenſu paræmiæ intelligi debere videntur verba eo alludentia.* Ita ille conſenſum ſuum cum *AntiTrinitariis* hac in parte ſatis declaravit; ex quibus *Enjedinus* ſcripſit, *hic etiam dubium non eſſe quin Deus ſibi conjungat Angelos, cum ait, unus ex nobis*, poſtquam præmiſerat; *Ergo non eſſentiam ſed quandam qualitatem Dei pollicebatur Serpens homini, cognitionem nempe & ſcientiam boni malique, quæ res divina & excellentiſſima erat. Hanc autem ſcientiam Deus communicarat aliis quoque ſpiritibus à ſe creatis, Angelis nimirum qui ob id ipſum* אלהים *vocantur. Nam cum illis Deus quandam ſuam proprietatem & excellentiæ particulam communicaſſet, nomine quoque ſuo illos appellari & quandoque ſe eis annumerari paſſus eſt.* Sicuti dein ſubjicit; *Sed hinc colligere iſtorum unam eandemque eſſentiam & naturam, nimis temerarium & fatuum eſt. Notanda etiam illa ſimilitudinis particula quaſi, non enim dicit Deus Adamum unum ex Elohim ſed quaſi unum.* Quæ poſtrema nihil videntur facere ad rem præſentem. Cum *Socinianis* heic etiam facit *Grotius*, addens *multa ſcire eſſe Divinum & Angelicum.* Sed, ut minora alia mittam, in promiſſo ſimilitudinis cum אלהים / Satanam non ſpectaſſe ad Angelos, antea oſtendimus *Cap. VI. §. 11.* & concidit iſta falſa hypotheſis etiam magnopere ex his Dei verbis illuc reſpicientibus, quando ſui ipſius ab homine quæſitam fuiſſe ſimilitudinem clare oſtendit per ea; dum nullam hoc habet apud atrendentes ſpeciem, quod propter qualemcunque Scientiæ Divinæ analogiam in Angelis Deus ipſos ſecum quaſi pares heic jungat, ac ſi Scientia Angelica ſimul Divina & Divina Angelica eſſet, quodque alterutram homo promiſcue & æque culpabiliter affectaſſet. Nec quidquam eſt in collocatis à Deo ab oriente horti *Cerubim verſ.* 24. quod nos in præſenti phraſi *unus ex nobis* ad eos ducat, uti aliqui cauſantur; quoniam nulla heic eſt phraſium aut reſpectuum ſimilitudo, ſed illic miniſtrorum à Domino diſtinctio liquida. Si vero non jungat Deus heic ſecum Angelos, multo minus reſpicit in hac phraſi, ſeu ad Principes humanos qui nulli præter Adamum erant, ſeu ad Deos falſos & plures Gentium, quos idololatria & ſuperſtitio nondum induxerat, & quorum Scientia non poterat ſane juxta divinam celebrari. Unde fateor, me non ſatis capere, quid hic ſibi velit *Muſculus* noſter, *agnoſcens myſterium S. Triadis hujuſmodi loqnu-*

loquutionibus innui, cum addidit *nihil aliud dicere* Deum, *quam Adam factus eſt quaſi Deus quidam.* Niſi ſic expreſſerit aliam exegeſin, quam ex *Calvino* adduxit *Enjedinus*; *Deinde ſunt qui in vocabulo nobis etiam Adamum à Deo comprehenſum affirment, ut ſit verborum ſenſus hic, poſthac Adam mihi erit ſimilis, ut ſimus inter nos ſocii. Secundum quam expoſitionem conjungeret ſe Deus cum homine. Ex qua*, inquit, *conjunctione vel aliquam identitatem Dei cum homine vel in Deo pluralitatem & multiplicitatem fingere nimis abſurdum eſt.* Enimverò eſt quod miremur eam *Calvini* noſtri gloſſam, quam adverſus *Piſcatorem* magnopere defendit *Cel. Rivetus*, & ad quam firmandam etiam ipſe adjecit; *Quod eliciunt ex hoc loco Chriſtiani doctrinam de Tribus in Deo Perſonis, vereor ne ſatis firmum ſit argumentum. Neque enim eadem eſt qua ſuperioris loci ratio, faciamus hominem, &c. quoniam hic Adam ſub dictione Nobis comprehenditur, illic autem aliqua in Dei eſſentia diſtinctio exprimitur.* Siquidem pro argumento ſic adducit Vir Magnus illud quod non tantum controverſum eſt adhuc, ſed & omni ſpecie veri caret; licet enim *unus ex nobis* poſſet forte dici à Deo cum reſpectu ad ſe ſolum & hominem inter ſe collatos, nequit tamen Homo eſſe unus ex nobis illis quibus ipſe ut diſtinctus ab illis ſimilis dicitur factus aut futurus, quemadmodum ipſe vocum obvius ſenſus & communis uſus arguit. Unde nil aliud relinquitur, quam in illo Deo vero, cui ſimilis ſcientiâ volucrat fieri homo, deprehendi Plures non Eſſentias ſed Perſonas ejuſdem Deitatis & Perfectionis verè participes, quæ ſic de uno ex ſe loqui queant. Et eſt hoc argumentum pro alibi determinata Trinitate etiam tantò validius quanto apertior heic eſt plurium diſtinctio apud pluralem numerum repertum ſimpliciter *Gen.* 1. 26. *&c.* nec adeo ulla occaſio de ſpectata in iſthoc numero Dei loquentis dignitate & excellentia heic cogitandi, quam illic licet temerè ingerunt *Anti Trinitarii.* Rectè adeo dixit *Auguſtinus Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 39. *Quoniam hoc per quodlibet & quomodolibet dictum ſit, Deus tamen dixit, non aliter intelligendum eſt & quod ait, unus ex nobis, niſi propter Trinitatem numerus pluralis accipiatur, ſicut dictum erat, faciamus hominem, ſicut etiam Dominus de ſe & de Patre, veniemus ad eum & manſionem apud eum faciemus, &c.* Nec quidquam certius clariusve eſt, quam hunc locum conferendum eſſe cum *Gen.* 1. 26. ut *loquatur hic eadem Trinitas quæ & ſuperius locuta eſt pluraliter*

ad ſemet ipſam, &c. notante etiam dudum *Ruperto.* Dum porro eſt nimis abſonum, quod *Auguſtinus* ludens in Præpoſitione *ex* habet ſecundo loco *Lib. 11. de Gen. c. Manich. Cap. 22. Qua ambigua locutio figuram facit, nam factus eſt tanquam unus ex nobis dupliciter intelligi poteſt, vel unus ex nobis quaſi & ipſe Deus, quod pertinet ad inſultationem, ſicut dicitur unus ex Senatoribus utique Senator, aut certe quia & ipſe Deus eſſet, quamvis creatoris ſui beneficio non natura, ſi ſub ejus poteſtate manere voluiſſet, ſic dictum eſt ex nobis, quomodo dicitur ex conſulibus aut pro conſulibus qui jam non eſt.* Sicuti neque hoc placere debet, quod *Unus ex nobis* trahatur à nonnullis ad Unam determinatam Perſonam Divinam cum aliarum Duarum excluſione, & nominatim ſeu ad Patrem ut primum ſimul, ſeu ad Filium Dei ut Mediatorem per paſſiones in gloriam ingreſſurum; dum facilius eſt *Unum* de Tribus Perſonis intelligere de harum aliqua & ſingula, abſque Patris Filii & Spiritus diſcrimine ullo, quo magis ſimilitudo heic refertur ad Scientiam Tribus illis communem. Quo modo etiam dicitur *Gen.* XXVI. 10. *unus populi*, *Gen.* XLIX. 16. *una tribuum Iſrael, &c.* Uti tandem, ob quæſitam excellentiam non ſupra ſed juxta Deum, locum heic non reperiunt aliæ verſiones אחר ממנו / per *primum ex nobis*, vel *unum pra nobis*; quo pacto אחר מני אלף *Job.* XXXIII. 23. optime reddi alias monſtravimus *Obſerv. Text. III. poſt Anal. Exeg. Ieſ.* LIII. Verbo itaque ut dicam, *Unus ex Nobis* eſt communiter Perſona aliqua Trinitatis heic eo modo loquentis; urgente id etiam pluribus *Ruperto.*

Cujus Similitudo in Scientia Boni & Mali tribuitur Adamo.

V. Collatio porro Adami cum Perſona aliqua Divina heic fit per præmiſſum *ſicut*, כ/ *ὡς*, *quaſi*; apud LXX. & *Vulgatum*; quod vix ſatis attenderunt *Paraphraſtæ* in adductis modo exegeſibus ſuis. Notat autem illud præfixum Adverbium, in ſeductione Satanæ perinde adhibitum כאלהים *verſ.* 5. non totalem identitatem, aut omnimodam neceſſario æqualitatem, aut exiguam qualemcunque convenientiam, ſed magnam & maximam quæ cogitari poterat ſimilitudinem hominis cum Deo, qualem ſibi homo propoſuerat. Quæ ſimilitudo uti non poteſt referri ad Trinitatem qua talem, ob unius tantum ex tribus expreſſam mentionem; ita neque debet referri ad Eſſentiam ipſam, aut ad Perfectionem omnem ac Gloriam Divinam, ſed vel unice vel præcipue ad illam *boni malique Scientiam* diffuſiſſimam, quam Satanas occaſione nominis Arboris

boris promiſerat. Unde heic quoque accedit reſtrictive & exegeticè, non finaliter nedum cauſaliter quod vult ipſe *Calvinus* ad pravum ſcientiæ deſiderium in homine ſpectans, *ſciendo bonum & malum*, לדעת טוב ורע / ϛ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρόν, *ſciens bonum & malum*, apud LXX. & *Vulgatum*; quod nos antea expoſitum dedimus *Lib. I. Cap.* XVIII. §. 2. & *Lib. III. Cap.* VI. §. 12. Etiamſi autem hæc pars divinæ dictionis hujus haud inepte poſſet capi, de vera Scientia tum boni neglecti & amiſſi tum mali patrati & accerſiti, eaque tam practica quam theoretica, ut ex qua liquere poſſet quantum à Dei ſimilitudine fallaciter promiſſa abeſſet jam Adam, per antonomaſticam alluſionem nudam ad Satanæ verba; major tamen partium orationis mihi videtur heic eſſe connexio, & aptior reſpectus ad Serpentis fallacia verba, ſi ſcientia boni & mali intelligatur felix & optabilis qualem homo quæſiverat. Quomodocunque verò ea ſe habeat res, abſurdiſſimum nobis videtur, Similitudinem heic Adami cum Filio Dei longe aliam reperire, quam uſquam antea ſpectata eſt aut declarata hactenus. Ita nempe lego apud *Muſculum*; *Non poſſum eorum expoſitionem probare, qui contra hiſtoricam ſimplicitatem ſic exponunt, ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis, hoc eſt ecce Adam per crucem ac tribulationes quibus factus eſt obnoxius tam abeſt ut miſer ſit effectus, ut ſimilis etiam ſit uni ex nobis, Filio ſcil meo Chriſto, qui & ipſe paſſionibus ſubjicietur & per tribulationes ad regnum graſſabitur.* Atque inter Recentiores, qui etiam aliqui ſimpliciter de Imagine Filii Dei in nobis per Regenerationem & Sanctificationem reperta atque ad boni malique diſtinctionem ſe extendente communiter loquuntur, præcipue huc tendit *Jac. Altingius.* Qui in *Anal. Exeg. Gen.* breviter ſcripſit ad hæc verba; *Deus in concilio Trinitatis collaudavit Adami fidem, per quam uni ex tribus perſonis Deitatis Filio Dei deſignato Mediatori ſimilem eſſe dixit, experimentali cognitione tam ſummæ infelicitatis, in Chriſto per fidem morituri peccato quod in typo viderat, quam ſummæ felicitatis, in eodem per fidem viventis Deo & victuri in æternum.* Et qui rem eandem latiſſime exſecutus eſt *Lib. III. de Sabb. Cap. 7.* admodum urgens; quod heic non dicatur *ſicut nos, ſed ſicut unus* tantum *ex nobis*, qualis ſit Chriſtus tam Muneris Mediatorii quam Perſonæ reſpectu; quod heic de *Mali* æque quam *Boni Cognitione* agatur *Experimentali*, quæ non niſi in ſolo Filio ex Perſonis Trinitatis ſed in hoc pleniſſime locum habuit;

buit; quodque *similitudo* illa Adami cum Filio Dei hæc sit, *sicut Filius meus unigenitus semen mulieris factus est in πεωτοευαγγελίῳ verbo ac typo patefacto, miserias hominum & mortem pro ipsis toleraturus, atque sic in gloriam cœlestem dux vie illis præiturus, ita quoque Adamus filius mortis ob peccatum & omnigenis calamitatibus obnoxius per fidem factus est semen mulieris secundarium, hanc matrem professus, quia à semine ejus vita principe vitam novam & glorioſam ſibi quoque datam communicatamque gloriatur.* Addit adhuc; *Similitudo fidelium cum una ex personis Sacrasanctæ Trinitatis Filio Dei Messia etiam alibi eodem fere modo indicatur, videlicet Zach.* XII. 8. *illo die erit domus David sicut Elohim, sicut Angelus Jehovæ, coram ipsis, &c.* Quin & hoc fundamentum interpretationis hujus habet ille præcipuum cum aliis, quod verbum hoc à Deo sit dictum non ante sententiam adversus hominem latam aut mox cum ea, sed post gratiam ei ore in Proteuangelio & opere ipso amictionis factam, atque ab eo per fidem acceptam, quando peccati commissi & infelicitatis per illud contractæ exprobratio non videtur commodum satis locum reperire. Verum quam sint hæc conquisita & levia omnia, nemo non videt ritè attendens. Utique phrasis illa, *unus ex nobis*, non dicit per se unam personam divinam cum exclusione aliarum, sed tantum plurium distributionem, & qui potuisset heic dicere Deus, *sicut nos*, ille dixit potius, *sicut unus ex nobis*, ut Trinitatem tanto clarius doceret, & non hanc ipsam sed ejus Scientiam temere ab homine fuisse affectatam monstraret; nec facit porro vel Unitas personæ Christi, quæ etiam in Patre & Spiritu locum habet, vel Unitas Mediatoris, quæ in allusione ad peccaminosum hominis labentis conatum plane præter rem ingeritur, quidquam in contrarium. Deinde quod dicitur de *Cognitione Experimentali Mali* & Boni, concidit per ea quæ ad fallax illud Satanæ promissum antea diximus, spectasse hoc nempe ad perfectam omnium & qualiumcunque rerum notitiam; quæ Deo Triuni omnino competit, & ab homine temere fuit quæsita. Tum in *similitudine* Adami cum Filio Dei Mediatore; & perperam res in Filio supponitur quasi facta omnis, quæ demum satis implicite prædicta erat; & experientia actualis boni per Christum fidelibus posthac etiam promissi gratis Adamo tribuitur; & cognoscendi *boni malique* ordo tam in Christo quam in Adamo malè invertitur, qui uterque scilicet malum ante bonum subiret; & assimilatio Adami

dami ad Christum in mali experientia minus recte constituitur, ubi per se & prius Adam huic subjectus fuit & Christus verius homini misero similis est factus, secundum rei naturam & Scripturam *Rom.* VIII. 3. *Phil.* II. 7. 8. *&c.* Uti porro nihil huc facit textus *Zachariæ*, de cujus sensu videre licet nostrum *Commentarium*, dum ipsam rem seu fidelium cum Christo similitudinem multiplicem minimè negamus; ita nihil omnino obstat quo minus Deus ille, qui post prædicatum Proteuangelium pœnales sententias in Mulierem & Virum palam tulit, nunc etiam post benignitatem in Tunicis pelliceis demonstratam, redeat ad peccati commissi & mali per illud inducti respectum, ostendatque quid non ex suo gratiæ promisso sed ex hominis scelere sit consecutum. Ita sane cum apud fideles per Spiritum & Verbum suum agat quotidie Deos, ad suæ gratiæ necessitatem & præstantiam declarandam, nihil mirum est id ipsum egisse apud Hominem primùm, de cujus fide demonstrata per nomen Evæ uxori datum hypothesis est debilior, & quem certe quandò ex Paradiso maxime dicitur expulisse Deus, id nos ad justam Dei severitatem longe magis quam ad ejus specialem gratiam & benignitatem ducit, uti illic videbitur.

Et quidem per Verbum הִיה cum præmisso Ecce.

VI. Connexio jam hujus prædicati, seu similitudinis cum Persona divina in scientia boni & mali, cum subjecto seu Adamo, fit per verbum הִיה / præmisso etiam Adverbio הֵן. Verbum illud exponunt aliqui, *fuit*, vel etiam *factus fuit*, in præterito tempore cum respectu ad statum primum integritatis, quasi præterita ejus felicitas magna heic à Deo memoraretur ut præsentis status miseri discrimen inde pateret tanto clarius; in quem eundem sensum reditur, si *fuisse* sit positum pro *desinere esse* vel *desieri*, quasi contraria significatione à *Buxtorfio* ipso adducta ad formam verbi passivam. Sed nusquam ea phrasi de Adamo integro utitur Scriptura, quod fuerit sicut Persona aliqua Divina sciendo bonum & malum, ex adverso malam hujus similitudinis affectationem ei tribuens; & præterea nulla præsentis status alius accedit heic in Dei verbis oppositio; nec connexio cum expulsione ex Paradiso sic apta satis erit. Alii ergo in præsenti reddunt הִיה per *est*; sive interrogative, uti *Tremellius & Iunius* habent, *ecce homo estne sicut unus ex nobis &c.* quo pacto dissimilitudo maxima notabitur, opponente *Piscatore* adverbium הֵן *en* vel *ecce quod sit affirmantis*; sive assertive, cum respectu, seu ad veram aliquam similitudinem hominis cum Deo in iis quæ antea

mone finito, ille damnatus & erumnosus Adam inter dolorem inter luctum, quo in tanta calamitate fuerat affectus, confidens in Deum mutandi delicti spem concepit, & idcirco incredibili erga factorem suum amore actus divinæ clementiæ gratiam habuit. Hæc fuit omnium prima Cabala, primordialis salutis nuncia, &c. Quæ, uti à literali sensu textus per omnes partes misere recedunt, ita nec per aptam ullam allegoriam heic reperiri possunt. Sunt perinde alienissima cogitata quæ heic insinuavit *Augustinus Lib. II. de Gen. c. Manich. Cap. 22. Quod autem dictum est, ne porrigeret Adam manum suam ad Arborem Vitæ, etiam hæc ambigua locutio est. Loquimur enim sic, cum dicimus, ideo te moneo ne iterum facias quod feciſti, volentes utique ut non faciat. Et iterum sic, ideo te moneo ne forte sis bonus, volentes utique ut sit, id est, moneo te non desperans quod bonus possis esse. Sicut loquitur Apostolus cum dicit, ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem. Potest ergo videri propterea homo in labores hujus vitæ esse dimissus, ut aliquando manum porrigat ad Arborem vitæ & vivat in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem, per quam vita æterna recuperatur; quamvis etiam, si illo modo intelligamus ne manum porrigat & vivat in æternum, non injusta pœna est, post peccatum intercluſum esse aditum ad sapientiam, donec Dei misericordia mensuris temporum reviviscat qui mortuus est ut inveniatur qui perierat.* Sed nec cogitandum ullo modo est de Vita seu plane interminabili seu longissima & robustissima longe supra Dei consilium & eventum tam in Adamo quam in posteris, quæ in his terris ab Adamo fuisset verè agenda, si de Arbore Vitæ vel semel vel sæpius ei licuisset edere; secundum ea quæ apud nomen Arboris hujus dudum præoccupavimus *Lib. I. Cap.* XVII. §. 5. 6. Quod tamen prorsus inculcat heic quoque *Jonathan* longiori ista sua Paraphrasi; *Si servasset mandata quæ ego illi præcepi, viveret & stabilis esset sicut Arbor Vitæ in secula, jam vero quoniam non servavit quod præcepi, decernamus super eum & ejiciamus eum ex horto Heden antequam extendat manum suam & sumat de fructibus Arboris Vitæ, quoniam ecce si edat ipse de ea erit vivus & stabilis in secula.* Sive tum illa excluſio ab hac Arbore & hinc fluente Vita sit habenda pro pœna, ne hanc averteret sic homo, sive pro bono magno, ne in peccatis & calamitatibus miseram vitam ille semper ageret, & sic à cœlesti beatitate excluſus semper maneret. Quem ad

mo-

Digitized by Google

qualis fieri voluit, ſed nec illud quod factus fuerat conſervavit. Sicuti idem dixit *Lib. 11. de Gen c. Manich. Cap. 21. Itaque cum contra præceptum non imitatione legitima ſed illicita ſuperbia Deus eſſe appetit homo, uſque ad beluarum mortalitatem dejectus eſt. Ideo ſic illi Lex Divina inſultat ore Dei, qua inſultatione nos admonemur quantum poſſumus cavere ſuperbiam.* Nec aliud voluit *Calvinus* noſter; *Ironica exprobratio, qua Deus cor hominis non tantum pungere ſed penitus confodere voluit. Nec vero crudeliter miſero & afflicto inſultat, ſed pro morbi neceſſitate violentius remedium adhibet. Nam etſi confuſus erat Adam, & attonitus ſua calamitate, mali tamen cauſam non ſatis reputabat, ut ſuperbia pertæſus veram humilitatem amplecti diſceret. Adde quod non in ipſum magis quam in poſteros hac ſubſannatione invectus eſt Deus, ut modeſtiam commendaret omnibus ſeculis.* Ponit quin etiam *Cl. Coccejus* heic *Ironiam*, dum tamen ſenſum dicti minime ironicum inculcat, *nihil aliud poſſe* illud *ſignificare* ſcribens, *quam ecce Adam periclitatus eſt comedendo de Arbore cognitionis boni & mali annon per eam poſſet fieri ſimilis nobis*; quæ res ſe veriſſime ſane ita habebat, dum verba Dei directe loquuntur non de nudo conatu Adami ſed quam maximè de ejus præſente ſtatu. Nec video alicujus eſſe ponderis, quæ adverſus Ironicum ſenſum adduxit inter alios *Iac. Altingius. Sermonem*, inquit, *orditur Deus Pater &c. Affatur autem Filium & Spiritum S. &c. Sermo porro inſtituitur non ad hominem ſed de homine &c. de ejusdem ſtatu qualis jam poſt lapſum ſit declarando. Unde mox primum idque validum exurgit argumentum, nullam hic eſſe locutionem ironicam, qua homini exprobretur ſua credulitas, dum ea qua ſibi ſtolide promiſerat recitentur. Nam Deus orationem non convertit ad hominem, qui irridendus erat; neque ad Satanam Angelosve alios ſive malos ſive bonos, coram quibus irrideri merebatur; ſed Trinitas inter ſe ſermocinatur & quodammodo deliberat, quæ actio ſi ulla alia ſeria eſt, ab omni ludibrio & inſultatione longiſſime remota.* Enimvero ſic nondum probavit ille, heic Trinitatis colloquium non eſſe habitum audiente Adamo, qui ſic abſque compellatione non minus quam per eam poterat ſeu irrideri ſeu valide eruditi; neque debet dubitari, quin illa ſeu irriſio ſeu eruditio maneat ſatis ſeria, etiamſi ironicè ſit concepta. *Præterea*, pergit, *in ſarcaſtica repetitione dicendum fuiſſet, ecce homo eſt ſicut nos, juxta pellicitationem Diaboli, cui fidem habuerat Mulier & hac recitante*

Ma-

Maritus ejus, dicentis, eritis ſicut Elohim, non autem ſicut unus ex Elohim, cui formulæ in ironica mimeſi reſpondiſſet quod hic legitur, ſicut unus ex nobis, &c. Quaſi aliquod reale diſcrimen eſſet inter illa à Deo Trino dicta, *ſicut ego* vel *nos*, & *ſicut unus ex nobis*; & quaſi ipſiſſima verba Serpentis abſque ulla vel minima mutatione debuiſſet repetere Deus in ironia, qui ad rem ipſam magis ſpectavit; & quaſi ſic non debuiſſet adhuc verius dici, *ſicut Elohim*, quam, *ſicut nos. Notitia boni & mali*, ſic diſputat porro, *ubique experimentalis intelligitur, de felicitate vel poſſeſſa vel acquirenda, &c.* Sed id gratis ipſe ſupponit, eam in rem male torquens, tum nomen Arboris Scientiæ ac ſi ad experientiam prioris felicitatis & ſecutæ infelicitatis illud unice ſpectaret, tum promiſſum Serpentis, ac ſi bonum illic felicitatem conſequendam & malum priorem ſtatum infeliciorem exprimeret; & dein ſi concedatur ironiam minime tollit, quando verbis Satanæ ſic intellectis neutiquam reſponderet jam eventus. *Denique*, ſubjicit ille, *nexus cum antecedentibus & conſequentibus Sarcaſmo neutiquam favet. Speciem iſte habuiſſet, ſiquidem hoc dixiſſet Deus, vel ante pronunciatam ſententiam, quum ex homine quæreret, quis tibi indicavit te nudum eſſe? vel mox poſt eam recitato duro carmine, pulvis es & in pulverem reverteris. Sed quid commune habet, vel cum antegreſſo beneficio amictionis? vel cum ſubjuncta remotione ab Arbore Vitæ? Profecto non conveniebat recentiſſimo gratiæ operi acerba oratio inſultantis; neque exprobrata iſta ſimilitudo ulla conſequentiæ neceſſitate pone ſe trahebat uſurpationem Arboris Vitæ, ut propterea ab hac removendus homo eſſet. Quæ omnia in diverſum ire non tam jubent quam cogunt.* Sed nequaquam impedire gratiæ divinæ opus, quo minus homini valide mox ſua inſinuetur miſeria, per illud non negata nec plane ſublata, jam antea monuimus, dum indumentum pelliceum ipſum pro miſeriæ quoque documento & mortis imminentis indicio cum *Auguſtino* habent plures, qua de re *Lib.* IV. agemus copioſius; & optima conſequentia, ex diſſimilitudine à Deo loco ſimilitudinis contracta per Adamum de una Arbore edentem, deduxit Deus illum ab altera Arbore nunc eſſe excludendum, qua ſe æque quam Paradiſi habitatione indignum reddiderat, & circa quam alias vana perſuaſione non minus quam circa priorem peccare denuo potuiſſet, uti de hac re agendum mox erit *Capite XIV.* ſequenti. Quod vero ex occaſione Ironiæ heic obſervari vult *Joh. Cle-*

Digitized by Google

Clericus, vel ex hoc loco ſatis apparere, hanc hiſtoriam naſcentis orbis, licet ſimplici contextam ut videtur ſtylo, non carere ſchematibus, unde minus mirum videbitur, ſi quædam in ſuperioribus prout jacent intelligenda non ſint, quamvis nuda ornamentis oratio primo intuitu videatur; id generatim non quidem improbari poteſt, ſed damnari omnino debet ubi per conquiſita ſchemata tota Moſis narratio evertitur, uti antea viſum eſt plus quam ſemel id ſub hoc prætextu fieri. Nec digna fere memoratu eſt Cabbaliſtica loci hujus expoſitio apud *Ioh. Reuchlinum Lib.* 1. juxta quam Deus verba hæc ad Angelos dixerit non de Adamo primo ſed de Chriſto; *Hinc ſane conjicimus, alterum quendam eſſe Adam cœleſtem, Angelis in cœlo demonſtratum, unum ex Deo, quem verbo fecerat, & alterum eſſe Adam terrenum &c. Iſte unus eſt cum Deo &c. Poſt miſerabilem itaque generis humani caſum docuit Angelos ſuos Deus de reſtitutione aliquando futura ſalutis per quemnam ventura eſſet &c. Quapropter ecce, inquit, hic eſt ille Adam, qui non tantum poſt orbis & veſtri ortum eſſentialiter eſt, ſed etiam ante omnem creationem in æternitate fuit unus ex nobis antequam tempus fieret &c.* Iſta utique per omnia impingunt, nec ulla ſpecie veri ſe cuiquam commendant. Interim iſta Dei diſſimilitudo fœda, juxta Dei diſplicentiam in ea, extendit ſe quoque ad omnes Adami poſteros, quibus & eandem Deus varie declarat.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo Divina Excluſio Hominis ab Arbore Vitæ & Ejectio ex Paradiſo illuſtratur.

Non abrumpitur Divina Trinitatis vox cum declarata ironicè Adami miſeria; ſed & ejuſdem intuitu decernens ipſe introducitur de eo quod nunc homini conveniens ſibique glorioſum foret, quin & ſimul cum decreti hujus pronunciatione idem mox exſequens *Gen.* III. 22. 23. 24. *Et nunc ne mittat manum ſuam, & ſumat etiam de Arbore Vitæ, edatque, & vivat in æternum. Et miſit eum Iehovah Deus ex horto Heden ad colendum terram ex qua ſumptus erat. Et expulit Adamum.* Quæ Dei actio an magis ſit Divinæ benignitatis quam ſeveritatis, *κηδεμονίας μᾶλλον ἢ ἀγα-* Vocis Divinæ continuatio.

Digitized by Google

καλλίστως secundum *Chryſoſtomi* phraſin, erit in fine videndum.

Exponitur præmiſſum & nunc.

II. Eſt vox illa prior Jehovæ Dei hactenus locuti continuatus apud ſe ſermo de Adamo, Evam ſub ſe comprehendente, & eundem ut videtur etiam audiente. Et eſt in illo ועתה / καὶ νῦν, *nunc ergo*, apud LXX & *Vulgatum*, potius abrupta quædam locutio agnoſcenda, quam ut Adverbium illud per transpoſitionem quandam pertineat ad ſequentem enunciationem, q. d. *& ne nunc mittat manum &c.* Unde cum *Tremellio & Junio* ſupplevit rectius etiam *Piſcator, nunc igitur videndum &c.* ſeu *cavendum, coll. Gen.* XI. 4. XLII. 4. *Matt.* XXV. 9. *Act.* V. 39. *&c.* cum reſpectu non ad hominem ipſum per modum mandati novi quod heic aliqui ponunt, neque ad Angelos ac ſi his cura illa jam demandaretur à Deo; ſed ad ipſum Deum Triunum, qui hinc in verborum horum exſecutione ipſe hominem ex horto Heden miſiſſe dicitur. Præſtat verò id ſupplementum præ aliis minus contextui convenientibus, vel *nunc reſtat*, vel *nunc periculum eſt*, vel *nunc dignus eſt qui expellatur*, vel *nunc expellere eum oportet*, *&c.* Dum certiſſime levis eſt iſta obſervatio *Hebræorum* quam adduxit *Fagius*, ſpectare ועתה ad hortandum hominem ad reſipiſcentiam, juxta illud, אין ועתה אלא תשובה / non poni vocem hanc niſi ubi pœnitentia proponitur, *coll. Deut.* X. 12. *&c.* ubi alia tum plane ſunt quæ inſequuntur verba. Ex adverſo heic eſt ſententiæ divinæ expreſſio de eo quod à Deo ex occaſione lapſus humani per Satanæ tentationem nunc porro erat arcendum; ubi *nunc* tam determinativum temporis quam illativum ex prioribus eſſe poteſt, notante etiam *Clerico* ἀποσιώπησιν in his verbis. Nec mirum, Trinitatem Divinam heic in negotio humanæ ejectionis venire in excitans conſilium, quando eadem ſe antea haud aliter actuoſam in creatione hominis declaraverat *Gen.* I. 26.

Impediendæ Miſſio Manus & Sumptio Eſuſque de Arbore etiam Vitæ.

III. Res cavenda per gradus proponitur. Præcedit enim quod in opere neceſſariò præcedere deberet; *ne manum ſuam mittat*, פן ישלח ידו / μὴ ποτε ἐκτείνῃ τὴν χεῖρα αὐτοῦ, *ne forte mittat manum ſuam*, apud LXX. & *Vulgatum*. Et notatur ſic indubie manus proprie dictæ, potius quam poteſtatis, alterutrius non minus quam utriuſque, extenſio, non qualiſcunque, ſed ad Arborem Vitæ ſubjectam ejuſque fructum ſumendum; qualis ad Arborem Scientiæ erat facta, & quidem contra interdictum de *non tangendo*, ſecundum obſervationem noſtram *Lib. II. Cap. IX.* §. 4. Sequitur hinc; *& de Vita Arbore etiam*, non minus quam de Arbore Scientiæ egit, *ſumat* ſibi fructum

Digitized by Google

ctum ad edendum, ולקחו גם מעץ החיים / καὶ λάβῃ καὶ ἀπὸ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, *& ſumat etiam de ligno vitæ*, apud LXX & *Vulgatum*. Ad quarum vocum expoſitionem nihil opus eſt addere ad ea quæ de Arbore Vitæ reſpectu nominis & rei antea dicta ſunt *Lib. I. Cap.* XVII. Subjicitur adhuc; *edatque*, nempe id quod ſumpſerit de Arbore Vitæ, ואכל / καὶ φάγῃ, *& comedat*, apud LXX & *Vulgatum*. Ubi Conjunctio copulativa & rectius retinetur quam finalis *ut* ei ab aliis quibuſdam ſubſtituitur, cum ita adverſus fructus ſumptionem feratur heic divina ſententia ut quam maxime ad ipſum Eſum illa ſpectet; ſicuti ab uno actu ad alium facillimus cæteroquin futurus fuiſſet hominis progreſſus. Id vero ad hæc tria neutiquam eſt prætermittendum, quod Deus nunc quidem poſt peccatum commiſſum indecentem ſic ponat Eſum Adami de Arbore Vitæ, ſed quod inde concludi nequeat eundem ante Lapſum fuiſſe interdictum juxta Arborem Scientiæ, propter ſtatus utriuſque humani maximum diſcrimen. Qua dè re diſputavimus latius *Lib. I. Cap.* XVII. §. 11. ita ut hæc ipſa Dei vox tanquam poſt Lapſum demum audita nobis quoque argumentum pro ſententia noſtra adverſus diſſentientes ſuppediraverit. Quin nec hoc elicias ex his verbis, quod Adam ante lapſum de Arbore Vitæ non ederit, uti plures ſomniarunt ex occaſione nominis ejus ſecundum quod crediderunt inaniter Adamum non potuiſſe unquam mori ſi de Arbore hac unquam ediſſet, qualem vim nomen illud ad Vitæ promiſſæ obſignationem fœderalem apud hominem obedientem ſpectans nequaquam infert. Dum optime tamen ex hoc textu concluditur, de Arbore Vitæ non ediſſe Adamum poſtquam de Arbore Scientiæ edendo peccaverat, notante cum aliis *Doct. Pareo*; ſiquidem de tali facto tacet plane Deus, in futurum tantum adverſus illud proſpecturus ne fieret. Nec difficulter conjicitur, unde id fuerit quod de Arbore Vitæ hactenus non ſumpſiſſet ediſſetque; nempe ex præſenti confuſione magna & terrore ad Dei vocem inſecuto, non autem vel ex Arboris iſtius æſtimatione decenti, vel ex ejus apud Serpentem æque quam Adamum ignorantia ubi ſita eſſet, de qua ineptiſſime diſſerucrunt aliqui, & adverſus quam etiam præſcribit heic Deus per ſequentem ejectionem ex Paradiſo, minus ſanè neceſſariam ſi in Paradiſo Arbor iſthæc hominem plane latuiſſet, & per curam adverſus manus extenſionem ad Arborem, quæ illam ſatis notam & præſentem videtur omninò ponere.

Ne viveret ipſe in æternum.

IV. Hæc verò tria minus longe difficultatis habent quam quartum quod ſubjicitur tanquam ſeu finis ſeu effectus, & ſimul ratio præcedentium; *Et vivus* ſit, vel *vivat*, *in æternum*, ועי לעלם / ἢ ζήσεται εἰς τὸ αἰῶνα. Enimvero licet עולם ſæpe denotet *ſeculum*, ſeu *æternitatem* reſtrictam longioris certæ vel incertæ durationis, atque ſic *Vita in Æternum* poſſit etiam alias eſſe dicta ad vitæ terreſtris ſeu durationem longam ſeu perpetuitatem exprimendam, *coll. 1. Reg.* 1. 31. *Iob.* VII. 16. *Dan.* 11. 4. *Zach.* 1. 5. *&c.* nihil tamen eſt quod ad leviorem illum phraſios hujus ſenſum nos heic unicè ducat. Ex adverſo *Vita in Æternum*, non obſtante ſcriptione defectiva vocis עד abſque ו de qua alibi loquitur *Hieronymus*, videtur heic pleniſſime debere capi, ſicuti Adamo per modum promiſſi fœderalis erat propoſita, cujus ille deſiderio ad ſui beatitatem meritò ferebatur, & ſicuti ea Vitæ Æternæ notio alibi in V. & N. Teſt. eſt obvia. Ad eam nempe, cujus fœderalem Promiſſionem Adamo factam adſtruximus *Lib. II. Cap. XII.* ſpectavit juxta nomen ſuum Arbor Vitæ tanquam Fœderis Sigillum, uti late quoque aſſeruimus *Lib. I. Cap.* XVII. Unde cum apud hanc Arborem de *Vita in Æternum* futura Adamo loquitur non Homo, qui minus bonum pro majori poſt lapſum ſibi proponere poſſet, ſed ipſe Deus ſapientiſſimus, eam quoque Vitam vere iſthoc nomine dignam heic intelligere oportet. Sed quid hoc eſt rei, quod cum Eſu de Arbore nunc adhuc poſt lapſum illa Vita connectitur, quodque eam ob cauſam Deus vult Eſum illum impedire Adamo quaſi denuo in hominem invidus? Ubi non ſatis facies in vocula פן incertitudinem aliquam inculcando, propter quam cum *Vulgato* exponi debeat per *ne forte*; præterquam enim quod incertitudinem nullam voce hac contineri antea monſtravimus ad illa Mulieris verba, *ne moriamini Lib. II. Cap. XI.* §. 3. pertineret ſic illa incertitudo magis directe ad Eſum ipſum quam ad vitam ex eo ſecuturam, & poſſibilitas ipſa Vitæ per Eſum obtinendæ nunc cum rei veritate haud magis quam actualis Vita per eum concedi poteſt, & Deo hoc non magis ſed & forte minus dignum videtur poſſibilitatem ipſam Vitæ obtinendæ Homini præripere. Dicendum etiam minimè eſt, vocularn פן *ne* ſpectare quidem ad præcedentia tria verba, mittendi manum ſumendi de Arbore & edendi, ſed apud quartum verbum vivendi non debere illud ſubintelligi, dum hoc poſitive aſſerat potius Deus, illum non edentem victurum eſſe, adeoque in hunc finem

Digitized by Google

finem esum velit avertere. Id enim simplex conjunctio verbi postremi cum prioribus tribus per Copulam vix patitur; neque sic nexus ullus est hujus decretæ abstinentiæ ad Vitam cum Arboris nomine; præterquam quod ad abstinentiam solam ab Arbore Vitæ non erat secutura Vita. Longe facilius foret, *Vau* Copulativum in hoc ultimo orationis membro exponere finaliter, uti sæpissime capitur, & usus ille sensui heic satis conveniens est; quando Deus heic non loquetur de eventu Esus, neque de Fine suo, sed de Fine Adami esuri solo, *ne edat ut vivat in æternum*, ne in eum finem edat, vel ne edendo hoc sibi proponat, adeoque Deus non tam à Vita quam à perversa ad eam via hominem avocabit. Sed potius tamen est, Copulam heic ultimo loco perinde ut prioribus duobus capere cum admissione Ironiæ continuatæ; ut quo modo de similitudine hominis secum per Esum Arboris Scientiæ proxime locutus est Deus, eodem & heic de Vita per Esum Arboris Vitæ acquirenda ipse differat. Illic nempe spectabatur fallax Satanæ promissum, & vana hominis ex eo orta persuasio, & eventus infelicissimus exspectationi priori minimè conveniens. Ita & heic cogitandum de eo quod ex occasione nominis Arboris Vitæ & usus ejus antecedentis Satanas posset haud difficulter homini lapso persuadere, vel ipse sibi inaniter polliceri, qui hinc loco Vitæ Æternæ obtinendæ Pœnam suam cum scelere esset quam maxime adauctarus & bis filius mortis futurus; q. d. ne edat nunc de hac Arbore quoque vivatque, sicuti de illa edendo nobis est factus modo similis. Quo pacto omnis sublata erit difficultas, si quidem ex Esu sic vere secutura Vita beata non ponitur, nec hanc Deus homini vult præripere, uti tamen per justitiam suam vindicativam potuisset, sed ex adverso notabilem peccati & mortis ulterioris occasionem ab ipso aufert, quæ per Arborem Vitæ ipsi cæteroquin fuisset data. Nempe à Vita nomen suum habens Arbor pro ejus sigillo homini à Deo fuerat data; quod superstitiosius æstimare & venerari in Fœdere Gratiæ solent nunc passim etiam homines ab eo rem ipsam promissam intrinseca quadam vi & necessaria exspectantes. Interim fuerat Arbor ista Vitæ Sigillum Fœderis Operum, quo ipso violato & abolito nullum jus in ejus fructum edendum amplius habebat Adam, nec vim obsignandi Arbor illa; ad quam si Adam adeò confugeret, raptus manifesti & superstitionis indecoræ & contumaciæ adversus divinam sententiam sceleratissimæ fuisset ille omnino reus fa-

ctus, quod Deus ita voluit avertere hoc ſuo decreto, ut ſimul homini ſuam indignitatem & vanitatem ob oculos poneret manifeſtè. Conſentit nobiscum in Ironiæ continuatione *Joh. Clericus*, ſed apud Vitam naturalem & vim Arboris peſſime ſimul hæret; *Videtur hoc quoque pars eſſe Ironiæ, quis enim credat Arborem fuiſſe ullam quæ nativa virtute vitam in æternum hominibus conſervare potuerit? Quemadmodum homines decepti appellatione Arboris Scientiæ ſe doctiores ejus fructu deguſtato fore fruſtra crediderunt, ita etiam fruſtra fuiſſent, ſi invito Deo ſibi vitam conſervare ope Arboris Vitæ voluiſſent. Potuit ea Arbor, ut ſupra diximus, vim habere ἀλεξιτήριον quæ fructus interdicti venenatam virtutem irritam faceret; ſed qui potuiſſet impedire ne organa humani corporis, quæ non ſunt durioris aut arctioris contexturæ quam reliquorum animalium, ipſo uſu & attritu tandem corrumperentur? Dei omnipotentia ad hoc opus fuit. Noluit autem Deus homines Arboris Vitæ alexipharmaco uti, nec etiam potentiam ſuam in gratiam reorum adhibere viſum eſt ut vitam in æternum eis conſervaret, quamvis forte ne illico interirent poſt deguſtatum fructum illicitum impedierit.* Enimvero nec dat ille ſic rationem, cur ab Arbore hac hominem abſtinere voluerit Deus, quem noluerit tamen per inſitam vim Arboris Scientiæ illico interire, ſi optimum alexipharmacon Arbor Vitæ ſuppeditare potuerit vere adverſus uſum prioris Arboris. Longe rectius adeo inter alios *Tremellius & Junius* heic locuti ſunt de *indigna acceptione & prophanatione ſacramenti cæleſtis vitæ* eſuque ad judicium, *coll.* 1. *Cor.* XI. 29. & notarunt poſtrema *hæc ad conſilium hominis peccatoris reſpicere, non ad eventum rei, non enim hoc dicere Deum fore ut homo recipiat vitam ſi de hoc fructu comederit, tanquam ſi vitalis aut vivifica potentia in Arbore illa reſedisſet, ſed hominem hypocritam daturum operam, ut hac ſpecie tanquam ex opere operato ſibi vitam ſpondeat imagineturque, non ſine gravi in Deum contumelia.* Similiter *Cel. Rivetus* heic ponit *continuationem redargutionis Ironicæ*, eam in rem ſimilitudinem Dei præmiſſam conferens, & de impedienda veteris Sacramenti profanatione latius diſſerens. Nec aliter *Cl. Coccejus*; *Duo copulat per particulam Etiam, quæ non poſſunt eſſe niſi ejusdem generis. Quale igitur eſt extendere manum ſuam ad Arborem Vitæ & Vivere in perpetuum, tale eſt etiam quod de Adamo dicitur, factus eſt ut unus ex nobis &c. Quemadmodum illud nihil aliud ſignificare poteſt, quam, ne porrigat manum ſuam ad Arborem Vitæ pu-*

tans

tans ſe perpetuo victurum, ita hoc nihil aliud poteſt ſignificare quam ecce Adam periclitatus eſt comedendo &c. Sic cauſa patet, ne peccatum peccato cumulet, ne poſtquam obedientiam violavit præcepti ſibi arrogei Symbolum promiſſionis & ſperet ſe eſu ſymboli mortem evadere poſſe. Ironia igitur eſt, &c. Scribit tamen magnus noſter *Calvinus, falli qui hic quoque Ironiam eſſe putent, ac ſi negaret Deus profuturam eſſe homini Arborem Vitæ quamvis ea veſcatur; potius enim ſymbolo*, inquit, *eum privans rem ſimul aufert &c.* Enimvero licet Sacramenti hujus utilitatem veram moralem apud hominem integrum neutiquam negemus, negari illa tamen omnino debet apud hominem lapſum ad quem non ſpectabat amplius. Unde & ipſe dein ſcripſit; *Certum quidem eſt, non potuiſſe hominem, etiamſi totam Arborem voraſſet, vita frui Deo invito, ſed Deus inſtitutionis ſuæ reſpectu vitam conjungit cum externa teſſera, donec inde ablata ſit promiſſio &c. In ſumma voluit Deus fiduciæ materiam quam dederat ex hominis manibus excutere, ne ſibi de vita perpetuitate quam amiſerat ſpem inanem fingeret.*

V. Nullus ergo hoic vanis iſtis ſomniis relinquitur locus quæ reperio apud *Joh. Reuchlinum Lib. 1. de Art. Cabbal.* Nempe ad alterum Adamum ſeu Chriſtum referuntur illic hæc quoque verba; *Cumque futuri perſonam Redemtoris jam Angelis indicaſſet, ne forte putarent eundem ipſum mox perfunctorie ſubita quadam interceſſione hoc odium tam ſceleroſi criminis averſurum, removit ilico dubitationem & negotium in tempus diſtulit ſubjungens, & nunc præſenti hoc tempore ne iſte meus in æternitate unicus, qui ſubſiſtit ex me ipſo, manum ſuam mittat, & ſumat etiam de ligno vitæ, innuendo ſcilicet quod ſolum nunc fieri prohiberet id olim ſe conceſſurum. Quo prudenter intellexerant, quod tametſi non nunc attamen poſt temporis ſucceſſu per iſtum Adam cœleſtem Deo coæternum ruina hæc veniret de fructu ligni reparanda.* Quin & ſubjicitur tum facta D.o ab Angelis gratiarum actio pro hac in homines clementia, & miſſio Angeli Razielis ad conſolandum Adamum; *Ne ſupra modum conficiaris gemitu & moleſtia, quod te duce genus humanum in ſummam corruit perditionem. Quoniam originale peccatum hoc expiabitur. Nam ex tua propagatione naſcetur homo juſtus & pacificus vir heros, cujus nomen continebit in miſerationibus etiam has quatuor literas J. H. V. H. & ille per rectam fidem & placidam oblationem mittet manum ſuam & ſumet de ligno vitæ, & ejus ligni fructus erit omnium ſperantium ſalus. Quo ſermone*

Dicti hujus Divini variæ παρερμηνείαι redarguuntur.

tulit, quod guſtanti amiſſa felicitate experientiam infelicitatis allatura eſſet, ſic Arbor Vitæ ab eventu vel effectu denominata eſt, quod guſtanti perennem vitam fuiſſet allatura, quemadmodum verba Dei hanc vim ei manifeſte aſſerunt. Ab hac igitur Arbore Adamum fidem in Meſſiam profeſſum arcet gemina de cauſa. Una eſt, quod alias ſine fidei ſalute glorioſa excidiſſet. Arbor enim Vitæ perennem vitam largitura erat comedenti, ſed qualem habebat, mutationis nullius capacem. Atqui ſi peccator vita Dei privatus inde quid guſtaſſet, quid aliud fuiſſet conſecutus quam ut vivam mortem æternam cura nullam poſſibilitatem reſtitutionis adiiſſet? qua conſummatio miſeriæ &c. Sin credens id feciſſet, nunquam initia reparationis ſupergreſſus neque ad cœleſtem gloriam evectus fuiſſet, ſed æternam carnis & ſpiritus luctam, nec non inimicitiam cum ſerpente & ſemine ejus perennem, in terra perpeti debuiſſet. Altera eſt, quod iſtud factum fidei Adami penitus eſſet diſſentaneum &c. Enimverò præter alia quæ apud nomen Arboris Vitæ antea ſuo loco dicta ſunt, peſſimè ſic ſupponitur fere, ad Arborem Vitæ ante Lapſum non fuiſſe admiſſum hominem, contra id quod demonſtravimus *Lib. I. Cap.* XVII. §. 11. Nec ſpeciem ullam habet, Arborem Unam Vitæ per Eſum fructus ſui, ſeu unum ſeu etiam repetitum, potuiſſe plane mortem temporalem arcere, vel ab homine integro qui ſic nullo alio cibo habuiſſet opus & obedientiam Legis habuiſſet minus forte neceſſariam, vel ab homine lapſo & mortis damnato, qui ſic ope creaturæ potuiſſet eludere ſententiam & voluntatem Creatoris, quo nihil poteſt cogitari ineptius. Adde, quod ad Vitam omnem in Fœdere promiſſam, adeoque potiſſimum glorioſam & cœleſtem, ſpectet tam nomen Arboris quam ad illud alludens hæc Dei vox; hanc autem non potuit ſigillum homini vere præſtare poſt violatam Fœderis conditionem, ſub qua illud ſignificabat obſignabat & fœderaliter præſtabat tantum homini Vitam. Nec eſt niſi cavillatio quæſita *Bellarmini* quam adverſus Ironiam in hoc Dei dicto objicit; *Quod vero quidem dicunt, Deum loquutum eſſe ironicè, cum ait, & vivat in æternum, non eſt probabile, tum quia repugnat teſtimoniis Patrum quos citavimus, tum quia ejectio Adæ de Paradiſo & Angelus cum gladio flammeo conſtitutus ad cuſtodiendam viam Ligni Vitæ ſatis indicant, Deum non ironicè ſed proprie & ſerio eſſe loquutum.* Utique Ironia non eſt in ipſo decreto excludendi hominem ab Arbore Vitæ, ſed in Eſus iſtius impediendi addita ratio-

tione fineque vel etiam eventu, qui ab ipso Esu multum differt; & solet Ironia sensum maxime serium sæpius fundere.

Missio Adami ex horto Heden ad colendum terram, ex qua sumptus erat cum expulsione.

VI. Dictum hoc Dei simul factum est; nam & absque mora *Jehovah Deus*, nomine hoc suo gemino ex antecedentibus satis jam notus, *eum*, Adamum nominatum cum uxore sua, *ex horto Heden*, in quo amœnissimo & abundantissimo loco constitutus peccaverat & sententiam divinam hactenus audiverat majoris convictionis ergò, quin & Arbor erat constituta unice, ἐκ τ Ἅδεισ τ τρυφῆς, *de Paradiso voluptatis*, apud LXX. & *Vulgatum*, *misit*, שלח / ἐξαπέστειλεν, *emisit*, apud LXX. & *Vulgatum*. De quo Verbo Hebræo cum Forma sua variæ sunt observationes. Benigniorem ei sensum tribuit inter alios *Doct. Pareus*; *Verbum quo hic utitur Moses notat placidam dimissionem. Pro sua igitur Φιλανθρωπία Deus placide egit cum misero homine, etiam in ira sua. Postea dicet, & ejecit eum*, וינרש / *duriore verbo. Non idem bis dicit, sed notat diversos actus in hominis exclusione. Prius exire seu migrare hominem præcepit, hoc intelligo per* וישלחהו / *emisit eum, hoc est, dedit ei missionem, seu ablegavit eum; ubi ventum erat ad portam, exclusit eum, quod sequenti verbo* וינרש *significatur.* Sed duriorem longe alii cum *Aben-Ezra*, verbo שלח cum sequente ם tribuente sensum *expulsionis ignominiosæ, coll. Jer.* XV. 1. uti sic *de emphasi verbi in conjugatione Pihel, attestantibus etiam Hebræis*, loquitur *Fagius*, additque, *significare non simpliciter emittere & dimittere, sed sic ut nunquam sit recipiendus, nam hoc verbo lex Repudii utitur, qua permittit dato libello repudii uxorem dimittere nec unquam recipere.* Rem istam in medio relinquens *Cel. Rivetus*, ex sequenti verbo וינרש satis apparere monet, *violentam & pœnalem fuisse* heic *ejectionem, qualis est domesticorum qui propter infidelitatem a Patrefamilias ex ædibus ejiciuntur.* Utique vox שלח per se est admodum communis, nec ad sententiæ vocem magis quam ad ejus exsecutionem est restricta; sed sensus ejus pœnalis ex contextu heic fit necessarius, qui admissus heic sufficit. Dum vana est ulterior quorundam conjectura, emissionem hanc Adami per *Angelum* factam, qui eum vel *manu eduxit, uti Raphael Tobiam, vel abripuit, uti rapuit Habacuc ex Judæa in Babylonem ut ferret prandium Danieli &c.* quam ab ipso *à Lapide* laudatam reperies. Et dum certissime à scopo verbi aberravit *Augustinus Lib.* II. *de Gen. c. Man. Cap.* 22. *Bene dictum est, dimisit, non exclusit, ut ipse peccatorum suorum pondere tanquam in*

locum ſibi congruum videretur urgeri. Quod patitur plerumque malus homo, cum inter bonos vivere caperit, ſi ſe in melius commutare noluerit, ex illa bonorum congregatione pondere mala ſuæ conſuetudinis pellitur, & illi eum non excludunt reluctantem ſed dimittunt cupientem, &c. Additur in textu miſſionis hujus finis, ejuſdem terminum in latitudine aliqua ſimul complectens; *Ad colendum terram ex qua ſumptus erat.* Nempe האדמה אשר לקח משם / ἡ γῆ ἐξ ἧς ἐλήφθη, *terra de qua ſumptus eſt*, apud LXX. & *Vulgatum*, indubie heic dicit terræ partem aliquam vel ejus amplitudinem integram præter Paradiſi ſedem; ſive Adami paſſiva *ſumptio ex ea* dicat ejuſdem ſecundum corpus creationem ex ea tanquam materia, *coll. verſ.* 19. præeunte *Onkeloſo*, quam ſic tamen liquet factam eſſe extra Paradiſum ſecundum dicta à nobis *Lib. II. Cap* 11. §. 15. ſive etiam illa notet translationem ejus creati ex illa terra reliqua formationis ſuæ in Paradiſum quod ob adhibitam vocem Hebræam משם / *inde*, & emiſſionem heic memoratam, non proriſus improbabile ſorte queat cenſeri. Optimè vero diſtinguitur ea *Terra* hoc ſenſu à Paradiſo; etiamſi hic nec à globo noſtro terraqueo, nec à continenti noſtra, plane fuerit diviſus, ſecundum ſententias aliorum ineptas quas etiam hoc loco nixas protulimus & rejecimus *Lib. I. Cap. III. IV. V.* Cum vero ſic nequaquam determinata ſit pars ſpecialis Terræ, ex qua Adam ſumptus & in quam deinde emiſſus fuit ipſe, quæſiverunt eam dudum Judæi in cultu ejus adjecto ad hanc emiſſionem Adami in eam; *Ad colendum* eam, לעבד / ἐργάζεσθαι αὐτὴν, *ut operaretur terram*, apud LXX. & *Vulgatum*. Id enim verbum antea quoque notavimus *Lib. II. Cap. II.* §. 15. ad cultum religioſum Dei in illa terra trahi; unde illi tum *Montem Moriya & locum Domus Sanctuarii* heic reperiunt qui portæ Paradiſi fuerit vicinus, apud R. *Eliezerem Cap.* xx. Et eſt ex hac hypotheſi, quod *Ionathan* heic cum nimio & inutili ſupplemento dixit; *Et abiit & habitavit in monte Morijah ad colendum terram ex qua creatus erat.* Nihil vero clarius eſſe poteſt, quam *Cultum* terræ heic pertinere ad corporis animique ſimul laborem quem ei homo cum multiplici ſudore fatigatione & moleſtia impendere deberet impoſterum ad nanciſcendum victum amictum & habitationem quoque commodam ex terra ſuæ formationis quæ ſic ipſius naturæ quoque conveniret, *coll. Gen.* 11. 5. IV. 2. 12 *Prov.* XII. 11. XXVIII. 19. *&c.* Atque ſic apparet in his verbis exſecutio; tum ejus judicii, quod in

in ſententia Viri totum genus humanum repræſentantis antea erat ei denunciatum loco prioris facillimi cultus Paradiſi *verſſ.* 17. 18. 19. tum decreti proxime præmiſſi de impediendo Eſu fructuum Arboris Vitæ. Quam poſteriorem hinc conſtat quoque ſic eſſe factam, ut nec Paradiſi in quo ſolo iſta erat Arbor habitatio amplius relicta ſit indigno peccatori, tum ut magis ab Arbore Vitæ arceretur, tum ut & ab hoc Sigillo altero præſtantiſſimo Fœderis iſtius excluderetur, quod non magis quam Arbor Vitæ profanari aut novo peccato gravissimo occaſionem dare debebat. Sic utique Jehovah Deus ex horto Heden miſit hominem ad colendum terram ex qua ſumptus erat, ut idem Dei factum reſumens Moſes dicat *verſ.* 24. *& expulit Adamum*, nempe non alter aliquis ſed Deus ex Paradiſo & ſimul à præcedenti ſui fruitione familiariſſima in eo, וינרש את האדם / καὶ ἐξέβαλε τὸν Ἀδάμ, *ejecitque Adam*, apud LXX. & *Vulgatum*. Quo ipſo non tantum emiſſionis dictæ certitudo notatur, ſed & ſimul forte feſtinatio, ingrata coactio, horgior remotio, & excluſionis perpetua duratio abſque reditu; etiamſi credas initium hoc ſequentis verſus arctius cum ejus progreſſu ſic cohærere, ut ſenſus illic ſit, *poſtquam expulit Adam, collocavit &c.* Alias ad hoc verbum גרש conſiderationes mitto, qualis eſt illa *Fagii; Verbum* גרש *Hebræis propriè repudiare ſignificat, quemadmodum maritus uxorem rejicit. Pulchre ſibi Deus hominem aſſociaverat, quem tanquam ſponſam quoque variis & præclariſſimis donis ornaverat. Verum quia ille fidem non ſervavit, Diaboloque plus quam Deo credidit, dignum fuit ut repudiaretur &c.* Quemadmodum nec pro certa habere queo conjecturam de hominis externa reluctatione & de armatis Cerubhim ad expulſionem Adami non minus quam ad ejus durantem inde excluſionem adhibitis.

VII. De iſta jam hominis Excluſione ab Arbore Vitæ & Ejectione ex Paradiſo integro videndum, an pro beneficio Divinæ Gratiæ an pro effectu Juſtitiæ Ultricis ſit habenda potius. Utique de Excluſione ab Arbore Vitæ jam antea vidimus, quo pacto illa ad beneficentiam Divinam trahatur; & Hebræi ipſi in Ejectione ex Paradiſo *oſtenſas* volunt Adamo *vias converſionis*; & τὸ ἐκβαλεῖν retulit *Chryſoſtomus* ad τὴν φιλανθρωπίαν καὶ ἀγαθότητα τοῦ θεοῦ. Neque dubium eſt, quin hoc Dei factum notabilem in ſe contineat Dei benignitatem in hominem, quem alias longe ſeverius tractare potuiſſet; in primis in hominem electum, quem peccari

Quæ quo loco debeat haberi, adjicitur.

ſui fœditatem cum amaro ejuſdem fructu ſic docuit manifeſte, atque à nova ulterioris ſceleris occaſione non minus clare abduxit. Attamen nihil obſtant iſta cuncta, quo minus directe & per ſe utraque illa Dei actio pertineat ad Dei judicium in hominem peccatorem; quemadmodum rei natura id arguit in præſtantiſſimi fructus & loci ex gratia magna conceſſi ablatione ad peccatum ſecuta, etiamque in Sigillorum veteris ſui fœderis ulteriori negatione; & conferri in hanc rem poſſunt omnes fidelium caſtigationes cum ipſorum morte. Quo reſpectu non male *Auguſtinus* dixit *Lib.* XI. *de Gen. ad lit. Cap.* 40. *Alienatus à vita, non ſolum quam fuerat ſi præceptum ſervaſſet cum Angelis acceptarus, ſed ab illa etiam quam ducebat in Paradiſo, felici quodam corporis ſtatu, ſeparari utique debuit à Ligno Vitæ. Sive quod ex ipſo illo ſubſiſteret felix ille ipſe ſtatus corporis ex re viſibili virtute inviſibili. Sive quod in eo eſſet Sacramentum viſibile inviſibilis ſapientiæ. Alienandus utique inde fuerat, vel jam moriturus, vel etiam tanquam Excommunicatus; ſicut etiam in hoc Paradiſo, id eſt Eccleſia, ſolent à Sacramentis Altaris viſibilibus homines diſciplina Eccleſiaſtica removeri.* Quin & ſi conferamus varia *Chryſoſtomi* verba, apparet, eum per bonitatis divinæ commendationem in hoc Dei facto noluiſſe pœnam excludere, ſed ejus tantum mitigationem monſtrare; Σκόπει πῶς ἕκαστον τῶν γινομένων ὑπὸ τῆς τοῦ θεοῦ διατάξεως φιλανθρωπίας ὑπόθεσις ἦν, καὶ ἕκαστον τιμωρίας εἶδος ἀγαθότητος μέμικται πολλῆς Quin & ipſe *Jac. Altingius*, *Emiſſionem ex horto voluptatis, ut in natali ſolo durum laborem auſpicarentur, ſingulari horti benedictione privati*, retulit ad hominum peccantium *convictionem, in Anal. Exeg. Gen.* Imo prolixius *Cel. Burmannus Synopſ. Lib. II. Cap. VIII. §. 20. &c.* inculcavit, *mortis æternæ reatum in homine* fuiſſe oſtenſum etiam *actuali ex Paradiſo expulſione & ab Arbore Vitæ excluſione, quæ vitæ cœleſtis ſymbola ac fœderis pignora erant, quæ cum Deus homini eriperet, quid niſi ruptum fœdus ac bonis ejus & benedictionibus omnibus hominem indignum ac exutum teſtabatur? &c.* Sicuti dein, poſt expoſitam ſuperbiæ exprobrationem, differit de *denunciatione exilii*, atque *ipſa hominis relegatione extra fortunata iſta arva, & in alium veluti orbem ac potius perpetuum exilium expulſione, ubi longas inter calamitates dum vitam traheret, triſtem ſuum ac univerſi ſui generis caſum deplorare ac plangere ac Dei gratiam in promiſſo ſemine apprehendere ſolum curæ habere debuit, &c.* Unde mirum videri debet, quod idem *Vir Cel. Lib. III. Cap.*

Cap. VI. *Fœderis Gratiæ Sacramentum Primum* sub Promissione faciat *Arborem Vitæ* & quidem respectu Exclusionis ab ea, de Paradiso ipso interim tacens; *Sacramentum primum fuit Arbor Vitæ, quæquamvis primo spectaverit ad Fœdus Operum, & Exclusio ab illa pœna fuerit hominis lapsi, nihilominus ea ipsa Exclusio simul bonitatis ac gratiæ divinæ signum fuit. Ademto enim homini Operum Sacramento, simul ei ostensum fuit, justitiam ex alio Fœdere quærendam esse, atque ita a Fœdere operum manuductus fuit ad Fœdus Gratiæ, in quo Arbor Vitæ nunc etiam memoratur, & umbram ac imaginem Christi ac beneficiorum ejus gerit, Apoc.* II. 7. *conf.* Cap. XXII. 1. 2. Ad quæ noto; primo esse longe aliud ipsam Arborem Vitæ, aliud Exclusionem ab illa; illam quidem, sed non hanc, fuisse Sacramentum Fœderis Operum, & emblema quod ad Christum aut Deum in Fœdere Gratiæ transfertur tanquam vere fruendum; hanc autem, dum justitiam Fœderis Operum omnem tollit æque quam omnis divina pœna, neutiquam hoc ipso docere justitiam Fidei, nedum de ea obsignare hominem per modum pignoris & sigilli certi. De quibus latius differentem vide *Cl. Witsium* nostrum *Oecon. Fœd. Lib. IV. Cap.* VII. Est vero & hæc Adami Exclusio ab Arbore Vitæ atque Ejectio ex Paradiso etiamnum in ejus posteris respectu Effectus sui durans, inprimis post insecutam Arboris & Horti illius deletionem, de qua egimus *Lib. I. Cap.* XXI.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quo de Observatione viæ Arboris Vitæ per Cerubbim cum Flamma Gladii vibrantis se agitur.

Enimvero ne de Missione & Expulsione Adami ex horto Hedenis cogitaremus nos temporaria aliqua, seu breviori seu longiori, eidem subjecit Moses ulteriorem Dei curam adversus reditum in eum *vers.* 24. *Et expulit Adamum,* (sicuti antea de ea re & repetita phrasi proxime etiam actum est,) *& commorari fecit ab Oriente ad hortum Heden Cerubbim & flammam gladii se vibrantis ad observandum viam Arboris Vitæ.* Ex qua enunciatione una duplicem fecerunt LXX. unam finientes in horto Heden, eamque intelligentes per subintellectum Pronomen relativum de Adamo expulso,

Verborum sequentium de Collocatione Cerubim &c. varia Versio.

pulso, καὶ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τ παραδείσ τ τρυφῆς, alterum vero tum per novum verbum ſupplentes, καὶ ἔταξε τὰ χερουβὶμ καὶ τ φλογίνιον ῥομφαίαν τ στρεφομένην, φυλάσσειν τ ὁδὸν, ſeu ἔσοδον, τ ξύλου τ ζωῆς. Quemadmodum inter alios Latinos etiam legit *Auguſtinus Lib. XI. de Gen. ad lit. Cap. 40. Et ejecit Adam & collocavit eum contra Paradiſum voluptatis &c.* Qua quidem occaſione ille adjecit; *Et hoc ſignificandi gratia factum eſt, ſed tamen factum, ut contra Paradiſum, quo beata vita etiam ſpiritaliter ſignificatur, habitaret peccator utique in miſeria.* Etiam *Lib. II. de Gen. c. Man. Cap. 22. Moratus eſt autem contra Paradiſum in miſeria, quæ utique beatæ vitæ contraria eſt. Nam beatam vitam Paradiſi nomine ſignificatam exiſtimo.* Uti & Græci haud admodum diſſimiliter ſcripſerunt cum *Chryſoſtomo*, Adamum ἀπέναντι τ παραδείσ collocatum, ἵνα ἀδιάλειπτον ὀδύνην ἔχῃ, καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀναλογιζόμενον, οἵαν ἐκπεπτωκὼς εἰς οἵαν ἑαυτὸν κατάστασιν ἤγαγεν, ἀλλ' ἔμπροσθεν εἰ καὶ ὀδύνην ἀφόρητον ἡ θεία ἔσχεν, ἀλλ' ὑ μικρᾶς ὠφελείας ὑπόμνησις ἦν &c. Ὥστε καὶ τὸ πλησίον τ ἀπέναντι τ παραδείσ τρυφῆς κατοικεῖν τ ἐκεῖθεν ἐκπεπτωκότα μεγίστης κηδεμονίας σημεῖον ἦν, καὶ ἵνα καὶ τ ἐκ τ θείας ὑπομνήσεων ἔχῃ, καὶ τ εἰληφὼς χέρδους ἀπολαύῃ, καὶ μηδὲ ἀπηυμιαν τ φιλοζωίας ἔχων καὶ ἕξιν πυχάνων καταγνωμίζῃ τ ξύλου βρώσεως &c. Et cum *Theodoreto Quæſt* XL. *in Gen.* Καλῶς δὲ ὁ τ παραδείσ φύλακα αὐτὸν προσέταξεν, ἵνα τ ἀλύπου βιοτῆς εἰς μνήμην ἐρχόμενον, μισῇ τ ἁμαρτίαν, ὡς προξένου τ ἀπωτάτω ζωῆς. Sed ubi unum modo in Hebræo textu eſt Verbum את / nec ullum ad illud pronomen accuſativi caſus loco accedit, ſed nomina את הכרבים ואת להט / in accuſativo abſque ullo novo verbo proxime ſequuntur, clarum ſatis eſt, unam heic tantum eſſe enunciationem, & recte adeo vertiſſe *Vulgatum*, *& collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim &c.* dum alias את repetitum deberet haberi pro præpoſitione *cum*, ut homo eo loco conſtitutus diceretur *cum Cerubbhim &c.* Verum longe magis heic divagantur adhuc *Paraphraſes Jonathanis & Jeroſolymitana*, omnia heic diſcerpentes. Illa eſt; *Ex quo habitare fecit gloriam majeſtatis ſuæ ab antiquo inter duos Cerubbhim. Antequam creavit mundum, creavit Legem, paravit hortum Heden juſtis, ut edant & delicientur ex fructibus arboris, quoniam coluerunt in vita ſua doctrinam Legis in ſeculo hoc, & firmarunt præcepta; paravit Gehennam improbis quæ ſimilis gladio acuto ancipiti, paravit in medio ejus ſcintillas ignis & prunas ignis, ad judican-*

duandum per eas improbos qui rebellarunt in vita ſua in doctrinam Legis. Bona Lex colenti eam præ fructibus Arboris Vitæ, quam paravit Verbum Jehovæ ſervanti eam ut ſit ſtabilis & ambulet in ſemitis viæ Vitæ ſeculi futuri. Nec aliter hæc ſeſe habet, niſi in immixtis quibuſdam aliis & pluribus verbis, quæ adducere opus non erit.

II. Divinæ ergo actionis ſeu objectum ſeu ſubjectum conſtituunt heic perſonaliter *Cerubbim*, & realiter ſimul *flamma gladii ſe vibrantis.* Nomen autem הכרבים / τὰ (cum reſpectu ad πνεύματα juxta *Druſium Lib.* x. *Obſ. Cap.* 21.) χερουβὶμ vel χερουβὶν vel χερουβείμ, *Cherubim*, apud LXX. & *Vulgatum*, notiſſimum eſt, præcipuè ex fabrica Tabernaculi & Templi *Exod.* xxv. 19. 20. *&c.* itemque ex viſionibus *Ezechielis Capp.* x. xi. Id, illic imaginibus ſeu typis quibuſdam viſibilibus datum, creditur vulgo per transpoſitionem quandam factum ex רכב / adeoque notare propriè *vehicula*, aut *currus*, aut animalia *volatilia* eorum inſtar celerrime mota, dum alii à Syriaco & Arabico verbo *arandi* illud derivant, ſenſu *bovum* aut communiori *robuſtorum*, vel etiam ex *Caph* ſervili ſimilitunis & nomine *Arabico* notante *pueros*, & *Veteres* plurimi id de *ſcientiæ multitudine* (πλήθει γνώσεως ἢ χύσει σοφίας apud *Pſeudo Dionyſium*) exponunt cum reſpectu, ſive ad רב & נכר / ſive ad רב & כ vel רבי / ſive ad רב & בין / ſive ad ſcientiam magnam Angelis competentem, ſive alio aliquo, imò nec deſunt qui ad verbum קרב *appropinquandi* heic ſpectant. Primam illam ſententiam inter alios late adſtruxit *Doct. de Dieu ad h. loc.* argumenta præcipue quatuor adducens, & de imaginum ac typorum illorum externa forma etiam diſſerens. *Angelos* autem *intelligi*, qui & per eas imagines ac typos ſint olim repræſentati, & vere deprehendantur celerrimi currus Dei *coll. Pſal.* xviii. 11. *&c. nemo dubitat* ſecundum ipſum. Monuit tamen *Cl. Coccejus* ad hunc locum, *ſignificatum Cherubinorum non tantum eſſe Angelos, ſed etiam electos homines, ut liquet Apoc.* v. 8. 9. 10. Sed de eo loco nos dudum aliter judicavimus in noſtro *Commentario*, quem vide. Atque ipſi *Papiſtæ*, licet alias nomen *Cerubbim* reſtringant ex *Pſeudo Areopagita* ad Ordinem unum ex Prima Claſſe Angelorum qui ſemper Deo aſſiſtat nec mittatur ad externa miniſteria, hic tamen ad Inferiorum Ordinum Angelos id volunt transferri, & adhiberi ad vigilantiam & ſapientiam ſummam Cuſtodiæ Paradiſiacæ tantò clarius exprimendum; uti apud *Pererium* videas. Expoſitio כרבים.

videas, dissentientibus aliis cum *à Lapide*, qui ex hoc textu concludit, *Angelos superiores quoque missi ad terram.* Quemadmodum autem ineptum est, ex numero nominis hujus plurali cum n præfixo colligere heic quandoque Judæos numerum septenarium Angelorum, notante *Fagio*, & longe rectius de pluribus quam de uno aliquo eximio heic cogitatur; ita difficile est judicium, an Angelos invisibiles absque forma aliqua assumpta, an vero eosdem in forma Imaginum postea eis exprimendis factarum, de qua iterum tum disputatur, heic significare voluerit Moses. Ea de re sic differit *Theodorus* apud *Theodoretum Quæst.* XL. *in Gen.* Οὐκ ἀορἀτους τινὰς δυνάμεις λέγει τὰ χερουβὶμ, ὥς τινες οἴονται, ἐπεὶ μηδὲ συνετὴν τὴ ἀόρἀτῳ φύσιν ἐκεῖ, αἰσθητῆς ὄψεως ὀφειλόσης εἶναι τὸ τὸ Ἀδὰμ παιδεύσης &c. ἔτε τὰ χερουβὶμ ζῶα, ἀλλ' ὄψις τοιαύτη, ἐπεὶ καὶ Ἰεζεκιὴλ τετραπρόσωπα τὰ χερουβὶμ ὁρᾷ, τετραπρόσωπῳ δὲ ἡ ἀορἀτου φύσις οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ χερουβὶμ καλεῖ πᾶν τὸ δυνατὸν, ὅτως λέγει, ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν χερουβὶμ, ἀπὸ δὲ ὁ δυνατὸς βασιλεύων, καὶ, ἐπέβη ἐπὶ χερουβὶμ καὶ ἐπετάσθη, ἀντὶ δὲ, μὴ πολλῆς παρεχώρητο τὸ δυνάμεως· τὸ ἓν, ἔταξε τὰ χερουβὶμ, ἵνα εἴπῃ δυνατὸν τινα καὶ φοβερὰν ὄψιν καὶ μορφὴν, ὡσανεὶ τινῶν ζώων, ἐπέστησε τῇ εἰσόδῳ δὲ ῥομφαίαν, ὥστε ἀπείργειν τὸ Ἀδὰμ. Dum *Grotius* symbolum omne externum præter flammeum gladium relinquens una cum substantiis illis spiritualibus, vult heic esse ἓν διὰ δυοῖν, ut Cherubim & flammeus gladius sint unum idemque, postquam notasset, *morem* esse *Hebræis omnia Dei opera quibus extra ordinem Deus utitur appellare Angelos, ut ventos & ignem Psal.* CIV. 4. *sic quod in Psal.* XVIII. 10. *Deus insidere Cherubino dicitur, Psal.* CIV. *de ventis exponi, &c.* Hoc postremum mihi neutiquam placet; nec dubito, quin Angeli, non mali adeo quam boni, frequentissimi exsecutores divinorum judiciorum heic magno satis designentur numero, qui sub nomine *Cerubhim* erant apud Hebræos satis noti; dum nihil est, quod formam aliquam sensibilem & visibilem & validam, seu humanam seu aliam mixtam, vel arceat ex hoc textu, vel ab altera parte necessariam quoque prorsus faciat, ut res hæc fere pro incerta debeat haberi, tanquam minus à nobis scitu necessaria à Deo judicata. Et sunt consequenter minime solida sed præ aliis levissima, quæ de *grandibus & terribilibus volucribus à Deo ad custodiam Paradisi deputatis*, atque in Cerubhim intellectis habet noster *Musculus*; quæque de *virili quodam simulacro horribili forma larvaque circumtecto, quod*

Deus

Deus ad incutiendum terrorem primis parentibus præ foribus Paradiſi collocaverit, juxta morem agricolarum qui in ſatis & hortis ligneos palos defigunt laceris humanarum veſtium pannis inanios, ut eo terriculamenti genere aves à ſeminum atque frugum paſtu deterreant, ex *Iacobo Chyo* adduxit *Sixtus Senenſis Lib.* v. *Annot.* 58.

III. Res cum his Cerubhim per Copulam *Vau* juncta eſt *flamma gladii ſe vibrantis.* Nonnullis Nomen præcipuum hic eſt להט ῥομφαία, *gladius*, apud LXX. & *Vulgatum*; qui tum communius de vindicta aut nocendi potentia, vel proprie intelligitur de iſthoc defenſivo armorum genere, collective potius quam ſingulariter; & cui tribuatur tum להט / *flamma*, notans *aciem* vel *mucronem* flammæ inſtar terribiliter ſplendentem, נשׁ apud *Onkeloſum*, unde ✝ φλογίνῳ ῥομφαίαν *flammeum gladium*, habent heic LXX. & *Vulgatus*, conferunt & alii *enſem fulmineum flammaſque vomantem galeam* ex *Virgilio &c.* ſimulque *vibratio*, ſeu *converſio* & *agitatio* continua, qualis eſt gladii evaginati in manu cuſtodis vigilis & ad omnem aliorum acceſſum intenti, per vocem המתהפכת / ✝ στρεφομένῳ, *atque verſatilem*, apud LXX. & *Vulgatum*, rectius quam *ancipitem* apud alios Judæos & Chriſtianos varios. Quem gladium porrò tribuunt מיז Cerubhim in forma viſibili, conferuntque hiſtoriam Bileami *Num.* xxii. 23. Joſuæ *Joſ.* v. 13. 14. Davidis 1. *Chron.* xxi. 16. & ſex viros cum vaſis diſſipationis in manu ſua *Ezech.* ix. 2. *&c.* quin & judicant, talem conſpectum Protoplaſtis arcendis fuiſſe maxime aptum & neceſſarium. Alii tamen vocem præpoſitam *flamma* ſpectant ut præcipuæ rei indicem, quam tum proprie intelligunt, voluntque dici *gladii vibrantis ſe*, ob ſimilitudinem formæ acuminatæ, & continuum terribilemque motum, & vim nocendi perdendique ſummam; quod ſatis ſane probabile videtur etiam nobis. Quo ſenſu admiſſo, prorſus inepte multi ab ævo heic repererunt flagrantiſſimum æſtum Zonæ Torridæ ultra quem nempe collocatus fuerit Paradiſus; & *Papiſtæ* quidam ſuum Ignem Purgatorium, per quem intercedente Angelorum miniſterio transeant juſtorum animæ necdum in morte plene purgatæ in Paradiſum verum. Licet autem ipſe *Pererius* interpretationem illam per modum accommodationis ſecundum allegoricum & myſticum ſenſum *egregiam valdeque laudandam* dicat, *non facile* tamen ſe *aſſenſurum* addit, *quod ſi contendat quiſpiam hanc eſſe hiſtoricam & literalem Moyſis ſententiam & intelligentiam. Ignis enim ille*, in-

Flamma Gladii ſe vibrantis quomodo intelligenda.

quit, *positus erat ante Paradisum terrestrem, ignis vero purgatorius transeundus est ante ingressum in cœlestem Paradisum. Et ille in aditu Paradisi collocatus erat ne quis eum in locum penetrans fructumque Arboris Vitæ comedens in æternum viveret; hoc autem in Purgatorium ignem minime quadrat. Quid quod Ignis Purgatorius intra terram ponitur a Theologis non procul terræ centro; ignis autem de quo loquitur Moses super terram & ante Paradisum terrestrem erat positus. Denique nunc illis regionibus ubi creditur fuisse Paradisus nusquam ejusmodi ignis reperitur; dicendum igitur secundùm istam opinionem esset, Ignem Purgatorium vel è medio esse sublatum vel alia in loca translatum.* Uti porro translatio allegorica flammæ hujus ad Purgatorium Ignem animarum post hanc vitam hunc ipsum temere supponit, ita nec apte satis fieri potest, quatenus Flamma hæc omnem introitum Paradisi prorsus impedivit, versatione gladii male à *Ruperto* tracta ad transitus permissionem, sed Ignis Purgatorius viam in cœlum parat. Longe rectius ergo *flamma* illa *gladii vibrantis* se capitur de ignibus, seu per fulgura ex cœlo emissis, seu ex terra sulphurea & bituminosa erumpentibus, apud Paradisum, per quos Protoplasti sic cum terrore fuere abacti & à regressu in eum excluſi. Quomodo præiit dudum *Lactantius Lib.* II. *de Orig. Error. Cap.* 13. *Tum Deus sententia in peccatores lata ejecit hominem de Paradiso, ut victum sibi labore conquirerent, ipsumque Paradisum igni circumvallavit, ne homo posset accedere, &c.* Cum omnibus illis *Scholasticis*, qui de vi & copia ignis per modum coronæ seu muri cingente Paradisum heic differunt; conferuntque tum dicta *Zach.* II. 5. *&c.* tum facta *Exod.* XIV. 24. XIX. 16. 18. 2. *Reg.* VI. 17. *&c.* juxta Sodomitici tractus perditionem *Gen.* XIX. 24. Nec dissentit in hac parte *Grotius*, postquam minus recte præmiserat, *pro flammeo gladio Hebræum textum habere flammam machæræ, macharam autem hic significare divisionem, ut Matt.* X. 34. *coll. Luc.* XII. 51. *nam quod ibi est μάχαιραν hic est Διαιρεσμόν &c.* Subjicit enim; *Sensus ergo est, igne impervio obsepium esse Paradisum. Est in Babylonia campus interdiu flagrans, Plinio memoratus Lib. II. Cap.* 109. *& in eadem Babylonia tractus Naphtha plenus, cui magna ignium cognatio, ut præcedente Capite dixerat idem Plinius. Curtius iisdem in locis caverna meminit ingentem vim bituminis effundentis. Id bituminis genus ignis rapidissimum Naphtha vocabant Babylonii. De quo vide Strabonem*

bonem Lib. XV. *Multa de eo Plutarchus in vita Alexandri &c. In illis igitur locis Paradiſus fuerit, eſtque bitumen ibi non minus quam apud Sodoma ignis divinitus immiſſi reliquiæ.* Atque nuper etiam *Joh. Clericus* de *Babylonici agri bitumine accenſo, eoque quaſi flammeo gladio ad arcendos homines*, heic diſſeruit; addens, per *gladium hac illuc ſe vertentem deſcribi flammam huc illuc vento actam*, prout *eadem vox occurrit de Nube vento itidem rapta Iob.* XXXVII. 12. Nec eſt heic ſane ratio ulla, cur in *fulgore gladii verſatilis* vel communiter *poteſtatem in hominis vitam* cum *Cl. Coccejo* intelligamus, vel ipſam *Legem* quæ *inſtar gladii ancipitis poteſt hominem abſterrere ne audeat accedere ad Arborem vitæ tanquam vitæ ſacramentum ad ſe pertinens*, una cum *execratione &c.* uti & tertio loco *Cel. Burmannus* nominavit *igneam Dei Legem qua Deus hominem Paradiſi aditu prohibebat additis Legis vindicibus ac cuſtodibus Angelis*, *coll. Deut.* XXXIII. 2. *&c.* vel denique ſenſu omni proprio & determinato miſſo heic de impedito regreſſu in Paradiſum ſimpliciter, aut de Angelis ipſis flammæ ſimilibus, *coll. Pſal.* CIV. 4. aut de impedimentis plurimis vitæ æternæ myſtice, cum aliis cogitemus & diſſeramus.

IV. Notabilis vero heic etiam eſt conjunctio iſta *Cerubbim* cum *flamma gladii vibrantis ſe.* Quæ duo nonnulli quadantenus ſeparant, ſed alii arctius nectunt. Separavit utique *Muſculus*; *Nec ne ceſſe eſt ut cogitemus volucres illas horribiles* (quas ille in *Cerubbim* reperit) *& flammas ignis uno fuiſſe & eodem loco conſtitutas, ſed ſic poſitas ut locis diverſis omnem Paradiſi aditum prohiberent.* Uti & ipſe *Pererius* cum aliis Cerubbim ſeu Angelos habuit pro cuſtodibus Paradiſi contra Diabolum, ſed flammam gladii voluit ſolam hominis ingreſſui fuiſſe oppoſitam. Sed præſtat indubiè arctius Cerubbim cum Flamma iſta connectere. Quemadmodum agunt illi, qui flammantem gladium cogitant inditum manui Cerubbim. Inter quos etiam dein *Pererius*, *per flammeum autem gladium non aliud equidem intelligo, quam illos ipſos Angelos ſub ſpecie & figura hominum tenentes manibus ſuis gladios acerrima acie acutiſſimos & ex eorum vibratione fulgentiſſimos, &c.* & noſter *Piſcator*, *Cherubos & flammam gladii, pro Cherubos cum flamma gladii, id eſt, per hypallagen cum gladio flammæ hoc eſt flammeo, id eſt, per enallagen numeri cum gladiis flammeis ſeu flammantibus, quum enim fuerint plures Cherubi, non autem unus tantum Cherub,*

Ejus Flammæ cum Cerubbim conjunctio conſideratur.

probabile eſt ſingulos gladium tenuiſſe ad hominem arcendum &c. Quemadmodum etiam *Lutherus* loquitur de *Angelis ſemper emittentibus flammas* per modum incerti variique fulguris. Et ſequuntur, qui flammam multiplicem cogitantes, hanc credunt miniſterio Cerubhim fuiſſe excitatam, qui ita per eam ſint operati, ut etiam in ea adfuerint inviſibiliter cæteroquin præſentes, *coll.* 2. *Reg.* VI. 17. *&c.* Quomodo *Clericus* loquitur, de *Angelis accendentibus* bitumen, eoque *utentibus ad arcendos homines.* Et hoc præſtat ſane multum, ob notum Angelorum miniſterium in magis aut minus naturalibus Dei judiciis, quam ut ipſos Cerubhim exegetice credamus exponi per *flammam gladii ſe vibrantis*, ac ſi hoc alterum emblematicum Angelorum nomen eſſet ex *Pſal.* CIV. 4. *Iſ.* VI. 2. quando omnis corporalis conſpectus hinc tolleretur.

Locus Cerubhim cum Flamma ex Oriente ad Hortum Heden.

V. Locus his Cerubhim cum Flamma gladii tribuitur מקדם / לגן עדן quæ alii ſeparant, alii jungunt, & quidam non ad locum ſed ad tempus referunt. Nempe מקדם / retulerunt aliqui heic æque quam apud Paradiſi divinam plantationem *Gen.* II. 8. ad tempus anterius vel antiquius, notante *Fagio*; *Quorundam veterum Hebræorum ſententia eſt, Angelos ſecundo die creatos fuiſſe, & mox quemque ad ſuum munus & officium deputatum, ita & Cherubim, verum tertio demum die hortum Paradiſi conſtitutum fuiſſe, ideoque Angelos ante hortum Paradiſi extitiſſe, unde ſic legunt, & collocavit antequam eſſet hortus Eden Cherubim. Cui ſententiæ adſtipulatur Onkelus cum ſua verſione* ואשרי מלקדמין וכל / *ſic habet exemplar Venetianum, aliter vere Complutenſis Editio,* ואשרי ממרנח וכל *&c.* Enimvero & illud ipſum *Onkeloſi* מלקדמין exponunt aliqui *ab oriente* vel *ab orientalibus* partibus; nec quidquam magis alienum quam non creatos ſed collocatos dici Cerubhim ante Paradiſum factum abſque loci indicio; quo magis hæc collocatio non facti Paradiſi ſed expulſi inde Adami conſequens demum fuit. Longe majorem habet ſpeciem, quod ſenſu locali quidem ſed communiori intelligatur ab aliis מקדם / ut abſque plagæ determinatione dicat *ab ante, coram, apud* hortum, non ab una ſed forte ab omni parte; præeuntibus LXX. per ſuum ἀπέναντι & *Vulgato* per *ante* ac ſequente cum *Tremellio & Iunio* etiam *Piſcatore* per *à parte anteriore.* Sed omnium optime vox hæc ſolito apud Moſen capitur ſenſu *Orientis*, quem adſtruximus & illuſtravimus *Lib. I. Cap.* VII. *&* XX. ut adeo locus Cerubhim cum flam-

flamma fuerit *ab Oriente* magis quam ab altera parte aut plaga aliqua. Et ſolet hoc nomen tum vulgo connecti cum *Horto Heden*, cujus magis quam Hedenis ipſius aut Terræ Palæſtinæ cum adjacentibus Deſertis in hoc Oriente habeatur ratio, ut ſic reperiant heic *Orientem Horti Heden*, ſeu ejus partem ſeu potius terram ei adjacentem orientalem. Quando rationem dant hujus loci potius quam occidentalis à Deo per Cerubhim & Flammam muniti; vel fluvio aut montibus aliunde præcluſas Paradiſi vias; vel conſtitutam ab illa horti parte Arborem vitæ; vel expulſum maxime ab illa plaga Adamum; licet neque poſitio cuſtodiæ ab Oriente ſit ejuſdem totalis excluſio ab Occidente. Sed cum legatur in textu לפני עדן quod commode verti poteſt *ad*, vel *apud*, vel *coram*, vel *propter hortum Heden*, dubitari meritò poteſt, an non *Oriens* heic quoque intelligatur communiter de terra Orientali in qua Heden erat ſita, *coll. Gen.* II. 8. & ſequentes voces determinent Orientis locum ſpecialem ubi conſtituti fuerint Cerubhim cum Flamma, nempe *ad* & *apud hortum Hedenis*. In quem eundem ſenſum etiam redire licet, ſi *Orientem horti* heic legas, quoniam ſic dici poteſt illa Orientis pars in qua erat Hortus ille. Nullum utique ſolidum in hoc textu manet fundamentum ſpecialiſſimum Horti ipſius ſitum determinandi ex eo.

VI. Attendere quin etiam heic decet ad verbum וישכן *& commorari fecit*, nempe Jehovah Deus cui parent omnia, per ſpecialem ſuam providentiam, illic Cerubhim & Flammam. Id, à *Piſcatore* rectius redditum per *conſtituit* quam à *Tremellio & Iunio* per *inſtituit*, obſervant, plus eſſe quam intruſum Græcorum καὶ ἔταξε, & *Vulgati collocavit*, vel *poſuit*, cum dicat manſionem ſive commorationem longiorem & ſtabilem magis, qualis eſſe ſolet in tabernaculis ſeu habitaculis. *Poſita eſt*, inquit *Muſculus*, *cuſtodia*, *non talis quæ aliquando illic viſeretur, ſed quæ ibi habitaret, hoc eſt continuo perduraret, ſic non dicit in Hebræo ſimpliciter* ושם *i. e. poſuit, ſed* וישכן *i. e. & collocavit, manere facit.* Et hoc exigebat collocationis hujus finis; ſi enim Cerubhim cum flamma illic fuiſſent ad breve tantum momentum aut ad certa quædam recurrentia temporis ſpatia, non omnis regreſſus in hortum Adamo fuiſſet ſic impeditus. Sed quouſque, inquies, duravit tum illa Cerubhim cum flamma manſio in illo loco? Ad quod quæſitum reſpondet *Muſculus; Sunt qui putent hanc cuſtodiam poſt mortem Adæ & Evæ eſſe ſub-*

Quo ſenſu Deus Cerubhim illic commorari fecerit?

ſublatam. Sed incertum eſt hoc. Credibile tamen eſt, per Diluvium & Paradiſum ipſum ita & cuſtodiam illius deſiiſſe. Sicuti & *à Lapide* habet; *Ablatum eſſe & ceſſaviſſe hunc gladium, uti & Cherubim, quando Paradiſus deſiit, puta in Diluvio.* Dum cæteroquin cogitari poſſet, ne quidem eo uſque vel ad finem vitæ Protoplaſtorum duraſſe hanc commorationem illo loco, quoniam citius per communem terræ maledictionem & culturæ neglectum & flammam erumpentem perierit Horti omnis elegantia una cum Arbore Vitæ, quando non erat cur loci hujus frequentatio amplius impediretur.

Finis ejus Obſervatio vitæ Arboris Vitæ.

VII. Finis hujus divini operis in fine accedit, *ad obſervandum viam Arboris Vitæ.* Ab *Arbore Vitæ* עץ החיים / ſeu τῷ ξύλῳ τῆς ζωῆς, *ligno vitæ* potiſſimum Dei propoſitum erat Adamum arcere. Hinc via, דרך / ἡ ὁδὸς, ſeu ſemita una præcipua vel omnis illuc ducens, erat præcludenda; per quam vel Paradiſum vel hujus aditum exteriorem intelligere licet. Atque *ad* eam *obſervandam* diligenter vel *cuſtodiendam*, ne calcaretur, commorari ab oriente ad hortum Heden fecit Deus Cerubhim cum flamma, לשמר / φυλάσσειν apud LXX. Neque dubium eſt, quin adverſus hominem inde expulſum & excluſum directa fuerit hæc obſervatio; dum jungunt alii etiam Diabolum cum dæmonibus omnibus. Uti hoc poſterius quoque placet *Pererio*; qui ad quæſtiones, *cur opus fuerit cuſtodia Paradiſi adverſus dæmones quos nulla inceſſere poterat cupido intrandi in Paradiſum? quorſum enim intrare cuperent? an ut oppugnarent homines? at nullus inibi hominum erat, an potius ut voluptatem caperent ex amœnitate loci? ſed natura incorporea voluptatibus & deliciis corporeis affici & oblectari non poteſt;* reſpondendum eſſe dicit, *debuiſſe à Paradiſi aditu arceri dæmonem, ne eum in locum penetrans decerperet fructum Arboris Vitæ, cujus promiſſione ac donatione mortales prorogandæ vitæ avidiſſimos & curioſiſſimos falleret, & ad ſui cultum & obſequium adduceret.* Sed hoc omne eſt extra Moſen, adeoque minus exploratum. Hoc certius, obſervationem hanc ita miniſterialiter per modum finis & effectus tribui Cerubhim cum Flamma, ad eam ſic ſatis inſtructis, ut principaliter eadem competat Deo, hominem juſte punituro, & iræ ſuæ cœlo eundem excludentis extra Chriſtum emblema vivum daturo, ſimul & ab ulteriori ſcelere abducturo. Quo pacto res hæc ad nos tanquam Adami poſteros etiamnum ſpectat certiſſime. Atque

que uti huc potiſſimum ſolet referri fabula de Dracone aurea mala cuſtodiente in Heſperidum Hortis, ita ad textum *Ezech.* XXVIII. 14. *tu Cerubh &c.* dudum notarunt *Tremellius & Iunius*; *Elegantiſſima regia illius majeſtatis deſcriptio per comparationem Cerubi illius, qui in horto Hedenis à Deo diſpoſitus eſt Gen.* III. 24. *Quemadmodum, inquit, Angelus præpoſitus eſt ei horto ad protegendum eum, & gladio illo verſatili armatus omnibus eſt terrori, ita etiam tu ex quo regnum tibi eſt traditum viſus es tibi æquare gloriam Angelorum Dei &c.* De cujus obſervationis ſoliditate non deeſt tamen dubitandi ratio. Dum & ἀνακεφαλαίωσιν & συγκαλαμπαγὴν omnium in Chriſto, cœleſtium æque quam terreſtrium, credunt multi memorari cum reſpectu ad Angelos ob Dei iram hominibus naturaliter adverſos, uti in cuſtodia hac Paradiſi appareat, ſed per Chriſtum factos iterum electorum amicos & miniſtros *Eph.* I. 10. *Col.* I. 20.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Quo de Communibus Hominum Malis ex Adami Lapſu ortis aliquid breviter adjicitur.

Mala ex Lapſu Adami in ejus Poſteris.

Atque ſic illuſtravimus haud indiligenter Humani Lapſus Hiſtoriam ſecundum Moſaicæ narrationis filum. Nec tacuimus, tum de omnium naturalium Poſterorum repræſentatione in Adamo ut communi Parente & Fœderis Capite, tum in tranſitu de Malis peccatum ejus inſecutis in his quoque omnibus. Decens tamen utileque judicavimus, ut quædam breviſſimè adhuc adjiceremus, tum de Adamicæ transgreſſionis Imputatione Divina, tum de Impuritate & Morte quæ hinc tranſiit ad omnes. Quo magis graviſſima hæc religionis noſtræ capita novos & indecentes experiuntur hodiè inſultus.

Quorum primum eſt communis illorum Reatus in Adamo per Divinam Imputationem juſtiſſimam.

II. Nempe ex eo, quod Adam omnium ex ſe & uxore ſua ſecundum communem benedictionem naſciturorum hominum perſonam in Fœdere cum Deo repræſentavit juxta ſecum, quemadmodum monſtravimus *Lib. II. Cap.* VII. §. 10. ſponte ſequitur, illius Transgreſſionem his omnibus imputari ad reatum & communem damnabilitatem. Qua in re uti nihil eſt prorſus iniqui, propter

pter nexum arctiſſimum ſanguinis & fœderis optimi ; ita eandem diſcimus non tantum ex eventu per malorum peccati Adamici fructuum experientiam in omnibus hominibus, ſed ex clariſſima quoque Pauli aſſertione , tum 1. *Cor.* XV. 21. 22. ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, &c. ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτω καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται, tum in primis *Rom.* v. 12. —— 19. διὰ τοῦτο ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον &c. ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ. ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος, &c. εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνὸς, &c. ἄρα οὖν ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα &c. ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί, οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί, &c. In quibus locis dudum obſervavimus in noſtro *Compendio Theologiæ Cap. XV.* §. 31. Mortem omnium & omnem ab Adami culpa derivari , quæ hinc iis manifeſte imputatur ; Peccatum per unum hominem illum Adamum in mundum totum ingreſſum , & cum morte ad omnes pervaſiſſe dici , quod directe ad Imputationem nos ducit ; Peccatum omnibus tribui actuale *in* eo uno homine Adamo , eos repræſentante, quem ſenſum præpoſitionis ἐπὶ alibi obvium *Marc.* II. 4. *Act.* II. 38. *Hebr.* IX. 17. *&c.* hic requirit ſcopus Pauli & phraſis cæteroquin obſcurior , etiamſi ἐφ' ᾧ redditum per *eo quod* aut *quandoquidem* nos ad imputationem quoque ducat , dum peccati actus aliter omnibus tribui nequit; Mortem quæ peccati ſtipendium eſt aſſeri regnaſſe in omnes , etiam eos qui in ſimilitudine Adami per propriam voluntariam & actualem culpam non peccarunt; Adamum in operatione reatus & pœnæ communis occurrere ut typum Chriſti in danda ſuis juſtitia & vita ; quin tandem ita ab inobedientia unius Adami deduci multorum & omnium poſterorum ejus conſtitutionem in peccatores damnabiles , uti per obedientiam unius Chriſti multi & omnes qui ad eum pertinent juſti conſtituuntur, quod utique fit per ſolam Imputationem , etiamſi ad vitam ipſam actu obtinendam ſanctificatio eorum propria per Spiritum Chriſti quoque accedat , uti impuritas omnis in Adami poſteris reatum conſequitur. Quæ omnia argumenta pro Imputatione juxta hanc ipſam cum dudum Orthodoxi late urſerint & defenderint con-

Digitized by Google

contra *Pelagianorum* veterum & novorum argutias, nihil opus erit heic eis repetendis longius inhærere.

Imputationis Mediatæ & Consequentis *ὑπόθεσις* declaratur & rejicitur.

III. Enimvero renovari hodie imprudentissime in Belgio ab uno & altero Theologo audimus pugnam contra Peccati Adamici communem Imputationem, sub prætextu *Imputationis Mediatæ & Consequentis*; quam circa medium Seculum elapsum in Galliis ursit Vir Clar. *Josua Placeus*, Theologus Salmurienfis, ex hoc fundamento disputans, *Decretum Synodi Nationalis Carentonienſis* A. MDCXLV. adversus negatam Imputationem Primi Peccati Adæ, nihil ad se aut ad suam opinionem spectare. Quod si nihil aliud per eam voluisset Vir Doctus, aut vellent hodie alii, quam hominum natorum actualem punitionem ulteriorem non fieri nudo intuitu Adamicæ transgressionis absque interveniente etiam propria corruptione & fluentibus hinc sceleribus variis, neminem Orthodoxum possent habere obloquentem; nisi dictionis minus aptæ respectu, quando reatus & imputationis distinctio ab actuali punitione est manifesta, & Adami posteros non tantum ut natos sed sed & ut nascentes cum & sub pœna oportet spectare. Sed ex scriptis *Placæi* & argumentis ejus omnibus clarissimum est, aliam longe ipsius esse mentem, nec admittere illum Imputationem tanquam Antecedens & Causam Corruptionis nativæ ex ea fluentis, sed tantum ut Corruptionis hujus Consequens; adeo ut rei coram Deo constituamur per Adami peccatum habituale seu vitium quod instar habitus in Adamo permansit & ab eo una cum natura humana propagatum est in omnes posteros, sed non per peccatum ejus primum actuale, nisi quatenus illud occasio quædam corruptionis primum Adamicæ & sic consequenter nostræ fuit. Enimvero si ipsa Adami transgressio prima nos non constituit damnabiles, nec corruptio nativa pro pœna illius in nobis debet haberi, sed ob Adami peccaminosam similitudinem tantum rei coram Deo simus aut fiamus, jam revera Imputatio illa tollitur, & merito scripsit *Cel. Turrettinus Loc.* IX. *Quæst.* IX. *Si penitius res attendatur, non obscure patebit distinctionem istam ad fucum faciendum esse excogitatam, quæ nomen Imputationis retinendo, rem ipsam de facto tollit. Nam si ideo tantum Ada peccatum nobis imputari dicitur mediate, quia apud Deum rei constituimur & obnoxii pœnæ simus propter corruptionem hereditariam quam ab Adamo trahimus, nulla erit imputatio proprie peccati Adami sed tantum labis inhærentis &c. Aliud enim*

eſt ſubeſſe iræ Dei & condemnationis reatui propter corruptionem inhærentem & nativam quæ per generationem propagatur, aliud propter ipſum peccatum Adami nobis imputatum. Atque hæc eſt cauſa ob quam in iſthoc *Placæi* effugio minime acquieverint ſed ſe illi oppoſuerint palam iſtius temporis Theologi ex Galliis orti Celeberrimi, *Andreas Rivetus*, *Samuel Mareſius*, *Antonius Gariſſolius*, aliique ab ipſo *Placæo* in hac Diſputatione nominati. Id nobis clariſſime liquet, expoſitionem propagatæ ab Adamo corruptionis non tantum longe difficiliorem reddi ſed vere non reſtare ullam commodam, niſi negatæ homini à Deo in ſuo ortu decentis rectitudinis cauſa agnoſcatur antecedens & immediata imputatio facti Adamici & reatus poſterorum in eo, qui alias æque quam Adamus à Deo ut Creatore ſanctiſſimo acciperent animæ ab ipſo inditæ rectitudinem primævam. Quemadmodum citatis etiam à *Cel. Turrettino* locis dixerunt, aliquando temere ab adverſa parte laudati; *Calvinus* quidem, *Deum juſto judicio nobis in Adamo maledixiſſe ac voluiſſe nos ob illius peccatum corruptos naſci, peccaſſe unum, omnes ad pœnam trahi, hominis unius culpa Deum in communem reatum nos conjeciſſe, ubi defecit Adam à Deo in ejus perſona totum genus humanum ſpoliatum fuiſſe rectitudine & intelligentia &c.* ſed & *Beza*, hominem reum conſtitui coram Deo, *culpa promanante ex eo quod omnes peccavimus in protoplaſto, corruptione quæ eſt pœna iſtius culpæ impoſita tam Adamo quam poſteris &c.* atque *Martyr*, *profecto neminem eſſe qui ambigat, peccatum originale nobis infligi in ultionem & pœnam primi lapſus, &c.* Nec aliter rem hanc conſiderarunt Viri Doctiſſimi *Placæo* cæteroquin haud parum faventes complures, inter quos *Meſtrezatius c. Millet.* expreſſiſſime ſcripſit; *Corruptio quædam Adami tranſit in nos realiter & nobis inhæret, ſed dico præcedere actum imputationis inobedientiæ, ideoque corruptionem in nos tranſmitti per generationem, quia in Adamo peccavimus ut in capite noſtro.* Quidquid ſane heic dicitur de Lege Naturali, per quam corruptus Adam corruptam genuerit poſteritatem, prout lupus lupum & homo morboſus morboſum generat, nec quiſquam id alteri dare poteſt quod ipſe non habet, &c. id omne, abſque admiſſa judiciali imputatione Adamici facti, vaniſſimum eſt, dum Anima præcipua hominis pars à Deo immediatè creatur, quam per Legem aliquam naturalem integritate ſua primæva deſtituere non poteſt Deus ſanctiſſimus niſi ob contractum in Adamo reatum cujus impu-

putatio sit legis istius basis. Et hoc omnino addi debet, quod si isthoc modo eludatur ab Orthodoxis constanter agnita & in Confessionibus ipsis seu suppositâ seu insinuata Imputatio Peccati primi Adamici, metus justissimus sit, tum aliorum absurdorum, tum in primis ne Imputatio justitiæ Christi antecedens nostram sanctificationem, quam cum Imputatione injustitiæ Adamicæ ipse tam prolixe contulit Paulus, periculum idem aperte vel operte subeat, & de Imputatione illius mediata & consequente ad obedientiæ Christi expressam in nobis imaginem, quæ nos ad propriam ex Operibus Justificationem reducat, somnietur citius & facilius; quod & *Cl. Garissolius* olim urlit. Hoc enim tandem bene tenendum, quod per analogiam manifestam ad negotium nostræ Justificationis in Christo haud difficulter transferantur, tum Exceptiones, tum Objectiones eorum qui de Imputatione Adamici Peccati Mediata & Consequente loquuntur; quas illi tantum non omnes habent à *Pelagianis* & *Pelagianizantibus*, quasque petitas à Dei justitia & veritate, ab actus & personæ Adamicæ singularitate, ex sceleris longe ante nos præterito tempore, ex posterorum nulla scientia vel consensione in illud, ex non imputatis aliis omnibus factis & fatis Adami, &c. adversus *Socinianos* & *Remonstrantes* dudum tam solide & late diluerunt Orthodoxi, ut mirandum æque quam dolendum sit, eas sub specie curatioris attentionis & majoris cujusdam sapientiæ iterum ex Reformati nominis Theologis audiri satis libere. Quod ne serpat latius ad Ecclesiæ Patriæque totius novam turbationem & *Pelagianismi* importunam reductionem, faxit pro sapientia & bonitate sua Deus!

IV. Hoc ipso porro, quod Reatus Adamicæ Transgressionis per Divinam Imputationem ad omnes naturales Posteros transit, idem de Adami peccantis Macula & Corruptione peccaminosa dicendum est, tanquam quæ ex peccato illo fluit & efficienter & meritorie. Uti sanè ipsius Adamicæ corruptionis argumentum est, tam in Comminatione Mortis quæ spiritualem complectitur secundum asserta à nobis *Lib. II. Cap. XI.* quam in pudore & terrore & tergiversatione ejus omni, ac Divinæ dissimilitudinis humanæ secum exprobatione cum juncta expulsione & exclusione à Paradiso & Arbore Vitæ, capitibus proxime à nobis declaratis; ita pro Posterorum Nativa Corruptione adversus *Pelagianos* & *Socinianos* aliosque *Pelagianizantes* dudum validissime disputarunt Orthodoxi

Ex Reatu communi fluens Mentis ipsius Nativa Corruptio inculcatur.

ab omni ævo, tam ex pluribus Scripturæ locis *Iob.* XIV. 4. *Psal.* LI. 7. *Ies.* XLVIII. 8. *Ioh.* III. 3. 6. *&c.* etiam *Gen.* v. 3. de quo textu ſpeciatim egimus *Exercit. Miſc. Diſp. VII.* quam ex actuali malitia ſe in omnibus exerente ipſa ætate prima qua imitationi externæ locus adhuc non eſt, uti hæc nobis etiam occurrit *Gen.* VI. 4. VIII. 21. de quo poſteriori textu ibidem quoque actum eſt à nobis, quam ſimiliter ex Malis primæ ætati ſupervenientibus & Sacramentis ei deſtinatis, quam tandem ex ipſo Gentilium communi conſenſu in agnita errandi peccandique indita quadam neceſſitate. Quod quum factum ſit feliciſſimè, non poteſt non vehementer diſplicere Orthodoxiæ *Anti-Pelagiana* ſtudioſis; quod ab iis qui Orthodoxiæ doctores inter nos haberi volunt modò loca pro Peccato iſthoc Originali adducta Exceptionibus *Socinianis* ſtudioſe enerventur, uti ſic audimus humilem illam Davidis de ſe confeſſionem *Pſal.* LI. 7. *ecce in iniquitate formatus ſum* vel *genitus, & in peccato concepit* vel *fovit me mater mea*, ad parentum culpam peſſime referri; quodque naturales humani *Intellectus* vires non tantum longe plus quam decet extollantur, una cum *Ratione Naturali*, ut vere infallibili, cujus dictata tanquam oracula ex ipſius Dei ore accipienda humili atque obſequioſo animo non aliter ac ipſius Dei verbum, quâ ipſa divinitatis Scripturarum fides apud nos nitatur, & juxta quam ipſa Scripturæ revelatio in ſummis myſteriis quale eſt inter alia Æterna Filii Dei Generatio, Dei Simpliciſſima Immutabilitas, Decretorum Æternitas, &c. re ipſa ſit exponenda dicam an detorquenda; ſed & quod *Corruptio noſtra* dicatur *non proprie ipſam noſtram Eſſentiam attinere, neque etiam Facultates Mentis Intellectum & Voluntatem in ſe & abſolute ſpectatas, neque ideas rerum & earum conſequentias, ſed Uſum & Actus & Habitum, &c.* quemadmodum & differi nonnunquam fertur de Mentis à Deo adhuc indita Integritate quam Corpus ei junctum minuat dein tantum vel tollat. Iſthoc ſane modo tam Inhærens nobis integris à nativitate Corruptio quam Adamici Peccati Imputatio, adeoque Peccatum omne Originale veri nominis cito evaneſcet prorſus.

Et Mors omnium Temporalis, quæ tamen in Fidelibus nequaquam eſt Pœna Compenſatoria.

V. Tranſiit etiam ex Adami Lapſu ad omnes Mors reliqua, tum Temporalis, tum Æterna. Prior quidem cum omnibus calamitatibus & miſeriis ad eam ducentibus ita, ut ab ea Adamo ipſi poſt Prot-Euangelium adhuc denunciata nequaquam eximantur fideles reſpectu rei ipſius, quemadmodum docet Dei verbum & commu-

munis experientia in ipsis parvulis; nequaquam admittenda Mortis sequela ex humanæ naturæ constitutione absque pœnali respectu ad peccatum secundum dicta *Lib. II. Cap.* v. §. 24. *&c. & Cap.* xi. §. 7. 8. Dum tamen hoc non minus certo tenendum est, quod in Fidelibus Mors ea locum non habeat per modum Pœnæ strictius dictæ, & non quidem in totum sed ex parte aliqua compensatoriæ seu satisfactoriæ pro peccato apud Deum. Sub eo enim formali constat Christum Mortem hanc quoque pro nobis seu nostro loco subiisse; secundum omnia ea loca quæ de ipsius Passione omni corporea, Sanguine fuso, & Morte crucis, tam diserte heic loquantur; dum Deus hoc pœnæ genus qua tale non magis quam aliud omne simul à Christo & à nobis poscere potest per justitiam & bonitatem suam summam. Tum nec detrahendum est quidquam perfectioni solutionis Christi pœnalis pro nobis, nec tribuendum heic aliquid vel minimum ex adversa parte nobis ipsis; quod utrumque fit, si partem compensatoriæ pœnæ nos cum Christo luamus. Quin tandem Mors Fidelium cum non abrumpat Divinæ bonitatis fruitionem, sed ex adverso per intervenientem Dei gratiam hos à peccato magis liberet & Deo arctius uniat, Pœnam strictius dictam in ea reperire neutiquam licet. Et hoc tenere prorsus oportet, juxta *Catecheseos Heidelbergensis Resp.* XLII. &nuperrima *Synodorum* nostrarum salutaria decreta, tanquam caput maximi momenti in negotio Satisfactionis Christi & Justificationis nostræ. Quod utrumque manifeste læditur per hypothesin adversam, quæ ante aliquot annos inculcari cœpit; quidquid nuditatis conscientia heic nonnunquam ad speciem logomachiæ eam trahere coëgerit, ac si nihil aliud diceretur, quam Christum Morte sua nos à Moriendi necessitate omni non liberasse, quod omnes sane noverant satis per Scripturam & experientiam nec à quoquam hactenus impugnabatur inter nos.

Et tandem Mors Æterna pereuntium, à qua liberantur per Christum Electi.

VI. Maxime omnium considerare heic oportet Mortem Æternam, quam in Comminatione Adamo transgredienti justissime esse denunciatam antea docuimus *Lib. II. Cap.* xi. §. 5. Hanc equidem in sententia Viri aut Mulieris diserte non esse expressam *Gen.* III. 16....19. lubentes fatemur; cujus rei ratio in præmisso Proteuangelio potissimum videtur quærenda, quatenus per illius argumentum prædicatum & creditum Adamo cum Uxore salus æterna contigit, nec adeo oppositam damnationem ei Deus denunciare æternamque pœnam infli-

ge-

ſligere voluit. Interim Scriptura reliqua & ratio ipſa clamat, omnis Peccati ſtipendium eſſe per ſe Exitium Æternum; & huic oneri perdenti ſubjacere conſequenter per Adamicæ etiam Tranſgreſſionis reatum naturaliter omnes præter Chriſtum homines, uti hinc illi vocantur τέκνα φύσει ὀργῆς *Eph.* II. 3. & quidam ſub iſthoc onere relinquendi σκεύη ὀργῆς *Rom.* IX. 22. uti differit illic etiam Paulus de *Odio* Dei in Heſavum ante malum ab ipſo factum *Rom.* IX. 11. 12. 13. *&c.* Nec licebit excipere, quod interveniat utique in ipſa nativitate inhærens vitium damnabile, & hinc conſequenter in vitæ progreſſu multiplex peccatum aliud, nec adeo damnatio nitatur æterna unico reatu Adamicæ Tranſgreſſionis. Siquidem & nos lubentiſſime id omne concedimus; ſed non obſtante peccatorum illorum nexu qui damnationem hominum multum aggravat, urgemus tantum hanc eſſe ſingulorum quoque ſequelam juſtiſſimam; & obſervamus præterea, in prima ætate ante actualia peccata quod adeſt homini nativum Vitium non poſſe homini nato pro culpa imputari niſi in Adamo qui ſecum omnem poſteritatem in illum adeò culpabilem ſtatum conjecit, ut ſic ad Adamicam Tranſgreſſionem ſit omnino recurrendum cum Paulo *Rom.* V. 12. 14. *&c.* Ut hinc plane concidant, quæ ſeu *Pelagiani* veteres, ſeu *Papiſtæ*, ſeu *Remonſtrantes*, vel de Gentilibus ab Euangelii præconio excluſis, vel de Parvulis non baptizatis, vel de Infantibus communiter, eorumque Pœna aut nulla aut minori aliqua aut damni ſolius abſque ſenſu ſolent inculcare; parum adjuti tum aliis ratiociniis, tum dicto *Jacobi Cap.* I. 15. ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον, ut pote quod Peccato peragi per concupiſcentiam à ſingulis ſolito mortem quidem ut fructum tribuit, ſed illi ſoli cum excluſione Concupiſcentiæ nativæ & Peccati communis Adamici neutiquam vindicat. Atque ita concludere hanc diſſertationem licebit *Concilii Arauſicani II.* Seculo Quinto contra *Semi Pelagianos & Maſſilienſes* habiti *Canone II. Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam, non & ejus propagini, aſſerit nocuiſſe, aut certe mortem tantum corporis quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum quod mors eſt animæ per unum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit contradicens Apoſtolo dicenti; per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

HISTO-

HISTORIÆ PARADISI ILLUSTRATÆ

LIBER QUARTUS.

Qui Hominis Lapsi Restitutionem tradit.

CAPUT PRIMUM.

Quo de Divina in Adamum lapsum Bonitate communiter agitur.

Transitus ad statum Restitutionis Humanæ.

Integrum Hominem in Serpentis Tentatione sibi à Deo esse relictum, & per hoc fœdissime simul & miserrime Lapsum, docuit præcedentis *Libri III.* argumentum. Qua in re uti suam Libertatem ac consequenter Justitiam voluit demonstrare severam Deus in maximo hominum numero, ita nec immemor ipse fuit suæ Bonitatis infinitæ, quam & clarius demonstraret in Adami electique seminis erectione nova ac restitutione certa per Mediatoris gratiam. De quo lætiori hominis statu, cum ejus fundamentum & initium minime tacuerit Moses in Paradisi Historia, nunc etiam nos aliquid adjicere consultum duximus secundum Mosis ipsius ductum, ne illustratio nostra istius Historiæ esset minus plena, & quidem in ea parte quæ plurimum ad salutem nostram facit æque quam ad Dei gloriam. Fiet hoc tamen breviſſime tantum & absque ullo extra Mosis narrationem excursu in Theologiæ universæ Christianæ systema.

Digitized by Google

Status istius Novi Nomina & descriptio.

II. Nempe *Status* Hominis Tertius *Restitutionis* dici solet, quod Homo, per peccatum destitutus vera felicitate & spe hujus obtinendæ, ex ista miseria tanta reducatur in hoc tum ad spem solidam beatitatis æternæ tum ad præsentem Dei fruitionem gratiosam, adeoque ad pristinam Adami felicitatem, eandem in rei summa, sed diversam tamen modi respectu. Quæ enim ab Adamo per propriam Obedientiam exspectabatur Vita, illa nunc per Fidem justitiæ Sponsoris speratur; & quæ ab illo possidebatur Gratia, ea vitium omne præsens excludebat quidem sed tamen amissibilis erat, dum quæ nobis contingit est imperfecta quidem ex adverso sed durat semper. Communiter idem Status *Gratiæ* solet appellari, quæ per consummationem suam in Gloriam exit; in oppositione tum ad statum Naturæ lapsæ, tum etiam ad illum Integritatis primum, quatenus hic ex novo & singulari Dei favore fluit præter omne hominis præexistentis meritum, atque beneficia & dona maxima Gratiæ Divinæ homini tribuit. Cum alias certum sit, Gratiam ab Integritatis statu minime excludi debere, ubi cum ipsa natura divini favoris ac immeritorum donorum Adam factus est particeps largissime; nec Gratiam quidem omnem denegandam esse homini in statu Lapsus, qui absque ea nec vitæ spatium ullum nec vitæ hujus commoda obtineret à Deo tam multiplicia. Confer ad Status descriptionem inter alia loca textus insignes, *Eph.* II. 4. *&c.* Ὁ δὲ θεὸς, πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει, διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς, καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ, χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, καὶ συνήγειρε, καὶ συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα ἐνδείξηται ἐν τοῖς αἰῶσι ἐπερχομένοις τὸ ὑπερβάλλον πλοῦτος τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, θεοῦ τὸ δῶρον, οὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μή τις καυχήσηται *&c.* atque I. *Pet.* I. 3. *&c.* εὐλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ κατὰ τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος ἀναγεννήσας ἡμᾶς εἰς ἐλπίδα ζῶσαν διὰ ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν, εἰς κληρονομίαν ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον, τετηρημένην ἐν οὐρανοῖς εἰς ὑμᾶς, τοὺς ἐν δυνάμει θεοῦ φρουρουμένους διὰ πίστεως εἰς σωτηρίαν, *&c.*

Restitutionis istius non quidem Veritatem sed Possibilitatem arguebant Dei Perfectiones.

III. Ad hanc autem Adami & Posterorum ejus quorumdam, æque quam omnium & singulorum, Restitutionem cum Deus non teneretur ullo suo verbo vel facto priori, dum vitam obedienti & mortem inobedienti ex adverso proposuerat ipse; cumque ea ex Dei na-

natura perinde non flueret neceſſario per aliquod eſſentiale ejus attributum, bonitate ejus per creationem & fœdus erectum cum connexis jam ſatis luculenter demonſtrata & demonſtranda etiam amplius in hominibus pereuntibus, non potuit conſequenter eam futuram ſcire, nedum ejus modum omnem cognoſcere, adeoque cum fiducia ſolida exſpectare Adam lapſus, niſi conſilium benignum voluntatis ſuæ Deus ſupernaturaliter ei revelaret. Quæ quidem revelatio tanto promptius ab Adamo per fidem debebat accipi, quantò certius natura eum poterat docere Divinas Perfectiones, quæ in Reſtitutionis opere ad ipſius gloriam erant exſerendæ. Spectamus heic ante omnia Dei Sapientiam infinitam, qua modum aptum humanæ ſecum reconciliationis, homini minime inveſtigabilem omni intellectus obſcurati induſtria, invenire poſſet, tanquam אל דעות / *Deus ſcientiarum* 1. *Sam.* II. 3. qui גדל העצה ורב העלילה / *magnus conſilio & multus operatione* vel *inventione Jer.* XXXII. 19. *&c.* Spectamus dein Dei Potentiam illimitatam, qua haud difficile ipſi foret ſapientiam illam ſuam ipſo opere exſequi, nihil obſtante hominis peſſimo merito, & oppoſito ipſius ac Satanæ conatu omni, tanquam אל למושעות *Deus ad ſalutes*, & cui לתוצאות *ad mortem exitus Pſal.* LXVIII. 21. & qui רב להושיע *multus* ſeu *magnus ad ſalvandum Iſ.* LXIII. 1. & apud quem παρὰ θεῷ δυνατὰ ἐστι *Matt.* XIX. 26. *&c.* Spectamus amplius maxime, ut alia mittam attributa, Dei Bonitatem perfectiſſimam, qua quod ſciret poſſetque haud ægrè vellet etiam operari ad tantò majorem ſuam gloriam, tanquam רב חסד / *multus* ſeu *magnus benignitate Exod.* XXXIV. 6. & πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει *Eph.* II. 4. Iſtæ ſane Divinæ virtutes, ab Adamo poſt lapſum adhuc juxta nobiscum perſpectæ, monſtrare clare potuerunt attendenti Reſtitutionis humanæ Poſſibilitatem, ob quam ipſi plane & omni modo nondum de Deo eſſet deſperandum, etiamſi de ſe deſperare prorſus deberet, ob peſſimum meritum & ſummam impotentiam.

Conjecturam quoque probabilem de ſua Reſtitutione ex multis aliis potuit facere Adam lapſus.

IV. Hoc tutò addemus, quod haud improbabilem ſimul conjecturam potuerit facere homo de ſui ipſius generiſque ſui aliqua Reſtitutione, ex Bonitate Dei ipſi lapſo variis modis adhuc demonſtrata ſupra quam ex propoſita Mortis denunciatione ipſe potuiſſet exſpectare. Nempe pro eo quod dictum fuerat ipſi in propria perſona de eodem tempore ſecundum Fœderis rigorem, *quoniam in die eſus tui de ea moriendo morieris*, experiebatur Adam cum

Uxore; & Vitam ſibi etiamnum continuari cum ejus ſubſidio multiplici; & ſe fugientem à Deo quæri ad tractationem decentem; & reſponſionem ſuam à Deo ſatis molliter audiri; & vocem ſuam non obſtante multiplici ejus defectu ſatis clementer accipi; & non tantum Vitam cum victu apto ipſi relinqui in longum tempus, ſed & Poſteritatem promitti quam ex Eva per difficilem licet geſtationem & durum partum acciperet; & in ipſa ſententia præcipuum ſupplicium quod eſt æternum taceri; ut de fœditatis per peccatum contractæ indicatione & de averſione novi ſceleris circa Arborem Vitæ nihil nunc addam amplius. In iſtis utique tantum non omnibus continuo voluit *Chryſoſtomus* nos intueri durantem Dei φιλανθρωπίαν καὶ ἀγαθότητα. Iſta autem omnia quamquam nullum habeant certum nexum cum ſalutari reſtitutione, tanquam fructus communioris bonitatis qui in multis hominibus obtinent ad nudam convictionem, ſuadere tamen poterant Adamo, ut ſibi alium quoque & meliorem ſcopum Dei in quibusdam ſane hominibus ob oculos poneret, qui tempus & occaſionem converſionis ſalutaris ſic ſimul nanciſcerentur. Ita namque Opera Providentiæ Divinæ ſubſerviunt Operibus Gratiæ; & quod mundus ipſe durat, id etiam eſt propter electos, in quos Deus μακροθυμεῖ, μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι 2. *Pet.* III. 9. Neque dubium quin hic ipſe communis bonitatis finis tanto ſit Deo glorioſior quantò eſt major & præſtantior.

Sed revelatio ejus clariſſima facta eſt per Prot Euangelium in Sententia Serpentis.

V. Sed quid nos de conjecturis loquimur? ubi vix audiit Deus ex ore Adami & Uxoris occaſionem commiſſi ſceleris, quin ad Mali omnis autorem Serpentem ipſe in ira fervida converſus, abſque ulla hujus interrogatione præmiſſa, graviſſimam maledictionis ſententiam in hunc audiente Adamo fert, ita ut promiſſio læta humanæ ſalutis reparandæ per Servatorem Chriſtum ei palam immiſceatur. Ita enim narrat Moſes *Gen.* III. 14. 15. *Et dixit Jehovah Deus ad Serpentem; quoniam feciſti hoc, maledictus tu pre omni beſtia & pre omni fera agri, ſuper ventrem tuum ibis, & pulverem edes omnibus diebus vitæ tuæ. Et inimicitiam ponam inter te & inter Mulierem, & inter Semen tuum & inter Semen ejus, illud conteret tibi caput, & tu conteres illi calcaneum.* Quæ Dei verba, dudum ſub nomine *Prot-Euangelii* & *Matris Promiſſionum* & *Promiſſionis Paradiſiacæ* celebrata, cum ſummam Novi Fœderis vel Teſtamenti Gratiæ in ſe complectantur, erunt nunc porro aliquan-

quanto diligentius enucleanda per partes ſuas omnes, & tam cum aliis vaticiniis de Meſſiæ benficentia quam cum eorundem implemento in Chriſto noſtro conferenda. In quo præierunt ab aliquot retrò annis potiſſimum Viri Doctiſſimi; inter quos etiam Celebris Theologus Bremenſis *Cornelius de Haſe* ſpeciali *Diatribe*, in qua & ipſe poſt meſſem aliorum accuratam ſpicilegium aliquod aliis relictum eſſe agnoſcit. Quin & videndum erit poſt dicti hujus declarationem juſtam, quid Signi ſeu Sigilli viſibilis Deus ad hoc tantum promiſſum mox addiderit, erudiendis & confirmandis primis noſtris parentibus de ſua gratia ſalutari.

CAPUT SECUNDUM.

Quo Dei Dictio ad Serpentem, & hujus Semen declaratur.

Producit itaque Moſes *Gen.* III. 14. *Jehovam Deum*, gemino ſolitoque in hoc textu nomine, per modum judicis loquentem. Ubi Triunum illum intelligere omnino oportet, qui mandatum non edendi de Arbore Scientiæ dederat Adamo integro, & cujus poſt peccatum vox ambulans in horto ad ventum diei fuit audita ab Adamo, & cujus fuit judicialis Adami & Uxoris inquiſitio hactenus propoſita *verſ.* 9.—13. dum de ſolo Filio, ſeu ut tali ſeu ut Mediatore, & de aſſumpta ab hoc humana forma in incarnationis ſuæ præludium non eſt heic adhuc cogitandi ratio ulla ſolida. De qua re vide quæ nos attulimus & inculcavimus antea *Lib. III. Cap.* IX. §. 2.

Jehova Triunus eſt qui Sententiam in Serpentem tulit.

II. Is vero ſonora & intelligibili voce à ſe pro potentia ſua formata, qua ad Adamum & Mulierem pluſquam ſemel utitur, heic etiam loquens & *dicens* occurrit *ad Serpentem*, אל הנחש / τῷ ὄφει apud LXX. לחויא apud *Paraphraſtas*, *&c.* Non poteſt autem hic eſſe alius, quam de quo in antecedenti contextu omni tam à Moſe quam à Muliere apud eum actum fuit, & qui hinc mox in ſequentibus Dei verbis dicitur *hoc feciſſe* quod ei Mulier imputaverat. Recurrendum ergo eſt heic ad *Lib. III. Cap.* V. ubi hoc reperietur ſolide ſatis aſſertum à nobis, quod intelligatur à Moſe verus Serpens corporeus, tanquam ad beſtias agri pertinens, ſed à Satana ob-

Is ad Serpentem antea deſcriptum, & Præſentem jam, loquutus eſt.

obſeſſus qui in illo operabatur & loquebatur. Quem quidem Serpentem cum alloquitur Deus, oportet eum heic apud Adamum & Evam cogitare præſentem, ſive adhuc, abſque notabili ſeparatione poſt factam ſeductionem, ſive iterum potius per Dei judicis citationem validam, per quam evocati erant quoque homines; præmittente hinc *Jonathane*, quod *Jehovah Deus adduxerit tres illos* לדינא *in judicium.* Quomodo rem hanc cum aliis dudum intellexit *Corn. à Lapide*; *Serpens præſens erat coram Deo Adamo & Eva. Licet enim poſt tentationem Dæmon reliquiſſet Serpentem* (id nobis minus conſtat,) *iſque huc illucque reptaret, tamen Dei nutu directus fuit ad locum in quo Adam è latebris à Deo evocatus coram Deo prodiit; præſertim quia locus tentationis Serpentis à loco latebrarum Adæ non multum diſtabat &c.* Nec poſſum conſequenter probare argumentum quod pro Metaphorico Serpentis ſenſu hinc petit *Cajetanus*; *Hæc præſentia Serpentis teſtatur, quod non fuit animal brutum Serpens tentans mulierem, nam Adam & Eva jam receſſerant ab Arbore Scientiæ boni & mali & abſconderant ſe inter frequentiam Arborum & ibi inventi ſunt à Deo interrogante, non erat igitur ibi Serpens brutum animal, quem receſſiſſe poſtquam voti compos fuerat naturalis ratio ſuadet, ſi fuiſſet brutum animal, intellectualis ergo Serpens etiam ex hoc quod præſens judicio fuit manifeſtatur.* Utique intellectualem ab animali Serpente heic non oportet ſeparare; & non minus videri poſſet Diabolus rationalis, poſtquam voti ſui compos & novi in Deum delicti ſibi conſcius fuit factus, ab homine fuiſſe receſſurus cito & longe ſecundum naturalem ductum, quam quidem Serpens animalis, qui conſcientia ſimili deſtitutus abſque metu homines aufugientes aliorſum cæco quodam impetu ſequeretur. Uti verò ex præſentia hac Serpentis in Dei judicio poſt tentationem peractam nos antea cum aliis concluſimus, non fuiſſe heic mere apparentem ſpeciem Serpentis abſque ſubſtantiæ corporeæ veritate, *Cap. V.* §. 10. ita minus ſolidum nobis videtur argumentum quod hinc petunt alii ut probent apud Arborem vetitam ita ſubſtitiſſe homines ut inde etiam folia ſumpſerint tegendæ nuditati; quando clariſſimum utique eſt, occultantes ſe homines ab Arbore vetita aufugiſſe, & de judicio Dei apud Arborem interdictam habito nihil plane eſt in textu, & ad illum tranſgreſſionis locum potuit Deus haud difficulter reos omnes tres reducere ſi id ipſi libuerit.

III.

Digitized by Google

III. Non debet autem hoc ullo modo inconveniens cenſeri, dictionem rationalem & ſenſibilem à Deo ferri ad Serpentem hunc. Is enim ſi mere corporeus fuiſſet, licuiſſet & decuiſſet hoc fieri, ut ab homine rationali & præſente intelligeretur Divina voluntas de Serpente ſecundum quam ille ſe componeret. Quod etiam *Ioh. Clericus* obſervavit; *Alii, qui Serpentis os reſolutum fuiſſe negant, hæc ad Serpentem verba exiſtimant à Deo edita fuiſſe, non propter Serpentem, qui ea intelligere ratione deſtitutus non potuit, ſed propter Adamum & Hevam, quibus erant ſolatio.* Uti nemini non conſtat mos Scripturæ ſacræ æque quam profanæ ἡ προσωποποιΐαν, ſecundum phraſin *Damaſceni*, non minus in animalibus brutis quam aliis rebus plurimis inſenſibilibus, iiſque etiam à Deo ipſo compellandis, *coll. Ioel.* II. 22. *ne timeatis beſtiæ agri &c. Pſal.* CXLVIII. 10. *&c.* Sed conſtare ex ante dictis debet heic nunc, fuiſſe Serpentem hunc à ſpiritu rationali obſeſſum, & ſic non quidem per ſe ſed per obſeſſorem ſuum intellectu præditum ad capiendam cum horrore Dei irati ſententiam. Quod ſpectans *Clericus* præmiſit; *Qui volunt Cacodæmonem ore Serpentis Hevam eſſe allocutum iis minime mirum videtur à Deo hic Serpentem, hoc eſt Cacodæmonem, compellari.* Neque enim dicere debes, ſic non Serpentem, ſed Satanam potius qui in eo latebat, compellandum fuiſſe; quando Moſes pergit rem narrare uti externe & viſibiliter illa geſta eſt, adeoque nomen Satanæ dat ab externa forma in qua videbatur, tantò aptius etiam quod res heic pronunciata ad Satanam ſolum cum excluſione animalis non ſpectaret. Quemadmodum verorem univerſam de *Serpente Tentatore* eleganter contra *Cel. Amyraldum* tractavit Magnus *Bochartus in Epiſt. ad Iac. Cappellum*, ita & de hac Serpentis Divina compellatione latius ſcripſit; *Opponit quoque, nequaquam probabile eſſe Deum affari voluiſſe Serpentem, ejus qui verba non poſſet intelligere. At ſi quando Deus per Proſopopœiam aliquam aut animata aut inanimata affatur, in iiſdem illis exequitur ac præſtat qua exequenda & ab iis præſtanda nuntiat & præcipit. Dum dicit animalibus, creſcite & multiplicamini, iis ipſis verbis creſcendi & multiplicandi vires illis impertitur. Chriſtus ficum eſt allocutus cum ipſam execraretur, dixitque, ne deinceps fructus ullus ex te prodeat, at eo momento ficus ſtatim exaruit Matt.* XXI. 19. *Moſes ſimiliter Num.* XX. 8. *rupem; Ioſua Ioſ.* X. 11. *ſolem; Propheta quidam* 1. *Reg.* XIII. 2. *Bethelis altare; ſunt affati, ſed eo affatu*

Quod nequaquam inconveniens aut ineptum debet judicari.

qui

qui ea poſſet operari quæ nunciat. Eadem prorſus ratione Deus aliquando animantibus, uti corvis 1. *Reg.* XVII. 4. *locuſtis* 2. *Paral.* VII. 13. *ſerpentibus Amos.* IX. 3. *piſcibus Jon.* II. 10. *itemque rebus inanimis, veluti cœlis Eſa.* XLV. 12. *nubibus Iob.* XXXVIII. 11. *Pſal.* LXXVIII. 23. *Eſa.* V. 8. *tempori matutino Iob.* XXXVIII. 12. *enſi Amos.* IX. 4. *permulta mandat, quæ tamen nullo modo percipiunt &c.*

Spectat autem Divinæ dictionis argumentum omnino ad Serpentem Corporeum.

IV. Enimvero uti dictio Dei dirigitur heic ad Serpentem verum à Satana obſeſſum, ita & ad hunc integrum qua talem eadem judicari debet ſpectare. Non eſt adeo in exegeſi ſequentis ſermonis, quo compellatur Serpens in perſona ſecunda ſingulari & cum repetito aliquoties pronomine ejuſdem perſonæ & numeri, ita proſpiciendum ad obſidentem Satanam, ut animal prætermittatur quod ei in hominis ſeductione apte ſubſervierat, & ſic demonſtrandæ copioſius in ſe divinæ iræ ac indignationis ſubjectum digniſſimum erat factum, non obſtante ſua inſcitia & inculpabilitate propria. Id feliciter & prolixe exſecutus eſt inter alios *Moſes Bar Cepha de Parad. Part.* 1. *Cap.* 27. *ad Quæſt.* IX. *cur Angui maledixerit Deus qui nullum ſcelus patrarat &c. neque enim Libero utebatur Angelus Arbitrio ut poſſet ſe Satanæ pro inſtrumento non præſtare*, reſpondens; *Deteſtatum eſſe Anguem, ut hoc ipſum Satanæ moleſtum accideret qui illo utebatur inſtrumento, veluti ſi quis muſicum inſtrumentum confringat quo eum qui illo canebat excruciet. Equum nimirum graviter proſtravit, ut ſeſſorem ſimul conſterneret, navemque ſubvertit, ut nautam multaret. Serpentem ergo maledictis feriit Deus, ut Satanam dolore angeret qui in ſerpente loquebatur, ſicut & legionem afflixit perdendo porcos, ſimul atque enim Satanas conſpexit Anguem amiſſis pedibus humi volutari acerbo angore excruciatus eſt. Præterea ideo quoque maledixit Serpenti, quod Adamo atque Evæ peccandi cauſa extitiſſet. Sicut Iumentum lapidibus obruebatur cum quo corpus miſcuerat homo Lev.* XX. 15. *eo quod cauſa mali fuiſſet, ſcriptum eſt enim, en malum venit ſed væ illi per quem venit. Ad hæc ita maledixit Serpenti propter Satanam, ut terræ propter Adamum. Inſuper hac etiam de cauſa maledixit Serpenti, quo Adam Evaque, ubi viderent quantam ſuſtineret Serpens ex divina maledictione multam, &c. animadverterent atque intelligerent in quam gravem incidiſſent errorem, quantumque flagitium admiſiſſent Serpenti obtemperantes, ac proinde in poſterum magnô metu continerentur. Sed lubet*

bet apud eos qui hanc movent quæſtionem hac mutuum quæſtione uti; Itane vos Serpentis vindicandi gratia quæritis cur execratione perſtrictus ſit, qui arbitrio libero minime donatus mali nihil patrarat; dicite quæſo viciſſim mihi, cur feræ jumenta volucres Diluvio periere quæ non deliquerant? aut quid meruere oves bovesque, & aves quæ quotidie inſontes ad ſacrificia debebantur? quid commiſerant pecora Iob quæ innoxia cum eſſent igni ſunt tradita devoranda? cur Chriſtus legioni permiſit porcos in mari ſuffocandos qui non peccarant? cur ſacrificabantur offerebanturque columbæ ac turtures pro expiandis peccatis quorum ipſe expertes erant? cur ovis pro populi redemtione immolabatur, aut hœdus mactabatur pro Eccleſiæ impietate, vel bos pro Sacerdote improbo, cum neque ovis neque hœdus neque bos deliquiſſent? &c. Quin & addidit; *Cur contumeliis imo etiam morte adfecti ſunt pro populo Prophetæ innocentiſſimi? Quid Chriſtus? nonne ſupplicium crucis ſuſtinuit pro noſtris peccatis? Cur ergo Serpentis multam ſuggillatis &c.* Cui ex recentioribus innumeris jungam *Cel. Bochartum loc. cit. Serpenti inflicta fuit maledictio, non ut Tentationis authori ſed ut inſtrumento. Si quis cum bruto coierit, quamquam innocens ſit brutum, Lex tamen Lev.* XX. 15. *utrumque condemnat, pennaque uri ſolet aliquando, quæ ad falſum quid ſcribendum ſubſerviit; non ſecus culter ad parricidium aliquod adhibitus. Corpus quoque cum anima patitur, quoniam membra ejus iniquitatis fuere inſtrumenta. Nec abſimile quod Iudas Apoſtolus præcipit, ut odioſa ſit veſtis quæ carne eſt infecta; eandemque ob cauſam Deus mundum ultimo die eſt peſſundaturus, licet inanimata ſint peccati expertia, eſt tamen deſtructurus, eo quod cum Diaboli tum hominum iniquitate ſint contaminata. Hoc nempe vult Apoſtolus Rom.* VIII. 20. *&c.* Et poſt alia interjecta repetit, Deum pœnam quoque immiſiſſe inſtrumento Diaboli, *ut oſtenderet quanto odio proſequeretur peccatum, cum ejus vindictam in ea etiam diffunderet quæ illius fuere tantum organa, eaque cognitione omni deſtituta. In quibus nulla prorſus ſubeſt injuſtitia; quandoquidem ad hominem inſtituendum ſalutarique metu à malo abſterrendum mandentur. Eodem conſilio falſarii cum diplomatibus ſigillisque ſuis ementitis de cruce ſuſpendi; venefici cum libris & characteribus magicis comburi, bellua cum iis qui abuſi ſunt necari, conſuevere. Eadem quoque Hacan cum pallio argento & auro quæ ſubſtraxerat Ioſ.* VII. 14. *fuit exuſtus.* Illuc res hæc omnis redit, non quidem formale ſed materiale pœnæ re-

&c locum habere in instrumento humanæ seductionis, ad majorem facti detestationem, Satanæ abutentis afflictionem, & hominis seducti instructionem. Quidquid autem sit de rei æquitate & ratione gravi, quæ divinis dictis factisque deneganda minimè est, ipsa illa constare debet nobis ex sententiæ divinæ argumento omni deinde exponendo, quod manifeste satis in Serpente animali verum deprehenditur per hujus ingressum super ventrem &c. Ut enim heic dicamus, phrases tantum petitas esse ab illo Animali, sed explicari eas tantum allegorice debere ita ut conveniant Satanæ; ejus rei necessitas aliqua esset addenda, nec hoc speciem aliquam habet, ubi præter Satanam adfuisse in seductione verum Serpentem antea monstratum est. Quomodo verba Dei ad Serpentem directa immediate de isthoc Animali passim intellexerunt non solum *Iudei* sed & *Christiani* cum *Chrysostomo*; πολλῷ μᾶλλον ἡμᾶς νῦν προσῆκε μὴ πλείονα τῆς προθυμίας ἰδεῖν τὸ ἀγαθὸν θεὸν, πῶς μὲν τῷ ὄφει σφοδρὸν ἐπέθηκεν ἡ παιδεία ἐπιτίμησιν, ἵνα δῆλα ᾖ καὶ αἰσθητὰ τὰ τοῦτο θηρία, ἃ ὥσπερ ὀργάνῳ ἐχρήσατο ὁ πονηρὸς δαίμων, αἴσθησιν ἡμῖν παρέχῃ τῆς μεγάλης ἐκείνου παιδείας ἐνδείχεσθαι &c.

Sed & simul quam maxime ad Satanam obsidentem.

V. Sed non est in Dei dictione ad Serpentem apud Animal illud tamen subsistendum, verum ad sensus integritatem præcipuè quidem cogitandum de Satana Animalis istius obsessore & motore; aliter quam *Iudei* & *Christiani* quidam crassiores temere egerunt. Talis enim heic in maledictionem Dei incurrit Serpens, qualis ille erat & male fecerat. Neque à Deo puniente per sanctitatem & justitiam ejus intaminatam oportebat prætermitti Tentationis malæ Autorem præcipuum, dum in ejus instrumentum ipsius ira erat declaranda. Et esset solatium hominis ex hoc Dei dicto satis leve, si illud nonnisi ad Serpentem animalem spectaret. Præterquam quod ipsæ phrases divinæ sententiæ, cum aliis Scripturæ locis collatæ, nos etiam ad Diaboli perditionem æque quam molitiones ducant; uti dein apud partes singulas monstrabitur. Unde Judæi passim in hujus sententiæ exegesi quoque ad Satanam prospiciunt, ipsa id docente *Paraphrasi Ionathanis* & *Ieroſolymitana*, quin & *R. Eliezere* Cap. XIV. *Sammaëlem & turmam ejus præcipitavit è loco sanctitatis suæ seu cœlis*, &c. Et Christiani hoc ab ævo quam maxime urserunt. Inter alios *Chrysostomus* verbis proxime citatis, aliisque quæ dein subjecit; Διὰ τοῦτο ἐπεσῆλθε τῷ τούτου ὀργάνῳ σοι ἐχρήσατο ὁ πονηρὸς δαίμων, διὰ τοῦτό σοι ἡ παιδεία ἐπιτίθημι, ἵνα

δῆλα

δὲ τῶν εἴς τι γλωμῶν κλίνειν & εἰδέναι ἔχη οἷα τιμωρία αὐτὸν ἐνδέχεται, ἢ οἱ ἐξῆς ἄνθρωποι παιδεύωνται μηκέτι ὑπάγειν τ τῦτο συμβυλαῖς, μηδὲ τ ἀπάτῃ πεῖσαι, ἵνα μὴ τοῖς αὐτοῖς πειρᾶσθαι &c. Atque *Auguſtinus Lib.* XI. *de Gen. ad Lit. Cap.* 36. *Tota iſta ſententia figurata eſt, nec aliquid debet ei ſcriptoris fides narrationiſque veritas, niſi ne illam dictam fuiſſe dubitemus &c. Hoc ergo vere eſt dictum Serpenti. Iam catera verba Dei ſunt, quæ libero lectoris intellectui relinquuntur, utrum proprie an figurate accipi debeant &c. Nunc ergo quod Serpenti dicitur, & ad eum qui per Serpentem operatus eſt utique refertur, procul dubio figuratum eſt; nam in his verbis tentator ille deſcribitur, qualis generi humano futurus eſſet; quod genus humanum propagari tunc capit, quando hæc in Diabolum eſt tanquam in Serpentem prolata ſententia. Hæc itaque verba quomodo figuris expoſitis accipienda ſint & in illis Duobus adverſum Manichæos editis Libris de Geneſi quantum potuimus diſſeruimus & ſi quod diligentius & congruentius alias potuerimus, Deus aderit ut efficiamus.* Uti ille *Lib.* II. *de Gen. c. Manich. Cap.* 17. & 18. totam exegeſin ſuam illuc componit, hoc tamen præmittens; *Non autem nunc ea damnatio Diaboli dicitur quæ ultimo judicio reſervatur, de qua loquitur Dominus cum dicit, ite in ignem æternum &c. ſed ea pœna ejus dicitur qua nobis cavendus eſt &c.* Quibus jungimus etiam *BarCepham Cap.* 28. *Quando ſunt qui quæſtionem illam, cur non exſecratus ſit Deus Satanam ſicuti Serpentem, iterum atque iterum urgent, nos præter ea quæ ante reſpondimus hoc etiam addere hic voluimus, Deum non minus maledixiſſe Satanæ non aſpectabili, quam Serpenti qui oculis cernebatur, atque perinde inhæſiſſe exſecrationem myſtice arcanoque modo illi, ut huic aperte, & in ipſo corpore, quod cujusmodi ſit velim te apud tuum animum penſitare. Habebat enim Deus Serpentem veluti medium inter Satanam primosque parentes intervenientem; nam ſicut hi per Serpentem ſeducti ſunt, ita ille per Serpentem exſecratione perſtrictus eſt; & ut Serpens fuit Satanæ inſtrumentum illiciendi primos parentes ad peccandum, ita perſonam quoque geſſit ſub qua Deus Satanam eſt deteſtatus. Utrique igitur, & Satanas & Serpens, divinam exſecrationem ſunt paſſi.* Nec eſt niſi quædam ἀμέλεια ἐ ἀνθολκῆς, quæ de Satana ſolo cum totali excluſione Serpentis Animalis dictum hoc alios exponere fecit, præter hypotheſin alienam quod nullum viſibile animal heic adfuerit; uti ab altera parte qui maledictionem Satanæ heic non agnoverunt nonnulli

Satanam ipſum præſentem & operantem quoque non admiſerunt in præcedenti tentatione.

Qui cur non ſit expreſſius nominatus, inquiritur.

VI. Si inſtes in adverſum, quare ergo Satanæ non facta ſit in hac Dei judicialidictione clarior aliqua mentio; dicendum eſt, non fuiſſe illam neceſſariam, ubi ex ipſo præcedenti opere Serpentis conſtabat ſatis Satanæ operatio in eo, adeoque qualis hic eſſet cui malediceretur. Nec erat illa adeo apta, ubi narratio rei geſtæ ſecundum externum viſum incepta ſic etiam erat claudenda. Imo nec debebat ProtEuangelium aliter quam obſcurius & quaſi ænigmaticè lapſis hominibus primo hoc initio proponi, ut & illorum ſancta inquiſitio & Dei ſucceſſiva illuminatio eſſet tantò major. Unde quam bene dixit *Bar Cepha* etiam *Cap.* 27. *quamvis non apertè maledixerit Satanæ Deus, tamen occulte atque abſcondite id ab illo maxime actum eſſe, dum enim expreſſe Anguem exſecrabatur tacite Satanam maledictis perſtringebat &c.* tam male heic præmiſit; *Deum idcirco non maledixiſſe Satanæ* (magis aperte ſcilicet) *ne Adamus Evaque animadverterent ſpiritum aliquem non aſpectabilem intra Serpentem eſſe, eoque in multo majores raperentur errores. Neque enim adhuc ſciebant aliquid eſſe præter Deum quod oculis cerni non poſſet. Ad hæc propter Hebræorum quoque imbecillitatem noluit Moſes ſpiritum intra anguem latentem prodere, ne ſcilicet illi adverſariam Deo poteſtatem eſſe ullam opinarentur, quæ majoribus freta viribus poſſet aliquid invito agere Deo. Nam ideo Angelorum nulla eſt à Moſe facta mentio ad Agaris uſque ætatem, ne Judæi ſuſpicarentur plures eſſe Deos.* Nec ſunt conſequenter niſi ex parte accipienda, quæ heic ſcripſit nuper *Joh. Clericus*; *Cacodæmonis porro pœnarum, quas ſine dubio Deo dedit, nulla hic fit perſpicua mentio, quia ut ſub imagine Serpentis feſellit primos parentes, ita omnis in Serpentem quem ſolum illi viderant cadere videtur pœna. De Cacodæmonis fraude nulla forte iis fruit ſuſpicio; nec pœnas naturæ quam ignorabant infligi poſtulare poterant; at Serpentem qui præ oculis fuerat plecti iis qui ab eo decepti fuerant ſine dubio gratiſſimum fuit.* Uti in ipſa porro dictionis divinæ exegeſi ipſe vix ſibi conſtare ſatis videtur, atque ante hæc præmiſit poſt collatam legem de *bove cornupeta Exod.* XXI. 28. *Sed haud levis eſt difficultas in oſtendendo quomodo circumſtantiæ omnes pœnæ hic Serpenti inflictæ Cacodæmoni, quem potiſſimum plecti oportuit, conveniant, aut ſi non omnes, quæ tandem eum reſpiciant. Si hic allego-*

ricis

ricis commentis indulgere liceat, hæc quidem facile invenientur; ſed cum ſint omnia in eo interpretandi genere incerta, vix eſt ut ſeverioribus ea ratione ſatisfiat judiciis. Sic nempe per quæſitas ambages narratio Moſis vere illuditur.

VII. Quando autem dictionem Dei ad Serpentem de Serpente corporali & ſpirituali in eo ſimul dicimus intelligendam eſſe, id de dictione integra hac Dei quoque velimus intelligi. Quod notamus adverſus eos qui hujus Divinæ ſententiæ partes diſcerpunt, ut aliquæ & quidem priores ſpectent ad Animal, ſed aliæ poſteriores ad Satanam ſolum; cum ad eundem Serpentem eodem tenore referantur à Deo omnes. Forte id voluit ipſe *Calvinus*; *Omnibus propius expenſis facile animadvertunt lectores ſano judicio præditi, mixtum eſſe ſermonem, nam ita Serpentem alloquitur Deus, ut clauſula ad Diabolum pertineat.* Memoravit utique ſed & rejecit opinionem eam *Doct. Pareus*; *Ex recentioribus non pauci pœnas quæ hic denunciantur ſerpenti dividunt, & priores tres proprie ad Serpentem, quartam figurate ad ſolum Satanam pertinere volunt. Quæ ſententia tolerabilior eſt, non tamen incommodo carens. Nam contextus ἀλληγορήσεν oſtendit, integram illam Dei apoſtrophen non dirigi ad diverſos, neque Deum prius alium poſtea alium ſed eundem omnino Serpentem perſonatum alloqui.* Sicuti & *Cel. Rivetus* poſt præmiſſas ſententias tres, de Pœna heic denunciata vel Serpenti ſolum vel Diabolo ſolum vel Utrique ſimul, ſubjecit quartam, *partem comminationis unum partem aliam alterum reſpicere*; atque adverſus hanc urſit *Parei* deſcriptam modo obſervationem. Ad quam hoc quoque addere licet, quod uti Divinæ ſententiæ phraſes omnes pariter literale ſuum complementum in Animali reperiunt, ita & in iis omnibus ſpiritualis de Satana ſenſus aptitudo ſit æquali.

Ad Serpentem Obſeſſum & Obſidentem ſimul pertinet tota hæc Dei dictio.

VIII. De Serpente etiam animali & ſpirituali quando notamus ſimul capienda hæc Dei verba, debet cum illo prorſus conjungi *Semen* זרע/σπέρμα, quod illi tribuitur per additum Pronomen *tuum* ſecundæ perſonæ *verſ.* 15. & pro quo *filium* dixit *Onkelos*, & *ſemen filii* duplicato nomine *Jonathan.* Id ad Animal relatum non debet ita ſtrictè capi, ut exprimat ſolos eos ſerpentes qui ex hoc uno ad tentationem adhibito provenirent; ſed omnino latius, ut dicat multiplex vel *omne ſerpentum genus*, ſecundum phraſin *Grotii*, in quo nempe ſententiæ hujus eventus deprehenditur palam, & ad quod

Junctum cum Serpente Semen ejus declaratur.

Digitized by Google

ille extenditur ad tanto majorem peſſimi facti deteſtationem divinam. Niſi placuerit magis obſervatio *Joh. Clerici, eo tempore quo hæc geſta ſunt, fuiſſe forte par unum duntaxat ejus ſpeciei ſerpentum quæ prima parenti σκάνδαλον fuit adeo ut ex illo pari reliqui omnes ſint progeniti*; cui tamen ita ille minimè inhæret, ut non præmiſerit, *omnes poſthac ſerpentes*, & ſubjecerit, *videri omne ſerpentium ſignificari genus ſeu omnes ſpecies.* Idem vero Semen reſpectu Satanæ denotare per metaphoram aptum eſt; tum Angelos omnes malos qui principi ſuo adhærerent, ad malitiam primum forte ab eo pertracti & ſic quaſi geniti, utique ejuſdem participes, *coll. Matt.* XII. 24. 25. XXV. 41. *&c.* tum ſimul Homines malos, qui ipſi in peſſimis deſideriis & conatibus prompte ſubſervirent, & imaginem ejus non tantum exprimerent, ſed & per exemplum & impulſum malum ex ipſo nati queant cenſeri. In quam rem uti conferuntur loca plura *Matt.* III. 7. XII. 34. XIII. 38. 39. XXIII. 33. *Ioh.* VIII. 44. *Act.* XIII. 10. 1. *Ioh.* III. 10. 12. *&c.* ita ſcripſit ipſe *Grotius, allegorice impii, ſic Cananæi ſemen Serpentis Abarbanieli ad hunc locum*, & noviſſime *Clericus, at Cacodæmonis filii ſunt ut videtur mali homines*, dum *Fagius* ſpectans ad ſingulare nomen *filii* ab *Onkeloſo* adhibitum, hunc dixit *eſſe ipſum Anti-Chriſtum cum omnibus membris ſuis.* Et quemadmodum *Sammaëli* jungitur *turma ejus* apud R. *Eliezarem*, ita agmen hoc recte cum aliis expoſuit *Pareus* noſter; *Hoc loco ſemen ſerpentis collective dicuntur omnes familiæ diabolorum, quos Chriſtus vocat Angelos Diaboli, quibus antiquus Serpens Beelzebub præeſt tanquam caput; item omnes filii Diaboli, hoc eſt reprobi homines, quorum pater & princeps dicitur Diabolus, quia ejus opera imitantur eique ſerviunt, quales erant Judæi &c. Hoc agmen ſemper erit ingens & potentiſſimum in mundo &c.* Quod duplex Serpentis infernalis Semen heic tantò rectius jungitur, quanto ſic plenior evadit ſenſus divinæ ſententiæ, & quanto certius in utroque ejus exſecutio deprehenditur. Quin & illud meritò notandum, quod licet apud inimicitiam cum mulieris ſemine ejuſque effectum Seminis hujus Serpentini tantum fiat mentio, illud tamen apud reliqua omnia prædicata de Serpente ipſo quoque videatur ſubintelligendum, adeoque maledictioni ſuo modo etiam ſubjiciatur & reliquis malis.

Sententia in Serpen-

IX. Huic porro Serpenti cum Semine ſuo obſervatur communiter malum à Deo judice per hanc dictionem denunciari primo, an-

antequam ſententia ulla in Adamum aut uxorem feratur. Quod fit juſtiſſime ob peccati initium à Serpente qui hominem utrumque ſeduxerat; uti ob ſimilem peccati ordinem Mulier ante Adamum ſententiam accepit. Ἐπεὶ μὴν γὰρ ἕτερος (inquit *Chryſoſtomus*) τὴν ἀπ' ἄτης εἰσήγαγε, διὰ τοῦτο ἕτερος πρῶτος ἦλθε μωρίαν ἐδίξατο, καὶ ἐπιδὴ πρώτην γυναῖκα ἡπάτησε, καὶ τότε ἐκείνη τὸν ἀνδρα συκατέσπασε, διὰ τοῦτο ἐκείνην πρώτην ἠμωρῆτο &c. Quod etiam fit benigniſſime reſpectu hominis, ut primus iræ divinæ impetus hunc non teriret, ſed & ipſe hic audiens Dei iram in Serpentem celerrime erigeretur ex miſero lapſu in ſpem optimam, & cum majori dein ſubmiſſione exciperet quæ Deus ipſi quoque denunciaret mala. Perinde dignum eſt obſervatione, quod Serpentem à Muliere accuſatum non vocat Deus ad examen, ſicuti Adamum & Uxorem ejus vocaverat, interrogando de re commiſſa aut de ejus ratione & modo, ſed in eundem mox ſententiam fert finalem, ac in hujus initio factum ejus malum ut certum exploratum ac prorſus inexcuſabile allegat; *Quoniam feciſti hoc*, כי עשית זאת / ὅτι ἐποίησας τοῦτο apud LXX. de quo nempe Mulier te accuſat, quod illam ad eſum fructus vetiti tam maligne & fallaciter ſeduxeris, atque ſic effeceris ſeductione tua malum utriuſque hominis, quod de Satana principaliter ſed de Animali miniſterialiter intelligendum eſt. Sicuti ſcripſit *Chryſoſtomus*; Ἐπειδὴ πικρὰν ὑπηρετήσω πανουργίαν καὶ οὗτος τὸν ἀπάτην εἰς ἔργον ἤγαγες, ἀληθείαν συμβαλὼν εἰσαγαγὼν, καὶ τὸ δηλητήριον αὐτοῖς φάρμακον κερδάσας, ἐπειδὴ τοῦτο εἰργάσω, καὶ τὸ ἐμῆς ἐννοίας ἐκβαλεῖν ἠβουλήθης σὺν ὢν' ἐμοῦ δημιουργηθέντας, ὑπηρετησάμενος τῇ σῇ πονηρᾷ δαίμονος γνώμῃ σῇ διὰ τὴν βασκανίαν καὶ τὸν ὑπερβάλλουσαν ὑπερηφανίαν ἐκ τῶν οὐρανῶν εἰς τὴν γῆν καταενεχθέντος &c. Nempe ſic Deus oſtendit, ſe Serpentini facti veritatem & inexcuſabilitatem probe noſſe, nec gratiæ ſuæ ulla ſpecie hunc velle dignari. Sicuti ad poſterius hoc videtur ſpectaſſe *Moſes Bar Cephæ Cap.* 28. *Nulla utitur apud Serpentem, hoc eſt Satanam, interrogatione, qua ad ſe excuſandum ille provocetur, ac ita tandem judicetur, condemneturque, ſicuti apud Adamum & Evam uſus fuerat. Cujus hanc putamus reddi poſſe rationem, quia Adamo Uxorique locus erat pœnitentiæ, at in Serpentis Dæmoniſque arbitrio non erat ut pœnitere poſſet.* Atque rem hanc omnem latius exſecutus eſt *Fagius*; *Quod Deus à Serpente non cauſam peccati ad quod primos parentes noſtros pertraxerat ut ab illis perquirit, ſed mox illi maledicit*

rem cur primo & abſque Judiciali Examine lata ſit.

atque

atque pœnam infligit, in cauſa eſt, quod malum iſtud ex ſeſe per invidiam & malitiam nemine ad hoc ipſum inſtigante & compellente fecerit, ſicut & Scriptura teſtatur Sap. 11. *Atque ex præſenti loco colligunt Hebræi, alios ad peccatum idololatriæ incitanti ac ſolicitanti, quem* מסית *vocant, non eſſe dandum locum ſeſe excuſandi. Quod Hebraicè ſic efferunt,* אין מהפכין בזכותו של מסית *&c. juxta id quod dicitur Deut.* XIII. *Diſcimus ergo ſemper graviori pœna dignum qui alios ad caſum ſolicitat & inſtigat. Quia & hoc Serpens fecit, ideo non meretur audire, cur feciſti hoc? ſed quia feciſti hoc, ne habeat quod prætendat & excuſet. Eſt itaque Serpenti, hoc eſt Satanæ, negata pœnitentia, quæ Adamo & Evæ propoſita fuit. Cui ſententiæ adſtipulantur & quidam Hebræorum, cum dicunt, in venturo ſeculo omnes medelam ac reſtitutionem recepturos excepto Serpente & Gabaonitis. Per Gabaonitas autem intelliguntur Hypocritæ, & illi qui toti caro ſunt nec quicquam habent Spiritus, &c.*

Serpentis Scelus oſtenditur, ob quod ille heic à Deo damnatur.

X. Non lubet ad illa prima Dei verba, *quoniam feciſti hoc*, late excurrere in Peccati Satanici magnitudinem demonſtrandam, ut hinc æquitas pœnæ ei denunciatæ tantò abundantius conſtet. Id clarum eſt, quod pronomen זאת / *hoc*, ita ad accuſationem Mulieris de ſeductione cogitata noſtra reducat, ut ſimul fœditatem magnam facti exprimere aptum ſit; ſicuti verbum עשית / effectum cum conatu jungere poteſt. Et quis dubitet de ſceleris Serpentini magnitudine? qui attendat, ad inſignem illam reluctationem contra Deum cum ejus multiplici blaſphemia junctam, & ad hominis omnis miſeram perditionem, factam utramque ex ſuperbiæ vel invidiæ peſſimo motu, ut alia plura mittam. Sed hoc videndum eſt magis, quo pacto abſque alterius alicujus culpæ mentione Serpentis infernalis pœna in hoc uno crimine fundetur, dum alia defectio ejus à Deo propria videtur præceſſiſſe nec impunita manſiſſe. Quod poſterius ut ſtatuas, per nos ſane licebit, ſi quidem judices ex hoc à Moſe narrato eventu ſatis conſtare quod alius ab ipſo res humanas tradituro prætermiſſus præceſſerit, ad defectionem & punitionem Angelorum malorum ſpectans, quodque Satanæ & Seminis maledictio heic adeo tantum nobis occurrat ut irrevocabiliter confirmata & inſigniter adaucta. Sed non minus placet, ut defectio Satanæ externo opere ſeductionis humanæ primum conſummata ſimul & demonſtrata fuiſſe credatur, ſicuti defectio hominis conſummata & demonſtrata fuit per Eſum fructus vetiti; unde tum demum primam

mam maledictionis ſententiam ſubierit, huc uſque in Dei longanimitate dilatam, ſi notabile adeo ſpatium temporis in progreſſu defectionis Satanicæ putes agnoſcendum. In qua ſententia deprehendo etiam hærere *Clar. Cornelium de Haſe* Cap. IX. ubi de Peccato Diaboli prolixius agit; *Quapropter nos quidem non videmur nobis a janua aberrare, ſi ſtatuamus, hanc quidem primam omninò maledictionis fuiſſe promulgationem, quum præter eam alius cujusquam anterioris in Scriptura nec vola exſtet nec veſtigium, neque tamen deceptionem Hevæ primum plane unicumve Diaboli peccatum ſed totius lapſus atque κεφαλαίου Diabolici velut ultimum fuiſſe complementum. Uti enim in ipſa Heva procul dubio ante guſtum fructus illiciti neglectus præceſſit verbi divini, & tepor in precibus, & ſecuritas carnalis, & λογισμοὶ πολλοὶ, & motus cum animi tum corporis vitioſi plures alii, neque tamen Deus ei ad tribunal citatæ pœnas dictavit pro meritis, priusquam ipſa ſeducta in conſortium ruinæ etiam virum perduxiſſet; ita & in Angelo mortis ante Hevæ ſeductionem utique plura præceſſere peccata, neque tamen vel menſura ipſorum completa vel reatus ipſius videtur fuiſſe conſummatus, donec hunc quoque impietati ſuæ velut colophonem adjeciſſet. Quo facto nec Nemeſis divina ſilendum amplius, ſed pœnas condignas ſeveriſſime ab eo exigendas duxit.* Nec lubet in rem eam urgere heic latius loca alia, *Ioh.* VIII. 44. ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἕστηκεν &c. *Jud. verſ.* 6. ἀγγέλους τε τοὺς μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν ἀλλὰ ἀπολιπόντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, &c. quæ ad ſeductionem hanc tanquam primi peccati Satanici conſummationem nos omninò videntur ducere.

CAPUT TERTIUM.

Quo Serpentis Maledictio, Itio ſuper Ventrem, & Eſus Pulveris, declaratur.

Quam cito Serpenti ſcelus ſuum exprobravit Deus prò fundamento iræ ſuæ in eum demonſtrandæ, *quoniam feciſti hoc*, denunciat ille huic quoque vindictam de ipſo graviſſimam & juſtiſſimam, per phraſes complures ſibi invicem apte ſubordinatas, quinque potiſſimum diſtinctas. Ex quibus prima judicari poteſt eſſe

Pœna Serpentis variis phraſibus expreſſa.

Digitized by Google

magis generalis, ita ut quatuor reliquæ eandem ſpecifice magis declarent vel demonſtrent; ſicuti progreſſus ſtractationis noſtræ juxta Moſis filum id apertius docebit.

Maledictio Serpentis præ alia omni beſtia, non legenda in vocativo.

II. Prima phraſis generalior eſt *Gen.* III. 14. *Maledictus tu præ omni jumento & præ omni fera agri.* Ubi inaniter ſe fatigat *Piſcherellus*, ut arguat non tantum hanc enunciationem ſed & geminam aliam quæ hoc verſu ſequitur in Vocativo debere capi, & legi adeò; *quia hoc feciſti, maximè omnium animantium etiam ferarum maledicte, per vitæ tuæ tempus humi ſerpere, & pulverem eſure*, ut tum ſequatur *verſ.* 15. *ob id inimicitias &c.* In quam rem confert alia loca, ex *Gen.* XLIX. 8. *Juda tu*, quod alii vertunt, *Juda te*, *Act.* IV. 24. *δεσπότα σὺ ὁ θεὸς ὁ ποιήσας*, *Domine Deus, tu qui feciſti*, *Luc.* I. 28. *χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σου, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ*, *Pſal.* II. 7. *Fili mi, quem hodie genui, poſtula à me &c.* quæ tamen ſunt aut aliena aut temere in Vocativo expoſita. Dum nihil notius eſt, quam Pronomina, etiam illud ſecundæ perſonæ, cum prædicatis aliis juncta in ſe vim verbi ſubſtantivi paſſim includere, vel pro eo poni, ſecundum *Sal. Glaſſii Canonem* VII. *Demonſtrativa Nominibus ſubjuncta ponuntur loco Verbi Subſtantivi, vel ut alii volunt Ellipſin ejus inducunt ſingulari cum elegantia*, coll. *Gen.* III. 11. *quia nudus ego &c.* Nec poteſt heic in ſequentibus ſenſus ille Vocativus locum habere, ob adhibita Verba Futura תֵּלֵךְ & תֹּאכַל *ibis* & *edes*, niſi præter neceſſitatem Ellipſis Pronominis relativi illic fingatur. Et ad quid poſt culpæ brevem propoſitionem erit iſta Serpentis deſcriptio adeo lata in Vocativo? quæ utique referri debet ad pœnam peccati, ob maledictionis in integritate prima non obtinentis mentionem, nullumque tranſitus novi ad pœnam indicium *verſ.* 15. & ſic melius per modum denunciationis magis explicitæ capitur. Sed forte de Maledictione minus cogitans Vir Doct. ſic voluit tollere illud dubium, quod alias ex greſſu Serpentis naturali petitur adverſus pœnalem illius rationem; dum neque ille ſic ad deſcriptionem Serpentis videtur fuiſſe addendus, niſi quid culpabile aut pœnale in eo reperiretur. Et intellexerunt communiter ab ævo aliter Hebræa illa Interpretes per modum enunciationis ad Serpentem, cum LXX. *ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν καὶ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων τῆς γῆς*, vel *ἐπὶ τῆς γῆς*, & cum *Vulgato*, *maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ*, vel etiam imperative aut optative cum *Tremellio & Junio*,

nio; maledictus esto pra omni jumento & pra omni bestia agri, &c.

III. Ergo Serpentem obsessum cum obsessore suo compellat Jehova Deus per Pronomen *tu*, אתה / ut ad eum ipsum male agentem intelligeret juxta ipsum obsessorem homo pertinere malum denunciatum, & ut sic forte antecedens ejus præstantia præ aliis creaturis plurimis simul insinuaretur, ad quod pronomina demonstrativa passim solent adhiberi. Fert autem illum jam esse, vel posthac fore *maledictum*, ארור / hoc est, non solum detestatione & exsecratione omni divina ac humana dignum, sed & huic ipso actu subjectum; sicuti dein *vers.* 17. eadem voce *terram* propter hominem *maledictam* deprehendimus. Quin etiam maledictionis accedit gradus summus, quando non *inter*, aut *ex*, nedum *ab*, sed omninò *pra* aliis animantibus omnibus ea ipsi tribuitur; quem sensum repetitæ præpositionis מ / alibi passim obvium, res ipsa docet heic non minus obtinere quam *vers.* 1. ubi in מכל חית השדה comparative quoque acceperunt LXX. & *Vulgatus*. Ad quem locum, comparativo etiam sensu redditum à *Joh. Clerico*, cum manifeste alludat præsens hoc Dei verbum, miror hunc Virum cum rejectione sensus comparativi heic *Vulgatum Interpretem sequi*, vertendo verba hac *inter omnes pecudes & omnes feras agri*; *quia*, inquit, *cum* מן *significet sæpe inter ut* 1. *Paral.* XI. 21. 25. *rei de qua agitur naturæ convenientior sensus visus est, quod ex sequente observatione liquebit.* Ea scilicet his concipitur vocibus; *Cæterum ex re ipsa apparet, Serpentes non esse animalia omnium miserrima, aut hominibus adeo exosa ut nulla alia æque prosequantur odio; nam lacertæ inter reptilia, & omnia quorum venenatus morsus est æque ab hominibus male habentur. Sed sunt Serpentes inter ea quæ maximo odio prosequimur.* Verum quo pacto maledictio præ aliis animantibus vere competat huic Serpenti, mox videbimus. Dum id notari meretur, quod nimis libere Hebrææ voces, מכל הבהמה ומכל חית השדה / reddantur à *Clerico*, non solum in numero Plurali sed etiam absque Præpositionis repetitione; quemadmodum & LXX. cum *Vulgato* in numero illo præierunt, & hic etiam Præpositionem secundo loco omisit. Atque uti antea *vers.* 1. solum memorabatur כל חית השדה *omnis bestia*, vel *fera*, *agri*, cum additamento illo *quam fecit Jehovah Deus* spectante non ad השדה sed ad חית / ita heic duas voces junctas חית השדה & הבהמה / absque additamento illo positas forte ob alium

Eadem breviter exponitur.

rerum ſtatum poſt peccatum & arcanum ſenſum ulteriorem; non male ita diſtinguemus, ut ad *jumentum* & *feram* diſtinctè referantur, vel alias poſterior priori ſit paulo generalior & omnem beſtiam vivam complectatur. Et quid juſtius, quam ſic maledici Serpentem, qui in tentatione tam fœde Deo maledixerat, & per eam hominem in maledictionem omnem protruſerat?

Et oſtenditur quo modo in obſeſſo & obſidente Serpente locum habeat.

IV. Hujus jam Divinæ ſententiæ veritatem cernere oportet primum in Animali obſeſſo, deinde maxime in ejus Obſeſſore. Eſtque indubie directè heic cogitandum de illo individuo Animali, quod ad deceptionem à Satana fuit adhibitum, quod quin hominis & Dei pariter maledictionem longe maximam præ aliis animantibus omnibus, verbalem & realem multiplicem, ſubierit, nemo jure dubitet, licet de eventu iſto dein nihil legamus. Sed quando notavimus antea *Cap. II.* §. 8. Serpentis Semen ipſi Serpenti in maledictione quoque eſſe jungendum, hujus diffuſio ad Serpentum omne genus addenda videtur. Prout habent illi cum reptilibus aliis hoc commune, quod reliquis animantibus terreſtribus longe viliores ſint & habeantur; & hoc inter alia ſpeciale, quod homines eos quam maxime averſentur, & quod Satanæ etiam & malorum hominum abuſui impuro variè inſerviant per divinum ſingulare judicium. Nec male adeo maledictio ſerpentibus tribuetur præ aliis omnibus animantibus; ſive illa per hanc comparationem ab ea ſpecie maledictionis eximantur, ſive maledictionis gradus minor illis ſic quoque tribuatur. Quod licet ſummopere exagitet *Cel. Amyraldus*, recte tamen fieri monuit *Cel. Bochartus*; *Hæc ultro damus, iis innixi quæ Rom.* VIII. 20. *ait Apoſtolus, creaturas vanitati eſſe obnoxias, non ex proprio motu ſed illius qui fecit obnoxias. At vero Serpens, qui ad noſtri ſeductionem Diabolo ſubſerviit, ſpeciali execratione eſt devotus.* Ad quæ de Serpente animali dicta adjicere adhuc libet verba *Calvini* noſtri; *Viget iſta Dei maledictio in Serpente, qua fit ut deſpicabilis ſit & vix tolerabilis cœlo & terræ, vitamque obnoxiam & aſſiduis terroribus plenam agat, deinde ut non tantum exoſus ſit nobis tanquam capitalis inimicus generis humani, ſed ab aliis quoque animalibus ſegregatus bellum gerat quodammodo cum natura. prius enim cicurem fuiſſe vidimus, ut mulier familiarem acceſſum non refugeret.* Sicuti priorem Serpentis excellentiam heic quoque contulit *Chryſoſtomus*; ἐπειδὴ γὰρ εἰς λέοντ' ἐχρήσατο τῇ φρονήσει, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα, ὅπερ εἶχεν ὑπὲρ ἅπαντα τὰ θηρία, τοῦτο σὺν χάριτι τῆς κα-

κῶν

πῶν ἀπάντων κῆπον. De Satana porrò animal hoc obſidente palam eſt, eum ita eſſe exſecrationis humanæ continuum objectum, ut graviſſimæ divinæ iræ & per hanc miſeriæ ineffabili ſit inde à ſcelere ſuo abſque ulla ſpe veniæ ſubjectus dudum & plenius adhuc ſubjiciendus noviſſimo die; ſicuti loquitur Chriſtus de *igne æterno parato Diabolo & angelis ejus Matt.* xxv. 41. & Petrus de *catenis caliginis quibus traditi ſint* illi & *ſervati ad judicium* 2. *Pet.* II. 4. & Judas de *vinculis æternis* quibus *ſub caligine ſerventur ad judicium magni diei Jud.* 6. *&c.* In qua maledictione uti ille plurimum differt ab omni bruta & pereunte beſtia vel fera agri, cui cæteroquin in aliis non male comparatur; ita & maledictio illa eſt agnoſcenda in Satana gravior longe, quam in ejus Semine ſeu ſpirituali ſeu humano, de quo apud brutum jumentum & feram agri ob ſtatus & morum quandam ſimilitudinem atque hinc ortam Scripturæ phraſin cogitare quoque forte non admodum male potes.

V. Maledictionem vero Serpentis generatim propoſitam per actus ſeu effectus ejus quoſdam declarat etiam mox Deus; ad quos addiderunt ab ævo alios nonnulli, *Jonathan* v. g. in ſua paraphraſi *pellis mutationem ſemel intra ſeptem annos & venenum oris lethale*, quæ etiam extant apud *R. Eliezerem Cap.* XIV. & Hebræi alii apud *Fagium* uteri geſtationem per ſeptem annos, &c. Sed his miſſis ut nugacibus vel huc minus ſpectantibus, Moſes Deum ſic porro loquentem introducit; *Super ventrem tuum ibis*, על גחנך תלך / ἐπὶ τῷ στήθει ϛ καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύῃ apud LXX. *Jonathane* phraſin duplicante, *ſuper ventrem tuum eris ambulans & pedes tui amputabuntur.* Nempe pœna heic eſt non in *itione* ſeu progreſſu de uno loco ad alium, quamquam ea ubi incerta continua & meticuloſa eſt ita etiam ſpectari poteſt; ſed in itionis modo *ſuper ventrem* גחן / qua voce adhuc ſemel uſurpata *Lev.* XI. 42. ab *Onkeloſo* & *Jonathane* reddita per נפש / & à Chaldæo גחן ſenſu *incurvandi*, vel ab Hebræo גח derivari ſolita ſenſu vel *propipiendi ſe* vel *educendi* ſeu fœtum ſeu etiam excrementa, deſignatur pars anterior & media brutorum quæ viſcera complectitur, ſive ad pedes magis accedens ſola, ſive etiam ſimul ad caput appropinquans & pectoris nomine veniens. *Ventrem LXX. Interpretes addiderunt*, inquit *Hieronymus*, *cæterum in Hebræo pectus tantum habet, ut calliditatem & verſutiam cogitationum ejus aperiret, quod omnes greſſus ejus nequitiæ eſſent*

Itio Serpentis ſuper Ventrem perinde declaratur.

essent & fraudes. Super hunc autem *ire* dicit non tantum eundem terram versus situm inter eundum, quod brutis commune est in oppositione ad hominem ore sublimi præ cæteris animantibus instructum, sed & terræ contactum per eum absque pedum seu omnium seu longiorum & conspicuorum interventu, qui molestior longe esse videtur æque quam vilior & impurior. Quin & notandum, post mentionem *omnis reptilis repentis super terram* subjicere Mosen כל הולך על גחן *omne quod it super ventrem Lev.* XI. 41. 42. quod demum fieri absque pedibus dum repere fiat per pedes breviores, & in variis Serpentum generibus locum habere, monet *Munsterus*. Sicut vero certum est satis, talem heic itionem super ventrem totam cum pectore notari qualis in Serpente nunc locum habet; ita non potest supra conjecturam meram valere, quod in hac itione sit quædam oppositio adversus priorem conscensionem Arboris Scientiæ dum hominem tentaret, cum nullam ejus mentionem fecerit Moses. Interim conatus ipsius in hominem quem superbiam docuerat & quasi cœli conscensionem, & superba ejus adversus Deum elatio, conjectionem in ventrem omnino merebatur.

Quo pacto ea tanquam pœna in Animali & in Satana locum habeat.

VI. Sed heic jam oritur magnum illud dubium, quo pacto hæc Itio super Ventrem, quæ Serpenti animali satis videtur esse naturalis, ei pro pœna à Deo queat esse denunciata. Quod ut solverent vel evitarent, ab ævo multi seu huic Serpenti seu Serpentum alicui speciei seu generi omni eorum adscripserunt aliam ante lapsum corporis constitutionem & promotionem. Illuc spectasse videtur ipse *Josephus Ant. Lib. I. Cap.* 3. quando illic post vocis ablationem & veneni infusionem &c. tanquam Serpentis Pœnam ponit, *πολὺν τὸ κάτω δουλεύσας σύρεσθαι καὶ τὸ γῆς ἐλισσόμενον ἐθίνος.* Illuc spectat similiter *pedum amputatio* apud *Jonathanem* & *Eliezarem*, cum qua *Ionathan ad Exod.* VII. 9. & *Indei* alii *ad Jer.* XLVI. 22. jungunt horrendum *Clamorem* ad omnes terræ fines usque; ut nihil dicam de Serpentis *erectione* prima instar *arundinis* & figura tanquam *Cameli*, quam ex *Midrash* ipse *Majemonides* adduxit *More Nobh. Part. II. Cap.* 30. Illuc cum aliis Veteribus nos ducit *Chrysostomus*, *ἐπειδὴ γὰρ τῇ Δεσπότῃ ἠπείθησε δούλῳ ἐχρῆτο &c. καί σε ἕτερον σχῆμα Δεσποτείας ἀναλαβὼν σοφοτέρᾳ καὶ θείᾳ τῇ γῇ σύρεσθαι &c. ὥστε μὴ ἐξεῖναί σοι λοιπὸν ἀναβῆναι ἄνω ἀπὸ ἀλισγεκῶς ἐν ταύτῃ τυγχάνοντι τῇ καταστάσει &c.* & *Moses BarCepha*, *q. d. amissurus es pedes tuos quibus ad prævitatem cucurristi, ambulabisque*

que ac repes ſuper ventrem tuum, quia ventrem primorum parentum meſcaſti, pedibus igitur Serpens ante execrationem incedebat ut cætera animantium genera, poſt vero illis amiſſis proſerpere cœpit ac ventre promoveri &c. Illuc inclinavit ipſe *Lutherus*, monens ex Dei verbis *manifeſta conſequentia ſequi, quod Serpens ante peccatum fuerit pulcherrima beſtiola & homini gratiſſima, ſicut hodie ſunt hinnuli, oves, catelli, nem quod erectus ingreſſus eſt, quod autem nunc ſerpit humi, maledictionis non naturæ eſt &c.* & dein ponens, quod *erectus inceſſerit non ut homo ſed ſicut cervus aut pavo.* Quin & pro iſthac mutatione Serpentum non omnium, ſed unius nobiliſſimi generis eorum, prolixe diſputaſſe deprehenditur *Joſ. Medus.* Primo quidem, *non eſſe hoc impoſſibile, quia Serpentes ſæpe ſe erigunt & dum hominem petunt & cum in aqua natant, & Baſiliſcus hodie ita incedit, & forte voluit Deus hunc unum ita incedere ut monumentum eſſet veritatis hujus maledictionis, quomodo quoſdam Gigantes eſſe voluit poſt diluvium in teſtimonium majoris ſtaturæ hominum antediluvianorum. Et hoc*, inquit, *credibilius erit, ſi affirmemus cum Baſilio, Ephrem Syro, Moſe Bar Cepha, & aliis, Serpenti olim fuiſſe pedes, qui certe nequaquam pertinent ad eſſentiam. Et qui poſſunt miraculoſam mutationem & hominis & terræ poſt lapſum credere, cur hoc incredibile exiſtiment in Serpente factum, præſertim cum Deus in eo perenne monumentum relinquere ſtatuerat? Denique non poſſibile tantum ſed probabile hoc erit, ſi perpendamus; quod in creaturis quo quid nobilius eſt eo magis ſurſum vergit & ſe erigit, quo quid ignobilius, deorſum vergit. Videmus hoc in elementis, nam ignis aſcendit &c. Hinc os homini ſublime dedit &c. Etiam heroici homines erectiores aliis gradiuntur. Ita leo ambulat erecto capite & pectore. In Serpente igitur ſingularis calliditas corpus erexit, & mutata natura etiam geſtum corporis mutari probabile eſt. Etiam hominem lapſus ſuus adeò debilitavit, ut niſi obſtaret educatio, creditur & ab experientia confirmatur, quod velut quadrupes ſuper manus pedeſque ambularet &c.* Nuperrime etiam *Joh. Clericus*, lectoris arbitrio rem hanc committens, ſcripſit; *Nec ſane, ſi hoc in animo habuiſſet Moſes, multo aliter eloqui potuiſſe videtur. Ovidius Metamorph. IV. Fab. 15. de Cadmo in Anguem mutato,*

In pectuſque cadit pronus &c.

Longe plures tamen hoc minus credunt veriſimile, quod natura Serpentis per peccatum ſit tantopere mutata, & corpus ejus notabi-

tabili & utili parte aliqua truncatum; in primis ob reptilia plura mox ante lapſum à Deo creata. *Sunt*, inquit *Cel. Bochartus Hier. Lib. I. Cap. 4. qui ſerpentem in creatione quadrupedem fuiſſe putant aut ſaltem draconum inſtar bipedem, & pertinere ad pœnam quod hodie ſerpit in ventrem. At mihi non ſit veriſimile, propter peccatum hominis Deum in natura Serpentis quidquam mutaſſe, &c. Neque vero id ſatis certum, Draconem nullum eſſe bipedem, aut quod ait Plinius viſos eſſe ſerpentes pedibus anſerinis. Auguſtinus Lib. III. de Gen. ad lit. diſerte aſſerit Draeones eſſe ſine pedibus. Et Philoſophus in Libro de Inceſſu Animal. multis probat, neque duos neque quatuor pedes poſſe Serpenti ſufficere propter enormem corporis longitudinem, neque poſſe plures haberi, quia τῷ ἐναίμων ἀδ' ἓν εἶναι πλείοσι σημείοις κινεῖσθαι ἢ τέτταρσιν*, unde neceſſariam eſſe concludit in Serpente † ὀπὴν. Nec aliter idem in *Epiſt. ad Jac. Cappellum*; *Non poſſumus ad opinionem eorum accedere qui ſtatuunt Serpentem quondam quatuor habuiſſe pedes, quibus incedebat quadantenus erectus, quibusve fuit orbatus quod Satanæ in Tentatione ſervierit. Quæ autem ad hæc nos movent iſthæc ſunt, quod nullum aliud inveniamus à peccato mutationis cujuſdam in rerum natura affinis exemplum; quodque ſcribit Propheta Deum die ſeptimæ ab omnibus operibus ſuis quieviſſe, teſtatur nihil in ejus operibus à ſexto creationis die fuiſſe immutatum. Ad hæc Philoſophorum princeps ex corporis ſtructura ſuſiſſime demonſtrat, Serpentem quamcunque in partem flecti & procedere debere, indeque adeo ſi pedibus foret inſtructus, eos impedimento potius futuros quam auxilio.* Putant vero hi, itionem ſuper ventrem abſque pedibus fuiſſe Serpenti quidem naturalem ante lapſum, ſed factam tamen eſſe pœnalem, quatenus ſic ab indecora ſui & extraordinaria elatione reprimebatur. In quam rem lubet adſcribere verba *Calvini*; *Cæterum nihil erit abſurdi, ſi fateamur priſtinæ conditioni iterum addici Serpentem cui naturaliter jam ſuſpectus erat. Sic enim cogendus erat in ordinem, qui ſe adverſus Dei imaginem extulerat; ac ſi dictum eſſet, en auſus es miſerum & putidum animal in hominem inſurgere quem præfeceram totius mundi dominio, quaſi vero tuum eſſet quum terræ eſſes affixus in cœlum penetrare. Ergo unde emergere tentaſti jam te retrabo, ut ſorte tua contentus eſſe diſcas, nec amplius inſoleſcas in hominis contumeliam. Interea ſic revocatur à ſua laſcivia ad ſolitum ingreſſum, ut perpetuæ ignominiæ ſimul damnetur.* Facitque ad hujus ſententiæ il-

illuſtrationem; tum quod ſerpentes irati ferantur etiamnum non caput modo ſed & magnam partem corporis attollere ut propemodum in caudam tum incedere videantur, à qua elatione dum in ventrem reprimuntur, eſt ea notabilis ipſorum depreſſio; tum quod ex *Didymo* per conjecturam traditur, ſerpentem ad tempus quo deciperetur homo fuiſſe opera Dæmonis erectum arduum & ſublimem, atque hinc illi dictum, licet diabolus te erexerit & celſo corpore ingredi fecerit redibis tamen ad tuam priſtinam naturam, adducente ſed & improbante id *Pererio*. Enimvero dum durum eſt, Serpentem ex Animantium pedibus ſuis erecte incedentium genere per peccatum dicere tranſlatum in reptilium claſſem, pro quo tamen ipſe *Pareus* adducit Serpentis collationem cum beſtiis *Gen.* III. I. 14. quas à reptilibus Moſes diſtinguit *Gen.* II. 24. 25. & dum natura animalis bruti apta illiusve continuatio ſimplex vix pro pœna poteſt haberi commode; cum iis potius fecerim Viris qui *itionem ſuper ventrem*, ſuo modo naturaliter competentem Serpenti, heic intelligunt ita modificatam pœnaliter, ut eſſet ea impoſterum magis ſuper ventrem totum cum pectoris ipſius incluſione ad caput uſque, quemadmodum etiam *de pectore ab umbilico ad caput antea erecto* & nunc depreſſo potiſſimum loquitur *Joſ. Medus*, & ut eſſet longe huic quoque difficilior moleſtiorque, *repreſſa illa agilitate* ſecundum *Grotium*. Haud felicius rem hanc expreſſero quam verbis *Cel. Bocharti in Epiſt. ad Iac. Cappellum*; *Ajo igitur, repere ſerpenti æque eſſe nativum, ac ſit belluis incedere, natare piſcibus, cœlorumque avibus volare. Sed verſa ob Dei maledictionem in ſupplicium natura, res facta eſt laborioſa, non ſecus quam operatio homini mulierique partus. Terræ enim cultus homini erat ab initio naturalis, cum ab ipſa Paradiſi terreſtris inhabitatione eum coleret, ſed quod abſque ullo labore ante peccatum exequebatur, idem illud hodie cum labore operatur, panemque ſuum cum ſudore vultus manducat. Pari prorſus modo partus à natura fœminæ fuerat datus, ſed ex peccato dolor à Deo additus. Idemque Serpenti accidit, cui ſerpere jam gravius quam fuerit in principio &c.* Et paulo poſt; *Hoc unum igitur adjiciam, quod cum ante peccatum Serpens erecto capite nulloque labore agiliter reperet, poſt peccatum & ſitus & greſſus iſthac longe ſint lentiora longeque laborioſiora, ita ut ſibimet ipſi ſit gravis niſuque magno terram everrat. Ex quo fit ut cutis cito attrita identidem renovanda veniat, frequentique ejuſdem attri-*

tu lapides excaventur. Quin & amplius de *reptatione tortuosa & deformi* tanquam *certo pœnali* loquitur *Pareus.* In ista vero emphasi cum vox hæc judicialis de Itione Serpentis super ventrem satis commode capiatur, & sic eventui conveniat satis curatè, non est heic ulterior locus impiis irrisionibus vel solis mysticis translationibus divinæ vocis; nec obstat quidquam, quod ille modus itionis super ventrem tam explicite non sit additus, quam molestia ad cultum terræ & dolor ad partum muliebrem, uti hoc satyrice nimium urget *Bekkerus.* Quæ sic de Serpente ipso sunt dicta, hujus Semini corporali perinde convenire constat. Sed de Satana adhuc dicendum est, quo modo hæc Itio super ventrem mystice in eo locum habeat. Sic nempe in illa commodissime intelligimus ipsius antea non tantum dignitate & mansione cœlesti sed & superbia fœda consequenter elati summam ac probrosam depressionem, loci pariter ac status respectu, in qua ille se quidem moveret continuo, sed cum animi molestia & difficultate magna quam deponere & tollere nequaquam posset. Confer in eam rem loca nota quæ hunc Satanæ statum nobis describunt ex *Luc.* x. 18. *Ioh.* XII. 31. *Iac.* II. 19. 2. *Pet.* II. 4. *Iud.* 6. *Apoc.* XII. 8. 9. XX. 2. 3. *&c.* licet horum quædam spectent ad majorem pœnæ hujus gradum sub N. Test. Neque vero alia est etiam conditio Seminis Serpentis hujus infernalis, seu spiritualis seu corporalis, quam istius fœdi sui & dejecti capitis ipsius, etiamsi illud externa cellitate & prosperitate plurimum in mundo præ Dei populo fruatur, quando ex hoc non est æstimanda vera dignitas aut mentis tranquillitas.

Esus Pulveris per omnes vitæ dies.

VII. Pergit adhuc Deus & ad Serpentem dicit; *Et pulverem edes omnibus diebus vitæ tuæ*, ועפר תאכל כל ימי חייך / καὶ γῆν φαγῇ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου, *& terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, apud LXX. & *Vulgatum*, notante *Hieronymo*, quod *nos* עפר *favillam possumus dicere & pulverem.* Ubi notio *pulveris* isthæc videtur propriissima retinenda, qua dicit non quemvis ex terra natum fructum per metonymiam, neque vilem & immundum victum per metaphoram, neque terram quamvis, sed terræ partes viliores & minus inter se cohærentes minusque ad victum animantium utiles. Quem cum *esurus* dicitur Serpens, ineptissime quidem apud R. *Eliezerem Cap.* XIV. id trahitur ad *cibi commutationem intra viscera in pulverem & fel aspidum, ut mors in ore ejus esset ex Iob.* XX. 14. Verum rectius trahitur hoc à quibusdam ad

ex-

externam apparentiam ſolam, ſeu juxta ventrem oris ipſius dejectionem in terram qualis alias ſignificari putatur per *depreſſionem animæ in pulverem Pſal.* XLIV. 26. & per *linctum pulveris Pſal.* LXXII. 9. *Iſ.* XLIX. 23. *Mich.* VII. 17. *&c.* Sed ab aliis etiam ad veritatem rei refertur, & extenditur adeo heic æque quam *Iſ.* LXV. 25. *pulvis panis ſerpentis &c.* ad ſumptionem per os in nutrimentum corporis, ſi non unicum, utique frequens ſatis, quando dejectio præcedens in os tamen ſupponitur vel includitur. Et ne hoc videretur ad breve aliquod modo fore momentum, protenditur idem ad *vitæ* Serpentis *dies omnes*, ſeu tempus univerſum & ſingulum quo uſque illa duraret, ſicuti antea ad eſum Adami in dolore hoc etiam adjectum vidimus. Quod licet ad Eſum pulveris directè ſpectet, non minus tamen intelligi debet pertinere ad itionem priorem ſuper ventrem, tanquam ſemper perinde duraturam. Nec hoc prætermittendum eſt, quod in mentione *dierum vitæ* videatur innui mors tandem poſt notabile aliquod ſpatium ſecutura, in quam iſte pulveris eſus terminaretur. Uti porro in hac pœna putatur à multis reſpectus eſſe aliquis ad tentatum Eſum Fructus vetiti quo eundem hominibus magis commendaret; ita certior ille eſt ad Eſus iſtius indecentis ſuaſionem cum inſecuto ſeductionis humanæ effectu, quam per victum vilem ſic voluit Deus in Serpente ulciſci. Neque dubium, quin illa tanta depreſſio & victus ille adeo vilis & durus recte pro gravi pœna habeatur.

VIII. Sed quomodo hoc in Serpente animali cum Semine ſuo locum habet? & quidem demum poſt peccatum in hujus pœnam? Cui quæſtioni facile ſatisfit, ſi ipſam capitis oriſque dejectionem perpetuam, non tam ante quam poſt ſeductionem, conſideremus, in qua eſt quaſi pulverem edens, ſemper eum ore tangendo & lingendo. Sed & dè Eſu ipſo Pulveris audire decet *Cel. Bochartum Hieroz. Lib. I. Cap.* 4. *Serpentes cenſentur in παμφάγοις, nam & carnem edunt & herbam, & ſunt λιχνέστατοι τῶν ζώων cupediæ dediti præcæteris animantibus. Ariſt. Hiſt. Lib.* VIII. *Cap.* 4. *Itaque Serpenti Pulvis aſſignatur in cibum Gen.* III. 14. *&c. non quod veſcatur ſolo pulvere; ſed quia cum humi repat non poteſt quin pulverem in os cum aliis cibis ſimul ingerat. Ita David in luctu queritur ſe comediſſe cinerem ſicut panem Pſal.* CII. 10. *quia pronus in cinere jacens pane in terram projecto veſcebatur. Talmudici tamen Tract. de Sabbatho,* מעמין את הארץ בחויא *terram comedebant*

Quo modo in Serpente & Satana is locum habeat.

ut ſerpens. Et Nicander Theriac. verſ 372 de Cherſydro, cum exſiccata prorſus illum defecit aqua, νέμεται διψίρεας ἔγμυς *aridos ſulcos depaſcitur. Et Phile Cap.* LIX. *de Serpente quodam India qui videtur eſſe Sepis ſpecies*

Νωθὴς γάρ ἐστι καὶ ψιλὸν χθὼν ἐσθίει,
Soloque vivit pulvere eſtque edentulus.

Sed & eodem cibo veſci alia putantur animalia &c. uti in eam rem adducit lumbricos & vermes & ſcorpiones & talpas &c. Cum quibus confer *Epiſt. ad Jac Cappellum; Invitus Serpens pulverem edit, eumque aliis alimentis intermiſcet eo quod in ventrem ſerpat. Quin &, cum in aridioribus locis aliud omne deſit pabulum, neceſſe eſt terreſtri pulvere ac ſucco veſcatur.* Sicuti & adjici poteſt illud *Piſcatoris; Hoc intelligendum de difficultate comparandi victum, quæ tanta futura eſſe ſignificatur, ut cogatur famem explere pulvere terræ, quippe fugiens hominum aliorumque animantium conſpectum. Nam alioquin Serpentes veſcuntur etiam ranis & piſcibus.* Quod alterutrum potius videtur eſſe accipiendum, quam ut cum *Grotio* exponamus; *Solo pulvere veſceris, ejectus è Paradiſo non ultra arborum pomis frueris &c.* Hoc vero non eſſe pœnale Serpenti arguunt alii, quod ipſi eſt naturale, & cum aliis animantibus variis commune. *Quod ſi proprie ſumatur*, inquit hinc *Amyraldus, & intelligatur de vero Serpente, naturale illi fuit. Nam videmus quidem colubros veſci ranis, & ingentes illi Serpentes qui reperiuntur in Africa, qualis fuit is adverſus quem regulus ad Bagradam tormenta bellica inſtruxit & intendit, ſi quando incidant in animalia quæ ſe ab illis defendere nequeant, vorant illa aut diſcerpunt & demittunt in ingluviem ut iis paſcantur. At Serpentes noſtrates & quotidiani ita hyberno tempore torpent, ut cibo fere prorſus abſtineant. Ubi vero cœlum paulo mitius factum eſt appropinquante ſole, linguunt illi terram, & tenuiſſimis ejus partibus rore aliquo madefactis veſci videntur, aut ſi paulo lautius vivunt fœnicula depaſcunt quæ ſunt illis in deliciis, ut tradunt Plinius & alii. Quæ ratio vivendi non illis magis eſt ſupplicii loco, quam vel talpis vel muribus, aut ſugere quidquid eſt humoris in terra, aut ſectari animalcula inſecta & ea carpere ad victum, aut plantas naſcentes arrodere aut alio denique tali modo vitam ſuam ſuſtentare.* Sed quod modo naturale eſt Serpentibus, id olim ante Seductionem tale per omnia ſimiliter fuiſſe, ſupponitur ſic magis quam probatur; quando ex adverſo poſt majo-

majorem corporis dejectionem & difficiliorem ingreſſum hic Eſus Pulveris ſeu ſimpliciter ſeu cum majori neceſſitate & frequentia poteſt recte cogitari contigiſſe, etiamſi & ille in aliis quibusdam animantibus ſuo modo præter ſimilem propriam culpam obtineat. Ad Satanam porro tranſlatus hic ipſe Eſus Pulveris, clarius & plenius præ præcedenti itione ſuper ventrem, repræſentat nobis ejus ſummam & ſumme probroſam dejectionem; in qua etiam terrenarum vanitatum fœditatum rerumque & perſonarum uſu ille quam maxime paſcitur & ſe nutrire cogitur. Sicuti in eam rem ſcripſit *Doct. Pareus* inter alios; *Damnatur queque ut terram comedat, hoc eſt, terrenis paſcatur ſordibus ſcelerum & nequitiarum, ſicut immundus porcus paſcitur excrementis. Id fit, cum impurus ille ſpiritus non modo ipſe ſe inquinamentis mundi conſpurcat & oblectat ut ſus in volutabro, ſed & reprobos iiſdem ſecum immergit ac perdit. Hic eſt ſuaviſſimus Satanæ cibus. Quo quis enim delectatur, id pro cibo & delicijs habet, ſicut dicitur, optima cibus invidiæ, item, paſcitur in vivis livor. Auguſtinus non inelegantem afferi doctrinam Cap. 11. de Agon. Chriſt. Terra, inquit, eſt peccator; datus eſt ergo Diabolo in cibum peccator. Ne ſimus terra, ſi nolumus vorari à Serpente.* Qualis certe pulvereus cibus præ cœleſti & ſolida divina gratia boniſque hinc fluentibus admodum pœnalis eſt Satanæ. Nec male durationem hujus victus Satanici per *omnes vitæ dies* videtur *Fagius* expoſuiſſe, de *omni tempore uſque ad conſummationem ſeculi & adventum Chriſti; tum enim, inquit, præcipitabitur cum omnibus miniſtris ſuis in Ignem æternum Matt.* xxv. 41. Iſta autem uti *non improbantur* ſed *propius accedere* judicantur *Cel. Riveto Exerc.* xxxv. *in Gen.* ita tanquam *ad rem non pertinentia* rejicit ille ibidem, non tantum *Cabbaliſtarum* ſomnia de Satana poteſtatem habente non in animam ſed in corpus tantum quod pulvis eſt, unde in ſepulchris ubi ſunt cadavera verſentur & hæc ſæpe induant & his ad necromantiam abutantur, &c. ſed & *Ambroſii* aliorumque Veterum cogitata de fidelium ipſorum corporibus quæ Diabolus torqueat & laceret in vita & morte abſque ulla in eorum animas poteſtate &c. Dum ipſe in *ſumme miſeriæ & abjectionis*, qualis eſt hominum devictorum, (imo etiam egenorum & lugentium,) communi notione maxime hæret. Eadem autem in pulveris Eſu ſors dæmoniorum & malorum hominum cum principe ſuo Diabolo ſeu Satana per ſe conſtat, quando & hi plane dejecti to-

tique ſunt per vitam omnem in pulvereis vanitatibus fœditatibus rebuſque ſimul & perſonis carpendis.

CAPUT QUARTUM.

Qua Mulier cum Semine ſuo declaratur.

Neceſſaria tractatio de Muliere & hujus Semine.

Quando in ulteriori ſpeciali Maledictione Serpentis, quæ Itionem ſuper Ventrem & Eſum Pulveris ſequitur, agit Deus de Inimicitia ponenda inter ipſum ac Mulierem & inter Semen mutuum, deque Inimicitæ hujus eventu *Gen.* III. 15. non licebit ultra ad conſpectum Pœnæ Serpentinæ progredi, prius quam viderimus diſtinctius tum *Mulierem*, tum ejus etiam *Semen*, tanquam certaminis partem alteram & vincentem; ex qua de Inimicitia hac & Actibus ejus rite demum erit judicandum.

Mulier indubiè eſt Eva.

II. *Mulierem*, האשה / ἡ γυναῖκα, prætermiſſam in *Ieroſolymitana* Paraphraſi quæ ſolos ejus filios habet, quando nominat Deus, mirum eſt id nomen etiam cum *He* deſignativo præmiſſo de alia aliqua perſona à quoquam potuiſſe intelligi quam de Uxore Adami, de qua totus agit contextus ſub eodem nomine, tanquam primum ſeducta à Serpente & proxime à Deo rogata & poſt Serpentem ſententiam Dei audiente &c. Id tamen fieri heic videas. Sunt enim qui nomen *Mulieris* collective accipiunt, non de ſola Eva, ſed de *omni genere Mulierum deinceps omnibus ſeculis futuro*; *ſicut*, inquit *Pererius*, *per Serpentem non ille unus duntaxat ſed univerſum genus ſerpentum intelligi debet.* Sed neſcio, quo pacto ipſe id conciliet cum ſequenti apud ipſum interpretatione Seminis utriuſque; *Per Semen autem Serpentis quidam interpretantur minores diabolos qui Luciferum in peccando ſecuti ſunt, alii homines malos diaboli diſcipulos alumnos & adminiſtros &c. Semen autem Mulieris ſignificat ejus progeniem tam maſculinam quam fœmininam &c.* Videtur tamen ad hanc notionem Mulieris etiam ſpectare quadantenus *Lutherus*, monens *relinqui Diabolum in illa ſuſpicione ut omnes mulieres ſuſpectas habeat quæ pariunt &c.* Sunt alii, qui ab ea *Mulieris*, tanquam *viro magis meticuloſæ* adverſus Serpentes, notione literali progrediuntur *allegorice* cum *Grotio* ad *Eccleſiam*, quæ & per Mulierem repræſentatur *Apoc.* XII. 1. *&c.* & ut mater ſingulorum fidelium

lium tanquam ſeminis ſui conſideretur *Gal.* IV. 26. Communiſſime autem *Papiſtæ* in Muliere hac reperiunt, non Hevam, ſed Mariam Virginem, Chriſti ceu promiſſi Seminis proximam matrem, quæ & emphatice *Mulier* dicitur *Gal.* IV. 4. *&c.* & per *He* deſignativum heic æque commendetur quam *Iſ.* VII. 14. *&c.* imo per illud Uxori Adami opponatur tanquam certa aliqua & præſtantior altera Mulier, uti urſit *Picherellus*, & facta eſt *veriſſima Eva* ſeu *mater viventium* ſecundum *Tirinum.* Ita diſertiſſime *Lyranus*; *Mulierem non iſtam Evam, ſed aliam ab ea deſcendentem, ſcil. Virginem Mariam, quæ eſt infeſta dæmonibus &c.* Quod & paſſim ſupponunt, ubi Serpentini Capitis contritionem ex male verſo & detorto hoc textu Mariæ tribuunt. Sed ubi nulla alia præter Evam erat adhuc Mulier, & hæc amicè obſequens Serpenti erat deprehenſa in Lapſu, & de altera aliqua una Muliere poſt multa ſecula naſcitura nulla adhuc facta revelatio, & non de altera ſed de hac ipſa etiam in progreſſu conſtanter agitur, quis ſibi heic tantum in media narratione ſaltum perſuadeat, niſi idololatriæ œſtro percitus? Dum Chriſtus recte etiam invenitur in *Semine* Evæ, tanquam qui mediate ex hac non minus quam ex Abrahamo cujus Semen quoque dicitur natus eſt; dum *Mulieris* nomen alibi tributum Mariæ, tanquam ſexui integro commune, hoc ipſo Evæ non eſt denegandum nec ad Mariam nos heic cogit; dum ה deſignativum, ſæpe abſque magna emphaſi poſitum, heic nos merito ducit ad hanc ſeductam Mulierem, etiamſi illud alibi ad vocem עלמה accedens Mariam deſignet & commendet; dum nulla heic *Antitheſios* eſt ſpecies inter unam & alteram Mulierem, ſed inter ejuſdem præſentem & futurum ſtatum; & dum *Evæ* nomen certiſſime datum eſt Uxori Adami, quidquid idem ob ſignificationem ſuam Mariæ etiam accommodari poſſit.

III. Id quæri heic poteſt, cur *Mulieris* ſolius mentionem faciat Deus in hac ſententia adverſus Serpentem, & non perinde Adami viri; qui tamen juxta uxorem in lapſum à Serpente erat inductus, & reſtitutione juxta eam opus habebat, & pater ſeminis omnis muliebris erat futurus non minus quam Mulier ejus mater. Ad quam generatim notandum eſt, poſitionem unius non eſſe ſemper neque etiam heic excluſionem alterius, ut quia Mulieri futura inimicitia dicitur cum Serpente idcirco hæc ad Virum non ſpectaret. Quod ſane in Semine Mulieri tributo clarum eſt, quando

Ea cur præ Adamo ſola heic memoretur.

do ſic minime negatur idem etiam ſimul Viri primi Semen fore, ſed ex adverſo Semen Mulieris ex Adami concurſu ſignificatur. Illic ergo ſi Mulier Virum non excludit ſed includit, idem apud Inimicitiam ipſam hanc Mulieris cogitandum eſt quoque, propter communem ſubjectionem ſub Serpentem, in qua Virum non magis quam Mulierem reliquiſſe Deus debet cenſeri. Et hoc longe aptius eſt, quam ut Virum ad Mulieris Semen referamus cum aliis; niſi hoc nomen ad generis humani communionem ſimpliciter volueris ſpectare, quale quid in *Serpentis Semine* antea obſervavimus *Cap.* II. §. 8. Neque enim Vir ex Muliere eſt ortus ſecundum naturam ſuam, ſed Mulier ex Viro formata fuit; neque Mulier ante Virum ſpiritualiter per fidem vivificata, & perinde uti Lapſus ita & Fidei ac Vitæ novæ cauſa fuiſſe Viro deprehenditur usquam; neque ob Chriſti ex hac Muliere ortum Adami per Chriſtum vivificati Mater magis poteſt dici quam Adam intuitu Chriſti ex ſe quoque naſcituri Evæ Pater. Si poſt hæc roges, cur in Inimicitia utrique homini communi mentio explicita non fiat vel utriuſque, vel Adami ſolius, potius quam Mulieris, dici poteſt, nominatam hanc eſſe; tanquam imbecilliorem, quæ & ipſa ſi Serpenti ſe opponeret valide, de Viro minus erat dubitandum, & cedebat hoc ad majorem Serpentis depreſſionem; & præterea tanquam eam quæ à Serpente immediate erat ſeducta, & cum eo quaſi conſpiraverat tum mox ad Viri exitium. Et notum præterea eſt, quo pacto multi obſervent, Adami mentionem heic prætermitti quod ille revera fuerit & in Scriptura proponatur ut cauſa communis peccati & mortis, quodque ex Virgine abſque Viri concurſu proventurum eſſet Semen illud quod contereret Serpentis caput. Quæ tamen obſervationes neſcio an æque ſolidæ ſint; quando Mulier juxta Virum & præ eo vere fuit cauſa peccati, & Adam vere Pater Meſſiæ, nec repugnabat eum qui cauſa peccati & mortis fuerat dein per Dei gratiam juxta Mulierem ſalvari & Salvatorem mundi producere; & quando Semen Mulieris heic non dicitur cum reſpectu ad Virginem Mariam ſed ad Evam, adeoque Viri concurſum non excludit magis quam alibi nomen יליד אשה *natus mulieris* *Job.* XIV. 1. XV. 14. XXV. 4. & γεγονὸς γυναικῶν *Matt.* XI. 11. *Luc.* VII. 28. *&c.*

Semen Mulieris communiter de hominibus intelligendum.

IV. Quemadmodum autem Serpenti ſuum jungebatur Semen, ſic & Mulieri ſuum tribuitur, זרעה / τὸ σπέρμα αὐτῆς, *Semen illius,*

lius, apud LXX. & *Vulgatum*, pro quo *Onkelos* dixit *filium illius*, & Paraphrasis *Ieroſolymitana* habet *filios mulieris*, itemque *Ionathan filios mulieris*, & *ſemen filiorum ejus*. Illud nomen procul dubio aptum eſt denotare collective omnes præter Adamum homines, tanquam ex hac Muliere Eva ut communi matre naſcituros; prout Semen metonymicè pro poſteritate etiam numeroſiſſima ſatis frequenter ponitur alias *Gen.* IX. 9. XII. 7. XIII. 15. 16. XV. 5. 13. 18. XVI. 10. XVII. 7. 8. *&c.* Quin & latiori ſenſu communis naturæ poſſe hoc Seminis Muliebris nomen ad ipſum Adamum extendi, antea conceſſimus. Ita vero humanum ex Eva genus heic denotari primò in oppoſitione ad Serpentem corporeum ejuſque Semen, nolim negare, ob communem quæ heic deprehenditur inimicitiam ac pugnam. Nec male adeo ſcripſit *Grotius*; *Semen Mulieris, ſive nati ex Muliere, ſunt homines extra Adamum omnes.* Confertque præter adducta loca Scripturæ Canonicæ ex Jobo & Euangeliis etiam textum *Siracidæ Cap.* X. 21. de *φυτὰμασι γυναικῶν*, cum *idem ſit σπέρμα quod φύτευμα, dicaturque etiam de mulieribus* ut *Gen.* IV. 25. Nec aliter *Clericus*; *Primo qui ſe menti ingerit ſenſu Semen Mulieris omnes ſunt homines, &c.* Nec video, quo pacto poſſit aut debeat iſte communis ſenſus Seminis Muliebris heic negari, ſi hanc etiam ſententiæ divinæ partem uti decet ad Animal Serpentinum ſuo modo referamus.

V. Verum dum in Serpente ac Semine ejus magis principaliter ſpectatur Satanas cum aſſeclis ſuis infernalibus & mundanis, etiam heic de alio Semine Mulieris ſpirituali magis cogitandum eſt, quod nempe ita ex ea naſceretur ſecundum carnem, ut ſimul à parte illius ſtaret adverſus Satanam, ad hujus Semen minime pertinens, atque in inimicitia ac pugna contra hoſtem hunc ipſam referret ſanctificatam communem matrem. Et eſt hoc Semen Mulieris adeo fidelium omnium poſterorum multitudo; quam & haberet illa non obſtante nativa corruptione hominum omnium ac Satanæ ſeductione, per ſingularem Dei gratiam, æque quam poſteritatem naturalem, per communiorem Dei bonitatem. Conferre in hanc rem decet promiſſionem Abrahamo factam *Gen.* XVII. 7. *& ſtatuam fœdus meum inter me & inter te & inter Semen tuum poſt te in generationes ſuas in fœdus ſeculi, ut ſim tibi in Deum & Semini tuo poſt te &c.* Hoc enim fœdus etiam reſpectu externæ communioris beneficentiæ ita pertinet ad poſteritatem naturalem Abra-

Speciatim de Electis & Fidelibus.

Digitized by Google

hami, ut præcipuum ejus bonum maneat tamen proprium electis & fidelibus Abrahamidis; ſicuti dein dictum *Gen.* XXI. 12. *in Iſaak vocabitur tibi Semen*, & fœderalis benedictio ab hoc ad Jacobum tranſiit cum Heſavi excluſione *Gen.* XXVIII. 3. 4. neque fuerunt iterum πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ οὗτοι Ἰσραήλ, diſtinguente hinc Paulo inter *filios carnis & filios promiſſionis Rom.* IX. 6. *&c.* Nec diſplicet adeo, quod ipſe *Grotius in Semine mulieris* reperit *ſingulos qui ad Eccleſiam pertinent*; licet minus placeat, quod *mulierem* ipſam dicit *Eccleſiam*, & ſenſum hunc tanquam mere *allegoricum* ſpecter. Id utique longe aptius eſt, quam ut cum *Chriſt. Helvico*, videntes Inimicitiam heic denunciatam in fidelibus etiam locum habere, poſteritatem hanc Evæ non in Semine expreſſe nominato ſed in ipſa Muliere tanquam eam repræſentante quæramus. Nam Semen directe dicit poſteritatem, & quænam heic intelligatur ex prædicatis diſcendum eſt; ſi quidem talia ſunt ſubjecta qualia permittuntur eſſe à ſuis prædicatis. Unde & concidit diſtinctio, quam idem *Helvicus* facit inter *Semen Mulieris priore & poſteriore loco*, (ubi nempe illi ſubſtituitur Pronomen αὐτὸν *ipſum*,) ac ſi illic poſſet Eccleſiam notare ſed non heic, quam etiam *Pareus* noſter cum aliis quibusdam ſequitur; eſt enim contritio illa capitis ſerpentini cum contritione proprii calcanei actus ex inimicitia fluens, qui ſuo modo poteſt & debet non minus Eccleſiæ applicari quam inimicitia præcedens Chriſto. Reperimus itaque heic inter & ſupra reliquos Evæ poſteros eminens *Semen ſanctitatis Ieſ.* VI. 13. *& Semen benedictionis Iehova Ieſ.* LXI. 9. *&c.*

Præcipue autem Chriſtus Mediator in hoc Semine intelligitur.

VI. Nec dubitandum porrò eſt, quin præ ipſa fidelium multitudine ſpectetur ἐξόχως in hoc Mulieris Semine illorum commune Caput ſeu Salvator Chriſtus, qui tanquam ſingulariſſimum Semen præ omni alio excelleret, & cui tam plena Inimicitia quam Contritio illa principaliter competeret, ita ut illa in fidelibus ab hujus virtute quoque flueret tantum. Nempe ille, cum eſſet æternus Dei Filius, futurus ſuo tempore erat etiam verus homo, & originem ſuam per Patres quibus deinde promiſſus fuit & tandem per Virginem Davidicam tracturus ex Eva, ita ut hanc ſuam humanam naturam quoque haberet inſtar aliorum poſterorum ex ejus ſubſtantia, non quidem naturaliter & per primævam communem benedictionem, ſed ſupernaturaliter per hanc ſpecialem promiſſionem; atque ſic nomen Seminis Muliebris non minus meriturus

quam

quam *Seminis Davidis* 2. *Sam.* VII. 12. *Pſal* LXXXIX. 5. 37. & *Germinis* ejus *Ier.* XXIII. 5. & *filii Adami* vel *hominis Pſal.* VIII. 5. *&c.* Quod ſi dicatur, ejus Mediatoris nullam hactenus factam eſſe revelationem; id equidem fatemur, ſed ſimul credimus illam hèic fieri, quando res de hoc Semine promiſſa in ſua plenitudine nulli præter Filium Dei potentiſſimum competit, in quem idcirco ſucceſſive magis inquirendum haberent homines, ſicuti Deus eundem magis erat declaraturus. Neque opponi debet, *Seminis* vocem collectivam ac πληθυντικὴν non poſſe ita μοναδικῶς vel ἑνικῶς accipi. Non dicit enim illa vox per ſe plures, quando filius unus etiam eſt parentis ſui Semen atque ita dicitur *Gen.* IV. 25. *poſuit mihi Deus Semen aliud pro Habele*, *Gen* XV. 3. *ecce mihi non dediſti Semen*, *Gen.* XXI. 13. *atque etiam filium ancillæ in gentem ponam quoniam Semen tuum ipſe &c.* ſicuti & Saræ in partu Iſaaci tribuitur vis εἰς καταβολὴν σπέρματος *Hebr.* XI. 11. ſecundum ejus phraſios exegeſin à nobis aſſertam *Obſerv. Text.* XII. *poſt Anal. Exeg. Ieſ.* LIII. & pro nomine זרע *filii Deut.* XXV. 5. non tantum LXX. poſuerunt σπέρμα ſed & idem legitur *Matt.* XXII. 24. 25. *Marc.* XII. 19. 20. 21. *&c.* quin & pro *Semine* hèic *Filium* ſubſtituit *Onkelos.* Et debet hoc à Chriſtianis firmiter teneri propter autoritatem Pauli, qui nomen σπέρματος ſingulare ad unitatem ſingularem Meſſiæ in emphaſi alibi ſpectare monuit *Gal.* III. 16. *Abrahamo autem dictæ ſunt promiſſiones* καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, *non dicit*, καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνὸς, τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι χριστός. Præterea etiam nihil obſtat collectivus ſenſus *Seminis* hèic admiſſus, quo minus in multitudine nominata unus maxime ſpectetur cui præ aliis prædicata hujus loci competant. Ita ſcilicet hodie de populis & familiis dicitur quod in principes & patres præcipue cadit; & fata tribuum Iſraëlis à Jacobo moribundo deſcripta in multis ſpectare judicantur ad ſingulares in iis tribubus perſonas in quibus obtinuiſſe deprehenduntur per eventum. Quo modo forte non male Judæis concedi poſſet, vocem illam Dei ad Abrahamum *Gen.* XXII. 18. *& benedicentur in Semine tuo omnes gentes terræ*, quæ dein ad Iſaacum repetita eſt *Gen.* XXVI. 4. ita directè ſpectare ad ejus utriuſque poſteritatem ut tamen de Uno Meſſia in ea deberet intelligi, qui benedictionis veræ quando eſt factus autor, debet hoc reſpectu etiam ſalus à Judæis derivari. Atque hæc plane videtur fuiſſe mens *Calvini* noſtri in textus hujus

declaratione, ubi ad ſenſum ejus ſpiritualem tranſiit; *In verbis quidem Moſis nulla eſt ambiguitas, de ſenſu vero mihi non convenit cum aliis. Nam Semen pro Chriſto ſine controverſia accipiunt, ac ſi dictum foret, exoriturum ex mulieris ſemine aliquem qui Serpentis caput vulneraret. Eorum ſententiam libenter ſuffragio meo approbarem, niſi quod verbum Seminis nimis violenter ab illis torqueri video; quis enim concedet nomen collectivum de uno tantum homine accipi? Deinde ſicut diſſidii perpetuitas notatur, ita per continuam ætatum ſeriem promittitur victoria ſoboli humanæ. Generaliter ergo Semen interpretor de poſteris. Sed quum experientia doceat, multum abeſſe quin ſupra diabolum victores emergant omnes filii Adæ, ad Caput unum venire neceſſe eſt, ut reperiamus ad quos pertineat victoria. Sic Paulus à Semine Abrahæ ad Chriſtum nos deducit, quia multi fuerunt filii degeneres, & bona pars adulterina propter infidelitatem, unde ſequitur unitatem corporis à capite fluere &c.* Quare non erat, ut in hanc explicationem loci, quæ Judæis ſatis eſt adverſa, tanquam profanam & Chriſtianiſmo indignam inſiliret *Ægidius Hunnius* Scriptor Lutheranus, & hunc ſecutus cum aliis *Chriſt. Helvicus* in ſuo *Prot Euang. Paradiſ.* ſed ex adverſo æquiſſime egit noſter *Pareus*, quod ipſe in modo exegeſios à *Calvino* diſſentiens hunc tamen defenderit adverſus ſententiæ ejus depravationem & exagitationem iniquam, & adverſus novitatis opprobrium, quod ille diluit laudatis autoritatibus *Chryſoſtomi*, *Eucherii*, *Procopii*, *Auguſtini*, *&c.* Quin & notari meretur, quod ferviditſime pro intelligendo Chriſto heic pugnans ipſe *Lutherus* ſcripſit tamen; *Promiſſionem hanc clariſſimam ſimul etiam obſcuriſſimam eſſe, quia in genere dicitur Semen Mulieris, ut ſimul omnes mulieres Satanæ ſuſpectas faceret Deus, & eum perpetua cura & ſolicitudine exerceret. Mirabilis igitur Synecdoche eſt. Mulieris Semen, inquit. Id ſonat in genere de omnibus individuis, & tamen de uno tantum individuo de Mariæ Semine loquitur &c.* Quomodocunque autem iſta ſe habeat res, de magis aut minus directa & explicita deſignatione Mediatoris in hoc Semine Mulieris, ita clare eundem arguunt hujus loci prædicata, ut ipſi Judæi antiquiores de Meſſia heic plane tacere non potuerint, ſed in ipſa Paraphraſi gemina *Jonathanis* & *Ieroſolymitanæ* dictionis hujus potiſſimum implementum conſtituant *in diebus ultimis Regis Meſſiæ*, ſimul diſſerentes de iis qui operam dant Legi & faciunt Dei mandata. Nec poſ-

poſſum quin addam quæ nuperrimè ſcripſit *Ioh. Clericus*, *Attamen Vett. aliquot Iudæi, inter quos Scriptores Paraphraſium Chaldaicarum quæ Ionathanis & Hieroſolymitana dicuntur, Meſſiam reſpici hic cenſuerunt, qua in re longe maximam Intt. Chriſtianorum partem aſſentientem habent. Nec dubium eſt quin, ſi Serpentis nomine Cacodæmon hic ſignificatur, Meſſias ei caput contriverit, hoc eſt, ejus potentiam everterit. Apparuit enim Filius Dei ut diſſolveret opera Diaboli* 1. *Ioh.* III. 8. *ad quem locum legatur H. Grotius. Sed quærendum eſſet, an ſine ulteriori interpretatione Hevæ & antiquiſſimi Iudæi hæc de ſingulari illa perſona quæ Meſſias dicitur intelligere potuerint. Certe ne ipſi quidem Paraphraſtæ Chaldæi, quamquam Meſſiam reſpici volunt, hoc oraculo ſatis dilucide Semine Mulieris ſignari eum docent &c. Illi diſerte quidem Samaëlem Angelum mortis vocant Serpentem, ſed Semen Mulieris Iudæos interpretantur, qui temporibus Meſſiæ vim Samaëlis amplius non timebunt, auxilio nimirum Meſſiæ Dei. Huc reſpexiſſe videtur Paulus Rom.* XVI. 20. *qui hoc promiſſo Chriſtianos ſui ævi ſolatur, Deus pacis conteret Satanam brevi ſub pedibus veſtris, ubi vide H. Hammondi Paraphraſin.* Enimvero de intellectu vel Evæ vel Iudæorum antiquiſſimorum nos heic non adeo ſumus ſoliciti adhuc quam de mente Dei loquentis, quam ille in hoc initio expreſſit modo minus claro quam dein egit ſucceſſive per Prophetas & Apoſtolos, quorum nos hodie ſcripta conferentes in majori luce omnino verſamur.

Et diſtinguendum Semen illud ab ipſa Muliere.

VII. Habemus ergo heic in Semine Mulieris Poſteritatem ejus, primum Omnem communiter oppoſitam Serpentiois corporeis, ſed dein præcipue Fidelem, cum capite ſuo Chriſto futuro olim homine ex hominibus, oppoſitam Serpenti infernali cum aſſeclis ſuis omnibus. Sed hoc adhuc videtur meritò inquirendum, an *Semen* hoc *Mulieris* cum *Muliere* jungatur tantum exegetice, declaretur-que adeo per poſterius hoc nomen quo pacto prædicata de Muliere ſint intelligenda, ſcilicet non de ipſa in ſua perſona ſed in ſua poſteritate; an vero Mulier & Semen debeant diſtincte conſiderari, adeoque prædicata & huic & illi perinde applicari. Exemplo fiet forte hæc res gemino clarior ex Abrahami hiſtoria. Ad hunc dixit Deus *Gen.* XII. 2. *ſis benedictio*, & *Gen.* XVIII. 18. *& benedicentur in eo omnes gentes terræ*; ſed pro eo eſt *Gen.* XXII. 18. *& benedicentur in Semine tuo omnes gentes terræ*, & Paulus hinc dixit *Gal.* III. 16. τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐρρέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ.

Conciliant vero duo ista hoc inter alios modo, ut de Abrahamo velint potissimum metonymice dici, quod de Semine ipsius proprie verum foret & ad hoc spectaret. Sed aliter se res habet, ubi Abrahamo dixit idem Deus *Gen.* XVII. 7. *statuam fœdus meum inter me & inter te & inter Semen tuum post te &c. ut sim tibi in Deum & semini tuo post te &c.* Siquidem illic beneficentiam suam Deus Abrahamo promittit non tantum in posteris sed & ante hos in ipsius propria persona. Priorem sensum videtur adoptasse *Vatablus*, cum dixit, *Vau hic declarare*, adeoque & esse *id est*. Nec aliter *Fagius* ad vocem Mulieris scribens; מרה כנגד מרה / *inquit Hebræus, i. e. mensura pro mensura, hoc est, per quæ quis peccat per ea & punitur, ut est in Libro Sapientiæ. Per Mulierem seduxit Serpens, per Mulierem iterum moritur & devastatur, hoc est, per Semen quod ex illa proditurum promittitur, q. d. Deus, Mulier infirmum quidem vasculum est, & talis quæ idonea tibi visa est per quam artes & insidias tuas exerceres, sed utcunque illa imbecillis stulta & iners apparet in oculis tuis, tamen ex illa Semen prodibit quod tibi comminuet caput &c.* & deinde apud Semen adjiciens, *Semen Mulieris Christus est & omnes credentes in eum.* Est tamen opposita sententia communior & simplicior longe, ut in iis quæ heic dicuntur Mulier ipsa partem suam habeat juxta Semen suum, æque quam ab altera parte Serpens juxta Semen suum habiturus erat; quod & ex eventu apparet.

CAPUT QUINTUM.

Quo de Inimicitia inter Serpentem & Mulierem cum mutuo Semine, & Contritione Capitis illius ac Calcanei hujus, tractatur.

Verborum Mosis sequentium de Inimicitia ponenda &c. Paraphrases Chaldaicæ.

Nunc audimus Deum tanquam Pœnam ulteriorem Serpenti cum Semine suo, maledicto, ituro super ventrem, & pulverem esuro, hoc denunciare *Gen.* III. 15. tum quod *Inimicitia* ei cum Muliere ac Semine ejus stabilis foret, *& inimicitiam ponam inter te & inter Mulierem & inter Semen tuum & inter Semen ejus*; tum quod infelix ei foret pugnæ ex inimicitia hac fluxuræ exitus, *illud conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Quæ verba sic satis

ſatis abſolute & conjunctive, non disjunctive, propoſita, atque ita etiam ab *Onkeloſo* quamquam ſenſu malo reddita, raire perverterunt duo *Paraphraſtæ* reliqui *Jonathan* & *Hieroſolymitanus*. Ille quidem ita habens; *Et inimicitiam ponam inter te & inter Mulierem, inter Semen filii tui & inter Semen filiorum ejus, & erit quando erunt filii ipſius Mulieris ſervantes præcepta Legis, erunt attendentes & percutientes te ſuper caput tuum, & quando derelinquent præcepta Legis, eris attendens & mordens eos in calcaneis eorum, ſed illis erit ſanatio, & tibi non erit ſanatio, & illi conficient emplaſtrum in calcaneo in diebus regis Meſſiæ.* Hic autem haud diſſimiliter; *Et erit, quando erunt filii Mulieris laborantes in Lege & facientes mandata, erunt attendentes & percutientes te in caput tuum & occidentes te, & quando derelinquent filii mulieris præcepta Legis, eris attendens & mordens eos in calcaneis eorum & ægros facient eos, ſed erit ſanatio filiis mulieris, & tibi ſerpens non erit ſanatio, ſed conficient illi ſibi invicem emplaſtrum in calcaneo, in fine extremitatis dierum in diebus ipſius regis Meſſiæ.* Sed nos his miſſis ad ipſa Dei verba accedamus.

II. De *Inimicitia*, איבה / ἔχθρα apud LXX. quando heic agitur à Deo, non tantum hoſtilis admodum animus ſed & inde procedens externa pugna ſignificatur, etiam quæ dici mereretur איבת עולם ſeu *inimicitia æterna* ex *Ezech.* xxxv. 5. ſeu *Vatinianum odium* & ἄσπονδον πόλεμον ſecundum *Helvicum*. Illa autem cum dicitur fore non tantum *inter* Serpentem & Mulierem ſed & *inter* Semen utriuſque ſimiliter, etiam per illud quater poſitum *inter*, בין ובין / ἀνὰ μέσον καὶ ἀνὰ μέσον &c. apud LXX. quod tamen non niſi ſemel expreſſit *Vulgatus*, apparet eam futuram eſſe mutuam; quorſum forte per pluralem numerum nominis *inimicitiarum* ſpectavit *Vulgatus*, ſi non ſimul aut magis ad inimicitiæ magnitudinem, vel durationem, vel actus complures. Et quod Serpens heic cum Semine ſuo prius nominatur, id fit non propter illius aliquam majorem præſtantiam, ſed propter verbi hujus directionem ad ipſum, & ipſius in inimicitia anteceſſionem, & ipſius forte in Mulierem cum naturali hujus Semine acquiſitam poteſtatem per peccatum. Hanc autem inimicitiam cum ſe *poſiturum* utrinque dicit Jehovah Deus ipſe judex, paciſque & belli omnis moderator, שית / θήσω apud LXX. שם apud *Onkeloſum*, notatur ſanctiſſima & juſtiſſima ejus providentia, per quam inimicitiam à

Inimicitia quo ſenſu à parte Serpentis & Mulieris ponenda.

parte

parte Serpentis operam erat declaraturus & inchoatam firmaturus ac adaucturus, & per quam ab altera parte Mulierem, quæ Serpenti se satis amice dederat & cum eo conspiraverat juxta semen suum, adversus hunc incitaturus ad bellum implacabile cum Serpente gerendum.

Ea quo pacto respectu Serpentis animalis obtineat.

III. De Serpente Animali res hæc indubie vera est cum respectu ad Evam & Posteritatem ejus communiter, secundum ea quæ heic ab ævo observata sunt à plurimis. *Hoc est*, inquit *Clericus*, *quia Serpens causa fuit primi peccati, homines serpentes semper horrebunt, serpentesque vice versa hominibus insidiabuntur. Quod experientia constat, & si in re clara necessaria essent, testimoniis etiam Veterum, quorum aliquot a Sam. Bocharto sunt congesta eo quem indicavimus loco.* Scilicet adduxit *Bochartus Hieroz. Lib. I. Cap.* 4. illud *Hyperidis in Orat. c. Demadem*, τοῦτ' ὄφεις μισητὰς εἶναι πάντες, & *Theocriti Idyll.* XV. ἐκ παιδὸς τ' ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα, & *Plauti in Mercat. Act.* IV. *nempe ruri est uxor tua quam dudum dixeras te odisse atque angues*, & *Artemidori Onirocrit. Lib. II.* ὄφις ἐχθρὸν ἀνδρί, ἔπως δ' ἂν ἀγαθὴ γυνὴ, ἔτως καὶ ὁ ἐχθρὸς τ' ἴδιον ἀγαθόν &c. Quibus adde quæ apud ipsum leguntur *in Epist. ad Iac. Cappellum*; *Ex superioribus porro sequitur Serpentem & Mulierem cum suo utrumque semine sese reciproce aversaturos. Et certe ex lapsu suo Eva ipsum semper est aversata; neque ullum occurrit animal nobis qui sumus illius semen odiosius, adeo ut vel solo illius aspectu exhorrescamus. Unde & Poëtæ nihil quicquam horribile fingunt quin Angues admisceant. Furiis & Gorgonibus Serpentinos crines affingunt. Cerbero cani tartareo serpentes pro pilis substituunt; Gigantibus illis qui cælos invadere sunt aggressi, Anguina capita; monstrosis illis Lamiis, quæ pueros vorare fabulantur, anguium caudas adscribunt. Si qui bella civilia foveant, eos ajunt ex Serpentum dentibus progenitos. Hinc quoque Christus Scribas & Pharisæos progeniem viperarum ob hypocrisin appellat. Hinc David Psal. CXL. de Doego & similibus ait, eos linguas suas serpentum ad morem acuere, venenoque vipereo suffusa esse eorundem labia. Uno verbo, ex veteri dicto, aliquid non secus quam serpentem odisse, cane pejus & Angue aversari, hac odium notant prorsus implacabile. Jam autem si Serpentes horremus, illi nos non minus aversantur. Mutua est utrinque antipathia; ita ut, quemadmodum Serpentis venenum nobis est lethale, sic & hominis saliva Serpenti lethi-*

lethifera habeatur. Ex quibus bellum hominem inter & Serpentem viget indefinens ac æternum. Neque Serpentes in eo aliis feris ſunt ſimiles. Hæ hominem non invadunt, quin fame urgenti premantur; illi contra nullam nocendi occaſionem prætermittunt quin noceant, homineſque eo duntaxat propoſito videntur mordere ut mordeant nulla alia utilitate inde captata. Idque norunt optime quotquot calidiores mundi plagas frequentarunt; in illis enim Angues intra vias vepreta arenas viarum orbitas &c. ſolent latitare, ut prætereuntes quoſque obſervent & mordeant. Quod & à Jacobo Gen. XLIX. 17. aliquatenus attingitur. Inde quoque factum, ut Urbes integræ, cujuſmodi Salamis in Græcia, Amycle in Italia, Draconum inſula in ora Genuenſi, alias à Serpentibus fuerint omnino devaſtatæ &c. Conferre etiam licebit, quod tanquam ſecundum argumentum prudentiæ Serpentis adducit ipſe priori loco; ex *Epiphanio* quidem, quod ab homine veſtito fugiens nudum eundem καλαθιβρῶσι, ſed ex *Euſtathio*, *Hieronymo*, *Iſidoro*, *Olao*, quod hominem veſtitum aggrediatur & proſequatur, ſed nudum timeat nec audeat attingere; quaſi hominem ſic rectius dignoſcens, vel facti Paradiſiaci memor. Convenit id quod cum aliis notavit *Calvinus* noſter; *Simpliciter interpretor, hoſtile ſemper fore diſſidium humano generi cum Serpentibus, quale hodie cernitur. Fit enim arcano naturæ ſenſu, ut ab ipſis abhorreat homo. Quod quibuſdam ſunt in deliciis, inter prodigia reputandum eſt; ac quoties nobis horrorem incutit Serpentum aſpectus, renovatur defectionis noſtræ memoria &c.* Dum hoc etiam rectè urget *à Lapide*, poſt peccatum demum *Serpentem homini cœpiſſe eſſe noxium & lethalem, & viciſſim hominem cœpiſſe eſſe Serpenticidam, cum ante peccatum nec antipathia nec horror nec odium nec nocendi ſtudium fuiſſet inter hominem & ſerpentem*; cujus rei in ipſa hiſtoria tentationis videtur eſſe indicium haud obſcurum. Ex quibus dictis inter ſe collatis concidunt objectiones *Amyraldi*; odium hominum in Serpentis omne Semen fore hoc pacto temerarium & injuſtum, utpote quod minus cognitum nec antiquæ culpæ particeps aut conſcium eſt; odium iſtud ex ipſa natura ortum nullum habere pœnalem reſpectum ad hanc hominum ſeductionem primam; odium idem inter hominem & multas alias feras intercedere; odium illud denique apud eos homines obſervari quibus nulla vel minima tentationis primæ ſit ſcientia; & quæ id genus plura. Nihil enim valent iſtæ aut ſimiles argutiæ adverſus pla-

nissimam Mosis narrationem; quæ est de eo quod Deus per providentiam suam singularem ordinavit futurum esse, non absque interveniente culpa feminis serpentini quæ humani odii foret causa æquissima; quæ non patitur ex natura primum instituta odium illud derivari, sed à lapsu ut pœnam illud repetit; quæ odium inter hominem & Serpentem solum nominat tanquam præcipuum, & à speciali origine sua declarat; quæ denique rem docet, sed non causæ ejus primæ conscientiam in omnibus ponit.

Et dein respectu Serpentis infernalis.

IV. Sed non minus conspicua est Inimicitia inter Serpentem infernalem cum suis & verum Mulieris Semen post Mulierem. Hoc siquidem omne ille internecino prosequitur odio, & ad exitium corporale spirituale & æternum omni modo per vim & fraudem jugiter quærit, hinc dictus *Satanas*, ὁ ἐχθρός, ὁ πονηρός, ὁ πειράζων, ὁ ἀντίδικος, & descriptus tanquam λέων ὠρυόμενος, περιπατῶν, ζητῶν τινα καταπίῃ 1. *Pet.* v. 8. tanquam *Serpens* à cujus πανουργίᾳ cavendum haberent fideles 2. *Cor.* xi. 3. *&c.* & tanquam *Draco magnus* stans coram muliere paritura ἵνα ὅταν τέκῃ τὸ τέκνον αὐτῆς καταφάγῃ *Apoc.* xii. 4. *&c.* Atque uti hæc *Inimicitia*, in ipsius fœditatem augendam dedecus & damnum magnum exit, ita ejus *positio* firma & immutabilis impœnitentiam finalem palam arguit; hinc merito spectata utraque ut summe pœnalis. Sed & ab altera parte post Mulierem Muliebris Seminis Inimicitiam in Satanam cum suis deprehendere licet; non tam vere in hominibus impiis, qui Diabolum quidem pœnæ infligendæ intuitu horrent sed lubentissimè pravis ipsius desideriis se subjiciunt, adeoque cum eo prorsus conspirant; quam in vere Fidelibus, qui Deo & Legi ipsius sincere adhærentes, ipsum & omnes & omnia ipsius aversantur detestantur & pro viribus perdunt ac vastant, *coll. Matt.* vi. 13. *Eph.* vi. 12. *Iac.* iv. 7. 1. *Pet.* v. 9. *Apoc.* xii. 7. 10. *&c.* & quam maxime in Christo, qui ipse ab omni peccati labe purissimus ad luctam cum Diabolo venit, & ad hoc manifestatus est, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου 1. *Ioh.* iii. 8. sic se verum Michaëlem & cœlestis hujus certaminis ducem demonstrans, *coll. Apoc.* xii. 7. *&c.* Atque uti hæc Inimicitia decentissima ac Satanæ nocentissima tanquam à Deo fluens merito spectatur, propter sanctificantem ipsius gratiam in fidelibus per se captivis & plane impotentibus ad bonum, & propter Christi excitationem miraculosam præservationem immaculatam ac instructionem per dona Spiritus uberrimam;

ita

ita eadem ſpectari debet ut firmiter ac immutabiliter poſita, cum nunquam verè ſit deponenda ſeu à fidelibus ſeu à Chriſto Domino.

V. Ex iſta Inimicitia hoc primum foret conſequens; *Illud conteret te* quoad *caput*, aut in *capite*, aut *tibi caput*. Patiens heic eſt Serpens, per pronomen ſecundæ perſonæ *tibi* ſeu *σε tuum* apud LXX. & *Vulgatum* expreſſus, ſed cum Semine ſuo omni, quod apud inimicitiam expreſſe nominatum heic ſubintelligendum eſt ex natura rei ad pœnæ ſerpentinæ complementum & hominum ſalutem. Pro *capite*, ראש / κεφαλὴν apud LXX. quæ notio vocis in paraphraſi *Ionathanis* & *Ieroſolymitana* quoque retinetur, *Onkelos* ſubſtituit, per *mirandam* ἀλλεψίαν ſecundum Cl. *Guſſetium*, ſenſum *principii*, ex iſthoc fundamento inepte heic legens, *ipſe erit recordans tui quid feceris ei* מלקדמין *ab antiquo*. Sed & verbum שוף / cui ille ſenſum *recordandi* vel *retribuendi* forte ex שוב tribuit heic, apud LXX. vulgo redditum eſt per τηρήσει, *ſervabit*, vel *obſervabit*, ſenſu non incolumitatis adductæ, ſed vel attendendi ſtudioſe & inſidioſe, vel adhærendi ad exitium inferendum, ſ. πτερνιεῖ apud *Chryſoſtomum*. De origine ejus verſionis ſic diſſerit *Lud. Cappellus Crit. S. Lib.* II. *Cap.* I. *Videntur confudiſſe* ישופך *cum* יצופך *ob affinitatem ſoni literarum* ש & צ / *atque pro iſto legiſſe* יצפך / *illud autem* יצפך *derivarunt à* צפה *quod ſignificat ſpeculari, obſervare, quo ſenſu occurrit Gen.* XXXI. 49. יצף יהוה *ſpeculetur Dominus &c.* Ipſe tamen cum aliis monuit, *quosdam Codices habere* τηρήσει, *conteret, à verbo* τείρω *contero*; ſed addit, τείρω *dici potius quam* τέλλω, *unde & Latinum tero*. Dum Cl. *Guſſetius* hanc corruptionem ſ. τηρήσει ex τειρήσει *manifeſtam* putat, etiam *ex Vulgata Latina* verſione; quod magis veriſimile ſit ex ſubſtitutis alibi pro שוף verbis ἐκτρίβειν & καταπατεῖν. Dumque *Iſ. Voſſius Cap.* XI. *de* LXX. *Interpretibus*, prius ſcriptum fuiſſe ſtatuit τρήσει ab inuſitato τρέω ſenſu *perforandi*; quam *emendationem contra omnium Codicum auctoritatem vix ſtare apud modeſtiores criticos poſſe* dicit *Clericus*, *nec neceſſariam eſſe, cum ut recte obſervavit E. Caſtellus hæc radix in Arabica lingua obſervare, ſpectare, ſignificet, ad quam ſignificationem ut ſolent interdum reſpicere potuerunt ol LXX.* cumque *verbum* שוף *Pſal.* LVI. 2. 3. *non inepte à D. Kimchio exponatur per* הביט *ſpectavit, obſervavit, ſi qua nocendi detur occaſio*, cumque *Virgilius* perinde nominaverit *Immanem Hydrum ſervantem ripas &c.* Sunt alii, qui-

Capitis Serpentini ſequens Contritio exponitur.

Digitized by Google

bus שוף est, vel *depressum tenere in tenebris*, ex *Psal.* CXXXIX. 11, vel *afflare* aut *diffflare*, quasi à נשף. Sed vulgo faciunt Interpretes heic cum *Kimchio* & Judæis aliis, in agnoscenda notione *percussionis*, vel *contusionis*, vel *fractionis*, vel *conculcationis*, vel *gravissimæ lasionis*, vel *contritionis*; in quam rem conferunt nonnulli radicem שאף sensu *absorbendi* vel *exhauriendi*, & facit non tantum locus *Iob.* IX. 17. *qui in turbine* ישופני / sed & judice *Cl. Gussetio* alter *Psal.* CXXXIX. 11. *caligo* ישופני / sensu ἀφανισμῦ, & præterea maxime contextus præsens. Estque adversus hunc sensum satis leve quod objicit, cum *Ludovico Cappello*, *Clericus*, quod ille non conveniat satis sequenti heic membro, ubi de calcaneo mulieris agitur qui admorderi quidem sed non conteri dicatur, siquidem ipse heic quoque observat, *ita solere Scriptores Sacros, postquam genuino sensu vocabulo quopiam usi sunt, sæpe eodem de alia re verba facientes in sensum alienum illico postea abuti*, ut alia illic statim dicenda heic non tangam. Dicit autem porro ipsa *Capitis Contritio*, ad præcedentem Maledictionem Itionem super Ventrem & Esum pulveris ac Inimicitiam recte subjecta, non tantum dejectionem & subjectionem totalem sub alterius arbitrium, *coll. Ios.* X. 24. *Psal.* LXVI. 12. *&c.* sed & consequentem perditionem consummatam & irreparabilem, *coll. Iud.* V. 26. IX. 53. *Psal.* LXVIII. 22. LXXIV. 13. 14. CX. 6. *&c.* prout capite contrito de animali actum est prorsus, & hoc quoque à *Ionathane* & *Ieroſolymitano* spectatum est per negatam Serpenti sanationem.

Illa an Mulieri an ejus Semini tribuenda, adeoque legendum הוא an היא/ inquiritur.

VI. Sed notabilis est heic illa disputatio minimè prætermittenda de Subjecto agente seu Serpentis caput conterente, quod designatur per pronomen הוא / αὐτὸς apud LXX. conjiciente *Clerico*, post *Is. Vossium*, quod ex αὐτό σε, cum respectu ad nomen σπέρμα, factum sit corrupte αὐτός σε, non tamen ita inhærente eodem huic conjecturæ quin addiderit, *aut forte ita scripserunt, quod genus Hebraicum servarint Hellenismo neglecto, quod quandoque faciunt*, aliis etiam de intellecto per Semen uno filio seu certa Persona heic ex occasione masculini generis cogitantibus, vel ad τὸ σπόρον spectantibus quam vocem pro illa σπέρμα reperimus adhibitam *Marc.* IV. 26. 27. *Luc.* VIII. 5. 11. 2. *Cor.* IX. 10. Verum apud *Vulgatum* Latinum Interpretem à longo retro tempore hæc lectum fuit *ipsa* in genere fœminino, cum respectu non ad Semen sed ad Mulierem, quam *Papistæ* tum statuentes esse Mariam Virginem

ex

ex hoc loco idololatricè nimis commendare ſolent, ob hanc cauſam pro illa lectione nonnunquam ſatis ſervide diſputantes. *Ita Biblia Romana*, inquit, *à Lapide, & omnia pene Latina legunt cum S. Auguſtino, Chryſoſtomo, Ambroſio, Gregorio, Beda, Alcuino, Bernardo, Encherio, Ruperto, & aliis. Accedunt quædam exemplaria Hebræa quæ pro* הוא *legunt* היא *vel* היא *cum Chirich parvo vel magno. Adde* הוא *ſæpe poni pro* היא */ præſertim cum emphaſis eſt, & virile aliquid fœminæ tribuitur, uti hic eſt contritio capitis Serpentis. Exempla ſunt hic verſ.* 12. *&* 20. *Gen.* XVII. 14. XXIV. 44. XXXVIII. 21. *&* 25. *Nec obſtat verbum maſculinum* ישוף *i. e. conteret; eſt enim crebra Enallage Generis in Hebræo ut maſculinum ponatur pro fœminino & contra, præſertim ſi cauſa & myſterium aliquod ſubſit, ſicut hic ſubeſt uti jam dicam. Ergo* היא ישוף *ponitur pro* היא תשוף. *Sic Cap.* 11. 23. *dicitur* יקרא אשה *pro* תקרא אשה. *Unde & Joſephus Lib. I. Cap.* 3. *ita legit uti noſter Interpres habet, habet enim, præcepit ut Mulier capiti ejus plagas inferret, ut vertit Ruffinus. Ex quo patet, olim* αὐτὴ *i. e. ipſa legiſſe Joſephum, ſed hæreticos typographos vocem* γυνὴ *ex eo jam ſuſtuliſſe.* Haud diſſimiliter differunt alii, inter quos *Bellarminus Lib. II. de V. D. Cap.* 12. teſtatus, ſe legiſſe unum Hebraicum Codicem in quo erat ſcriptum הוא cum *Hirek*, obſervanſque *præterea remotis punctis illam vocem Hebraicam* הוא *poſſe interpretari ipſa nimis rudem eſſe qui neſcit &c.* & præcipue *Mar. Merſennus* in iis quæ adverſus *Cenſuram Sixtini Ammama* noſtri ſcripſit atque hic refutavit *Anti Barb. Bibl. Lib. II.* Ubi & ille hoc habet quod הוא ſit ſcriptum pro היא ad notandam *ipſiſſimam*, vel ob vocis אשה genus commune quod heic debeat haberi pro Maſculino, &c. Sicuti illuc devenit *à Lapide*, ut Verbum maſculinum cum Pronomine fœminino junctum dicat, ut ſignificaretur, *tam Mulierem quam Semen* ejus contrituram caput Serpentis. Enimvero ſi hoc legeretur in textu de *Ipſa* ſeu Muliere contritura, manifeſtum eſſet, non ad Mariam ſed ad Evam hoc debere referri, atque ita de Muliere iſta illud dictum eſſe ut illa intelligeretur id agere in Semine ſuo & per illud, non autem propria virtute in ſua perſona. Et quando in hujus Mulieris electo Semine continetur etiam Maria, ſic illi tanquam fideli membro Chriſti per hujus virtutem operanti inſtrumentaliter juxta alios heic locus eſt non tantum vere, ſed & ſpeciali modo ob proximum partum Meſſiæ nobiliſſimi Seminis poſſet hæc per illum Filium contritio Mariæ Virgini præ

Digitized by Google

Eva tribui. Ex quo minime poſſent aut deberent *Papiſtæ* concludere puritatem Mariæ perfectam ab omni peccato & fomite ejus, atque ad ipſam tanquam Satanæ victricem veram idololatricè & blaſpheme confugere ſemper. Qua ratione forte *Grotius* dixit fœminium *ſenſum non malum*; atque ipſe *à Lapide* obſervavit, *Mulierem per Semen ſuum, puta per Chriſtum, contrituram caput Serpentis*, nec lectionem illam de Semine contrituro eſſe rejiciendam. Sed Textus Hebræus conſtanter habet הוא cum *Shurek* in media litera *Vau*, quod eſt pronomen maſculini generis, ad nomen non fœmininum Mulieris ſed maſculinum זרע *Seminis* nos ducens adeoque latine per *illud* reddendum; nec comparent uſquam exemplaria quæ ſeu in margine per modum *Keri* ſeu in ipſa textus ſcriptione habent היא cum *Hirek* magno, nec הוא cum *Hirek* parvo, præter *Editionem Antverpienſem A.* 1572. in qua ſecundum verba *Lucæ Brugenſis* ab *Ammama* adducta *Guido Fabricius Principis Mirandulani authoritate nixus excudi curavit* הוא *licet errore typographico poſitum ſit* הית / improbante admodum *Aria Montano*. Unde nihil faciunt ad rem iſthæc loca, in quibus הוא cum *Hirek* legitur in genere fœminino, ſiquidem literæ ו & י inter ſe permutabiles ſunt, & heic non eſt *Hirek* ſed *Shurek* illic non repertum. Qua occaſione addere debeo obſervationes *Cl. Guſſetii.* 1. *In Lege ſcribi ſemper* הוא *cum* ו / *exceptis locis* XV. *enumeratis in Maſſ. marg. magna ad Gen.* XXXVIII. 25. 2. *Extra Legem ſcribi* היא *per Iod exceptis tribus locis.* 3. *Veriſimile non eſſe iſta profecta à Librariorum lapſu. Nam ſi penna propenſior fuit ad pingendum in Lege, quidni & in aliis.* 4. *Archaiſmum potius fuiſſe, nempe ut pronomen* הוא *eſſet communis generis & rarius adhiberetur diſcrimen fœminini; quod poſtea factum fuit frequentiſſimum.* 5. *Quando* הוא *commune erat ante Punctorum uſum, diſtinctio fiebat ex ſerie orationis.* 6. *Quicquid ajant Pontificii, locus Gen.* III. 15. *non eſt in catalogo illo Maſſorethico locorum Legis per* י *ſcriptorum. Nec vero poteſt ſuſpicio fraudis Judaicæ moveri cum ratione. Quo fit ut heic diſcernendum ſit ex vocibus vicinis &c.* Et hoc eſt ſecundum argumentum adverſus lectionem in Genere Fœminino Vulgatam, quod non tantum Verbum Maſculinum cum hoc Pronomine jungatur ישׁף / minime fœmininum תשׁף / ſed & in ſequenti enunciatione ſeu verbo תשופנו *conteres ei*, illi reſpondeat Affixum pronomen Maſculinum נו / non fœmininum נה / Neque enim ubi omnia hæc in Maſculino genere conveniunt inter

ſe

ſe & cum rei natura optime, ad Enallagen aliquam generis & vana ejus myſteria recurrere licet præter neceſſitatem & ſpeciem ullam. Utique quando propter operis magnitudinem aut communionem apud Mulierem & Semen ejus dicitur heic Pronomini fœminino ſubjici verbum maſculinum, jam tum illud genus Pronominis peſſimè ſupponitur; ſicuti nulla ratio eſt, cur *ipſiſſimam* in genere fœminino dicturus debeam pronominis maſculinam formam pro fœminina adhibere, & commune genus vocis שוא abſque ulla veri ſpecie laudatur, nihil ſane huc faciente phraſi illa *Gen.* 11. 23. אשה יקרא לזאת / quæ cum omiſſione prioris vocis haud optima fide adducitur. Conſentiunt porro in Pronominis Maſculini lectione Interpretes Veteres omnes Judæi & Chriſtiani, præter Latinum *Vulgatum*, quem tamen ipſum variare & in quibuſdam Codicibus habere *Ipſe*, non *Ipſa*, fatetur cum aliis multis *Bellarminus*, imo apud quem ita omnino legendum eſſe conceſſerunt dudum complures Viri Doctiſſimi inter Pontificios à noſtris paſſim laudati. Sicuti perinde maſculine legentes reperimus *Irenæum*, *Cyprianum*, & in primis *Hieronymum*, qui *in Quæſt. Heb. in Gen.* nullius heic diverſitatis in pronomine meminit, ſcribens; *Ipſe ſervabit caput tuum &c. melius habet in Hebræo, ipſe conteret caput tuum &c.* Si roges unde ergo ſit ab ævo in Latinis Codicibus & Patrum citationibus tam multis fœmininum Pronomen *Ipſa*, reſpondent cum *Papiſtis* quibuſdam noſtri, non videri hoc tantopere imputandum primò malitiæ quam quidem veteri imperitiæ & incuriæ qua ex maſculino *Ipſe* reſpondente Græcæ voci αὐτός & minus cohærente vel cum Semine vel cum Muliere fecerunt cum reſpectu ad hanc *Ipſa*, quod deinde ad Mariæ laudem quoque magis placuit; dum tamen Sixtum V. & Clementem VIII. authenticis editionibus hoc inſerentem *temeratæ Scripturæ crimen admiſiſſe nunquam eluendum*, notat *Sixt. Ammama*, ſed *Chriſt. Helvicus* ſcribit, *in Exemplari recentiori quod juſſu Sixti V. & Clementis VIII. editum eſt contra Monachos & Jeſuitas reſtitutum eſſe Ipſe.* Neque debet pro adverſa lectione Græca laudari *Joſephus*, qui Græce nihil de Muliere habet, ἡ ὀφθήσεται ὁ ἡ τὴν κεφαλὴν φέρειν τοῦ πλησίον, ὡς ἐν ἐκείνῃ ἡ τὸ κακὸν ἡ περὶ ἀνθρώπους ἁμαρτία ἡ τὴν πλάνης τοῖς ἀμυνομένοις ἰσομοίρης &c. in cujus adeo verſionem liberiorem Latinam id ex corrupto Latine Moſis textu intruſum eſt. Manet ergo hoc, quod legendum heic ſit *Illud* vel *Ipſum*, cum reſpectu ad Semen,

&

& quidem illud de quo antea actum erat, non aliud aliquod novum & peculiare; de quo tamen heic cogitant nonnulli, Semen prius & posterius distinguentes, ac post Mulierem & Serpentem, Mulierisque & Serpentis Semen, heic *Tertium Athletarum Par* cum *Pareo* nostro ponentes, *Christum* scil. & *Serpentem antiquum*. Quod minus placere debet, si attendamus; memorari heic utique Inimicitiæ præmissæ consequentes actus mutuos; & non nisi semel Seminis Muliebris nomen heic esse positum; & à Semine illo inimicitiam cum Serpente habituro minime Christum posse excludi tanquam alterum Semen; uti neque Seminis illius inimicitia fuit adversus Serpentis Semen cum Serpentis ipsius exclusione; unde ipsum Semen Mulieris heic nunc exponit *Parens* de *Uno quodam ex hoc Semine quasi ex media illa acie prodituro Athleta &c.* cujus significationis vis in nudo Pronomine quæretur citius quam invenietur. Tantum vero abest, ut Semen reliquum Mulieris præter Christum ab hac Serpentini capitis contritione in Pronomine usurpato excludere debeamus, ut nequidem Semen possit trahi ad totalem exclusionem Mulieris ipsius, quæ cum Semine suo conjuncta in Inimicitia, & in calcanei proprii hinc fluente læsione, etiam in Capitis illa Serpentini Contritione activa cum eo jungenda est, æque quam in passiva cum Serpente nominato subintelligitur ejus Semen. Tantum sicut nominatur ipse Serpens ut in capite hoc victoriæ de omni Semine ejus plenitudo intelligeretur; ita producitur expresse præ Muliere ejus Semen, ut sciremus ab hoc virtutem principalem & efficaciam operis maximi esse proventuram, nec illud mox etiam plane peragendum esse sed post justum Seminis muliebris multiplicationem demum.

Contritio ea Capitis quo modo in Serpente animali obtineat.

VII. Res adeò, quæ heic nobis dè corporeo Serpente proponitur, est, quod huic animantium generi exitium irreparabile ab humano genere esset adferendum per capitis venenati non qualemcunque læsionem sed contritionem satis plenam. *Caterum ab iis*, inquit *Clericus, qui Serpentem interficere volunt, Caput potissimum appetitur, cum quia eo contrito certo interit, cauda verò resecta vivit, tum quia si cauda prematur caput reflexum quo in solo venenum est mordet. Hæc ita nota sunt ut Veterum auctoritate non egeant.* Uti *Cel. Bochartus in Epist. ad Cappellum* dixit; *Homo Serpentis caput conatur elidere, quia nobilissima sit ejus pars, robustissima & periculosissima, à qua etiam Serpentis ejusdem cor quam minimum distet, ut-*

utpote ad fauces ferme positum. Eamque ob rem quoties invaditur Serpens, is partium caterarum oppositione caput tueri conatur, naturali quodam instinctu intelligens ex ejus conservatione suam pendere salutem. Quod aliquando Thebanis ab Epaminonda, uti videre est apud Plutarchum, itemque Polyænum Stratag. XV. Lib. II. Cap. 3. scite monstratum. Cum quibus conferre licet quæ ipse in eam rem ex Veteribus adduxit *Hieroz. Lib. I. Cap.* IV. scil. ex *Isidoro Orig. Lib. XII. Cap.* 4. *Epiphanio Physiol. Cap.* XV. *& Hæres.* XXXVII. *Ophit. Chrysostomo in Psal.* CXIV. *Cæsario Dial.* IV. *Quæst.* 192. *Pelusiota Lib. I. Epist.* 126. *Tzetze Chiliad. IX. Cap.* 263. quin etiam illud *Siracidis Cap.* XXV. 19. οὐκ ἔστι κεφαλὴ ὑπὲρ κεφαλὴν ὄφεως. In quo tamen ipse κεφαλὴν putat positam pro *veneno* ex ambiguitate vocis Hebraicæ ראש etiam de *veneno aspidum* usurpatæ *Deut.* XXXII. 33. quod deprehendatur in felle dentibus & vesica sub lingua; dum *Drusius* non male loci istius sensum vult esse, *nullum caput Serpentis capite nocentius est*, atque *hoc dici propter venenum quod in capite Serpentis, unde ipsum venenum* ראש *appellatur de sententia quorundam, nam* ראש *caput, sane Jonathan reddit caput Serpentis.* Interim per ista adducta ad sententiæ divinæ illustrationem non est ut admittamus narrationem *Ruperti Lib.* III. *de Trin. Cap.* 20. de *Mulieris planta dentem Serpentis præveniente & vivacissimum caput ejus vel leviter premente*, per quam *statim totum cum capite corpus repente interit, ita ut nullus omnino motus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit, quod nec malleis aut vectibus certè nec gladiis concidentibus cito aut leviter effici potest, siquidem excisum caput cum duobus aut tribus digitulis vivere & abire perhibetur*; etiamsi addat, *hoc quoque quod prædictum est ita esse ipsorum qui per industriam exploraverunt fida relatione comperimus.* Similisque commatis cum prima illa traditione videntur esse quæ de *homine vestito* aut *nudo* sunt adducta §. 3. & quæ de *saliva hominis* non tantum *cruciante serpentem* sed & *si tangat fauces eum occidente* tanquam ex *Aristotele* adduxit *à Lapide.* Nec sunt nisi inanes vitiligationes *Cel. Amyraldi*, contra hanc de Serpente Corporeo interpretationem, huic Serpenti singulari jam ante annos quinquies mille mortuo, cum non sit id genus animalium natura admodum μακρόβιον, non posse nec potuisse à nobis ut semine muliebri usque ad finem mundi perseveraturo conteri; siquidem primo illi Serpenti potuit utique illud obvenire ab aliquo Mulieris Semine tempore

antiquiori quo adhuc viveret, ſicuti nunc ipſius vivo ſemini ab alio Semine Mulieris ſucceſſivè.

Et ſimul in Infernali Serpente.

VIII. Potior heic tamen contritionis iſtius ſenſus indubie ſpectat ad Diabolum cum malis angelis & hominibus, adverſus quem Seminis muliebris cum & præ ipſa Muliere Inimicitia hoc effectura erat, ut ejus gloria vis & fallacia lethalis, per caput non male expreſſa, eluderetur non tantum ſed & plane & irreparabiliter perderetur. Quod quidem per gradus quosdam ab initio iſthoc primo huc uſque factum, in primis cum exitu Veteris & initio Novi Fœderis, juxta *Ioh.* XII. 31. XVI. 11. *Col.* II. 15. *Hebr.* II. 14. 1. *Ioh.* III. 8. *Apoc.* XII. 8. 9. XX. 2. *&c.* tandem in fine mundi ac ultimo Chriſti adventu prorſus conſummabitur *Matt.* XXV. 41. *Apoc.* XIX. 20. XX. 10. *&c.* Hoc autem principaliter indubie ex locis adductis tribuendum Chriſto, ſingulari illi & excellentiſſimo imo vere Divino Semini Mulieris, *coll. Pſal.* LXVIII. 19. *Ioh.* XIV. 30. XVI. 33. *Apoc.* VI. 2. *&c.* per prædicationem ejus, mortem, reſurrectionem, Spiritus effuſionem, mundi illuſtrationem, judiciorum in incredulos exſecutionem, & ipſam quoque mortuorum reductionem potentiſſimam. Attamen habet inſtrumentaliter heic quoque electum Mulieris Semen una cum ipſa Muliere locum, quatenus in iis & per eos virtutem ſuam exſerit & agit plurima Dominus, credentes, profitentes, ſanctitati promovendæ in ſe & aliis ſtudentes, Satanæ & malis reſiſtentes, etiam cum eorum inſultu, orantes, &c. Unde & legimus de pugna *Michaëlis & angelorum ejus* cum Dracone qui *eum vicerunt per ſanguinem Agni & per verbum teſtimonii ſui & non dilexerunt animam ſuam uſque ad mortem Apoc.* XII. 7. 12. & Paulus dixit *Rom.* XVI. 20. ὁ δὲ θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει, cum manifeſto ſatis reſpectu ad hanc Dei ſententiam in Satanam, & Johannes teſtatur 1. *Ioh.* V. 4. ὅτι πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ θεοῦ νικᾷ τὸν κόσμον, καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ νίκη ἡ νικήσασα τὸν κόσμον ἡ πίστις ὑμῶν, & Chriſtus ad diſcipulos ſuos dixit *Luc.* X. 18. 19. ἐθεώρουν τὸν σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα, ἰδοὺ δίδωμι ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ, καὶ οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσῃ, *coll. Marc.* XVI. 17. 18. cum reſpectu forte ad *Pſal.* VIII. 3. *ex ore parvulorum & ſugentium fundaſti robur propter hoſtes tuos ad abolendum inimicum & ultorem*, & *Pſal.* XCI. 13. *ſuper leonem & aſpidem calcabis, conculcabis leunculum & dra-*

draconem, &c. Recte ad eo *Chryſoſtomus* heic habet; Καὶ γὰρ ἐκεῖνον (τὸ νοητὸν ὄφιν) ὑπὸ σοῦ πόλλας ἡμῶν ταπεινώσας κατλώιεσκε, καὶ ἡμᾶς ἐπικεῖσθαι αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ πεποίηκεν, ἢ οὐχὶ τοῦτο σημαίνῳ λέγων, πατεῖτε ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, εἶτα ἵνα μὴ νομίσωμεν περὶ τῶν αἰσθητῶν ἡμῖν ταῦτα εἰρῆσθαι ἐπήγαγε, καὶ ἐπὶ πᾶσαν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ. Quemadmodum autem Mariæ præ aliis Mulieribus & hominibus eſt tribuendus partus immediatus præcipui Seminis Serpentem conterentis, ita contritionis inſtrumentalis laus ſpiritualis illi juxta aliud Mulieris primæ Semen & præ multis aliis ad id ſpectantibus ob ipſius fidem ſanctitatemque non videtur deneganda. Quod tamen neutiquam erit fundamentum ſufficiens fœdæ iſtius Mariolatriæ, quæ ex ipſius prædicata victoria de Satana apud *Papiſtas* commendatur & exercetur à longo tempore, etiam in blaſphema illa Antiphona,

Hæc eſt Mulier virtutis
Quæ contrivit caput Serpentis,
Hanc peccatores devote adeamus,
Et rea pectora tundamus &c.

Sicuti meritò redarguit heic *Ammama* noſter ipſum *Bernardum Hom. II. ſuper Miſſus eſt*; *Curre Eva ad Mariam, curre Mater ad filiam, filia pro matre reſpondeat, filia Patri pro matre ſatisfaciat, quia ecce ſi vir cecidit per fœminam, jam non erigitur niſi per fœminam &c. Quam tibi aliam prædixiſſe videtur Deus, quando ad Serpentem ait, inimicitias ponam inter te & Mulierem? Et ſi adhuc dubitas an de Maria dixerit, audi quod ſequitur, Ipſa conteret caput tuum. Cui ergo hæc victoria ſervata niſi Mariæ? Ipſa contrivit venenatum caput Serpentis &c.* Et contulit ipſius *Franc. Georgii* verba; *Ex falſa traductione Latini communiter tribuunt hanc victoriam Reginæ cœlorum. Quæ licet ſublimior ſit quam dici queat, tamen dabimus Victori triumphum hunc cui ex veritate literæ debetur.* Quin & illud *Epiphanii*; ἵνα βλάβῃ τὸν καλλιπλιζόντων τὴν ἁγίαν παρθένον τὸν καὶ ὑπὲρ τὸν θεὸν δοξαζόντων.

IX. Ab altera parte additur adhuc iſte Inimicitiæ deſcriptæ effectus; *Et tu conteres illud* quoad *calcaneum*, aut *in calcaneo*, aut *illi calcaneum.* Ubi jam ſubjectum patiens, per Pronomen affixum Maſculinum ו *illi* expreſſum, ſeu in Genitivo *ejus* apud LXX. & *Vulgatum*, eſt directe iterum non Mulier ſed hujus Semen, non unum tantum ſingulare ſed & cum eo omne quod antea notatum

Contritio Calcanei in Semine Mulieris.

fuit, non excluſa ipſa Muliere magis quam à Serpente agente illius Semine malo. Et denunciatur illi Semini *calcanei contritio*, à Serpente futura. Alienum enim eſt, quod vocem עקב / πτέρναν apud LXX. trahant aliqui ad *commutationem* ſeu corporis Serpentini ſeu vicium, quando victoria Satanæ heic tribueretur, notante Cl. *Guſſetio*, quodque eam traxerit *Onkelos* ad tempus poſterius quo hæc res gerenda foret, לסופא / *in fine*, ſeu quo uſque hæc duraret, *in finem*; quorſum & *Ieroſolymitana* Paraphraſis palam tendit antea adducta §. 1. Licet enim iſte metaphoricus ſignificatus alibi obtineat, heic tamen enunciatio tota contrarium arguit, notari ſcilicet partem humani corporis poſteriorem adeo quam inferiorem & pedis illam quæ calcando ob incumbentem corporis molem maxime premit & ſic conterit, cum annexo pede reliquo & talo & forte tibia, non autem metonymice *veſtigium* ejus eundo viæ impreſſum. Atque hujus calcanei, partis inferioris vilioriſque poſt quam magnopere læſam & contritam homo ſupereſſe poteſt cum viribus & gloria ſufficienti, *contritio* heic memoratur per idem verbum futurum ſed ſecundæ perſonæ תשוף / quod verterunt LXX. etiam heic per τηρήσεις, *Onkelos* haud diſſimiliter, תהי נטר / *eris obſervans*, imo & *Vulgatus* nunc per *inſidiaberis*; qui poſteriores Interpretes faciunt ut magis genuina queat videri iſthæc lectio Græca præ illa τερήσεις aut τρήσεις. Heic autem uti ſunt qui per verbum hoc reſpici volunt ad Serpentis genus appellatum שפיפן *Gen.* XLIX. 17. quod tum derivant, non cum *Bocharto* à *claudicatione*, ſed à נשף aut שפה ſenſu *afflandi* aut *flatu obruendi*, quod videre potes apud *Malvendam*; ita plures ante *Cappellum* & *Clericum* notarunt, illud minus proprie convenire Serpenti in hominis calcaneum, ſed ob ejus uſum antecedentem heic minus proprie repeti. Sic enim *Picherellus* dudum congeſſit ad hunc textum loca, in quibus eædem voces diverſo aliquatenus ſenſu proxime repetantur, vel etiam ſemel poſitæ ad rem duplicem referantur, ex 1. *Sam.* XVII. 22. *Matt.* VIII. 22. *Marc.* VII. 34. 35. *Luc.* I. 64. *Ioh.* IV. 35. XI. 48. *&c.* unde *contritio* heic non ſit niſi *attritio*, *allisio*, *vulneratio*, *morſus*, *&c.* Sed nihil obſtat, quo minus morſum heic conterentem valide intelligamus, abſque calcatione tamen, quam verbum Hebræum non magis quam Latinum *conterere* videtur complecti neceſſariò. Et hoc ipſum, inquit Deus ad Serpentem, *tu* facies, אתה / σύ, pro tua itione ſuper ventre tuo, h. e.

id

Digitized by Google

id tibi licebit, id ages quoque, ſed non licebit ultra ad caput aut reliquum corpus Seminis muliebris ita aſcendere perdendum. Unde apparet, quo pacto hoc ut pœnale queat ſpectari; quod & tale eſt, ſi conſideremus illa calcanei contritione ſeu admorſione facere Serpentem ut conculcetur ab eodem calcaneo. Ut Copula interpoſita heic non ſit idcirco reddenda per *quamvis*, ſed poſſit etiam verti per *quando*, aut *quia*.

X. Literale implementum hujus rei in Serpente Corporeo obvium eſt; qui calcaneo hominum magis propinquus, hunc etiam præ aliis eorum partibus lædit, ſive ab eo petatur ſive non, incolumi ſæpe hominis vita. Quorſum ſpectavit etiam Jacob *Gen.* XLIX. 17. *Erit Dan Serpens ſuper via, ceraſtes ſuper ſemita, mordens calcaneos equi, cadetque eques ejus retrorſum.* Uti de hac re audire libet ipſum *Amyraldum*; *Serpentes ubi eos pedibus premimus vix aliter nos lædere poſſunt quam calcaneum morſibus appetendo &c. Si Serpens calcaneum hominis ladit, vulnus non eſt ita periculoſum, quia pars illa eſt longe à principio vitæ remota, & præterea eſt in ea callus duriſſimus quem venenum non poteſt penetrare. Memini me vidiſſe meſſorem, quem cum nudis pedibus opus faceret aſpis momordit in calcaneo, itaque defixit dentes in ea parte, ut morſum remittere non valens invita diu ibi pependerit caudam & reliquum corpus miris modis motitans, quod quantopere miſerum ruſticum terruerit facile eſt conjicere. Putabat ille actum eſſe de ſe & ita loquebatur quaſi illico eſſet moriturus. Attamen ubi vidit neque tumorem neque dolorem ſequi, primum nonnihil recreatus, ac tandem ſecurus de exitu, miratus eſt quam facili negotio è tanto metu tantoque periculo incolumis evaſiſſet.* Sed ad Serpentem infernalem cum ejus Semine quando tranſimus; reperimus heic conatum ejus omnem hoſtilem, tum in Chriſtum, tum in fideles, qui in graviorem Satanæ ac malorum hominum culpam adeoque & pœnam cedit neceſſario. Sed qui non pertingit in Chriſto niſi ad partem ejus inferiorem ſeu humanitatem varie & acerbiſſime paſſam ab ipſo magis & minus immediate, imo contritam pro brevi tempore in morte, per quam ictum lethalem ipſe accepit, *coll. Iob.* XIV. 30. *Apoc.* XII. 4. *&c.* & de qua heic longe rectius quam de Chriſti via aut viis aut etiam *greſſibus noſtris præpeditis à colubro* cum *Hieronymo* cogitatur. Qui perinde in electo Chriſti populo ſpectat tantum ad partem ignobiliorem, ſeu corpus paſſionibus multis mediate & im-

Ejuſque implementum expoſitum.

immediate excruciandum, donec in pulverem uno vel altero modo ad noviſſimum uſque diem redeat, ſuperſtite anima in gaudio heic inchoato fidei & poſthac gloriæ, *coll. Matt.* x. 28. *Luc.* xxii. 31. 32, *Ioh.* xvi. 22. *Rom.* viii. 38. 39. 2. *Cor.* iv. 16. 17. *Apoc.* ii. 10. xii. 12. 13. *&c.* acceleranda etiam & augenda ſic per virtutis Chriſtianæ exercitium propria Satanæ & mali Seminis perditione juſtiſſima. Quæ notiſſima capita heic non eſt ut latius diducamus, aut excerptis aliorum verbis repetamus. Dum ad rem eandem faciunt *Sanatio* & *Emplaſtrum* Seminis Muliebris apud *Paraphraſtas*, ex §. 1.

CAPUT SEXTUM.

Quo Euangelicum argumentum Fœderis Gratiæ ex declarata in Serpentem Sententia ſummatim educitur.

Maledictionis Serpentinæ præſtantia reſpectu noſtri.

Sic declaravimus breviter attamen ut putamus pro methodo noſtra ſufficienter illam Scripturæ pericopam, quam Magnus *Lutherus* dixit *continere quicquid tota Scriptura eximium habet*, & cujus *obſcuritatem fortaſſe in cauſa fuiſſe* notat, *ut textus qui omnibus debebat eſſe notiſſimus, tamen à nemine quod ipſe ſcit diligenter & accurate* ſuo tempore *explicatus eſſet*, adjiciens, *ſæpe ſe ſecum miratum quid Patres & Epiſcopi fecerint, qui cum gubernandis Eccleſiis & repellendis Hæreticis occupati eſſent, tamen non majore ſtudio in hujuſmodi locos illuſtrandos incubuerunt &c. De Veteribus*, inquit, *dico qui ſanctitate vitæ & doctrina pollebant; inter hos nemo eſt qui hunc locum explicarit pro dignitate. Fortaſſe negocia quaplerunque objiciuntur rectoribus, eos implicuerunt altius. Recentiorum autem notum flagitium eſt, qui etiam depravarunt hunc locum &c.* Ut vero textus hujus ad Serpentem quidem ſed audientibus hominibus qui hinc ſolatium acciperent prolati à Deo, & à Moſe per Spiritum nobis provide ad inſtructionem ſalutarem relicti, elegantia tanto magis conſtet, ſenſum ejusdem non tam corporeum quam ſpiritualem adhuc lubet in brevem ſummam contrahere, & ad Hæreticos obturandos publicæ luci exponere.

Argumentum ejus ſecundum Lutherum.

II. Id dudum egerunt varii, quiſque ſua methodo, quos omnes neutiquam producemus. Meretur verò heic *Lutherus* omnino ſuam laudem, quod poſt expoſitas ſingulas textus hujus partes ſa-

ſatis late, additamque monitionem de ejus myſterio à multis ſanctis non ita clare diſtincteque intellecto, & collatas prophetias inſecutas, ſubjecerit adhuc; *Hic igitur eſt textus ille qui Adamum & Hevam vivificavit & ex morte reſuſcitavit in vitam quam per peccatum amiſerant &c. Includitur igitur in hanc ſententiam Redemtio à Lege Peccato & Morte, & oſtenditur manifeſta ſpes & certa Reſurrectionis & Innovationis in altera vita poſt hanc vitam. Si enim Serpentis caput conteri debet, profecto oportet aboleri Mortem. Si Mors aboletur, etiam Mortis meritum aboletur, hoc eſt, Peccatum. Si Peccatum, ergo Lex quoque aboletur. Nec id tantum, ſed reſtituitur ſimul Obedientia quæ amiſſa eſt. Hæc autem omnia, quia promittuntur per Semen hoc, ſatis clarum eſt, naturam humanam poſt lapſum ſuis viribus nec peccatum tollere, nec pœnas peccati & mortem effugere, nec obedientiam omiſſam recuperare potuiſſe, majorem enim vim robur majus quam hominum eſt requirunt iſta. Itaque Filium Dei oportuit victimam fieri, ut hæc nobis conficeret, ut tolleret peccatum, devoraret mortem, & amiſſam obedientiam reſtitueret &c.*

III. Sed nec induſtriæ attentioniſque ſingularis laude privandus eſt noſter *Parens*, Prot. Euangelio hoc oſtendens contineri *integram Catecheſin Chriſtianam, de Miſeria hominis, de Reparatione generis humani per Chriſtum, de Gratitudine erga Deum ſeu de vero Cultu Dei. Primo Commonefactio*, inquit, *de Miſeria generis humani in eo eſt, quod Deus judicio ſuo inimicitias ponit &c. Eo enim ſignificat; quod homo propter peccatum non ſolum juxta priorem comminationem obnoxius ſit iræ Dei & morti æternæ, ſed etiam ſingulari judicio expoſitus ſit inimicitiis, hoc eſt, odio inſidiis injuriis vexationibus furoribus atque tyrannidi Satanæ, & tanquam infelix mancipium ejus capiti hoc eſt poteſtati ac ſervituti in æternum ſubjectus maneat, niſi fiat liberatio, &c. Secundò Concio Gratiæ ſeu Euangelii de Liberatione generis humani in eo eſt, quod Satanæ denunciatur contritio Capitis per Semen Mulieris &c.* Unde ſubjicitur tanquam *præcipua Euangelii Capita* heic breviter contenta. 1. *Quod futura ſit aliqua hominis liberatio &c.* 2. *Unde ſeu à quibus malis, nempe ab Inimicitia & à Capite Serpentis, hoc eſt à Tyrannide Satanæ, & ſic etiam à Peccato Inferno & Morte, nam in his ſita eſt Satanæ potentia.* 3. *Per quem, ſeu de Modo Liberationis, nempe per Mediatorem Chriſtum, quia promittit non immediatam veniam, ſed inter-*

Idem ſecundum Pareum noſtrum, cum iniqua cenſura Helvici.

ve-

veniente Semine promisso & sequestraria ejus functione &c. 4. *Qualis Mediator, seu de Persona Mediatoris, quod is futurus sit Semen Mulieris, hoc est verus Homo, & tamen fortior Diabolo, Divina præditus potentia, hoc est verus simul Deus &c.* 5. *Quomodo Liberaturus, seu de Officio Mediatoris Sacerdotali & Regio, quod sit futurus victima patiendo & moriendo pro hominis peccato, ut satisfiat justitiæ & veritati Dei, quia Serpens vulnerabit ei calcaneum, & simul victor diaboli peccati & mortis, resurgendo a mortuis, quia vulneratus nihilo minus conteret Satanæ caput hoc est evertet ejus potentiam & regnum &c.* 6. *Quos liberaturus, seu de fide & applicatione beneficiorum Christi per eam, quia conteret Satanam, non sibi vel sua causa, sed Mulieri & Semini ejus reliquo quod non erat de semine Serpentis &c.* 7. *De gratuita Justificatione peccatoris coram Deo, quoniam Deus ex mera misericordia profert suum decretum de Redemptione, & perdito generi humano gratis absque ullo ejus merito offert remissionem peccatorum justitiam & vitam æternam per & propter Mediatorem Christum &c. Tertio loco hac concio continet necessariam commonefactionem de Gratitudine hominis pro Liberationis beneficio, in eo quod Deus homini ponit Legem, de inimicitiis cum Serpente exercendis, de fugiendo Diaboli commercio, de vitando peccato, de pœnitentia & emendatione vitæ, de nova Obedientia &c.* Dat ille simul etiam rationes, ob quas rem hanc omnem involute & non clarius expresserit Deus, tres; *Propter diabolum, cui vult hoc mysterium obscurum manere, ut perpetuo exerceatur metu omnesque mulieres parturientes inde ad Christum revelatum habeat invisas & suspectas &c. propter Parentes eorumque fideles posteros, quorum fidem & invocationem vult obscuritate hac exercere, excitare in eis ardentius desiderium promissi Seminis &c. propter ipsum Semen seu Christum, cujus patefactioni & gloriæ lux clarior erat reservata, ut inter gratiam Vet. & Novi Testamenti servaretur illustre discrimen, quantum est inter auroram & meridiem &c.* Et concludit post hæc omnia; *Hæc igitur sunt prima post lapsum hominibus à Deo tradita Religio & Catechesis, quæ deinceps per Patriarchas & Prophetas varie fuit repetita, sacrificiis & ritibus adumbrata & confirmata, demum vero per Filium in carne exhibitum adimpleta, & Apostolorum prædicatione per universum mundum divulgata, unde religionem nostram Christianam, quæ hæc capita retinet incorrupta, solam antiquissimam veram atque salutarem esse, reli-*

Digitized by Google

liquas vero omnes, quæ vel omnia vel aliqua hujus capita abjiciunt aut depravant, à veritate aut salute aberrare certo cognoscimus. Isthæc autem omnia, tam pie dicta absque ulla umbra opprobrii adversus *Lutheranos*, non potuerunt tamen acerrimam *Helvici* censuram effugere; *Denique non est dissimulandum κενοτύχημα, quod de usu hujus ProtEuangelii Pareus annectit. Ait enim totam Catechesin Christianam eo contineri, de Miseria hominis &c. & tandem solam illam religionem quæ capita ista proponat in Catechesi sua, (Heidelbergensem non obscure innuens,) pro vera religione, eaque sola antiquissima, cæteras pro falsis & à veritate alienis proclamans. Quo ipso virulenter pungit etiam nostrarum Ecclesiam Catechesin, qua Pœnitentiam primo, juxta praxin totius Euangelica Historia & præscriptum Christi, ex Lege proponit, arguente peccata & contritionem excitante in homine, deinde Euangelicam consolationem per Fidem in Christum ac Remissionem peccatorum subjungit. Habet ergo nostra Methodus fundamentum certum in institutione Ministerii ac praxi Apostolica. Heidelbergensis autem Catechesis hanc Methodum depravat, Pœnitentiam Fidei postponens & cum Nova Obedientia confundens, unde à veritate eam aberrare certo cognoscitur.* Sed ita se prodit nimis palam sequior Viri hujus affectus, per quem ad Catechesin Heidelbergensem cum exclusione aliarum trahit, quod de Catechesi Christiana communiter est dictum; & à Capitibus ejus, de quibus solus sermo est, transit importune ad eorum Ordinem, qui pluribus modis non male institui potest; & Pœnitentiæ actus vix decenter distinguit, quorum alii fidem antecedunt & in Catechesi Heidelbergensi per Miseriæ agnitionem quoque præmittuntur, alii vero ita eam sequuntur ut in tractatione tanquam fidei & liberationis fructus etiam merito postponantur.

IV. Enimvero inter recentiores ex Theologis nostris nullus est, qui hujus ProtEuangelii amplissimum sensum copiosius exsecutus est quam *Cl. Coccejus*. Is pluribus hoc agit locis. Inter alia in *Comment. ad h. l.* ubi non tantum singulas ejus partes late exsequitur, sed & sententiam ejus decem notabilibus positionibus evolvit, errores septem graves ex eo redarguit, septem dein veritates alias in eo revelatas urget, &c. Etiam in *Sum. Theol. Cap.* XL. ubi sensum spiritualem distinctè monstrat hujus promissionis Paradisiacæ, quam dicit *fundamentum & matricem omnis verbi gratiæ quod imposterum auditum est &c.* Quin & *de Fœd. Cap.* X. §. 289. *&c.* ubi

Idem secundum Cl. Coccejum.

in hac *radice omnium promissionum* ponit *sententias quatuordecim, quas ordine subjicit.* 1. *Mulierem & ejus naturales liberos servituti Satanæ ad faciendam voluntatem ejus per peccatum factos esse obnoxios &c.* 2. *Fore ut Mulier non obediat Satanæ sed ejus hostis existat. Hæc est promissio Conversionis ad Deum &c.* 3. *Deum ipsum fore auctorem illius inimicitiæ diaboli & contra amicitiæ Dei, quia dicit, penam inimicitiam, ego sanctificabo.* 4. *Mulierem habituram Semen inter quod & diabolum ea inimicitia versetur. Semen autem hic complexe dicitur omnis massa humanitatis hæres futura sanctitatis & vitæ &c.* 5. *Semen hoc habiturum Mulierem propter voluntatem Dei &c.* 6. *Semen id esse reputatione Dei, ut Rom.* IX. 8. *&c.* 7. *In Semine illo esse Servatorem &c.* 8. *Victoriam de Satana toti Semini competere propter communionem cum Servatore &c.* 9. *Victorem Satanæ esse Deum & Hominem. Hoc, quia est Semen Mulieris. Illud, quia ejusdem est ponere inimicitiam & conterere caput Serpentis &c.* 10. *Victorem Satanæ non fore sub maledictione &c. Igitur consequitur fore Filium Virginis &c.* 11. *Victoriam Satanæ integram & totalem fore ut non possit Semini nocere &c. Ergo includit sublationem maledictionis & legis, peccati & reatus, dominii peccati & efficaciæ seductionis, & mortis, ipsamque resurrectionem mortuorum &c.* 12. *Victorem Satanæ per passiones, inflictas propter peccatum ad ejus expiationem, consummatum iri &c.* 13. *Passiones hasce breves fore, & nihil damni allaturas neque Regi neque populo ejus &c.* 14. *Medium participandi victoria esse Conversionem ad Deum in Fide meriti Seminis sanctificantis &c. & in odio mali ac amore justitiæ &c.* Quando adhuc subjicit; *Hæc omnia in paucis istis verbis evidenter ad σύνεζιν continentur. Neque potest id esse obscurum, nisi ei qui in Serpente non intellexerit esse locutum Diabolum, & in ejus figura in Diabolum sententiam dici &c.*

Præcipua utique Fœderis Gratiæ summa heic deprehenditur.

V. In istis omnibus uti pium institutum Virorum horum laudo, & summam rei prorsus approbo, ita tamen non omnia pari evidentia vel soliditate etiam fluere puto. Sed missa singulorum inquisitione curatiori, hoc præcipuè mihi videtur agendum, ut Fœdus Novum Gratiæ substitutum Fœderi Operum ex ista Serpentis maledictione constet, respectu Mediatoris, Beneficiorum, & Officiorum. *Mediatorem* sane heic reperimus palam in præcipuo illo *Semine Mulieris*; cujus *Natura Humana* ex hoc nomine, & *Divi-*

na

Digitized by Google

na ex magno opere conterendi Serpentis constare potest; cujus *Exinanito* per calcanei contritionem passivam, & *Exaltatio* per capitis serpentini contritionem activam exponitur; & cujus *Munus* omne, potissimum *Sacerdotale* & *Regium*, hoc ipso haud obscure innuitur. Ad *Beneficia* Gratiæ quando venimus, conspicua est heic non sola *Vocatio* cum ejus per *Sanctificationem* progressu, in *Inimicitia* per Dei positionem tributa Semini illi Mulieris collectivo quod ad Semen Serpentis non pertineret & præcipuo Semini unitum esset; sed & *Justificatio*, & *Conservatio*, & consequenter *Glorificatio* ipsa, in Serpentis maledictione, dejectione, esu pulveris, & capite ipso contrito, absque alio Seminis Muliebris damno quam quod huic calcaneus contereretur. Tandem & in his Beneficiis continentur *Officia*, in Semen principale tanquam gratiæ tantæ autorem unicum spectandi per *Fidem*, & huic ita adhærendi per amorem & virtutis omnis studium, ut simul Inimicitia adversus Serpentem & Semen ejus cum contritione hujus *Resipiscentium* clarissime prodat. Nihil vero præter hæc quæ diximus ad Fœdus Gratiæ, tanquam Fœderi Operum substitutum, à parte Dei requiritur. Neque repugnat his dictis, quod cum aliis nonnullis *Cl. Coccejus* urget, *ea verba puram putam continere Promissionem qua Deus propositum suum declaret, & quasi ultimam h. e. omni modo ἀμεταμέλητον voluntatem*; illa enim priora verba licet nos probare haud admodum possimus, ob Fœderis stipulationem etiam exigentis naturam, & ob Officia in his verbis implicite comprehensa, videntur tamen tantum opposita esse stipulationi incertæ & propriis viribus præstandæ, quasi Deus quidem aliquid annunciaret his verbis quod ipse facturus sit, cæterum aliquid etiam quod fortè factura sit Mulier ex se vel qualicunque modo tantum adjuta à Deo, uti *Cl. Cocceji* contextus *Sum. Cap.* XL. etiam clare monstrat.

VI. Atque ita cum nobis liquidissime appareat Gratia Euangelica, quæ ante Christum natum ab antiquissimo tempore prædicata fuit ad salutem etiam tunc per eum obtinendam, & quam hinc non quidem æque clare ut nos attamen pro istius temporis ratione sufficienter per adhibitam industriam cum Spiritus S. ductu discere potuerunt Electi Veteres; contumax pellucet cœcitas, tum *Judæorum*, qui alia Prophetarum vaticinia potuissent & debuissent conferre, tum *Christiani* nominis hominum *Socinianorum* & *Socinia-*

Quod contra Socinianos & Socinianizantes teneri debet.

nianizantium multorum, qui cum Judæis hæc verba Dei ad factum & fatum Serpentum corporeorum malunt restringere, nec adeo illam Dei in Christo gratiam salutarem adversus Diabolum heic agnoscere prædicatam. Quemadmodum inter alios scripsit *Val. Smalcius de Divin. J. Christi Cap. II. Promissus igitur fuit Messias primum omnium Abrahamo Patriarche &c.* Ubi ille in antecessum præmiserat; *Quod ad illa secula quæ promulgationem Legis antecesserunt attinet, haberi quidem potest pro aliquâ ejus rei denunciatione id quod Gen. III. legitur, Semen Mulieris conteret caput Serpentis. Quatenus nimirum per Jesum Christum astutia & potentia Satanæ contrita & conculcata est. Sed quia nullus virorum sanctorum Novi Fœderis, qui promissionum divinarum antiquitus factarum mentionem faciunt, horum verborum meminit, & nonnisi ab Abrahamo illas ordiuntur, pro Promissione ea verba haberi vix possunt, nisi fortassis mystico sensu, qui nunc quidem nobis patet posteaquam Deus nobis Jesum Christum exhibuit, primis vero parentibus tunc temporis vix ac ne vix quidem patere potuit, nec porro ut pateret necesse ullo modo erat. In quare tanto minus laborandum nobis est, quod multi Præstantissimi Theologi tam vetustiores, quam recentiores, idem plane de loco illo sentiant.* Ad quorum verborum intelligentiam clariorem alia ejusdem Autoris contulit *Ven. Avus Cloppenburgius*, quibus asserit *nullam* illic *esse promissionem*, nec sensum mysticum aliud quam *quandam longissime petitam allusionem*, per quam verba ad Christum *quoquo modo* possint *accommodari*; quæ ipse tum simul solide confutat. Nos in eam disputationem denuò heic non ingrediemur, quæ ex exegesi Serpentis & Seminis Muliebris facile repeti potest; sed opponemus huic Viro tantum illa quæ *Simon Episcopius* ipse protulit gemino loco. Scilicet *Instit. Theol. Lib. V. Cap. 4. Etsi hic non manifeste apparet promissio aliqua divina, & verba ista nusquam ut verba promissionem de Messia continentia in N. Test. allegantur, tamen nihil vetat ea sic accipere tanquam ad id indicandum pertinentia, quia postea Semen Abrahamo promittitur quod ad Gal. III. 16. Christus esse dicitur.* Et similiter latius *Lib. II. Cap. 10. Hoc propositum suum* (de Filio Salvatore mittendo &c.) *Deus obscure primum significare voluit, & quidem sub voce Seminis, & Seminis quidem Mulieris quod contriturum esset caput Serpentis. Quo dicto etsi prima facie significari videtur naturalis quædam inimicitia inter hominem & Ser-*

pen-

pentes futura, tamen amplius aliquid à Deo significatum fuisse valdè est verisimile. Nam qua ratio ut credamus pœnam hanc Serpenti inflictam fuisse ipsius Serpentis causa; quo Diabolus tanquam instrumento suo nullo ipsius merito aut culpa abusus fuerat? Id vero quod significatum Deus voluit, quid aliud esse videtur quam hoc, quod Deus procuraturus esset suo tempore, ut Filius hominis Diabolum, qui in Dei horto seu Paradiso per Serpentis os causa fuerat casus vel lapsus hominis in mortem, vicissim in horto suo id est mundi hujus cujus ipse Deus esse dicitur obtereret, eique caput comminueret, id est vim omnem ladendi & perdendi eriperet, non quovis modo sed ita ut ipse Serpens Filii calcaneum prius admorsurus esset, id est stantem erectumque in mortem cadere faceret, uti cadere necesse est hominem cui calcaneus non est quo veluti basi totum corporis pondus nititur atque innititur ne concidat. Notanda enim est ista reciproca actio, ille tibi mordebit calcaneum & tu conteres ei caput; ut notetur, morte ipsa Filii istius Diabolum mortis istius auctorem perdendum esse & perditum iri. Hujus autem rei signum & specimen aliquod ut existaret, inimicitiam illam inter Serpentem & hominem perpetuam esse voluit Deus. Fateor, verba hec Dei nuspiam in N. Test. sic exponi, & Seminis Promissionem passim non nisi à promissione seminis Abrahamo facta inchoari. Sed sensum istum Dei sensum fuisse, rei ipsius natura videtur postulare, quamquam nolim admodum super hac re contendere; & eum non parum confirmat id unum, quod tota Scriptura Vet. Test. non videatur esse adeoque non sit nisi genealogia quadam sive series majorum Seminis benedicti id est Jesu Christi, unde istius Divini propositi ratio non obscure elucescit. Que causa etiam fuisse mihi videtur, quod Lucas Christi genealogiam non tantum ad Davidem & Abrahamum usque deducat uti Matthæus, sed prosequatur ad Adamum usque, imo ad usque Deum cujus filium dicit fuisse Adamum Creationis prime beneficio. Patet etiam Deum singulari semper providentia curasse, ut Semen aliquod certum restaret, etiam in summa mundi corruptione, quod propagaretur usque dum Filius iste sive Semen istud excellentissimum in lucem prodiret, uti in Setho, Noacho, &c. apparet. Hinc Seminis istius aperta mentio facta est à Deo, quando istud ex Abrahami lumbis educere constituerat. Ex illo tempore Seminis vox mansit; adeo quidem ut cum natus esset Dei Filius, ille Semen illud promissum passim vocatus fuerit, atque ex Semine Abrahami & Davidis suscitatus dicatur se-

cundum carnem. Atque ut hujus Seminis promissi memoria semper inhæreret animis populi, hinc Circumcisio addita Fœderi & severe imperata fuit tanquam signum promissioni isti designandæ & veluti repræsentandæ perquam idoneum ac tantum non genuinum. Contulerunt vero alii dudum etiam Novi Test. loca, quibus omnino verborum Dei in Paradiso sensus iste spiritualis ad Christum Satanamque spectans innuatur, ex *Luc.* x. 18. *Rom.* xvi. 20. *Gal.* iv. 4. *Col.* ii. 15. *Hebr.* ii. 14. 1. *Ioh.* iii. 8. *Apoc.* xii. 9. 10. 11. *&c.* Nec obstat, Promissionem Messiæ ab Abrahamo quandoque repeti, quoniam ea tunc magis declarata fuit & restricta, & tam à progressu & complemento suo quam ab ejus primo initio res aliqua optime repeti potest, & repetitur frequenter; dum tamen de erigendo *cornu salutis* locutum Deum dicit Zacharias διὰ στόματος τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος προφητῶν αὐτοῦ *Luc.* i. 70. & David de Messia *scriptum* esse monet כמגלת ספר *Psal.* xl. 8. & Moses de Christo scripsisse fertur *Luc.* xxiv. 27. 44. *Ioh.* i. 46. v. 46. *&c.* Nec potest quemquam vel leviter movere, quod hæc Dei verba sint Maledictionis, non Promissionis; siquidem perditissimi Hostis nostri Maledictio simul est maxima nostri respectu Promissio, & est illa quidem prolata ad Serpentem, sed audiente ad solatium & instructionem suam Homine. Sicuti ab ævo hoc observatum est, ab ipso etiam *Chrysostomo*; ὅρα ἀγαπητὲ διὰ τί ὁ θεὸς ἡμῖν ἐνδείκνυται τὴν κηδεμονίαν, ἐν οἷς τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν ἔχει *&c.*

CAPUT SEPTIMUM.

Quo de Tunicis Pellis à Deo aptatis Adamo & Uxori disseritur.

Signa Divinæ Gratiæ in Hominem lapsum, quæ ad verbum ProtEuangelii possunt addi.

Non debet esse dubium, quin fuerint jam ante lapsum hominis quædam exhibita Adamo, quæ post propositum Novum Fœdus Gratiæ hujus argumento seu exprimendo seu firmando potuerunt facere apud eum rite attendentem, sicuti & usum eundem nobis hodieque præstare. Eo nempe loco nos habemus; tum *Paradisum*, quem ad cœlum nobis quoque promissum transfert Scriptura; tum *Arborem Vitæ* in eo, cujus nomen apud nos accipit seu

ſeu Mediator tanquam fons veræ vitæ, ſeu Deus in eo; tum immiſſum Adamo *Somnum* ad acquirendam vitæ ſociam, qui cum Chriſti tanquam ſecundi Adami morte ad acquirendam Eccleſiam ab ævo collatus eſt, præeunte quadantenus Paulo ubi de Conjugio ſpirituali Chriſti cum Eccleſia ut μυſterio magno loquitur *Eph.* v. 32. tum *Sabbathum* hebdomadarium, quod ad Quietem Chriſti & Eccleſiæ gratioſam & glorioſam in fine dierum nunc apte ſatis refertur; tum alia forte plura ſimilia. Dum neutiquam heic locum reperire poteſt Sacramentalem ſeu Expulſio ex Paradiſo ſeu Excluſio ab Arbore Vitæ poſt lapſum & ProtEuangelium ſecuta, ſecundum ea quæ diximus *Lib. III. Cap.* XIV. § 7.

II. Sed notabilis eſt hiſtoria apud Moſen de Veſtitu lapſis hominibus à Deo dato, in quo Symbolum & Sacramentum Novi Fœderis novum ad ejus confirmationem gratam reperire ſolent Theologi. Quod quam recte fiat, haud inutiliter videbitur, poſtquam narratio ipſa Moſis fuerit paulo diligentius conſiderata. Quæ his quidem concipitur vocibus *Gen.* III. 21. *Et fecit Jehova Deus Adamo & Uxori ejus tunicas pellis, & induit eos.* Ubi res præcipua conſtituitur per כתנות עור / χιτῶνας δερματίνους apud LXX. *tunicas pelliceas* apud *Vulgatum*, *veſtimenta honoris*, ſeu *gloriæ*, *ſuper cutem carnis* apud *Onkeloſum*, addente *Jonathane* ea facta *ex pelle Serpentis*, *quem exuerat ex ſe*, vel *illo*, & ſubſtituta *pro pulchritudine eorum qua exuti erant.* Nempe nomen unum כתנת/ formæ pluralis, pro quo in ſingulari cum duplici alia punctatione legitur כתנת/ unde non tantum Græcam vocem χιτὼν ſed & Latinorum *Tunicam* per converſionem literarum aliqui derivant, notare videtur non qualecunque veſtimentum ſed corporis humani formæ aptatum ſive ἀνθρωπολαῖον ſive ἀνθρωπολαῖον, absque gloriæ aliquæ ſpecialis in eo neceſſitate, qualis v. g. erat in Romanorum Toga, *coll. Gen.* XXXVII. 3. *Exod.* XXVIII. 4. 40. *Lev.* XVI. 4. 2. *Sam.* XIII. 18. *Iſ.* XXII. 21. *&c.* Quapropter nimium heic aberrat *Joh. Clericus*, quando Tunicas has iterum in Tabernaculum convertit. *Ut verum fatear*, inquit, *quemadmodum Perizomata Ficulnea ſupra Tabernaculum interpretatus ſum, ita his non Veſtes ſed Tabernaculum pellibus contectum intelligendum ſuſpicor. In Agro Babylonico, ubi tepidiores hyemes, non indigebant Veſtibus pelliceis quæ calidiores ſunt primi parentes. Tecti alicujus, quo ardorem ſolis ac pluvias arcerent, uſus potius erat, quod præſtare ſat commode potuit*

Qua occaſione de Tunicis agitur.

tuit Tabernaculum peliibus tectum. Fateor כתנות *tunicas ſignificare, verum antea rationes attuli, ob quas primas mortalium domos Veſtium nomine deſcribat Moſes, atque ut apud Romanos Veſtis quemlibet pannum, ita forte apud Hebræos* כתונת *Velum quodvis, quamvis exempla nunc deſint, ſignificavit.* Pergit adhuc; *Hæc porro ſerius fixa fuiſſe Tabernacula crediderim, quamvis res narretur, antequam ejectio è Paradiſo deſcribatur. Animalia initio illo tanta forte copia non fuere, ut poſſent occidi velamentorum conficiendorum cauſa ſine nimia ſobolis jactura. Primo illo tempore, ut verbis Lucretianis è Libro V. utar, nondum ſciebant*

——— *Uti*
Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum,
Sed nemora atque cavos montes ſylvaſque colebant.
Et frutices inter condebant ſqualida membra,
Verbera ventorum vitare imbreſqae coacti.

Serius,

Inde caſas poſtquam ac pelles ignemque pararunt
Et mulier conjuncta viro conceſſit in unum &c.
Tum genus humanum primum molleſcere cœpit..

Credibile certe eſt, tum Veſtes inventas, quæ ſaltem pudenda tegerent, cum luxurianti juventuti frænum injiciendum fuit; ne aut parentes ipſos violarent, aut paſſim concumberent. Atque hinc natus pudor, ſeu affectus ille, quo percelluntur qui quæ privatim fieri uſus inſtituit coram aliis facere deprehenduntur. Sed hæc nos extra oleas abducerent. Utique quam inepte Vir hic antea ex *Cinctoriis* Ficulneis *Scenam* fecerit viridem, antea patuit *Lib. III. Cap. VIII. §. 7.* Hic vero non minus inepte *Tunicas*, quibus factis Deus etiam hominem induiſſe ſimul dicitur, in *Tabernaculum* convertit, præter omnem vocis hujus uſum & contra perſpicuum contextum, per quem deinde cogitur rem in ipſo Paradiſo ante expulſionem ex filo Moſaico geſtam in longe ſerius tempus transferre, quandoquidem in Paradiſo non amplius ulli humano Tabernaculo erat locus. Et quam levis eſt iſte prætextus? quod in regione calidiori veſtibus pelliceis non tam opus haberent homines quam quidam Tecto ſufficienti adverſus cœli injurias. Habebant utique propter nuditatem pudibundam tegumento corporis opus, & quod præ fronde arborum eſſet ſolidum & aptum; & potuit veſtimentum hoc tale eſſe ex pelle, ut nimium ſolis ardorem ac pluvias non minus à corpore arceret quam hor-

Digitized by Google

horridum frigus. Temere etiam tanta ponitur Animalium raritas in hoc primo initio, ut hinc Corporis ſui neceſſaria tegumenta nequiverint habere homines duo primi. Et eſt omnino indigniſſimum factum, Gentilium de primo tempore traditiones admittere ſupra Moſis narrationem, & huic in prima pudoris & veſtimenti quæſiti cauſa adeo palam contradicere. Sed nec probare poſſumus plurimas gloſſas Allegoricas Veterum, & recentiorum quorundam, qui Tunicas has retulerunt, ſeu ad Mortalia Corpora, ſeu ad Mala omnia peccatoribus ſupervenientia in eis, de quibus non eſt ut prolixius dicamus.

Quæ Tunicæ Pellis dicuntur.

III. Tunicæ hæ cum dicuntur *pellis*, עור referri illud alterum nomen à *Paraphraſtis* videmus ad humanam cutem, quæ per Tunicas illas tegeretur ſcilicet; ita ut Tunicæ non denominentur à materia ſua ſed ab objecto cui deſtinatæ fuerunt, quod cum aliis multis ſequitur *Cl. Coccejus* obſervans *cutem pro membris corporis poni*, *coll. Exod.* XXII. 27. *& Iob.* II. 4. Sed longe communius ad materiam Tunicarum refertur hæc vox. Quando iterum non deſunt qui de cute cogitant humana, quæ ipſa oſſibus & carni injecta conſtituat has Tunicas per quandam ſimilitudinem, *coll. Job.* X. 11. *Ezech.* XXXVII. 6. *&c.* uti apud *Aben Ezram* videre licet. Sicut nec ad hominem nec ad animantia bruta ſpectarunt alii, ſed ad Arbores ſeu Plantas, quarum cortex veniat ſub *pellis* nomine. Ita inter alios *Theodorus* apud *Theodoretum Quæſt.* XXXIX. *in Gen.* Ἀλλὰ γὰρ ἠγνόησαν, ὡς ἔοικεν, οἱ περὶ τούτων ζητοῦντες, ὅτι δέρματα οὐ μόνον τὰ ἐκ τῶν ζώων ἀφαιρέματα λέγεται, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐκ τῶν δένδρων, ἃ καὶ φλοιοὺς ἐνομάζειν ἔθος τοῖς πολλοῖς· ἐκ δένδρων τοίνυν δερματίνους πῶς φλοιοὺς ἐχόντων εἰς ἐνδυμάτων κατασκευὴν, ἐποίησαν οἱ περὶ τὸν Ἀδὰμ τὰ ἐνδύματα, ἃ θεὸς κατ' ἔννοιαν αὐτοῖς ἐνέθηκε πῶς χρὴ τοῦτο ποιῆσαι. Sed de hac opinione cum alia ante præmiſſa ipſe ſic ſcripſit *Theodoretus*; Οἱ μὲν ἀπηγορηκότες τὴν ζητησιν σάρκας φασὶ τὰ δέρματα, ἄλλοι δέ τινες ἀπὸ φλοιῶν δένδρων τούτους συνυφάσας κατασκευάσθαι εἰρήκασιν· ἐγὼ δὲ γε οὐδέτερον τούτων πεισθείην, τὸ μὲν γὰρ ἄπιστον, τὸ δὲ ἄγαν μυθῶδες *&c.* Ergo *pellis* heic pro ſolito vocis uſu intelligitur brutorum animantium, ſpecificè potius quam numericè una. Quam rurſus intelligunt aliqui proprie magis de parte ejus coriacea; alii de lana aut pilis enatis & inde abraſis ac inter ſe complicatis metonymicè; alii denique de illa integra prout animantibus adnaſcitur. Pro qua ſententia poſtrema fa-

cit quod cum aliis adſcripſit *Iob. Clericus*; *Ad Moſaicæ hiſtoriæ illuſtrationem facere, quod videmus à Lucretio agnoſci, primas veſtes è pellibus fuiſſe. Quod & Diodorus Siculus teſtatur Lib.* I. *ubi dicit Herculem leonina indutum deſcribi, quod illis temporibus ſolerent homines, nondum invento molliorum veſtium uſu, δοραῖς τ θηρίων σκεπαρνηίοις χρῆσθ, pellibus ferarum quaſi integumentis uti.* Enimvero cum nec Moſes determinaverit genus pellis unde Tunicæ factæ ſunt, de eo mire rurſus diſſentiunt Autores. Pellem ipſius Serpentis nominari à *Ionathane* antea audivimus; quod licet nullam habeat plane ſpeciem, etiam tamen apud R. *Eliezarem Cap.* XX. traditur. Ab aliis ad pilos vel lanam maxime ſpectantibus nominantur, ſeu Cameli, ſeu Lepores, ſeu Cervi, ſeu Oves, ſeu neſcio quod aliud Animal homini valde ſimile apud *Aben-Ezram.* Et mireris merito, quomodo ad Moſen ſimpliciter habentem *Tunicas Pellis* nugati ſint in primis Judæi, tum de harum ſpeciali forma, tum de colore admodum vario, quo figuras omnium animantium volucrium & beſtiarum expreſſerint illæ; uti & porro fingunt, Tunicam Adami in Arca ſervatam, à Chamo acceptam, & Nimrodo relictam, ob quam omnes beſtiæ atque aves coram ipſo conciderint &c. quæ etiam *R. Eliezer* tradidit ſub nomine R. *Jehudæ Cap.* XXIV. deinde ab Heſavo acceptam, à Jacobo ſepultam, ab Heſavitis rurſus effoſſam, Romæ ſervatam, & ſeptuageſimo quoquo anno in ſpectaculo circumductam &c. Ut nihil dicam de viginti quatuor ornamentis quæ Evæ ferunt à Deo data, ſcilicet *duobus Calceis totidemque Ligulis, duabus Tibialibus totidemque Genualibus, Induſio & Manicis, Tunica inferiori & ſuperiori, Amictorio cum Cingulo, Mammillari & Pectorali, Frontali facitei, Inauribus cum Sera, Armillis in manibus, Annulo atque Monili &c.* Somnia iſthæc ſunt alieniſſima, dum ex verbis Moſis cogitare decet de Veſte una Corpori toti tegendo, quæ eſſet ſatis ſimplex, nec tamen nimium rudis, ex pelle animantium ſine vel cum lana vel pilis ſuis, quæ maxime præ manibus eſſent, & ad uſum corporalem ſimul & myſterium apta. Quales Tunicas Pelliceas, potius etiam quam lineas vel laneas, tribuit Deus Adamo ſecundum *Corn. à Lapide*; *Primo ut hæ veſtes tam hyeme quam æſtate ſola inverſione Adamo & Evæ ſervirent. Secundo quia non ad Ornatum datæ ſunt ſed ad neceſſitatem, ut nimirum nuditatem tegerent & aëris injurias arcerent. Tertio quia hæ veſtes ſymbolum erant non*

tan-

tantum verecundiæ ſed & frugalitatis continentiæ & pœnitentiæ. Non purpura, non panno, ſed pellibus quaſi cilicio Deus homines poſt peccatum veſtivit, ut doceret ſimilem ſimplicem nobis debere eſſe veſtitum &c. Quarto hæ veſtes è mortuorum pellibus factæ monebant Adamum, eum mortis fuiſſe reum &c. Aliud etiam habet *Calvinus* noſter; *Cur autem pelliceis veſtibus induerit ipſos Dominus, hæc mihi videtur eſſe ratio, quia ex ea materia confectæ belluinum quiddam magis ſaperent quam lineæ vel laneæ. Voluit ergo Deus in tali habitu primos homines, non ſecus ac prius in nuditate, conſpicere ſuam fœditatem, atque ita peccati reminiſci. Interea negandum non eſt, quin exemplar nobis propoſuerit, in quo nos ad frugalem & minime ſumptuoſum veſtitum aſſuefaceret &c.* Dum *Auguſtinus Lib. II. de Gen. c. Manich. Cap.* 21. pelliceas tunicas retulit ad hujus vitæ mortalitatem; *Quo enim majore indicio potuit ſignificari mors quam ſentimus in corpore, quam pellibus quæ mortuis corporibus detrahi ſolent?* Sed alia major & melior ratio myſtica deinde à nobis ſuo loco quoque addetur.

Eas quo modo Hominibus fecerit, illoſque eis induerit Jehova Deus.

IV. Has verò Tunicas Pellis, in plurali numero reſpectu gemini hominis abſque ulteriori multiplicatione neceſſaria, fertur *Adamo* ſimul & *Uxori ejus*, veriſimiliter cum aliquo diſcrimine ſexus ob Legem æquiſſimam *Deut.* XXII. 5. tanquam pariter indigis juvandis & inſtruendis, ipſe *Jehovah Deus*, hoc gemino nomine ſuo toties jam expreſſus, *feciſſe* non tantum vel paraſſe, ויעש / ἐποίησε apud LXX. ſed & eiſdem loco frondis ficulneæ ineptioris *eos induiſſe* ſeu texiſſe, וילבשם / καὶ ἐνέδυσεν αὐτούς apud LXX. Quod an mediate an immediate peregerit ipſe, diſputant Interpretes. Enimvero conſtat, ſeu de immediata Creatione ex nihilo, ſeu de miraculoſa converſione præexiſtentis materiæ, heic ab ævo quoſdam cogitaſſe cum *Procopio, Jacobo Sarugenſi, &c.* Quorſum tamen non venerunt alii, qui Deum convenienter ſuæ majeſtati per potentiſſimum voluntatis juſſum pelles quaſdam animantium ad veſtitum aptas feciſſe & tribuiſſe Adamo volunt ita, ut hoc ſibi à Deo contingere intelligerent Protophaſti; quia nempe phraſis Moſis id plane videtur ſignificare, longe diverſa ab illa quam de Ficulneis Cinctoriis habuimus *verſ.* 7. licet illam alii referant ad propriam hominis induſtriam, & hanc ad Dei permiſſionem ac inſtigationem. Videtur illuc tendere id quod legitur apud *Juſtinum M. Reſp.* XLIX. *ad Orthod.* Χιτῶνας δὲ δερματίνους ἐποίησεν ὁ θεὸς τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλὰ

ἀλλὰ δημιουργικῶς, ὁ γὰρ ζῶα σφάξας, καὶ τούτων τὰ δέρματα συρράψας, χιτῶνας ἐποίησεν, ἀλλ' αὐτὸς τοῦ χιτῶνας ἐδημιούργησε τοῦ δερμαλίνους &c. In quam rem ſcripſit etiam noſter *Piſcator*; *Sunt qui hoc accipiant μεϑωνυμικῶς, quaſi ſentiat Moſes, Deum indidiſſe primis parentibus induſtriam qua ipſi ſibi fecerunt tunicas, putantes nimirum indignum eſſe majeſtate Dei ſi dicatur pelliſex. Sed puto verba Moſis ſimpliciter intelligenda, nec indignum fuiſſe Deo quod ipſe fecit illas veſtes. Neque enim feciſſe putandus eſt cum labore aut moleſtia, ut pelliſices & ſartores veſtes conficiunt, ſed ſolo nutu.* Loquuntur alii etiam cum *à Lapide* de *Angelorum miniſterio*, quo Deus hoc egerit. Sed plures omnino ad providentiam Dei heic recurrunt qua homines primos ad faciendas has Tunicas pellis & ſibi applicandas incitaverit. Quod ipſum durius primò expreſſit *Calvinus* noſter; *Craſſa Minerva exponit Moſes, Dominum hanc Adæ & ejus uxori induſtriam dediſſe ut ſibi veſtes ex pellibus conficerent. Neque enim ſic accipere convenit ipſius verba, quaſi fuerit Deus pelliſex aut miniſter ad veſtes conſuendas. Jam vero credibile non eſt, pelles illis fortuito eſſe oblatas, ſed quum animalia prius deſtinata eſſent in ipſorum uſum, nova neceſſitate compulſos macta ſſe aliqua quorum ſe corio tegerent, atque ad hoc capiendum conſilium divinitus fuiſſe inductos, quare Deum Moſes authorem nominat &c.* Atque huc manifeſte propendet *Cel. Rivetus Exerc.* XXXIX. *De facilitate potentiæ divinæ dubitare nefas eſt. Sed modum quo id Deus fecerit determinare noſtrum non eſt, tacente Scriptura. Inclino magis in ſententiam eorum qui feciſſe Deum dici putant quia hominibus indicavit ut facerent &c. Poteſt etiam addi quod præter induſtriam quam à Deo acceperunt, poteſtas ipſis facta fuit animalia in hunc ſuum uſum deſtruendi &c.* Utique ſi ἀμέσως heic non egerit Deus, providentiam ejus oportet tamen agnoſcere, non generalem ſed ſpecialem, per facta & dicta ſatis in hanc rem expreſſa. Quemadmodum dixit *Chryſoſtomus*; Θεοπρεπῶς ἅπαντα νοῶμεν καὶ τὸ ἐποίησεν ἀντὶ τοῦ προσέταξεν, ἐκβάλλει χιτῶνας δερμαλίνους αὐτοὺς φυσικῶς &c. Hoc autem factum Dei quando per *Vau* copulativum præcedentibus ſimpliciter connectitur ante Ejectionem Hominis ex Paradiſo, non eſt heic locus longiori dilationi rei hujus, niſi præ Moſe velimus temere ex vanis conjecturis ſapere.

Unde fuerint hæ Tunicæ Pellis, & quo pacto ad Obſignationem Fœderis Gratiæ fecerint.

V. Enimvero factum hoc Dei, in quo provida ipſius bonitas eſt conſpicua & rectiſſime à *Chryſoſtomo* inculcata, ejuſque hanc

Tem-

Temporis circumſtantiam quando cum aliis Scripturis Vet. & Novi Teſtamenti contulerunt dudum Viri Docti, crediderunt ſe heic non tantum Novi Fœderis Gratiæ Sigillum illuſtre ſed & ſimul Sacrificii ad ejus confirmationem facti veſtigium aliquod reperire. Nuditas nempe per peccatum probroſa obtigerat homini; quam cum ſua induſtria minus feliciter tegere poſſet homo, tegumentum ei ſufficiens per promiſſam ſuam in Meſſia gratiam erat objecturus ipſe Deus, quod per Tunicas has ipſi apte repræſentabatur. Et exſtat dein apud Moſen Lex *Lev.* VII. 8. *Et Sacerdos adducens holocaustoma viri, pellis holocaustomatis, quod adduxerit Sacerdoti, ipsius erit.* Quam, licet longe ſerius per hunc latam, credunt aliqui ab altiori origine non minus eſſe repetendam, quam alias plures ſimiles, v. g. illam de animantibus puris & impuris *Gen.* VII. 2. de primogenitis *Gen.* IV. 4. de ducenda fratris mortui uxore & ſuſcitando illi ſemine *Gen.* XXXVIII. 8. 9. *&c* Unde poſſit debeatve ea heic jam in Pelle tributa Adamo cum uxore à Deo agnoſci. Quo magis non poteſt facile cogitari, aliunde quam à victimis cæſis, juſſu divino per Adamum, fuiſſe Pellem illam unde factæ hæ Tunicæ mox ad auditas Dei judicis voces ante ejectionem ex paradiſo. Inepta enim videri debent ſomnia de Pelle hac, ſeu immediatè creata ſeu miraculoſa ſuppeditata à Deo per alterius ſubſtantiæ converſionem; nec ſpeciem magnam habet, vel animantium à Deo ad detrahendam pellem occiſorum carnem prorſus inutiliter fuiſſe abjectam, vel ex animantibus antea ab Adamo jam mactatis pluribus pelles abjectas à Deo fuiſſe nunc aſſumptas, vel ad uſum ipſius Adami corporeum mactationem in hac temporis circumſtantia tam cito eſſe factam etiam. Nihil vero etiam magis veriſimile fit quam Sacrificia æque poſt lapſum facta eſſe ab Adamo, quam ab *Habele*, qui dicitur *etiam ipſe adduxiſſe de primogenitis gregis ſui & de adipe eorum Gen.* IV. 4. Ad quem cum oblatione ſua Jehovah dum ibidem dicitur *reſpexiſſe*, dumque *Abelem fide obtuliſſe Deo* πλείονα θυσίαν παρὰ Κάϊν, μαρτυρεῖσθαι τῶν δώροις αὐτοῦ τῷ Θεῷ, tradit *Paulus Hebr.* XI. 4. imo nec ab omni oblatione abſtinere potuit impius & incredulus Cajin, videtur illa Sacrificiorum inſtitutio Divina & quidem Habele antiquior extra controverſiam debere proni. Quod pluribus argumentis adſtruxit etiam *Cl. Coccejus de Fœd.* §. 305. nempe. 1. *Ex eo quod non licet Deum* ἐθελοθρησκείαις *& adinventionibus propriis*

priis colere. Quis enim mentem Domini novit? ut audeat aut possit quicquam facere ex se ipso quod Deo gratum sit Esa XL. 12. Rom. XI. 34. 1. Cor. II. 14. 15. 16. 2. *Quod nemo sibi sumit honorem Sacerdotii nisi qui vocatus est ut Aharon Hebr.* V. 4. 3. *Quod Abel in fide obtulit Hebr.* XI. 4. *Atqui in fide offerre non potest, qui non secundum verbum Dei offert, nesciens Deum cultus sui remuneratorem fore Hebr.* XI. 6. *Ergo si Abel initio intendit sacrificium offerre, quemadmodum postea sancti obtulerunt, oportet ut verbum Dei ejus sacrificium præcesserit.* 4. *Quia Deus omni tempore sacrificia ex propria voluntate oblata rejecit.* 5. *Quia si Abel Deo obtulit adipes primogenitorum, vel ad consolationem suæ conscientiæ, vel temere fecit. Si illud, vel fecit ut placeret Deo isto facto tanquam actu virtutis, vel ut applicaret sibi promissionem remissionis peccatorum & donationem justitiæ. Non illud, quia Deus non postulat sed abominatur sacrificia, quando habentur pro causis placendi Deo. Ergo hoc. Quod & liquet, quia per fidem qua obtulit consecutus est testimonium justitiæ Hebr.* XI. 4. *&c.* Ad ista omnia adjice, si non plane displicet, observationem *Ven. Avi Cloppenburgii Scholæ Sacrif. Cap.* II. §. 5. *Munit sententiam nostram, qua inter primam Promissionem de venturo Semine Mulieris & primum Sacrificium non relinquimus temporis ullum intervallum, nedum annorum plus minus ut vulgo opinantur* CXXIX. *(isto enim ætatis Adami anno putant occisum à Caino Abelem, cum anno* CXXX. *sit natus Seth) munit inquam hanc sententiam nostram Apostolus, docens, Vetus Fœdus absque sanguine dedicatum non fuisse, & absque sanguinis effusione non fieri remissionem Hebr.* IX. 18. 22. *Hinc enim consequens est, vel cum promissione illa de venturo Semine Mulieris nullam factam esse Fœderis Dei cum homine spiritualis instaurationem qua peccatorum remissionem speraret, & crederet, vel non esse factam χωρὶς αἱματεκχυσίας, qui est Sacrificiorum character.* Secundum quam observationem spectaverit adducto loco ita Paulus ad id quod à Mose factum fuit apud montem Sinai & dein per ipsum constitutum est, per modum exempli notissimi & illustrissimi, ut tamen illa regula, ὅτην κὰθ' ἡ πρώτη χωρὶς αἵματος ἐγκεκαίνισται, antiquioris etiam sit veritatis & latioris extensionis ad ipsam τὴν καλουμένην νόμον *vers.* 26. Hoc autem posito fundamento de oblatione Adamica Dei jussu facta, adversus quam neutiquam præscribere licet per inanem hypothesin de unico singulorum animantium pari tantum à Deo creato, conji-

ciunt

ciunt amplius Theologi; Pellem hanc unde factæ Tunicæ fuisse, non tam Bovis, de quo ab Adamo oblato loquuntur alias Judæi ad *Psal.* LXIX. 32. quam Ovis, tanquam in victimis plurimum adhibitæ, & humano vestitui aptissimæ per pellem suam cum enascente lana, & per qualitates suas varias Christum optime exprimentis quoque. Hoc enim jam porrò additur, quod per victimæ vel victimarum harum oblationem Deus novum Fœdus Gratiæ firmari volens cum Homine, in Agno mactato expresserit umbraticè præcipuum illud Mulieris Semen in calcanei sui per mortem illatam contritione, secundum illud *Ies.* LIII. 7. *dum facta est exactio ipse afflictus fuit, & non aperuit os suum, sicut pecus ad mactationem ducitur, & sicut ovis coram tonsoribus suis obmutescit, ita non aperuit os suum.* Quorsum & conferri posse putant notum textum *Apoc.* XIII. 8. ὧν ὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐν τῷ βίβλῳ τ ζωῆς τ ἀρνίυ ἐσφαγμέν ἀπὸ καταβολῆς κόσμυ, sed in quo nos verba illa postrema ἀπὸ καταβολῆς κόσμυ longe rectius referri credimus ad inscriptionem nominum quam ad Agni mactationem *coll. Apoc.* XVII. 8. uti & hoc adstruximus *in Commentario* nostro *Apocalyptico.* Nec tantum voluit Deus in sanguine fuso spectari λύτρον humanæ redemptionis à potestate Diaboli, sed & in Pellis datione ad Tunicas Adami & Evæ adumbrare justitiam Christi qua per fidem & imputationem benevolam induendi essent electi, ut tegeretur ipsorum peccaminosa nuditas coram Deo, secundum argumentum plurium locorum Vet. & Nov. Testamenti quæ in hanc rem conferuntur; ex *Ies.* LXI. 10. *lætando lætor in Iehovah, exsultat anima mea in Deo meo, quoniam induit me vestibus salutis, pallio justitiæ amicivit me &c. Rom.* XIII. 14. ἀλλ' ἐνδύσασθε τ κύριον Ἰησῦν, *Gal.* 3. 28. ὅσοι γὰρ εἰς Χριςὸν ἐβαπτίσθητε Χριςὸν ἐνεδύσασθε, *Phil.* III. 9. καὶ ἐυρεθῶ ἐν αὐτῷ, μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμυ, ἀλλὰ τὴν διὰ πίςεως Χριςῦ, τὴν ἐκ θεῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίςει, *Apoc.* III. 18. καὶ ἱμάτια λευκὰ ἵνα περιβάλῃ καὶ μὴ φανερωθῇ ἡ αἰσχύνη τ γυμνότητός συ, *&c.* Atque hæc res integra est, quam prolixius ursit *Ven. Cloppenburgius* cum aliis, tam *Disp. V. de Fœd.* quam *Schola Sacrif. Cap.* II. *Quidni paulo altius quam Pontificii arcessamus Sacrificiorum historiam? nimirum ut cum prima Fœderis instauratione per Promissionem jam dictam simul instituta sit atque Adamo imperata Sacrificiorum religio, quæ in se haberet eo quo supra est dictum modo etiam Fœderis Sacramentum. Habemus certe*

ve-

vestigium τ σφαγίων seu mactatarum pecudum ad ἱλασμὸν pro peccatis in Tunicis Pelliceis quibus Adamum & Uxorem ejus vestiit Deus Gen. III. 21. Unde enim Tunicæ Pellicæ non mactatis pecudibus? Frustra enim est, quod de materia Tunicarum quidam voluerunt controversiam movere, cum in Scriptura vox Hebræa עור nusquam reperiatur alia significatione quam pro externa animalium pelle usurpata. Deinde videtur hic esse prima origo Legis illius quæ exstat Lev. VII. 8. &c. ubi est eadem vox Hebræa עור. Fuisse autem Adamo nudo datum istud Propitiationis symbolum qua teguntur peccata, quod Tunicis istis Deus hominem vestire voluerit tegenda nuditati, discimus ex verbis Christi ad Laodicenses Apoc. III, 18. Consulo tibi ut emas à me, &c.

CAPUT OCTAVUM.

Quo inquiritur, an nomen Hevæ, ab Adamo Uxori datum, ad Fœderis Gratiæ Promissum sic agnitum spectet.

Textus de dato Mulieri nomine Hevæ.

UT Fœdus novum Gratiæ haberet suam integritatem, necessum erat ejus à Deo propositi argumentum præcipuum ab homine per Fidem agnosci. Quod & agnitum mox fuisse probant multi ex nova Mulieris appellatione post ProtEuangelium auditum ejusque addita interpretatione jam ante Tunicas Pellis hominibus à Deo tributas, *Gen.* III. 20. *Et vocavit Adam nomen Uxoris suæ Havvah, quoniam ipsa est,* vel *fuit,* vel *facta est, mater omnis viventis.* Ubi apud LXX. reperimus non Εὔα sicut dein *Cap.* IV. 1. sed ζωὴ, & ratio addita redditur cum omissione verbi, היתה / ὅτι αὕτη μήτηρ πάντων τ ζώντων : dum apud *Vulgatum* est *Heva,* & porro, *eo quod mater esset cunctorum viventium*, & apud *Onkelosum* & *Jonathanem* occurrit *mater omnium filiorum hominis.* Quam vero solida sit hujus nominis tractio ad Vitam spiritualem & æternam per Messiam ex Heva nasciturum, post inspectum & expositum breviter & communius textum poterit rectius dijudicari.

Ejusque Expositio brevis & communior.

II. Scilicet accipit heic *Uxor* Adami, antea communiori nomine hoc vel *Mulieris* seu *Viræ* expressa, aliud *nomen* distinctivum ipsius à Viro suo *Adamo*, cujus potestas in ipsam per dictam à Deo

Digitized by Google

Deo ſententiam haud parum jam erat adaucta, & qui hinc quoque jus appellandæ ejus certiſſime habebat, ſicuti Parentes in liberos & Domini in ſervos illud ab ævo habuerunt & exercuerunt. Unde & *Fagius* ſcripſit; *Quod Adam Uxori nomen indit, argumentum eſt, quod Adæ plus fuerit datum poteſtatis, qui enim nuncupat rem major & excellentior eſt re nuncupata.* Eſt autem hoc nomen חוה / cum ו in medio potius quam cum י / *ad differentiam à* חיה *quod feram & beſtiam ſignificat* ſecundum *Fagii* & aliorum obſervationem; unde deducit *Avenarius* & latinum *Vivo* & Græcum *βιόω*. Illud inepte derivari, à חויא Chaldaico *Serpentis* nomine ob ſerpentinam viri ſeductionem, ſeu à חוה ſeuſu *loquacitatis* vel *garrulitatis* mulieri præ viro competentis, & in Hevæ ſeductione liquentis, antea monuimus dudum *Lib. II. Cap.* 11. §. 2. Eſt enim indubie *à Vita* ſeu *Vivendo* חיה deductum, & ſorte ab Imperativo ſenſu votivo, vel à participio per ablatum ח / olimque aliter non magis ſed minus recte à Græcis punctatum; adeoque dicit vel *vitam* ipſam ſeu *ζωὴν*, quod *nomen* etiam *muliebre eſſe apud Græcos* notavit *Grotius*, *Philone Byblio vertente αἰῶνα ubi in Sanchoniathone fuit* חוא / vel *vivam* illam, vel ſimul etiam tranſitive *vivificam* aut *vivificatricem*. Quando heic porro locus non eſt Hebræorum philoſophemaribus illis à *Fagio* adductis de *vitæ* humanæ *ærumnis & mutationibus*, ob quas in Muliere præcipue repertas, illa dicatur ſic & ſit veluti vita ſeu vitæ ſimilis ſubjective & effective. Aliam enim longe appellationis rationem dedit Moſes, ſeu ex ore Adami cujus verba tum referat uti cum aliis vult *Auguſtinus Lib.* XII. *de Gen. ad lit. Cap.* 38 ſeu ex rei ipſius conſideratione infallibili per Spiritum; *quoniam* כי, ſeu *ὅτι eo quod*, *ipſa* הוא / cum *Hirek* & *Vau*, quod apud *Vulgatum* & LXX. in multis codicibus prætermiſſum eſt, *omnis vivi* ſeu *viventis*, non quidem bruti animalis ſed hominis, *mater*, ſeu *fuit*, ſeu *eſt*, ſeu *facta eſt* à Deo per providentiam & verbum ejus, ſeu *futura eſt* aut *eſſet* quoad ipſum actum. Quo ipſo manifeſtum eſt, quod neutiquam negetur Adamum ipſum omnis vivi eſſe patrem, ſiquidem abſque hoc nullum iſthæc Mater ſemen vivum erat productura; nedum ipſe Adam in omni iſto vivo comprehendatur cujus Eva foret mater, ſiquidem Semen tam diſtinctum eſt à patre ſuo quam à matre. Adeo ut omne vivum adhuc naſciturum heic debeat ſpectari, non autem id quod per creationem divinam jam exſtabat.

Facta autem est hæc nova Mulieris appellatio verius post Lapsum & Proeuangelium quam antea

III. Hæc autem Adamica Hevæ appellatio à Moſe narratur, per copulam interpoſitam immediatè poſt ſententiam in Serpentem Mulierem & Virum ob peccatum latam, ante datas adhuc homini Tunicas pelliceas, diſſimilitudinem cum Deo illi exprobratam, & excluſionem à Paradiſo ac Arbore Vitæ. Quod non obſtat, quo minus aliqui crediderint, hanc rem citiori aut ſeriori tempore eſſe geſtam. *Clericus* utique dixit; *Quando hoc nominis Hevæ impoſitum fuerit conſtare nequit, quia ſerveturne hic ordo temporis an negligatur neſcimus.* Atque ſic inter alios *Corn. à Lapide* habet; *Vocavit poſtquam ejectus eſt Paradiſo, nam ſtatim poſt peccatum Deique ſententiam Paradiſo eſt ejectus, eſt ergo hic Prolepſis ſive Anticipatio.* Ex adverſo natrat *Parens*; *Putare quoſdam eſſe ὕστερον πρότερον, ſeu Moſen hic poſterius narrare quod prius contigerat. Volunt enim Adamum nomen Hevæ impoſuiſſe tunc, cum etiam appellaverat* אישׁ *viriſſam, & ita verbum* ויקרא *eſſet præteritum pluſquam perfectum, vocaverat, ac Moſes* (id addit adhuc) *Adami errorem indicaret, quaſi dicat, longe fuiſſe deceptum appellando uxorem ſuam Hevam matrem viventium, cum Deus ſententia ſua jam contrarium dixerit, eam fore matrem mortalium hominum.* Ipſe quin etiam *Cel. Rivetus* ſcripſit; *An id ante peccatum ſignificaverit tali nomine vel poſt peccatum, ſtatuere difficile eſt, quia rationes quæ ex utraque parte afferuntur, etſi probabilitate quadam arrideant, non certo tamen id evincunt quod volunt qui rem determinant. Malim ergo in eo ἐπέχειν, quam audacter nimis definire. Et tamen in ſententiam illorum magis inclinarem qui hyſteroſin agnoſcunt, & hunc verſum ad præcedentia pertinere, ad quæ reverſus eſt Moſes poſt interjectam peccati hominis & ejuſdem pœnæ hiſtoriam. Antea enim immediate egerat de impoſitione nominum omnibus animantibus, inter quæ nullum repertum erat homini adjutorium. Quod adjutorium poſtquam Deus creaſſet, agnovit homo ex ſe ſumptam fuiſſe. Tum potuit præter Sexus nomen addere illud proprium, cujus nunc meminit hiſtoria, cujus ratio non tunc primum poſt peccatum Adamo innotuit, quia antequam peccaret acceperat cum uxore benedictionem multiplicationis eorum qui in illo ſtatu potiori jure dicti fuiſſent viventes quam poſt contractum mortis reatum &c.* Obſervat idem, in hanc rem *Tremellium & Junium* vertiſſe *per pluſquam perfectum*, (quod tamen aliter ſe habere deprehendo,) & *Ebræorum pleroſque* hanc interpretandi rationem ſecutos eſſe, ſicuti vere

vere *Jarchi* inter alios dixit redire Scripturam hic ad præcedentem materiam de Adamica nominum impoſitione &c. Præter quam rationem hujus exegeſios eſt etiam iſta quam *Pererius* expreſſit; *non fieri veriſimile, cum Adamus judicio Dei vehementer premeretur, inter medias pœnas & flagella amariſſimamque mortis denunciationem, quaſi tranquillo & vacuo animo, de imponendo nomine uxori cogitaſſe &c.* Enimvero non eſt abſque neceſſitate narrationis Moſaicæ ordo pervertendus, ne omnis rerum ſucceſſio fiat incerta; & de alio nomine antea Mulieri dato legimus *Gen.* 11. 23. & appellationis novæ data erat in præcedentibus occaſio ſufficiens, neque cum hiſtoria appellatorum animantium ulla apparet in his verbis connexio, poſt quæ in exponendis peccati ſequelis rurſus pergit Deus; uti perturbatio Adami magna non ſuſtulit vel auditum omnem verborum Dei, vel cogitationem omnem de iis quæ læta ex ore Dei adhuc audiviſſet ipſe.

Non tamen per Adami Incredulitatem aut Ironiam acrem.

IV. Sed hoc conceſſo, quod nomen à Vita humana per Hevam propaganda petitum Adam Uxori dederit poſt hanc ſententiam, in peregrinos ſenſus quidam iterum dilabuntur. Sunt enim qui cum *Ruperto* ponunt heic Adamum incredulum adverſus divinam mortis denunciationem, quaſi voluiſſet illa non obſtante vitam duraturam; *Quemadmodum ſuperius dicenti Deo, in quocunque die comederis ex hoc ligno morte morieris, non credidit ſed comedit, quia Mulierem quæ prior comederat non ſtatim corporaliter mortuam eſſe vidit, ſic & nunc dicenti Deo quia pulvis es & in pulverem reverteris adeo non credidit, ut è contrario vocaret nomen uxoris ſuæ Evam, id eſt, Vitam, eo quod mater eſſet cunctorum viventium.* Sunt alii, narrante etiam *Pererio*, *qui exiſtimant, Adamum ingenti dolore obſtupefactum, quod tantis bonis ſpoliatus eſſet tantiſque malis mortique malorum omnium extremo addictus, uxorem ſuam eorum malorum auctorem & mortis cauſam ceu per amarum quendam jocum acerbamque Ironiam appellaſſe Matrem Viventium; quemadmodum Græci Furias infernales appellant Eumenides, id eſt, faciles ac mites, à contrario nempe, quippe cum ſint duræ & inexorabiles.* Confert etiam *Pareus* exemplum *Parcarum quaſi minime parcentium, & Belli quaſi minime belli*, ſed opponit ille; *Impium eſt utrumvis de Adamo jam converſo ſentire. Non vocavit etiam matrem vivextium occulte, aut Deo ignorante aut improbante, ſed præſente haud dubiè, approbante, & hoc nomen ſuadente,*

nec textus ironicam gloſſam admittit. Non enim hæc verba, quoniam ipſa ſit mater omnium &c. poſſunt accipi ut verba Adami, licet Auguſtinus ignorantia Hebraæ linguæ ita putet quem alii ſequuntur, ſed ſunt verba Moſis hiſtorice exponentis quale nomen indiderit Adam uxori, & quam merito quia fuerit mater generis humani. Ideo Hebraice eſt היתה *fuit &c. Adam verò dixiſſet* תהיה *erit vel futura eſt. Simpliciter igitur Moſes indicat quod Adam uxori hoc nomen merito indiderit propter eventum, quia primo mater omnium viventium jure appellata fuit Heva id eſt vivens &c.*

Sed juxta alios cum reſpectu ad Vitam ſpiritualem & æternam in Prot-euangelio promiſſam & agnitam.

V. Uti ab iſtis trahitur hoc Hevæ nomen ab Adamo uxori ſuæ datum in dantis manifeſtum opprobrium, ita ab aliis quibuſdam ab ævo ad magnam laudem ſpiritualis ſapientiæ & fidei ipſius. Qui nempe ſpectant heic aut non aut minus ad Vitam hanc animalem, ſed ex adverſo unice vel præcipue ad Vitam ſpiritualem & æternam, prout hæc eſt originaliter & effective in Chriſto tanquam Semine vivificante, & conſequenter in Fidelibus tanquam Semine vivificato cujus utriuſque in Prot-Euangelio facta jam fuerit mentio. Ipſe in hanc rem ſcripſit *Pererius*; *Eugubinus ridet Lyranum, interpretantem nomen Eva tanquam ſignificans matrem omnium non ſimpliciter ſed arumnoſe ac miſere viventium. Sunt qui opinentur, ſic uxorem ſuam appellaſſe Adamum habito reſpectu ad venturum Meſſiam à quo ſolo peccati ſui remedium exſpectabat, qui naſciturus erat ex ſola muliere ſine commixtione Viri, idcirco Mulier dicta eſt Mater omnium viventium, non autem Adam dictus eſt Pater omnium viventium.* Magis aſſeverative habet *P. Fagius*; *Nec dubium eſt, quin Adam imponendo uxori id nominis, ad promiſſionem de Semine ſerpentis caput conculcaturo reſpexerit; qua ſpem animo conceperat, ſuam illam conjugem eam fore. Ideo eam* חוה *quod nos Evæ dicimus nominavit, q. d. vivificatricem, quod mortuum genus hominum per ipſius partum vivificandum foret.* Prolixe idem exſequitur *Lutherus*; *Apparet ex hoc loco, Adamum recepto Spiritu Sancto mirabiliter fuiſſe illuſtratum, & credidiſſe ac intellexiſſe verbum de Semine Mulieris contrituro caput Serpentis, ac voluiſſe quoque hanc ſuam fidem inſignire & ornare vocabulo uxoris ſuæ, quod ideo nulli alii creaturæ indidit, ut aleret hac appellatione conjugis ſuæ ſpem futuri Seminis, & confirmaret fidem ſuam, ſeque conſolaretur quod crederet vitam etiam tum cum jam morti tota natura eſſet ſubjecta. Niſi enim ſenſiſſet vitam futuram, non potuiſſet erigi animus*

mus ejus, nec ipse tam latum vocabulum imposuisset Uxori. Quia autem hoc nomen imposuit uxori suæ, satis ostendit animum erectum per Spiritum S. fiducia remissionis peccatorum per Semen Hevæ, quam ideo Hevam appellat, ut hoc nomen esset ceu memoriale Promissionis, ex qua ipse quoque revixit & spem vitæ æternæ relinqueret posteris. Hanc spem & fidem nomine hoc ceu coloribus in fronte uxoris pingit, sicut liberati ab hostibus trophæa & alia signa lætitiæ statuunt &c. Haud aliter ex nostris *Petrus Martyr*; *Adam cognito de illius Semine contrituro diabolum & mortem, jure & merito nomine voluit illam appellari quo semper illi occurreret hac salubris Dei promissio &c. De symbolo hujus nominis Hava, quod referret vitam illi promissam, habes conformem locum de Abraham & Sarai, de Cepha in Euangelio, quorum fides novum invexit nomen. Jam spem conceperat Adamus vitæ per Christum, cumque uxorem jam novisset ejus futuram matrem & omnium illorum qui per eam erant vivificandi, Hevam appellavit, quod esset mater viventium. Quod si dicas, etiam impii inde sunt derivati quoad carnem, & nos quidem ita fatemur; sed in ea denominanda respexit Adamus Dei misericordiam sibi oblatam. Si enim respexisset illius conditionem solummodo, eam & mortuam & mortuorum matrem vidisset; qui enim peccarunt etsi adhuc videntur vivere mortui sunt, morti inquam adjudicati, &c. coll. 1. Tim. v. 6. Apoc. III. 1.* Etiam *Dav. Parem* ita in intentione Adami spectat ad propagationem vitæ naturalis ex Heva, ut tamen præmittat tanquam primum; Adamum *hoc nomine fidem promissionis audita de Semine Mulieris contrituro caput Serpentis & vitam æternam reddituro hominibus profiteri, ut hoc nomen uxoris haberet perpetuum memoriale Seminis illius vivifici ex semine uxoris suæ aliquando nascituri &c. quod ex ea per varias generationes esset Christus, vitam æternam omnibus viventibus in eum credituris reparaturus &c.* Neminem tamen vidi, qui eo fervore pro hac exegesi disputet, quam *Cl. Coccejus*, tum alibi, tum *in Comm. ad h. l.* Ubi hoc præmittit; *Deplorandum est Satanæ malitiam & calliditatem tantum potuisse, ut plurima Scripturæ & quidem insignia dicta mysterium fidei continentia & insinuantia fuerint frigidis & jejunis expositionibus obscurata, & ita quidem, ut & Viri alias docti, impediti multis disputationibus & negociis à Satana oblatis, propter nebulas à Satana objectas coacti fuerint subsistere.* Et post acrem disputationem contra

Calvinum ſubjicit; *Igitur dicimus hoc quod Calvinus ut nimium non audet dicere eſſe verum, nempe Moſem hic indicaſſe, quod Adamus audito verbo Dei & intellecto & credito ediderit fidei ſuæ confeſſionem. Ita verba commode fluent. Confeſſio hæc convenit cum analogia verbi. Ita erit declaratio ulterior verborum Dei in ratione Adami quam Moſes approbat. Hoc convenit divinæ ſapientiæ, qui voluerit & dicta ſua interpretari & confeſſionem Adami ut exemplum fidei & converſionis oſtendere. Neque nimium debet videri, quod Deus in omnibus qui ſalvantur efficit per verbum promiſſionis & Euangelii. Et quid opportunius, quam hic nobis proponi quid Adamis filios ſuos docuerit, & ad quam ſpem eos per verbum Dei formaverit, qui in ipſo nomine uxoris ſuæ quoties illam compellaret voluit extare μνημόσυνον promiſſionis Dei & ſpei ſuæ. Hoc verba ſine contorſione & plene accepta important, & alia omnia ſunt coacta & minime congrua, & videntur iniquiora in Adamum, & non eſſe ſecundum potentiam gratiæ & verbi Dei &c.* Nec poſſum ego, quin cum hac expoſitione adhuc conferam, quod de Heva tanquam in hoc nomine ſuo adumbrante Mariam olim ſcripſit *Epiphanius Har.* LXXVIII. *Antidico-Mar.* Αὕτη ἐστὶν ἡ προφὴ μὲν τῇ Εὔᾳ σημαινομένη, δι' αἰνίγματος λαβεῖν τὸ καλεῖσθαι μήτηρ ζώντων. Ἐκεῖ μὲν γὰρ μήτηρ ζώντων κέκληται, ᾗ μὴ δ' ἀκέσας γῆ εἰ ᾗ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, μὴ τὴν προφάσασιν. Καὶ ἰδοὺ θαῦμα ὅτι μὴ τὴν προφάσασιν ταύτην τὴν μεγάλην ἔχει ἐπωνυμίαν. Καὶ ᾗ μὲν τὸ αἰσθητὸν, ἀπ' ἐκείνης τ' Εὔας πᾶσα τ' ἀνθρώπων ἡ γέννησις ἀπὸ γῆς γεγέννηται· ὧδε ᾗ ἀληθῶς ἀπὸ Μαρίας αὐτὴ ἡ ζωὴ τῷ κόσμῳ γεγέννηται ἵνα ζῶντα γεννήσῃ, ᾗ γέννηται ἡ Μαρία μήτηρ ζώντων. Δι' αἰνίγματος ἦν ἡ Μαρία μήτηρ ζώντων κέκληται. Ut nihil dicam de allegoriis *Auguſtini Lib.* II. *de Gen. c. Man. Cap.* 20. *&c.*

Sententiæ hujus Argumenta præcipua recenſentur.

VI. Si rogas rationes firmandæ hujus exegeſios, eas partim ex jam adductis partim ex aliis Autorum verbis habe breviter ſequentes. 1. Quod nomen Hevæ cum ejus ratione, ſeu Adamica jam ſeu Moſaica, minus ſenſu naturalis vitæ ſit conveniens primæ Mulieri, ob mortem corporalem non minus quam ſpiritualem cui omnes poſteri ejus cum ea per peccatum ſunt ſubjecti; vel ſaltem minus præſtans & plenum præ ſenſu ſpiritualis & æternæ vitæ, vere ab ipſa fluxuræ, ut communi matre Chriſti & credentium, & ut fidei pietatiſque antiquiſſimo exemplo. 2. Quod nomen idem datum ſit Mulieri poſt Promiſſionem Euangelicam Seminis Mulieb*ris*

non

Digitized by Google

non ante eam, & quidem ab Adamo qui promissionem illam coram audiverat, & absque simili nomine sibi dato cui semen naturale posteritatis tanquam Patri commune foret cum uxore ut matre; unde ad Promissionem Mulieri factam illam omnino videtur spectare. 3. Quod ratio nominis, ab Adamo potius ipso quam à Mose annexa, vel saltem à Mose narrata cum respectu ad Adami intentionem non minus quam ad eventum, doceat Mulierem spectari non qualis ab initio creationis & adductionis suæ ad virum fuerat, sed qualis post lapsum per Divinam promissionem demum facta est. 4. Quod nomen hoc sensu spirituali cum ratione sua acceptum faciat, ad meliorem intelligentiam Proteuangelii, ad certiorem demonstrationem Divinæ Gratiæ qua attentionem intellectum & fidem verbi sui in Adamo operatus est Deus, & ad exemplum conversionis quæ confessionem est operata & celebrationem divinæ gratiæ per nomen Mulieris, sicuti nomina dein varia à Beneficiis suis singularibus Deus petiit *Jes.* I. 26. LXII. 4. 12. *Ezech.* XLVIII. 35. *&c.* & sibi Filioque suo etiam tribuit *Apoc.* III. 12. *&c.*

VII. Certum tamen est, ab ævo simpliciorem sensum nominis Hevæ & rationis additæ qui ad vitam naturalem hominum ab ipsa ut matre in omnes plane derivatam tam impios quam pios spectat fuisse magis receptum. Secundum illud *Chrysostomi*; Ἐκάλεσε φησὶ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ ζωὴν, ὅπερ ἐστὶν ζωή, ὅτι αὕτη μήτηρ πάντων τῶν ζώντων, τουτέστιν, αὕτη ἀρχὴ ἐστι τοῦ ἐξ αὐτῆς ἰουμένου, ῥίζα καὶ θεμέλιος τοῦ μὴ ταῦτα γενεᾶς. Uti nec mysterii aliquid heic notavit *Hieronymus*; *Quare Eva vita sit appellata demonstrat, eo quod sit mater omnium viventium*, חוה *quippe transfertur in vitam.* Et placuit hic sensus non tantum Theologis singularibus maximi nominis sed & *Interpretibus* nostris *Belgis*, quando *omnem vivum* per *omnes homines* exponunt. Quare & heic minus decuisse putamus acerbas istas *Cl. Cocceji* querelas ad hunc locum de Satanæ malitia & calliditate in obscuranda Scriptura per frigidas & jejunas expositiones &c. In quibus ille tamen ex consequenti dissertatione deprehenditur præcipue spectasse ad *Calvinum*, quem heic tantopere præ aliis culpandum esse non video. Sic enim ille; *Duplex potest esse lectio, prior in tempore plusquam perfecto, vocaverat Adam. Eam lectionem si sequimur, sensus nobis erit, longe fuisse deceptum Adam qui vitam sibi & posteris promiserit ab uxore quam postea sensit esse mortiferam. Est autem Mosi usitatum, non servata historiæ serie subjicere*

Dum alii plures de Vita Animali cogitant propaganda ab Heva ut Communi matre.

jicere quæ ordine priora erant. Sed hanc aliorum ſententiam ipſe non ſequitur; dum rationem additam poſſe de cogitatione aut dictione Adami intelligi tandem concedere debet *Cl. Coccejus* ex ſimili loco *Gen.* IV. 25. dumque deceptio conſequens bonæ exſpectationis Adami de Muliere per peccati interventum non debet aliena cenſeri ab ipſo, nec tamen hæc illo in caſu eſt agnoſcenda ob vitam naturalem etiam poſt peccatum ab Heva vere derivatam. *Si legas*, pergit *Calvinus*, *in tempore præterito, licebit vel in bonam vel in malam partem accipere. Sunt enim qui exiſtimant Adam ſpe latioris ſtatus erectum, quia Dominus caput Serpentis multandum à Mulieris Semine promiſerat, vocaſſe eam viviſicam. Ita laudabilis imo heroica eſſet animi fortitudo, quando non poterat ſine ardua & difficili luctâ matrem vincentium cenſere, quæ antequam ullus homo natus foret omnes æterno interitu perdiderat. Sed quia vereor, ne hæc ſit debilis conjectura, expendant lectores &c.* Ita expoſitionem ſpiritualem cum laude nominat, & ſatis modeſte inſinuat ſuum adverſus eam ſcrupulum, quem non eximit *Cl. Coccejus*, aſſerens, *noſtram interpretationem non debere eſſe conjecturam ſed demonſtrationem*, qualis illa propterea ſemper non eſt aut eſſe poteſt. *Expendant lectores*, inquit *Calvinus*, *annon potius taxare voluerit Moſes Adæ incogitantiam, qui demerſus in morte uxori tamen adeo ſuperbum nomen indiderat.* Verum huic conjecturæ non inhæret ipſe *Calvinus* pergens; *Nec tamen dubito, quin reſpiraverit & collegerit animum audita Dei voce de vita proroganda, & hinc quaſi recreatus uxorem à vita nuncupaverit: ſed non ſequitur exacta ad verbum Dei fide triumphaſſe de morte ut debuit. Sic igitur interpretor, ex quo mortem præſentem evaſerat, ſolatio aliquo levatum, beneficium Dei quod præter ſpem contigerat, Uxoris nomine celebraſſe.* Cui nihil aliud opponit *Cl. Coccejus*, quam hanc *Calvini conjecturam non poſſe nobis probabilem videri*, ob neceſſariam conjunctionem cum proxime præcedentibus, quaſi illa eam non pateretur. Interim id quod voluit *Calvinus*, multo plenius expoſuit *Wolfg. Muſculus. Quærunt hic, quomodo Adam vocarit uxorem ſuam Matrem viventium, cum illa nondum cognita ſed adhuc Virgo eſſet. Hoc quærunt illi qui verba hæc, eo quod mater ſit cunctorum viventium, quaſi ab ipſo Adamo prolata ſint legunt. Et reſpondent nonnulli, dictum hoc eſſe ab Adamo ad teſtandam fidem promiſſionis qua crediderit genus humanum non fore delendum in ipſis duobus ſe & Eva ſed per procreationem*

tionis benedictionem multiplicandum & conservandum &c. Verum si legerentur hæc verba tanquam à Mose ad exponendam nominis Evæ rationem adjecta, non tanquam ab Adamo prolata, non nasceretur hæc quæstio. Nam Moses non vocavit eam matrem viventium adhuc virginem existentem, sed post humani generis ex ea factam multiplicationem, ut rationem impositi nominis exponeret, dicit eam vocatam ab Adamo Hevam, eo quod cunctorum esset viventium futura mater. Deinde movetur hic quæstio, unde cognoverit Adam futurum ut Uxor sua mater fieret cunctorum viventium, ut jam demum & non ante peccatum acceptamque condemnationis sententiam hoc illi nominis imposuerit &c. Ad quam, post interpositam *Burgensis* responsionem, quod apud Mulieris creationem ignoraverit Adam an prolem ex illa susceperturus esset vel non, oppositamque ei primam hominum benedictionem, reposuit; *Quare non est necesse ut dicamus illum demum post acceptam condemnationis sententiam cognovisse uxorem suam fore matrem generis humani ex ipsa multiplicandi. Illud tamen vero simile est, spem multiplicationis hujus per conscientiam peccati ac metum mortis in corde Adæ fuisse prope extinctam; postea quam vero audisset illa ex ore Dei ad Evam prolata, multiplicabo conceptus tuos & in dolore paries filios tuos, deinde vitam sibi prorogari intellexisset, rursus fuisse erectum, ideoque uxori hoc nominis imponere voluisse, ut spem hanc multiplicandi generis humani in se & uxore contra mortis conceptum metum aleret & confirmaret &c.* Hanc vero sententiam ipsa versione sua insinuare voluerunt *Tremellius & Junius, eo quod ipsa mater sit omnium hominum viventium*, quam redarguendam sibi quoque sumpsit *Cl. Coccejus.* Nempe Verbum Substantivum *sit* male *aliis characteribus* dicit expressum (quod Interpretibus non tam quam typothetis videtur imputandum;) nec debet Hebræum היתה ipso judice reddi per simplex ἦν sed per γέγονε, propter connexionem, & quia matrem viventium *esse* ei nec post nec ante lapsum competat, quasi quæ fieret consequenter etiam non esset talis, & vox ipsa non magis proprie *esse* quam *fieri* notaret; & ægre fert additamentum illud *hominum*, ubi *lectori* putat *liberam* fuisse *relinquendam cogitationem*, nec *certe homines tantum vivunt*, neque *necesse erat ut poneretur obex cogitationi de animalibus*, aut *Angelos excludi quia speramus vitam ἰσάγγελον* &c. quæ postrema difficulter video quo tendant, dum animalia bruta non sunt spiritualiter viva, & Heva

pro matre Angelorum haberi nequit, & Christus tanquam Semen vivificans utique Hominibus annumerandus est. Interim *Piscator* recte quidem illud nomen *hominum* in Versione omisit, sed in exegesi *omnem hominem* nominavit *deinceps nascituram ac victurum.*

Horum Argumenta quoque adduntur.

VIII. Si nunc etiam desideras argumenta pro Vitæ Naturalis intellectu præ spirituali, eadem ego non reticebo. Primum scilicet est simplicissima & communissima *Vitæ* & *Viventis* notio *Deut.* IV. 4. v. 3. *Iob.* XXVIII. 13. *Eccl.* IV. 2. *&c.* quæ præter necessitatem non videtur relinquenda. Ea autem heic non est, cum Vitam hanc haberet, & non obstante merito mortis omnis retineret Mulier, imo & indita virtute sua propagatura esset ad posteros tanquam vere vivifica seu vivificatrix, quod de Vita spirituali non ita dici potest. Alterum est accedens syncategorema *omnis*, quod ubi cum Vivente jungitur alias ad vitam naturalem omnino solet spectare, sive hominum solorum, sive etiam brutorum de quibus heic non est cogitandi locus; *coll. Gen.* VIII. 21. *Iob.* XII. 10. XXVIII. 21. XXX. 23. *Eccl.* IX. 4. *Psal.* CXLIII. 2. *&c.* Quem postremum locum objici non vult *Cl. Coccejus*, cum ibi quidem intelligatur *ullus homo vivens in terra*, sed *eo modo* hæc verba Mosis *neutiquam accipi possint*, quum *eo tempore præter protoplastos nemo adhuc esset*, & inepte *R. Levi* Evam quoque brutorum matrem fecerit ob mentis stuporem & hebetudinem; sed id nimis leve est, cum nec homines credentes & spiritualiter viventes hoc tempore primo exstarent alii, & heic de nascituris hominibus palam agatur. Utique debuisset ille alia loca dare in quibus *omnis vivens* pro omni credente poneretur, & præterea ostendere quod in solito vocum usu Heva mater omnis viventis non esset aut dici posset, cujus contrarium verum est. Tertium argumentum est, quod ratio nominis Hevæ illi annexa sensu naturali non tantum sit magis vera, cum istam vitam ut mater ipsa liberis dederit, sed & magis plena, siquidem sic non solorum credentium, qui tamen ut homines includuntur, sed & omnium reliquorum absque ulla limitatione mater constitoitur. Quartum accedit, quod non tantum ex communi benedictione, sed & ex nudo auditu tributi nunc adhuc Mulieri Seminis ac partus Liberorum, de vita animali propaganda cogitare potuerit ac debuerit Adam; dum spiritualis illa & æterna vita à Muliere per Semen ejus fluxura ex Proteuangelio per majorem atten-

attentionem & induſtriam erat eruenda, abſque qua ejus myſterium omne non ita in primo hoc judicii divini & turbationis hinc ortæ momento videtur Adamo fuiſſe perſpectum. Quod tamen ſi ille ita perſpexerit jam & perſpexiſſe ſe per hoc nomen declaraverit, non video quo cum fundamento dici poſſit quandoque, Hevam adhuc ante Adamum credidiſſe, & ſic etiam ut Adami Matrem poſſe ſpectari.

IX. Sententiam ego adhuc teneo eandem, quam olim expreſſi *Comp. Theol. Cap.* XIII. §. 6. & hujus *Hiſt. Parad. Lib. II. Cap.* II. §. 2. Scilicet in proteuangelio verè quidem contineri vitæ æternæ & ſpiritualis promiſſum, quæ fluxura à Semine mulieris uno vivificante ad aliud omne electum & vivificatum; & ex ejus ſtudioſa conſideratione potuiſſe Adamum ſucceſſive diſcere illud myſterium, licet per collationem aliarum Scripturarum id nobis longe facilius ſit. Sed, quod Adam id omne primo momento cognoverit æque quam poſterorum ex Heva ortum, & quod in nomine Hevæ uxori dato ipſe illuc reſpexerit, ſicuti & in ejus ratione ab ipſo vel à Moſe illuc reſpiciatur, non poſſum ſupra conjecturam vel præſumtionem piam æſtimare, tam propter argumenta jam oppoſita, quam propter rationum antea §. VI. adductarum infirmitatem. Prima enim quoad primum membrum ſuum æque repugnat quotidiano uſui quam toti Scripturæ, quæ veriſſime homines ſpiritualiter mortuos & propter peccatum corporaliter morituros vocat ante mortem corporalem vivos ſeu viventes *Eccl.* IV. 21. 5. IX. 5. X. 19. *Jeſ.* VIII. 19. XXXVIII. 11. 19. *&c.* Et quoad alterum membrum nihil concludit, cum non tam de nominis Hevæ præſtantia, quam de ejus proprio & facili ac pleno ſenſu heic ſit cogitandum, propter ejus ab Adamo dati circumſtantias. Secunda ratio majorem ſpeciem quoque habet quam vim; quando poſt Proteuangelium nos quidem concedimus nomen Hevæ mulieri eſſe datum, ſed interceſſit tamen pœna etiam Mulieri ipſi denunciata ad quam hinc propius ſpectare potuit Adam; quando hanc non minus quam illud audivit ipſe, nec auditus infert plenum intellectum; quando ſubjectæ ſibi Mulieri nomen dedit Adam, non ſibi ipſi, cum reſpectu ad liberos Mulieri etiam expreſſius à Deo tributos, nec minus ipſe Chriſti & Electorum cæteroquin quam naturalis poſteritatis parens foret ex quo fœtum omnem conciperet Heva mater; quando denique ſpectare ad Prot Euangelium potuit Adam in hoc nomine reſpectu

Ἐπιλογὴ de tota hac re adjicitur.

literæ agentis de ſemine, etiamſi ad medullam ejus non penetraret hactenus omnem. Tertia ratio nititur unice verſione verbi היתה per *facta eſt*, quæ ab omnibus non æque probatur; quando necdum illud tempus poſt lapſum neceſſario determinat, nedum ad ſolum Prot Euangelium aut ſenſum ejus ſpiritualem nos ducit, ſed etiam ad liberorum partum difficilem & ſeminis mentionem commodiſſime referri poteſt; dum notum eſt, *fieri* ſæpe non ſpectare ad primum rei initium ſed etiam ad ejus confirmationem & progreſſum, atque Mulier morti ſubjecta per peccatum iterum vivere & viventium mater eſſe cœpit per divinam pœnæ promeritæ mitigationem expoſitam. Quarta denique ratio nihil probat, ſed omnia ſupponit, quod nempe ad Prot-Euangelii ſenſum ſpiritualem ſpectaverit Adamus in nomine Hevæ, quo poſito nos illa quæ heic adducuntur omnino etiam laudabimus. Cæterum nos aliis modis Prot-Euangelium illud ſatis jam dududum habemus demonſtratum; & Divinam Converſionis Gratiam illuſtratam, cum Officiis conſequentibus, ut non ſit cur ex nomine Hevæ illa debeamus repetere. Et eſt hoc nomen Hevæ etiam Divinæ beneficentiæ μνημόσυνον, quando ad vitam animalem refertur. Hoc adhuc addam, quod recte quidem à nonnullis dicatur, eo ipſo quo omnis vivi hominis conſtituitur Heva mater, ipſam quoque matrem conſtitui Chriſti & electorum, ſi ſpectemus ad ortum corporalem horum ex ea; attamen hinc non ſequitur, Adamum in nominis datione vel Moſen in ejus ratione addita tam ſpiritualem in quibuſdam quam corporalem vitam in omnibus ſpectaſſe, & hinc utrumque ſenſum à nobis poſſe apte connecti. Nam ſecunda & ſpiritualis illa intentio aliunde tum prius magis ſolide deberet aſtrui, quam nos adhuc factum eſſe vidimus.

CAPUT NONUM.

Quo ſimiliter de nomine Kajini, ab Heva filio ſuo dato, diſputatur.

Collatio verborum Hevæ apud Kajini partum.

Suadet argumenti cognatio, ut aliquid etiam dicam de nomine *Kajini*, quod ab Heva matre filius primogenitus accepit, deque ejus ratione addita ab ea cum dixit *Gen.* IV. 1. קניתי איש את יהוה

Quæ

Quæ quidem res directe non ſpectat ad Hiſtoriam Paradiſi, utpote poſt expulſionem ex eo geſta; ſive tum demum agnoverit Adam uxorem ſuam & hæc ex ipſo conceperit, quod hoſtes conjugii veteres & recentiores in laudem virginitatis præcipue volunt; ſive agnitio & conceptio illa antea contigerint, occaſione connexi partus tantum ſerius expoſita, quod ſtatuunt alii, de quo aliquid antea diximus *Lib. II. cap.* 11. §. 13. Attamen quatenus verba illa Hevæ apud Kajini nativitatem videntur mutis reſpectum habere ad Prot-Euangelium ejuſque ſpiritualem ſenſum & declarare adeo primæ Matris Fidem in illud Dei verbum, non inutile erit in rei hujus certitudinem & ſoliditatem paucis inquirere.

Nominis Kain origo & declaratio brevis.

II. *Peperit* itaque ſuo tempore, in quod nos non inquiremus, expulſa ex Paradiſo Heva *Kajinum*, קין את / τὸν καΐν, *Cain*, apud LXX. & *Vulgatum*, ſeu filium illum cui indubie cum Patris conſenſu ipſa hoc nomen dedit; dum nugaciſſime ſcriptor recens à *Joh. Andr. Danzio* refutatus nomen filii voluit eſſe איש / & *Cain* appellative notare *deploranda malitia nequam*. Nomen decies & quinquies dein hoc Capite repetitum, & in N. Teſt. quoque adductum *Hebr.* XI. 4. 1. *Joh.* III. 12. *Jud.* 11. exponit *Hieronymus Quæſt. Hebr. in Gen. Cain acquiſitio ſive poſſeſſio interpretatur, id eſt* κτῆσις, *unde & etymologiam ipſius exprimens ait* קניתי / *id eſt poſſedi hominem per Deum.* Sicuti & *de Nom. Hebr.* dixit; *Cain Poſſeſſio vel Acquiſitio.* Hoc autem longe verius dicitur, quam *Euſebius* illud per *amulationem* expoſuit *Prap. Euang. Lib.* XI. *Cap.* 6. Μαθὼν ὡς ὁ μὲν παρ' ἑβδομήκοντα Καΐν ζῆλος παρ' ἕλλησι μεταλαμβάνεται, τότε δ' ἠξιώθη ἡ προφήτης ὁ δηλούμενος διὰ τὸν ζηλωτὴν τὸν ἀδελφὸν τὸν Ἄβελ, ἢ ὁ Ἄβελ ἢ ἑρμηνεύεται πένθος ἢ παῖδες παθητοὶ γεγονὼς καὶ αὐτὸς τοῖς γενεῦσιν αἴτιος &c. In quo poſteriori nomine ex confuſione ה הבל cum אבל errat ille cum ipſo *Joſepho*, dum prius hic nobiſcum recte exponit; Γίνονται δ' αὐτοῖς καὶ παῖδες ἄρρενες δύο, πρεσβύτερος δ' αὐτῶν ὁ μὲν πρῶτος Καΐς, κτῆσιν ἢ τοῦτο σημαίνει μεθερμηνευόμενον τὸ ὄνομα, Ἄβελος ἢ ὁ δεύτερος, σημαίνει ἢ πένθος τοῦτο. *Euſebium* inter alios ſecutus eſt *Georg. Cedrenus in Comp. Hiſt.* Τὸν πρωτότοκον ὠνόμασε Καΐν ὅ ἐστι ζῆλος, ὡς ἢ ζηλώσας ἀνεῖλε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἄβελ, ὃ ἑρμηνεύεται πένθος, ἐπ' αὐτῷ γὰρ πρώτῳ φονευθέντι ἐπένθησαν οἱ γονεῖς. Uti autem meritò illam *Kaini* derivationem rejicit *Doct. de Dieu*, quod קנאה *Hebræis dicatur Invidia à* קנא *invidit, unde* קין *derivari nequit*; ita & ipſe male ſubſtituit, quod Kain *ſic dictus ſit quaſi lamentatio*

aut lamentator à forma קון / *unde* קינה *lamentatio, pro quo &* קין / *unde plurale* קינים *lamentationes Ezech.* 11. 10. quod ille tum refert ad lamentationem ex peccato ortam, dum cæteroquin cogitari posset de lamentatione ab hoc parentibus in cæde fratris adducta. Nec tantum nuper *Joh. Clericus* scripsit; *Ab hac voce* קנה *deducitur nomen* קין *quod tamen ex analogia potius* מצא & קין *deduceremus quod in Pohel est lamentari &c.* Sed & *Jac. Gussetius*; *A* קון *nomen* קין *Cain, ut* קין קון / *est ergo nomen triste, pront & alterius filii* הבל *vanitas, inde videmus dolorem & perpetuam recordationem de lapsu cum sensu mali præsentis &c.* Sic illi viri nomen hoc cum verbis Hevæ non contulerunt, quod tamen decentius est ut fiat heic æque quam in nomine Sethi *vers.* 25. etiam ab gaudium suum quod mater verbis suis testatur. *Possessionem* vero vel *Acquisitionem* quando filium suum nominavit Heva, non spectavit illa ad arrogantiam & rapacitatem acquirentem filii sui, secundum *Veterum* quorundam lusus; neque ad acquisitionem bonam per eum futuram; neque ad specialem acquisitionem pro Domino cui ille consecraretur, secundum *Indæos* aliquos; sed ad doni præstantiam quod ipsa acquisiverat nunc læta hinc merito post dolores.

Acquisitio Viri את יהוה / in Genitivo vel per Appositionem à multis relata ad Fidem Hevæ in Prot-Euangelium de Messia quem vel cujus Signum illa putaverit se in Kaino nactam esse.

III. Inde jam voces illæ, Hevæ ex verbi genere, non Viri, de quo dubitat *Augustinus* ex latinæ linguæ usu; קניתי איש את יהוה. In quibus prioribus duabus nulla est difficultas; tanquam notantibus non tantum communiter *hominem*, ἄνθρωπον, uti habent cum *Vulgato* LXX sensu tamen forte magis emphatico, sed & *Virum*, גבר apud *Paraphrastas*, non maritum suum sed filium, seu hominem non quidem adultæ ætatis sed sexus virilis, & de quo si ita lubet virilia sibi omnia cum ætate polliceretur, unde duplicis gaudii heic videbatur esse materia; & hujus viri *acquisitionem* præsentem per partum, vel etiam *possessionem* quæ hinc consequenter flueret. Sed res omnis hæret in ultima voce את יהוה / quam ab antiquissimo tempore in accusativo quoque intellexisse multis putatur *Jonathan*, substituens, את מלאכא דיי *Angelum Jehovah*, quo magis ad descriptionem Hevæ heic præmiserat ille, *qua desirabat Angelum.* Cum hac *Paraphrasi* videtur convenire id quōd ex *Magistris Reuchlinus* habet *Lib.* 1. *de Art. Cabb. Acquisivi Virum illum quatuor literarum* יהוה / *quas literas ab Angelo jam pridem receperant &c.* & latius *Conr. Pellicanus*; *Sic liceat dicere, possedi hominem ipsum Deum qui sit Deus & Homo. Extat autem*

ad

Digitized by Google

ad illius expoſitionis veriſimilitudinem Cabaliſtica quædam traditio de promiſſione Meſſiæ primis parentibus facta, qua breviter ſic habet. Angelus quidam Raſiel, qui interpretatur Secretum Dei, miſſus ad Adam lapſum conſolatus eſt eum ſuper damnatione humani generis, quia aliquando expianda eſſent per hominem ſanctiſſimum de ſuo ſemine generandum cui nomen eſſet futurum יהוה *cum litera* ו *qui lignum vitæ apprehenſurus totum humanum genus ſalvaret. Id ipſum Adam credens Uxorem Vitam vocavit. Qua cognita & generante primogenitum, clamavit ipſa, acquiſivi Virum quatuor literarum. Sed ſicut ipſa hac vice erravit in perſona generata illo tempore, ſic alii patres, qui tamen omnes in ea fide ſeſe conſolabantur ſalvati ſunt, famam generandi Meſſiæ ab illo ipſo jam mundi exordio per omnia ſecula diſſeminarunt.* Res iſta ſic ſignificata, de Meſſia jam nato in Kaino, admodum placuit *Luthero*, etiam quando heic legebat in Genitivo, *acquiſivi Virum Domini.* Vult enim, Hevam hic *cogitaſſe majus aliquid de ipſo, quaſi Cain eſſet Vir ille futurus qui caput Serpentis contriturus eſſet. Ideo non ſimpliciter Virum ſed Domini Virum appellat, de quo Dominus Deus promiſerat &c. Etſi autem hæc ſpes falſa fuit, tamen apparet Hevam fuiſſe ſanctam mulierem & credidiſſe promiſſioni de futura ſalute per Semen benedictum. Ac quia credit, ideo ſic lætatur de Filio & tam magnifice de eo loquitur; acquiſivi Virum Dei qui rectius & felicius ſe geret quam Adam meus & ego nos geſſimus in Paradiſo. Ideo non meum filium voco, eſt Vir Dei à Deo promiſſus & exhibitus. Propter hanc quoque cauſam fieri potuit ut non appellaret Cain filium &c.* Sed vertit ille dein *ad Ultima Davidis* hæc in Accuſativo, uti alii ex ipſius mente Germanice heic poſuerunt *Ammama* notante, *habeo Virum Iehovam*, eſtque exegetice in margine adjectum, *nunc Deo ſit laus, en habeo Iehovam, Virum Semen quod Satanæ aut Serpenti caput conteret, ille hoc præſtabit.* Unde factum eſt ut pro iſthac ſui *Megalandri* expoſitione paſſim pugnaverint *Lutherani* plurimi, quorum prolixum catalogum reperire potes apud *Aug. Pfeifferum in Dubiis Vexatis*, & interquos etiam eſt *Chriſt. Helvicus in Deſid. Eva.* Nominari præ aliis hujus exegeſios fautoribus omnino quoque meretur *P. Fagius*; *Quia quiſque ſuo abundat ſenſu, abundabo ego queque & meo, ſimpliciſſime accipiendo dictiunculam* רא *ut ſit nota Articuli ſimul atque demonſtrationis, ipſam rei ſubſtantiam cui jungitur de-*

no-

notans, hoc ſenſu, poſſedi ſive acquiſivi Virum, nempe ipſum Adonai q. d. acquiſivi illum ipſum virum qui eſt Adonai, i. Deus ſive Dominus, quem ſcilicet pollicitus eſt mihi Dominus cum dixit, Semen tuum conteret caput Serpentis. Quia enim credidit Eva promiſſioni de Semine mulieris, ſine dubio exiſtimavit hunc illud eſſe Semen per quod caput Serpentis eſſet conculcandum. Nec video quid obſtet quo minus ad hunc modum exponatur, cum nulla Scripturæ fiat injuria, nec violenta longeque petita expoſitio, omnia enim manent in ſimplici ac naturali ſua ſignificatione. Et ſi hunc ſenſum ſequimur, pulchre elucet Chriſti Divinitas ex nomine Adonai quod ſoli Deo competit; eſtque validum argumentum contra impietatem ac perfidiam Judæorum Chriſti Divinitatem negantium. Nec impedit hanc expoſitionem quod Eva dicit, acquiſivi virum &c. cum איש *hic ut & in aliis locis emphaticῶς accipiatur, non ſimpliciter virum ſignificans ſed inſignem nobilem egregium præclarum. Unde & Deus appellatione Viri venit in Divinis literis ut Exod. xv. 3. ubi Moſes in Cantico ſuo Deum vocat* איש מלחמה *Virum bellatorem.* Cujus quidem reſpectu *Druſius* noſter, revera ab hac exegeſi alienus, ſcripſit tamen; *Cedamus ergo Fagio & Forſtero, quibus adverſari οὐκ ἀσφαλὲς, in his præſertim locis ubi optima queque in calumniam rapiuntur. Nam quia ſcripſi per nomen* אלהים *vi terminationis non ſignificari τὴν τελείαν traducor ab iſtis tanquam Arianus, cum ipſi potius Sabelliani dicendi ſint, qui Spiritum S. faciunt ſui ipſius Spiritum, & Chriſtum aſſerunt à ſe ipſo genitum, & quod abſurdiſſimum pluralitatem conſtituunt in ſingulis perſonis. Nam licet hoc diſerte non dicant, tamen ex eorum ſententia hæc omnia neceſſario conſequuntur.* Interim apud Theologos Reformatos quidem paſſim hæc exegeſis memoratur, ſed & ſimul rejicitur fere. Niſi quod v. g. apud *Muſculum* reperio non quidem verſionem illam *Lutheri* poſteriorem in accuſativo, ſed priorem in Genitivo cum ejuſdem exegeſi de Meſſia; *Poſſedi Virum à Deo, vel Virum illum Dei. Quibus verbis haud obſcure ſignificatur, ſenſiſſe Evam primogenitum hunc ſuum fore Virum illum Dei qui contriturus eſſet caput Serpentis ſecundum oraculum Dei, &c. Scio quoſdam hanc expoſitionem non admodum probare, verum meo judicio nihil eſt quod impediat quo minus germana cenſeri poſſit. Nam etiamſi non legamus, acquiſivi virum illum Dei, ſed acquiſivi virum à Deo, vel per Deum, nihilo tamen minus, vel ex eo quod infantem recens natum vocat virum à Deo acquiſitum,*

ſatis

Digitized by Google

satis admonemur, concepisse eam de illo spem singularem, quam non immerito ad id referimus quod propter promissionem Dei impensissime expectabant &c. Ex quo fundamento dein heic observat; & *Fidem* Evæ in promissionem Seminis illius, & *Errorem* illi conjunctum in eo quod primogenitum suum putabat illud Semen esse &c. Sicuti porrò notissimum est, versionem in Accusativo & interpretationem illam de Messia promisso factam esse admodum apud nostros communem postquam eam sibi placere pluribus locis testatus est *Cl. Coccejus.* Is ita scripsit *Sum. Theol. Cap.* XLIII. §. 12. *Ipsa Mulier de spe sua locuta est. Quum enim puerpera facta esset, gratias agens Deo dixit, acquisivi virum Jehovam. Negari non potest ita verti posse verba matris, quod liquet ex multis locis in quibus particula* את *est specificativum. Vide Esa.* VII. 6. VIII. 2. *Ezech.* IV. 1. XXXIV. 23. 1. *Reg.* XVI. 31. *Deinde* את pro מאת *durum est. Neque usitatum est, dici* את יהוה *cum Deo pro* יהוה בעזרת *auxilio Dei. Multo minus apta sunt Judæorum figmenta, ut in societate Dei, aut qui maneat cum Deo, aut qui sit* קנין ריי / *aut ut Chaldæus coram Domino, qualia refert Abarbenel. Certe non putandum est, aliquid hic narrari à Mose quod nullius momenti sit. Æquum autem erat, ut ostenderet se memorem auditæ promissionis. Promissio autem ei pollicetur Semen quod sit Vir & quidem vincens Satanam, & causam salutis hominum, quæ gloria soli Domino debetur. Erraverit fortasse, quod nesciverit eum non posse nasci ut alios homines. Fortasse etiam non erraverit, sed hunc partum interpretata fuerit signum & argumentum Filii hominibus dandi & Pueri qui ipsis nasciturus erat. Nam unum Semen sine altero esse non potest. Quod autem ad Semen promissionis respexerit, in Sethi nomenclatura apparet.* In posteriorem illum sensum maxime alibi propendet, etiam *in Comment. ad h. l. Posito igitur quod promissionem accepit de Semine, quod est ὁ καινὸς ὁ ἐξ ἀναγκῆς* 1. Cor. XV. 47. *nulla causa est, quare non spem suam hoc elogio indigitaverit, nempe Kainum illum non quidem esse, sed tamen ejus patrem esse, ut minimum genituram ejus esse argumentum quoddam præstandæ promissionis &c.* Quemadmodum & *de Fœd.* §. 298. *Hanc fidem Eva testata est quum ei natus est Kajin, quem sic appellavit, quod crederet se suscepisse Virum Dominum. Nam sine dubio aliquid singulare fuit quod nactam se credidit, quum ab obtentione sive acquisitione filium nominandum putaret. Deinde vocula* את *posita inter nomen proprium & appellativum est specifica-*

tiva &c. At in lingua Hebraea nondum reperi exemplum, ut יהוה את vel יהוה עם *cum Jehovah sit quod Graecis* ξὺν Θεῷ. *Solet hoc dici* באלהים *in Deo, vid. Pſal.* XVIII. 30. *Neque tamen neceſſe eſt ut ſtatuamus, eam credidiſſe quod Kajin eſſet ille Servator Dominus; ſufficit quod illum patrem Viri Domini reputaverit ſive Seminis, ut de Setho poſtea verius ominata eſt, quodque contra maledictionem ſui & ſuus ſui, experimento dolorum comprobatam, ſe ſolata fuerit promiſſione ſalutis, ipſamque veritatem comminationis fecerit argumentum veritatis promiſſionis &c.* Imo cœpit hæc interpretatio ab aliquo tempore ita quoque urgeri, ut ægre audiatur ejuſdem rejectio à multis. Quemadmodum acerbiſſima quæque heic ante ſeculum fore à *Chriſt. Helvico* ſunt prolata; diſſentientes *præpoſtero aliena reſpuendi ſtudio Chriſtianas ſolidas expoſitiones hoſtibus veritatis ludibrio exponere & quantum in ſe eſt argumenta Chriſtianorum enervare*, eſſe hanc *libidinem ſacra myſteria in Scripturis monſtrata elevandi & ſubſannandi*, notandum in hoc eſſe *egregium diaboli artificium, certe qui non videt ex mera* φιλοκαινίᾳ *ut mitiſſime dicam ſub qua diabolus aliud quærit id fieri?* διηκόσιος ἔσει κάλυψε *&c.*

Argumenta Quatuor pro ea ſententia adduntur.

IV. Ea jam ſi ſtet interpretatio, ſive in Accuſativo, ſive etiam in Genitivo, argumentum heic illuſtre fidei Hevæ habebimus, per quam Prot-Euangelium eo uſque intellexerit ut Semen ſibi promiſſum humanum ſciret ſimul fore etiam Deum ſeu verum Jehovam, & cum gaudio ad illius implementum proſpexerit. Nec deeſſe videntur argumenta plura valida quibus eadem firmetur. Primum, quod nomen magnum *Poſſeſſionis* ſeu *Acquiſitionis* eximiæ nulli magis quam Meſſiæ promiſſo competat, prout hunc pro ſummo ſuo bono merito habent fideles, & ipſe etiam eſt qui eos ſibi acquirit in populum peculiarem ſimul. Quod argumentum validius adhuc erit, ſi in קנה litera media, credatur ex nomine קין eſſe deſumpta, ut ſignificet adeo vox vel *acquiſitionem Jehovæ* aut *divinam*, vel *Jehovam acquiſitum.* Alterum argumentum videtur ſuppeditari per inſigne matris gaudium ob hanc acquiſitionem, quod ipſam in verba læta prorumpere fecit; cujus æque, quam deſcriptionis ejuſdem à Moſe factæ, major longe ratio eſt in perſuaſione de Meſſia quam de alio aliquo mortali filio nato. Tertium argumentum etiam ſuppeditari putatur à primo communiori nomine איש *Viri*, quod humanam quidem naturam in Mulieris Semine promiſſo neceſſariam, ſed & ſimul Perſonæ excellentiam & virtutem magnam videtur expri-

primere, quæ in nullo hominum aliorum tanta eſt quam in Meſſia, nomen *Viri* hinc gerente *Gen.* XXXII. 24. *Ioſ.* V. 13. *Ind.* XIII. 10. 11. *Pſal.* LXXX. 18 *Ieſ.* XXXII. 2. *Zach.* VI. 12. *&c.* Ut nihil a Judam de luſibus Kabbaliſticis in literis hujus nominis, tanquam notantis eum qui portat ארץ / ים שמים & qui eſt ארוני ישע / שרי & ſine quo non eſt niſi אש & שר *ignis & vaſtatio &c.* quales legas apud *Zach. Henſelium.* Quartum vero & præcipuum argumentum petitur ex illo את יהוה. Quod ſi exponas in Genitivo *Iehovæ*, ad excellentiſſimum utique, & à Deo ipſo ſingulariter promiſſum, imo Deo ſubſerviturum conſtantiſſime in magno opere Redemptionis humanæ, Virum Meſſiam præ aliis omnibus nos ducet. Quod vero longe ſimplicius per Appoſitionem exegeticam in Accuſativo redditur *Iehovam*, qualis Vir nemo præter Meſſiam foret, ſed quem talem fore, ex Protevangelio per adſcriptam ei Capitis Serpentini contritionem potuit haud difficulter poſt meditationem ſeriam cognoſcere Mulier. Is enim uſus particulæ את ad Accuſativum exprimendum ante nomen poſt verbum ubique obvius eſt, etiam tum quando aliud nomen accuſativum præceſſit, ſive cum præpoſito ſemel את / *coll. Gen.* IV. 2. *additique parere* את אחיו את הבל / *fratrem ejus Habelem*, *Gen.* XVII. 8. *& dabo tibi &c.* את ארץ מגריך את כל ארץ כנען / *terram peregrinationum tuarum*, *omnem terram Canahan*, *Gen.* XXII. 2. *ſume nunc* את בנך את יחידך את יצחק *filium tuum unicum tuum Iſaakum*, ſive eodem את antea omiſſo, *coll. Gen.* XXVI. 24. *& ſumpſit* את יהודית אשת *uxorem Iehuditb*, *Ier.* XVII. 13. *dereliquerunt* את מקור מים חיים / *ſcaturiginem aquarum vivarum Iehovam*, *Ezech.* IV. 1. *exprimes ſuper eum* את עיר ירושלם *urbem Ieruſalem &c.* quæ exempla cum aliis plurimis collegit *Helvicus* ſatis ſtudioſe. Faciunt autem poſteriora omnino, ut objectio *Druſii* ex non geminata heic particula את concidat; ſicuti & *Ammama* infirmitatem ejus agnovit, ſcribens illam Articuli geminationem ex elegantiis quidem linguæ Ebrææ eſſe, ſed *non eſſe adeo perpetuum illum loquendi modum ut non admittat exceptionem.* Nec poſſum conſequenter probare effugia quæ heic quæſivit tamen *Doct. Guſſetius*; *Ibi*, (in Diſſertatione *Chriſt. Helvici*,) *nulla reperi exempla quæ ſententiam ejus, quamquam id ſerio optarim, aſtruant meamve labefactent. Fateor enim cum eo, utroque oſtendo, interdum* את *adhiberi ad faciendam Appoſitionem ſimplicem. Sed quæro ego, id an*

alibi fiat quam nominis prapoſiti ſubjungitur alia denominatio ei appoſita quæ eſt ejus ἐξήγησις & elucidatio. Quemadmodum antea quoque, faſſus ſibi allubeſcere expoſitionem *Lutheri* & ſe locorum examen incepiſſe ex propenſione in illam expoſitionem confirmandam, dixit, *hoc ipſum examen tamen eam everſam dediſſe, & his conſpectis non poteſt interpretationem illam admittere, quoniam in ea poſt deſignationem ſubjecti non vagam, non confuſam, non metaphoricam, accerſitur attributum novum prorſus alienum ab illa deſcriptione ſubjecti prius poſita, h. e. pervertit omni ex parte conſuetudinem in exemplis obſervatam &c. Nam exemplis ſequitur ad hoc ut ea confirment Lutheri expoſitionem à paritate requiri, ut Iehovah ſit nomen ordinarium hujus infantis Evæ primogeniti, aut ſaltem Mariæ filius debuiſſet non Ieſu ſed Iehovæ nomen geſtare in uſu vulgari, ut Cocceji ſententia valeret &c. Enimvero exempla illa nocerent volenti ad eorum amuſſim ducere Gen.* IV. 1. *præſertim Gen.* XXVI. 34. *ut enim iſthic de viro dicendo, ſumpſit mulierem Iudith, ſignificatur illum Iudithan habere uxorem, pari jure dicendo Gen.* IV. 1. *mulierem acquiſiviſſe virum Iehovam ſignificaretur illam habere Iehovam maritum, quod dictu abſurdiſſimum.* Hoc enim ſufficienter per exempla demonſtratur, nec per Appoſitionem ſæpe unum accuſativum cum altero jungere, ſeu jam declarative ſeu commendative, quo modo heic ſecundum Doctiſſimos Viros ad declarationem & commendationem Viri acquiſiti in filium adjicitur alterum nomen Jehovah, quod Meſſiæ competit, & apud Prophetas ſæpius ipſi datur, & intellexerit Heva ex Protevangelio ipſi omnino tribuendum eſſe. Reliqua ſunt ἀπερίσπαστα ſatis.

Autores ei ſe opponentes aliqui nominantur.

V. Enimvero *ex Veteribus nullum invenit in hac ſententia* noſter *Pareus*, ſed *Cabaliſtæ aliqui ita putarunt, annotante Pellicano qui idem ſentit*; nec deſunt alii, qui cum *Rivero* Cabalæ hujus vanitatem ex alia colligi volunt apud *Reuchlinum* annexa, de Habele opinante ſe fore eum de quo revelatam exſpectarent reſtaurationem & hinc mortem patienter ſubeunte &c. *Calvinus* noſter *ſubtilius* interpretatos eſſe quoſdam ita textum de Meſſia ſcripſit. Multis impugnat exegeſin iſtam *Druſius, mirum* eſſe monens *doctis illa in mentem veniſſe cum talia ſcriberent.* Et ſequitur hunc *Ammama*, adverſus *Helvicum* inter eos ſuum nomen quoque profeſſus, *qui hanc verſionem in dubium vocant, non ingratiam Calvini, non ingratiam eorum qui Chriſto Deitatem abjudicant, ſed ingratiam veritа-*

veritatis, tarduus ille de Chriſti Deitate articulus non eget talibus præſidiis &c. eum labefactant non qui certa teſtimonia ab incertis & ſiculneis prudenti delectu ſecernunt, ſed qui incerta & ſiculnea cum certa & firma & apodictica obtrudunt &c. Et argumenta daturus contra eam de Meſſia expoſitionem, poſtquam *Druſii* illud ex ſemel tantum adhibito את agnoviſſet eſſe minus firmum; *Illud*, inquit, *puto plusculum roboris habiturum, ſi Eva reſpexiſſet ad promiſſionem illam de Semine, operæ pretium fuiſſet, ſi non Pronomen* הזה *vel* ההוא *Virum hunc vel Virum illum, ſaltem Articulum* ה *voci* איש *præfixiſſe,* קניתי האיש / ἄνθρωπον. *Nunc vero nude ponitur ea vox, ut nullus videatur eſſe ad promiſſionem illam Euangelicam reſpectus. Illud vero graviſſimum eſt quo hæc ſententia premitur incommodum, cognoviſſe Evam, Semen illud fore* ἄνθρωπον, *ignoraſſe tamen illud fore Semen Mulieris, id quod diſerte erat ei revelatum. An non enim dictum erat Semen Mulieris? Si tam turpiter decepta fuit in individuo, ignorans illud myſterium, Meſſiam non ex concubitu Viri ſed ex Muliere tantum naſciturum, nunquid facile erit Iudæo vel Arriano dicere, eam in eo quoque fuiſſe deceptam quod Meſſiam* ἄνθρωπον *fore crediderit? Quod robur ergo hic locus apud fidei noſtræ adverſarios habere poſſit, cordati judicent. Certe longe melius honori communis matris illi conſulunt qui eam deceptam fuiſſe negitant &c.* Poſtremum hoc unice etiam urget in adverſum *Piſcator*, *quod non ſit probabile Evam putaſſe Filium Dei carnem aſſumturum per concubitum carnalem per quem ſciebat ſe concepiſſe Kajinum*; poſtquam præmiſerat, *Accentum Tiphcha non videri obſtare Appoſitioni, coll. Ion.* 11. 2. Idem videas à *Pareo potiſſimum* urgeri; *Tanta rei nimis infirmum eſt argumentum ex Grammatica, Judæi facile eludent, & quamvis ſit pium inventum, tamen nec hiſtoriæ congruit nec fidei, ſciebat mater Kajin eſſe Semen Viri h. e. conceptum ex Viro, ergo non credebat eſſe Semen Virginis, hoc eſt Meſſiam.* Idem & *Rivetus* inter alia habet, rem iſtam ægerrime ferens, *ita aſſeveranter pronunciari, ut aliter ſentientibus Chriſtianis dicam Judaiſmi non vereantur ſcribere &c.*

VI. Non ſunt autem quæ exegeſi datæ de Meſſia opponuntur argumenta omnia ejuſdem valoris & ponderis. Illud de nudo nomine איש / abſque ullo demonſtrativo præfixo aut pronomine aut periphraſi ad Protevangelium ſpectante, aliquid eſt. Sed robur idem accipit ex nomine proprio יקנה *poſſeſſionis* vel *acquiſitionis*, quod

Argumenta horum quoque memorantur.

nec ad Meſſiam determinat noſtra cogitata, nec ad Proteuangelium eadem revocat. Si dicas, defectum hunc utrumque ſuppleri per additum nomen *Iehovah*, ſeu in Genitivo ſeu in Accuſativo, ſupponis quod adhuc probandum eſt, & attendere debes quod non ab eo nomine principali ſed ab acquirendi verbo petitum ſit nomen *Kajin*, quodque nec in Prot-Euangelio illud nomen ſit diſerte Semini Mulieris tributum. Quod ſi regeras, ex Prot-Euangelii argumento illud Seminis nomen potuiſſe & debuiſſe Hevam colligere; nolim id diffiteri, ſed repetam, illud in nomine Kajini non eſſe tamen expreſſum, uti hoc ſenſu admiſſo debuerat, atque addam, non minus facile Hevam ex Prot-Euangelio potuiſſe & debuiſſe diſcere Meſſiæ nativitatem ex Virgine, non quidem per nomen Seminis Mulieris, utpote ad Hevam ſpectantis quæ abſque concurſu Viri fœtum nullum edidit, ſed per Redemptoris neceſſariam propriam puritatem à macula & culpa omni peccati quæ cum ordinaria generatione non poſſet conſiſtere. Enimvero ſi verbis ſuis fidem ſuam in filium ut Meſſiam promiſſum teſtata eſt vere Heva, plus inde opprobrii quam laudis ad eam accedit; non tantum per Errorem magnum in Perſona & Modo Temporeque nativitatis, ſed & per connexam Impietatem ſceleratiſſimam, ſive Filium Jehovam adorare neglexerit, denegans ſic illi debitum cultum & fiduciam, ſive eundem religioſe devoteque coluerit, tribuens ſic illi & impuræ creaturæ quod uni Creatori debebatur. Et mirum profecto eſt, quomodo Moſes nihil horum & durationis acceſſationis eorundem annotaverit, poſt expoſitam vaniſſimam Mulieris fidem. Hoc autem inevitabile Mulieris opprobrium effecit, ut à *Lutheri* aliorumque exegeſi prorſus diſceſſerit *Cl. Coccejus*, acquiſitionem Meſſiæ ab Heva prædicatam trahens ad ejus acquirendi *Signum* & *Argumentum* certum. Quod foret convenientius, ſi ſtaret illa Judæi apud *Henſelium* exegeſis, *acquiſivi Virum* " nr *ſignum Jehovæ*, ſeu favoris divini. Sed quantopere ſubtilius hoc Ἔρμα Doctis quibuſdam Viris placuerit, ego ſpeciem veri magnam in eo non reperio. Jam enim & nomen *Kajini* ſeu *Acquiſitionis*, & ipſa Perſonæ ab Heva aſſerta *Acquiſitio*, vim omnem ſuam æque quam proprietatem amittit, ſi pro re ipſa qualecunque ejus ſignum aut argumentum ſubſtituatur. Et videntur qui ita diſſerunt ante hunc Filii partum ita ſeu Infidelitatem ſeu exiguam fidem tribuere Hevæ; ut illa deinde confirmata ſit nimis leviter per eventum in quo ſignum aut argumen-

mentum Meſſiæ naſcituri Divinum erat nullum, ſed potius luculenta humanæ corruptionis & Serpentinæ ſervitutis demonſtratio. Neque enim erat ex Kajino naſciturus Meſſias, neque ejus partum pro Signo & Sigillo Fœderis ſui Deus Mulieri dederat, neque ulla erat inter ipſum & Meſſiam morum ſimilitudo; ſed omnia hæc aliter ſe habebant. Unde præ Divina Fide Hevæ in Protevangelium heic iterum poſt priorem Incredulitatem effulgebit Humanæ conjecturæ vanitas inſignis. Dum & hoc incommodum evitaturus *Schmidius*, apud *Pfefferum*, vult heic ſimpliciter eſſe expreſſionem Fidei in Meſſiam quem etiam Kajinum pariens ipſa in animo habuerit ſimpliciter. Quomodo nihil hoc verbum ad Kajinum ſpectabit.

VII. Sed affirmantibus Hevæ reſpectum ad Prot-Euangelium & probantibus hinc ejus Fidem incumbit præcipuè probatio, quæ infirmior ab aliis cenſetur. Primum ſane argumentum non admodum ſtringit; quando fœtum ſuum humanum, eumque primum, & maſculum, ut *poſſeſſionem* ſeu *acquiſitionem* inſignem, etiam præ omni alia mundi poſſeſſione, merito ſpectavit læta mater, nam *ecce hereditas Iehova filii, merces fructus ventris Pſal.* CXXVII. 3. *coll. Gen.* XV. 1. 2. XXX. 1. 6. 8. 13. 1. *Sam.* 1. 10. 11. *Iſ.* XLIX. 15. *Mich.* VI. 7. *&c.* Imo poſſet hæc etiam *Acquiſitio Iehova* dici, non minus quam ejus *hereditas*, ob divinam ejus dationem aliaſque rationes; dum ita incluſum eſſe nomen Jehovæ in nomine Kajini ex media litera *Iod* aut ex minus ſolita ejus derivatione ex קנה minime conſtat tamen. Quod Meſſias ſit Acquiſitio longe major & divinior, nemo negabit; ſed ex nomine communi maximam Acquiſitionem concludere mox non licet Secundum argumentum haud validius deprehenditur; ſi enim de prole nata communiter gaudent matres merito, juxta illud Chriſti *Ioh.* XVI. 21. *ἡ γυνὴ ὅταν τίκτῃ λύπην ἔχει ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς, ὅταν δὲ γεννήσῃ τὸ παιδίον, οὐκέτι μνημονεύει τῆς θλίψεως διὰ τὴν χαρὰν ὅτι ἐγεννήθη ἄνθρωπος εἰς τὸν κόσμον*, quanto juſtius fuit gaudium primæ matris, ubi primam prolem eamque maſculam ex ſe vidit? Nec fuit conſequenter indignum ut juxta filii iſtius indigni nativitatem lætas & in Deum gratas matris voces narraret nobis per Spiritum Moſes. Neque enim lætitia omnis mox eſt ſpiritualis maxima & ſolidiſſima, ubi illa communius memoratur. Tertium porro argumentum etiam levius queat cenſeri; quando nomen Viri, abſque ullo *He* demonſtrativo aut epitheto alio, & quidem de infante

Priora Tria primæ ſententiæ expenduntur.

infante uſurpatum, nil aliud aptius quam ſexum virilem in humana natura denotat, & ad excellentiam ac vim ſeu præſentem poſtea ſeu futuram infantis maſculi relatum non mox præſtantiam divinam Meſſiæ dicit, dum in aliis locis pluribus nomen Viri Meſſiæ cum aliis additis elogiis vulgo datur ad exprimendum ejus decus. Luſus autem Cabbaliſtici in eo ſunt inanes, & æque in opprobrium quam in laudem hujus vocis inveniri queunt. Ut res omnis tandem hæreat in Argumento quarto, quod ex addito nomine ipſius *Iehovæ* petitur, quodque aliquanto majori cum ſtudio attendendum eſt.

Sicuti & Quartum ex vocibus את יהוה / quarum exegeſis varia apta datur.

VIII. Si in Genitivo cum *Lutbero* legas *Virum Iehovæ*, adducendum erit ſane aliunde ſimile exemplum של את poſiti ad deſignandum Genitivum quem ejus uſum Grammatici hactenus vix obſervarunt, ſcribente hinc *Ammama*, *hanc verſionem qui excuſem non invenio*, *ubi enim auditum vel lectum* את *Genitivi Caſus Articulum eſſe?* Sed ne ſic quidem reſtricta Meſſiæ notio neceſſaria deprehendetur; quando à Jehovah in Genitivo homo poteſt denominari ob complures cauſas, ob Dei ſcil productionem, ſimilitudinem, poſſeſſionem, cultum, complacentiam &c. quando *filiorum Dei* nomen haud diſſimile ſic piis communiter tributum deprehendimus prima jam ætate *Gen.* VI. 2. multis heic conferentibus illud *Gen.* IV. 26. *tunc cœptum eſt* לקרא בשם יהוה / quaſi *appellationem à nomine Iehovæ* ſignificaret; & quando communiſſime ab ævo Prophetæ ſunt dicti *Viri Dei* 1. *Sam.* II. 27. IX. 6. 1. *Reg.* XII. 22. XIII. 1. *Pſal.* XC. 1. *&c.* ſicuti Paulus vel hoc vel alio longe communiori etiam ſenſu dixit ἄνθρωπος τοῦ θεοῦ 1. *Tim.* VI. 11. 2. *Tim.* III. 17. *&c.* Enimvero verſio iſtius את יהוה in Accuſativo eſt quidem *longe melior*, notante etiam *Ammama*, & genio linguæ conveniens ſatis, licet apud nomen שם ſimilis particula non adſit; ſed minime tamen neceſſaria, & ob rei prædicatæ naturam heic adeo incommoda viſa, ut nulli Veterum in mentem venerit. Alios ſcil. uſus complures iſtius את repererunt & contextui huic aptiores judicarunt illi, & ad eorum exemplum recentiores paſſim. Nihil adeo neceſſum eſt, ut ad Nominativum præter rem, aut ad Vocativum per modum gratæ invocationis Jehovæ, particula iſta cogatur; ſicuti *Henſelius* ſcripſit *vix à Nominativo & Vocativo ſe temperare alios*, *modo ut Accuſativum non admittant.* Sunt autem vere, qui את putant poſitum pro ל adeoque in Dativo legunt *Iehovæ.*

Ita

Ita *Calvinus* noſter; *Mihi genuinus hic videtur ſenſus eſſe, quod dum ſibi gratulatur Heva de filio nato, cum Deo tanquam generis ſui primitias offerat. Proinde vertendum cenſeo, acquiſivi Domino virum, quod ad phraſin Hebraicam propius accedit.* Dum verſionem illam illuſtrans *Pareus* habet; *Quaſi dicat, qui nobis defunctis in Domini cultu ſuccedet.* Notavit vero etiam *Muiſius in Variis Sacris, Ramban ita accipere, probareque* את *interdum pro* ל *& præpoſitione* אל *uſurpari*; atque ipſe *Kajinum* exponit *acquiſitum Deo*, adjiciens ex *Iſaaco Karo*, *Adamum poſtquam peccati pœnituiſſet ſtatuiſſe apud ſe ut qui primus ſibi filius naſceretur divino cultui, ſecundus vero rebus domeſticis quæ ad Dei cultum mera vanitas ſunt applicaretur, ideoque illi, Caino quod ſonat Acquiſitum Deo, huic vero Habeli, quod Vanitatem, eſſe voluiſſe, ac propterea etiam illius nominis cauſſam aſſignaſſe, hujus vero non, quod ut colendo & celebrando Deo filium gignere glorioſum, ita exercendis rebus vanis inglorium.* Et poteſt pro hac exegeſi laudari non tantum frequens caſuum Enallage; ſed & ſpecialis obſervatio *Kimchii in Radic.* de את haud raro poſito pro אל, ex *Lev.* XIII. 49. *Iob.* XXVI. 4. 1. *Sam.* XXI. 21. *Iud.* XIX. 18. *&c.* quæ loca omnia in alium tamen ſenſum trahere ſtudet *Helvicus.* Alii porro, את perinde pro præpoſitione habentes, legunt heic ſeu *præter* & *juxta*, ſeu *apud* & *coram Iehovah*, laudantes in eam rem, tum uſum particulæ את de propinquitate *Eſt.* I. 10. *Pſal.* XVI. 11. *&c.* atque citantes etiam *Onkeloſi* paraphraſin in quibuſdam Codicibus habentem קדם ״ / dum *Fagius* huc quoque refert *Nehemanidem*, *non malum authorem apud Hebræos.* Alii communius vertunt *cum Iehovah*, prout notum eſt את ſæpiſſime poni pro עם, *coll. Gen.* V. 22. VI. 9. 13. 18. *&c.* ut ſignificetur, vel ſpeciatim Dei cooperatio potentiſſima in productione tum Animæ tum Corporis, vel generatim Dei favor ſingularis, ſicut Græcè Latineque ſolet dici σὺν θεῷ *cum Deo*, & Hebræi id quidem exprimunt per אלהים & יהוה ſed etiam per עם אלהים 1. *Sam.* XIV. 45. vel Mulieris adhæſio ad Jehovam conſtans, vel acquiſitio filii ad poſſeſſionem ſuam priorem Jehovæ, vel etiam Dei participatio de viro nato ei non minus quam Mulieri, quod vult *Cl. Guſſetius*; præeunte in iſta interpretatione כמו עם השם cum aliis quibuſdam Judæis ipſo *Iarchio.* Et ſunt revera nimis quæſita effugia quorundam, qui iſtum uſum את pro עם vel peſſime negant, vel ita limitare ſtudent ut in concurſu aliquo ad opus & favore

demonſtrato ea locum non habeat; contra loca ſatis plana *Gen.* XXXVII. 2. *Ioſeph erat paſcens cum fratribus ſuis gregem &c. Gen.* XXXIX. 2. *& fuit Iehova cum Ioſepho &c.* Alii את unice referunt ad divinam operationem, redduntque, vel *à coram Iehovah* מן קדם uti apud *Onkeloſum* vulgo legitur, vel ἀπὸ θεοῦ *per Deum*, uti habent LXX. & *Vulgatus*, vel denique *a Iehovah*, uti reperimus apud *Tremellium & Iunium*, *Piſcatorem &c.* qui את credunt tunc Elliptice poſitum pro מאת / vel ſimpliciter pro מן / & ad hoc conferunt varia loca, ex *Gen.* XLIV. 4. *egreſſi ſunt* את העיר *ex* vel *ab urbe*, *Exod.* IX. 29. *cum exibo ego* את העיר *ex urbe*, *Deut.* XXXIV. 1. *omnem terram* את גלעד *a Gilhad ad Dan*, 1. *Reg.* XVIII. 32. *& adiſicavit* את האבנים *ex lapidibus altare*, *Ier.* LI. 59. *Ezech.* VI. 9. *&c.* & inprimis *Mich.* III. 8. *vere ego repletus ſum robore* את רוח יהוה *à Spiritu Iehova, & judicio & fortitudine &c.* Sive vero placeat magis illa notio *cum*, ſive *per*, ſive *à*, in ſenſum ſemper eundem & ſatis facilem venitur; juxta quem voluerit Heva, ſe quidem partu acquiſiviſſe filium maſculum quem & nunc acquiſitum poſſideret, ſed hoc ſe tamen acceptum ferre Divinæ virtuti & bonitati, abſque qua nihil potuiſſet ipſa. In quem ſenſum deinde etiam apud nativitatem Sethi ipſa dixit *Gen.* IV. 25. *poſuit mihi Deus Semen aliud pro Habele*, quod & *Parens* contulit, & Sara *Gen.* XXI. 6. *riſum fecit mihi Deus*, nec diſſimiliter locutæ leguntur Lea & Rachel apud liberorum partum *Gen.* XXIX. XXX. *&c.* Nec male adeò ad hunc locum de Heva annotavit *Chryſoſtomus*; Οὐχ πῶς τὸ γενόμενον θηλύτερον ζωφρονεστέρως εἰρήκασιν ἢ γυναῖκα, τὸ δὲ πεφθὲν πανθῆλυ δὲ τῇ φύσει ἀλλὰ τῷ θεῷ λογίζεσθαι, καὶ τὴν οἰκείαν ἐυγνωμοσύνην ἐπιδείκνυται *&c.* οὐχ ἡ φύσις φησὶ τὸ παιδίον μοι ἐχαρίσατο, ἀλλ' ἡ ἄνωθεν χάρις δεδώρηται *&c. Præpoſitione per*, inquit *Peterius*, *ſignificatur prolem illam datam fuiſſe Eva poteſtate munere ac favore Dei.* Ita & *à Lapide*; *Præpoſitio per non eſt jurantis, ſed gratulantis & autorem generationis agnoſcentis &c.* Nec male adeo *Joh. Clericus*; *A Iehovah viram nacta ſum*, *Hebr.* את קניתי *ab.* *Eodem ſenſu* οἱ *LXX. & Vulg.* ἀπὸ θεοῦ *per Deum.* *Temere nonnulli negarunt* את *uſquam ſumi pro* מאת. *Vid. Gen.* XLIX. 25. 2. *Reg.* XXIII. 35. *aliaque exempla à Clar. Noldio congeſta.* Qui prior locus ab aliis dudum quoque adductus, admodum videtur eſſe planus in hanc rem, nec facile eludendus, מאל אביך ויעזרך את שדי ויברכך / *à Deo patris tui & juvabit te, ab Omnipotente, & benedicet tibi &c.* Unde

va-

vaniſſima heic habet *Helvicus* ſubterfugia; *in poëtico ſermone multa occurrere irregularia, anomaliam conſtructionis illic requirere quod hic non eſt neceſſarium, ה illic ex precedenti* את *ſupplendum &c.* Interim *Clerici* concluſio nimis poteſt videri dura; *Qui verterunt, Virum Jehovam, atque Hevam credidiſſe Cainem eſſe Meſſiam, ii quamquam vix refutatione digni, fuſe ab S. Ammama in Antibarbaro confutati ſunt.*

IX. Hoc ex Diſſertatione hac noſtra liquere puto, quod Fides Hevæ in promiſſum Meſſiam tam recte certo & valide ex voce ejus apud Kajini nativitatem non videatur confirmari, quam quidem optimorum dogmatum noſtrorum amor & pietas in communem noſtram matrem Viris quibuſdam doctiſſimis perſuaſit; quos nos ita ſuo ſenſu abundare ſinimus, ut non audeamus tamen cum fiducia decente ſequi. Nec addimus propterea quidquam de aliis Patrum quorundam ante & poſt Diluvium nominibus, in quorum relatione ad Meſſiæ exſpectationem ſimilis zelus forte nimium Viros Doctos movit. Concluſio hujus Diſſertationis.

CAPUT DECIMUM.

Quode Fide & Reſipiſcentia Protoplaſtorum, & conſecuta hinc eorundem Salute, agitur tandem breviter.

Non ſunt ſolæ iſtæ voces Adami de Heva, & Hevæ de Kajino, ex quibus Fidem primorum horum parentum ſalutarem aſtruere non audemus; ſed & alia plura ab ævo ſunt in eam rem adducta argumenta, quæ minus valida queant cenſeri ab attendentibus. Oſtendit id dudum inter alios Vir Doct. *Samuel Andreæ in Diſſert. de Salute Adami*, in qua hoc ipſum argumentum eruditiſſime & ſolidiſſime exſecutus eſt integrum, productis ſimul argumentis rei ſolidioribus, & verbis non tantum recentiorum Theologorum ſed & veterum Patrum, *Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Lactantii, Euſebii, Athanaſii, Hilarii, Greg. Nazianzeni, Epiphanii, Philaſtrii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Cyrilli Alexandrini, Theodoreti, Sidonii Apollinaris, Laurentii Novar. Gregorii M. Iſidori Hiſp. Bedæ, Moſis Bar Cephæ, Anſelmi, &c.* Tranſitus ad alia pro Fide & Salute Adami argumenta.

Digitized by Google

Quapropter breviores nos heic esse poterimus, contractis iis tantum in summam nostra methodo, quæ ille larius congessit.

Tatianorum de Adamo æternum damnato Error.

II. Nempe redargutus ab antiquissimo tempore communiter fuit à Christianis *Tatianus* Syrus vel Assyrius, apud *Augustinum Her.* XXV. *Tacius* dictus, *Iustini Martyris* auditor, & eruditione varia ac scriptis plurimis olim in Ecclesia Celeberrimus, sed post Justini martyrium delapsus in *Marcionitica* & *Valentiniana* dogmata varia, & *Encratitarum* seu autor seu fautor magnus factus; quod adversus Salutem primi Adami se opposuerit & ejusdem restitutionem ex lapsu negaverit. Ita nempe de eo inter alios *Irenæus Lib. I. Cap.* 30. & 31. Græce citatus ab *Eusebio Lib. IV. Cap.* 29. Ἀπηλέησέ τε τὴν ἐξ ἀρχῆς πλάσιν σωτηρίας, καὶ τοῦτο νῦν ἐξεύρηται παρ' αὐτοῖς, ὡς μηδὲ ἕνὸς πώποτε τούτῳ εἰς ἐγκαλεῖσθαι τῷ βλασφημίαν, ὃς ἐκ τῆς ἀκροατικῆς χρονικὰς ἐφόζον μὲν συνῆν ἐκείνῳ δόλιον ἐξέφηνε τοιοῦτον; μετὰ δὲ τὸν ἐκείνου μαρτυρίαν ἀποστὰς τῆς ἐκκλησίας ὁμιλίαν διδασκάλου ἑπαρθεὶς καὶ τυφωθεὶς ὡς διαφέρων τῶν λοιπῶν ἴδιόν τινα χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο &c. τῇ δὲ ἀδελφὰ σωτηρίας παρ' ἑαυτῷ τὸν αἰλιολογίαν παρεισάμενος. Apud quem etiam *Lib. III. Cap.* 39. ita legimus; *Mentiuntur ergo omnes qui contradicunt ejus* (Adami) *saluti, semper se ipsos excludentes à vita, in eo quod non credant inventam ovem quæ perierat. Si autem illa non est inventa, adhuc possidetur in perditione omnis hominis generatio. Mendax ergo is qui prior hanc sententiam imo hanc ignorantiam & cæcitatem induxit Tatianus, connexio quidem factus omnium hæreticorum &c. Hoc autem à semet ipso ad invenit, uti novum aliquid præter reliquos inferens, vacuum loquens, vacuos à fide auditores sibi præpararet, affectans magister haberi, tentans & subindè uti hujusmodi à Paulo assiduè dictis, quoniam in Adam omnes moriemur, ignorans autem, quoniam ubi abundavit peccatum superabundavit gratia. Ostenso ergo hoc manifeste erubescant omnes qui ab eo sunt & concertant de Adam, quasi magnum aliquid lucrentur si ille non salvetur, quando magis nihil proficiant. Quemadmodum & Serpens nihil profecit, suadens homini, nisi illud quod eum transgressorem ostendit, initium & materiam apostasiæ suæ habens hominem, Deum autem non vidit, sic & hi qui contradicunt salvti Adæ nihil proficiunt, nisi hoc quod semet ipsos hæreticos & apostatas faciunt veritatis, & advocatos se serpentis & mortis ostendunt.* Alia aliorum verba non addemus similia de Tatiano & asseclis. Sed quemadmodum *Theodoretus Hær. Fab. Lib. I. Cap.* 21, dicit, ἡ τότε διδασκαλίαν

Σαθῆ.

Σθῆρον Ἀγαθεξάμενον &c. ita & *Nicephorus Lib. IV. Cap.* 4. poſt expoſitam illam *Tatiani* opinionem ſubjecit; ὃς Σθῆρος Ἀγάθοχος ἢ ἐκείνου θαμάλιον κεφτιώας αἵρεσιν αἰτίαν ἔχει τῇ ἰδίᾳ φωσηγορίᾳ σὺν ἐξ ἐκείνου φωὸς ἑαυτὸν ἐφελκύσασθαι καὶ Σθηριανὸς ὀνομασθη &c. Nominantur quandoque etiam *Novatiani* tanquam huic de Adamo ſententiæ adhærentes, ſed hoc forte his per conſequentiam imputatum fuit, uti ſic ab altera parte dixit *Danæus ad Auguſtinum*; *Prima & eorum* (Tatianorum) *maxime propria erroris hypotheſis fuit, quod Adamum primum hominem damnatum nec ex lapſu ſuo ſaluti reſtitutum putant & docent. Qui levis error in ſpeciem videri poteſt, ſed Novatianæ hæreſeos quæ lapſis ſpem veniæ denegat prima fundamenta & ſemina jacit &c.* Sed & longe ſerius *Rupertus* ſcripſit; *De Adam, utrum aliquando per Chriſtum miſericordiam conſecutus ſit per quam ſalvati & liberati ſumus, hodieque nonnulli diſſertant, pro eo quia videlicet nuſquam Canonica Scriptura teſtatur illum egiſſe pœnitentiam &c. Itaque quia de illo vetere Adam nihil uſquam boni operis invenitur, & novus Adam iſti eſt oppoſitus, ſicut enim in Adam omnes moriuntur ita & in Chriſto omnes vivificabuntur, ſalvatio ejus & à multis libere negatur, & à nullo ſatis firmiter defenditur. Ne quis tamen temere definiat, conſtat & hoc, ut Eccleſiaſtica refert hiſtoria, ab Encratitis hæreticis inventum eſſe quibus Tatianus author extitit, &c.*

III. Adverſus eam *Tatiani* ſententiam videndum nunc primum quid minus valide objectum ſit, & dein quid revera valeat. Nempe urgetur heic communis traditio & fides Judæorum æque ac Chriſtianorum. Unde eſt quod de Adamo refert *Joſephus*, παρεκάλει ὁ θεὸς μὴ χαλεπαίνειν αὐτῷ, & quod narratur apud R. *Eliezarem Cap.* xx. *Quodam ſabbatho ingreſſus Adam aquas Gihon ſuperioris, donec pertingerent aquæ ad collum ejus, & ſupplicatus eſt ſeptem diebus ſabbathorum, uſque dum factum fuit corpus ejus inſtar cribri; dixit Adam coram Sancto Ben. Domine univerſi mundi tranſeat quæſo peccatum meum à me & recipe pœnitentiam meam, ut diſcant omnes ætates quod ſit reſipiſcentia & quod ſuſcipias reſipiſcentiam convertentium ſe. Quid fecit Sanctus Ben. Extendit dextram ſuam atque removit ab illo peccatum ejus, & recepit converſionem ejus juxta illud, peccatum meum tibi notum feci & iniquitatem meam te non celavi, Selah in hoc Seculo, Selah in futuro Seculo.* Ut nihil dicam de Teſtamento Adami apud *Patricidem*, quo is de cadaveris ſui

Argumenta adverſus eum Errorem leviora.

cura præcipiens de ſalute ſua quoque locutus ſit, vel de libro *Pœnitentia Adæ* quem *Celaſius* jam olim rejecit. Sed hæc niſi aliunde firmetur non eſt fidei noſtræ ſolidum ſatis fundamentum. Additur ſecundo Scriptura Sacra, ex *Sap.* x. 1. 2. αὕτη πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου μόνον κτισθέντα διεφύλαξε, καὶ ἐξείλατο αὐτὸν ἐκ παραπτώματος ἰδίου. ἔδωκέ τε αὐτῷ ἰσχὺν κρατῆσαι ἁπάντων, quem textum *Auguſtinus* ipſe laudavit *Epiſt.* xcix. *ad Euod. &c.* ex *Luc.* iii. 38. ubi Adam Dei *filius* vocatur, & ex *Luc.* xv. 4. ubi eſt Parabola de perdita ac reducta ove centeſima *&c.* Sed locus primus eſt apocryphus, quem à *Canonicis Scripturis* etiam illic *Auguſtinus* ſatis manifeſte excludit; nec filius Dei per Creationem hoc ipſo talis poſt lapſum eſt per Adoptionem; nec parabolæ illius vel occaſio vel applicatio nos ad Adamum ducit. Accedunt etiam tertio rationes variæ; ex eo quod Adam inſignis fuerit & primus Chriſti Typus; ex perizomatibus ficulneis quæ ſint argumentum pœnitentiæ, pudore etiam & metu & confeſſione Adami; ex gloriatione Diaboli alias non ſublata; ex ramorum ſalute quæ abſque illa radicis conſiſtere nequeat; & ut omnes ſimiles non tangam, ex Sepultura Adami in monte Calvariæ ſub Chriſti Cruce, in quem ſic ſanguis Domini irrigans ſit delapſus ex ejus latere, quam poſt *Origenem & Tertullianum* tam magno conſenſu tradunt veteres Chriſtiani. Sed Adam Chriſtum per oppoſitionem quandam maxime tanquam typus expreſſit in peccato cum morte ad omnes tranſlato, non in nova gratia; nec perizomata cum pudore metu & qualicunque confeſſione veræ reſipiſcentiæ argumentum ſunt ſufficiens; gloriatio Satanæ per ereptam ei poſteritatis ſolius Adamicæ magnam partem potuiſſet Deo ita volente etiam tolli; gratia ramis à Deo liberrime facienda non dependebat à radice moriente; denique vaniſſima eſt illa traditio de Adami Sepultura infra crucem Chriſti & ſecuto ſanguinis in eum fluxu, adverſus quam altera de ipſo in Hebron ſepulto ex ipſo *Hieronymo* opponi poteſt *coll. Joſ.* xiv. 15. & quæ nihil ad ſalutem Adami ſeu operandam ſeu monſtrandam facere poteſt, propter loci iſtius & ſanguinis Chriſti corporaliter oſſa tangentis inutilitatem. In iſtis ergo & ſimilibus non puto heic nobis eſſe hærendum.

Validiora pro Fide & Reſpiſcentia Salutari Protoplaſtorum.

IV. Nihilominus tamen cum *Leidenſibus* noſtris Deceſſoribus *in Synopſi Theol. Diſp.* xiv. *utrumque Parentem per fidem in Jeſum Semen Mulieris promiſſum Deo fuiſſe reconciliatum ac participem factum ſalutis æternæ, aſſeverare non dubitamus.* Et pro argumento ejus

ejus rei primo habemus ipsa Dei verba ad Serpentem *Gen.* III. 15. Illic enim Mediatorem & Fœdus Gratiæ in eo Deus ipse non tantum gravi sermone notum facit Protoplastis, sensu sceleris sui contritis & hinc in verba sibi læta attentis, quod non videtur fuisse absque salutari fructu obedientiæ fidei; sed & promissa maxima facit, absque dubiæ & incertæ conditionis stipulatione ulla, ostendens sic Gratiæ suæ efficaciam & immutabilatem; & non tantum Semini Mulieris sed & Mulieri huic ipsi Inimicitiam etiam cum Serpente fore denunciat, quæ gratiam illi factam manifeste arguit; unde porro ad Adamum vitæ sceleriſque socium, licet expresse non nominatum, videtur ea res pertinere, vel æque, ut in Semine tributo Mulieri quod utique simul etiam Semen Viri foret, & ut in Inimicitia Serpentis quæ utique Virum non minus tangeret quam Uxorem, vel etiam magis per argumentum, seu à minori ad majus, spectata Mulieris infirmitate & indignitate, seu à majori ad minus, considerato ipsius primo lapsu & activa seductione. Quod argumentum nostrum respectu posteriorum membrorum optime expressit *Doct. Gomarus in Digress. ad Gal.* I. *Vocationem efficacem ad Fœdus Gratiæ primis parentibus factam esse communi sententiæ conceditur. Ac de Eva quidem verum ac credendum Scripturæ indicio Gen.* III. 15. *quibus verbis illius Mulieris, hoc est, Evæ cum Dei amicitia futura qua sine Christo & fide esse non potuit Rom.* V. 1. *Hebr.* XI. 5. *indicatur. De Adamo vero verisimile ac credibile existit, partim ob reconciliationis Evæ exemplum, quæ prior tamen peccavit & Adamo peccati causa fuit, partim quia contrarium in sacris literis minime traditur, ideoque vel hac ratione ex charitatis lege in re ancipiti in meliorem partem judicandum &c.* Argumentum alterum huic jungimus, ex sententia in Hevam & Adamum lata, in qua non tantum Maledictio neutri explicite ulla denunciatur sicut antea Serpenti, sed & plane missa omni æternæ pœnæ promeritæ mentione de malis hujus vitæ in mortem corporalem exeuntibus tantum agitur per quæ ipsi electi castigantur à Deo; cujus rei rationem jam antea monuimus videri quærendam in remissione & salute primis parentibus concessa à Deo per Serpentis præmissam exsecrationem. Argumentum tertium prætermittendum quoque non putamus, ex Tunicis Pellis, quas dè Sacrificiis sumptas pro symbolo Divinæ gratiæ in Christo & justitiæ hujus imputatæ merito haberi antea ostendimus *Cap.* VII. & quas ita Deus æqua-

liter

liter utrique Protoplaſtorum tribuit, ut & illi eas induentes fidei Chriſtum apprehendentis ſignum haud obſcurum dederint hoc ipſo. Argumentum quartum addi poteſt, ex pia Protoplaſtorum cura in liberis ſuis inſtruendis ad fidem & pietatem veram, quam non tam ex incerta Traditione poſſumus diſcere, quam quidem ex oblationibus Kajini & Habelis, & hac per fidem, in ipſo hebdomadario operum fine, (uti alias adſtruximus *EXERC. TEXT. I. Part. II.*) atque ex iis quæ laudabiliter dein de Shetho & Enoſcho & Hanocho feruntur; unde ſincerum exemplum fidei & virtutis in Protoplaſtis haud præter rem omnem arguitur. Quibus argumentis præmiſſis, videtur quintò etiam nobis per primo lapſorum hominum & communium humani generis Parentum reſtitutionem ſalutarem magis & illuſtrius promoveri Divina Gloria & Satanæ gloriatio tolli, quam ſi Principes hos ſub ſua poteſtate retinuerit conſtanter Serpens infernalis, nec niſi poſterorum pars ipſi ſit ſubtracta à Deo in Mediatore conſtituo per gratiam novam.

Objectiones tandem ſolutæ.

V. In contrarium ſi adhuc opponas, Moſen ſilere de primorum hominum Fide & Reſipiſcentia ſalutari; dicam, id ex hiſtoriæ ipſius Brevitate ortum eſſe, cum non æque neceſſaria nobis eſſet cognitio Reſtitutionis quam Lapſus ipſius ob noſtrum in primo ſtatu repræſentationem; nec ita ſiluiſſe Moſem quin argumenta nobis ſuppeditaverit quibus reſtitutionis ipſius veritas conſtare poteſt. Si urgeas, nec alibi Scripturam nobis commendare Protoplaſtorum Fidem & Salutem, etiam ubi Fidelium catalogus inde ab Habele occurrit *Hebr.* XI. 4. *&c.* reponam, id non eſſe factum, quod ſpecialia geſta Adami reſtituti non narraverit Moſes, quæ inde fidelibus ſub N. Teſt. conſtarent & his in exemplum notum proponerentur, dum tamen ex Fide Habelis Parentum primorum pietatem non adeò male colligimus. Si tandem id quam maxime obſtare putas, quod Adam ut cauſa Peccati & Mortis omnium, adeoque maximè damnabilis, nobis ubique in Vet. & Novo Teſtamento proponatur; regeram, iſta ipſius culpa non ſuperari vel averti ab ipſo Dei in Chriſto gratiam inſecutam, ſed quidem meritum omne vitæ pro ſe & nobis quod uni Chriſto erat relinquendum, imo quo peccatum Adami fuit gravius & ut tale nobis innoteſcit, eo illuſtriorem fieri Divinæ Gratiæ in eo ſalvando laudem. Ad quam cum Deus omnia ab initio compoſuerit, nos eandem agnoſcere, & ore ac opere ſemper quoque prædicare decet, quos ex Semine Serpentis in Semen Mulieris & ſuum gratia infinita ſua tranſtulit.

FINIS. NO-

Digitized by Google

NOMINA

Præſtantiſſimorum Juvenum qui Defenſione publica hujus operis ſe exercuerunt.

HENRICUS COTIUS, Gelrus.
PETRUS COUPERUS, Friſius.
JACOBUS STEENWYK, Friſius.
PETRUS ANTONIDES, Friſius.
WILHELMUS CHRISTIANUS CAUTIUS, Anhaltinus.
FREDERICUS BOOTSHAAK, Friſius.
GAJUS HAJONIDES, Friſius.
LAMBERTUS FLEDDERUS, Drentinus.
FOLDRICUS HOPSEN, Friſius Orient.
LAMBERTUS BIERUMA, Groninganus.
JACOBUS STIKKERSMA, Friſius.
CORNELIUS MEINEMA, Groninga Omlandus.
ALBERTUS ALBERTHOMA, Dammonenſis.
NICOLAUS VERTILET, Gouda Batavus.
MEINARDUS BETTEN, Enkhuſa Batavus.
GERARDUS Vander GEEST, Tiela Gelrus.
JOHANNES SCHAGEN, Enkhuſa Batavus.
BARTHOLOMÆUS Van VELSEN, Haga Batavus.
JOHANNES H. SCHRADER, Bentheimenſis.
CORNELIUS Van DAM, Rotterod. Batavus.
SIMON VETTER, Groninga Omlandus.
HILLEBRANDUS JANSONIUS, Groninga Omlandus.
WILHELMUS RENEMAN, Groninga Omlandus.
JOHANNES BOVIE, Dordraco Batavus.
GUILIELMUS HENR. TROJE, Haga Batavus.
ADRIANUS REELAND, Ripa Batavus.
JACOBUS Van OSTADE, Harlemo Batavus.
WILHELMUS Van KRIMPEN, Batavus.
HERMANUS WILH. MATTHÆUS, Groninganus.

Digitized by Google

ADRIANUS Vanden BERG, Delfis Batavus.
JOHANNES VALK, Woerda Batavus.
MICHAEL N. SOLYMOSI, Hungarus.
JOHANNES à CLEEF, Dordraco Batavus.
NICOLAUS VEECKENS, Amſtelod. Batavus.
GODEFRIDUS SPRENGER, Doesburgo Gelrus.
MARCUS BOERHAVE, Lugduno Batavus.
THEODORUS Vander BIET, Amſtelodamo Batavus.
NICOLAUS Van LIS, Rotterod. Batavus.
NICOLAUS Van WYK, Culenburgenſis.
THOMAS JOH. De WEETERING, Ultrajectinus.
PETRUS HARENC, Normanno Gallus.
CAROLUS JOSEPHUS à STEINACH, Auſtriacus.
JOHANNES CASP. MULLERUS, Tigurinus.
JOHANNES BENTLE, Axella Flander.
JOHANNES HOFSTEDE, Beila Drentinus.
JOHANNES SCHULL, Haga Batavus.
THEODORUS TEXELIUS, Joh. Fil. Rotterod. Batavus.
DAVID GRIMES, Rotterod. Batavus.
PAULUS BARBIN, Bleſenſis Gallus.
PETRUS KROONENBURG, Batavus.
VICTOR BERKHOUT, Horna Weſt-Friſius.
PETRUS De ZEEUW, Alkmaria Batavus.
NICOLAUS Van ASTEN, Lugd. Batavus.

JO-

Digitized by Google

JOHANNIS MARCKII

ORATIO

INAUGURALIS

DE

CHRISTIANISMI PROPAGATI ADMIRANDIS.

Habita Lugduni Batavorum in Spectatiſſima Panegyri Academica.

Cum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſor ibidem eſſet conſtitutus.

A. diem IX. *Jan.* MDCCII.

Digitized by Google

Digitized by Google



Ergò iterum in novam ego prodeo lucem, eodem menſe eodemque fere menſis die, quo gratum cœli lumen ante ſex & quadraginta annos primùm aſpexi. Et fuit ante duodecim annos idem ille menſis primi dies decimus, quo, laboribus Eccleſiaſticis & Academicis apud Friſios meos & Groninganos defunctus, initium docendi Sacram Theologiam inter vos ex hac cathedra feci. Quid æquius igitur, quam ut ante omnia ad Deum, temporum æque quam rerum omnium Moderatorem ſupremum, cum corde & oculis os meum convertam gratus? Tibi, ô Cœleſtis Pater, tuæque bonitati & gratiæ minimus filiorum tuorum debet omnia; quod vitam acceperit, nec fulmine peſtifero matrem lactantem feriente infans amiſerit; quod creverit in puerum, atque tum patre orbatus lubrica adoleſcentiæ & juventutis ſpatia haud infeliciter tamen abſolverit; quod in ſeculo hoc calamitoſo dies produxerit ſupra coætaneos plurimos, & communibus tuis benedictionibus variis neutiquam fuerit hucuſque deſtitutus; quod ex Chriſtianis natus parentibus, te cognoſcere & amare à parvulo cœperit, & adverſus innumeras mundi illecebras obfirmatus perrexerit; quod literas didicerit, & contra propinquorum repetitas nec ipſi inutiles ſuaſiones elegerit ſacra ſtudia per quæ Eccleſiæ laboranti poſſet eſſe utilis; quod ea celerrimè ad maturitatem aliquam perduxerit, decimo nono ætatis anno ad Euangelii in Eccleſia Miniſterium non modo ſed & ſimul ferè ad Doctoris Philoſophiæ ac Theologiæ titulos haud ægrè admiſſus; quod poſt exactum Eccleſiaſtici Miniſterii annum unum aſcendere juſſus ſit Theologicam in Franequerana Academia Cathedram Avitam; quod poſt ſexennium illic actum, à Proceribus Groninganis liberaliſſime vocatus, & à Friſiis ſuis ſatis ægrè dimiſſus, in altera Fœderati Belgii Academia ex Suggeſtu Eccleſiaſtico ſimul & Cathedra Profeſſorali

Digitized by Google

Theologica & Hiſtorica ſacram juventutem in Eccleſiæ uſus formaverit per octo annos; quod dein ad ſplendidiſsimam hanc totius Europæ ſtationem ab Academiæ Lugd. Batavæ Antiſtitibus honeſtiſsimè invitatus, & mox etiam ad Eccleſiæ in hac amœniſsima urbe Curam decenter admotus, non caruerit omni publico laboris ſui fructu; quod denique adeò placuerit ſapientiſsimis rei heic Academicæ Præfectis, ut Theologiæ ſolius hactenus Profeſſorem etiam nunc porrò Hiſtoriam Eccleſiæ exponere juſſerint. Hæc cuncta, ô benigniſsime Pater, immeritæ tuæ bonitatis ſunt largiſsima in me munera; quæ rogo ut cum delictorum multorum & gravium venia mihi porrò etiam adaucta præſtes, voveoque, me tuum ſemper fore ſervum, qui ad gloriam tuam omnia mea te adjuvante & corroborante componam, ut liceat poſt breve hujus vitæ tempus cum fiducia præſtolari & obtinere beatam in tui læta fruitione æternitatem! Enimverò quanta eſt, A. hominum & humanarum rerum mutatio apud nos à duodecim annis? Illuſtriſsimorum Curatorum iſtius quo huc veni temporis nemo ſupereſt; & deſiit eſſe etiam unus ex illis qui poſt meum adventum Academiam hanc curare inceperunt. Ampliſsimorum Urbis Conſulum & Conſularium pluſquam dimidia obiit pars; & inter eos nunc ſunt aliqui, juxta Scabinos tantum non omnes, quos etiam in Senatorum collegium cooptari vidi. Eccleſiæ Lugdunenſis Paſtores quieſcunt à laboribus ſuis ſex, quos ut patres licuit venerari; & ſeptimus nobis ereptus eſt præmaturè, quem ut fratrem cum aliis adſciveram dilectiſsimum. Fit quando oculos in Profeſſorum ordinem conjicio, non reperio amplius dives illud antiquitatum omnium promptuarium RYCKIUM; non Medicorum principes, qui vitam præ aliis protracturi arte ſua potuiſſent videri, DRELINCURTIUM, DEMAATSIUM, HERMANNUM, NUCKIUM; non noſtrum, non meum SPANHEMIUM, Virum ſupra omnem laudem poſitum, & immortalitate præ aliis digniſſimum, cujus variam ſolidamque eruditionem admirabitur ſera etiam poſteritas. Sed hæc tanta ſpectantes damna veſtra, veneramini ſimul mecum optimam Dei providentiam; quâ Curatores & Conſules nobis reddidit alios, qui doctrinâ virtute & meritis in Rempublicam præcurrant potius quam ſequantur ſuos Deceſſores; quâ Eccleſiæ proſpexit de novis Paſtoribus, qui ad defunctorum laudes magnis paſſibus graſſentur; & quâ Academiam aliis Luminibus ſuperſti-

tibus

tibus fulgere adhuc voluit non tantum, sed & ornavit denuò, non uno PERIZONIO, qui barbarie omni profligatâ Græci Latinique sermonis nitorem antiquissimum orbi restitueret, & seculorum elapsorum fata coram curatissime contemplanda daret. non sola Medicorum triade, BIDLOO, DECKERSIO, & HOTTONO, qui sanitatis servandæ & reducendæ artem felicissimè traderent, adjuti etiam à Doctissimis Viris LEMORTIO & BOERHAVENIO, non his solis sed & Celeberrimo WITSIO nostro, qui à quatuor jam annis, ingenii perspicacia admirabili, eruditionis præstantia incomparabili, dictionis facundia inimitabili, laborumque industriâ indefatigabili, non minorem nostræ Academiæ splendorem addit, quam olim Trajectinæ per octodecim & Franequeranæ per quinque annos attulit. Meo inquam WITSIO, qui me à Batavis ad Frisios olim redeuntem & ignotum Juvenem amicissimè excepit, qui Cœtus Ecclesiastici nomine progressus meos humanissimè exploravit & indulgentissimè laudavit, qui in Sacri Ministerii munus sanctissime immisit, qui encomiis liberalissime datis & sparsis autor princeps fuit, & mihi ut ad Academicam functionem res meas componerem, & Proceribus Frisiis, ut eandem mihi citissimè juxta ipsum tribuerent, quique me tum præsens tum absens plus quam paterno amore hactenus constanter est complexus. Nec tu Virum hunc tuum dicere dubitabis, Conjunctissime TRIGLANDI, quem in sacro munere apud Trajectinos olim Cooperarium habuisti, & quem tuorum maximorum donorum mecum æstimatorem æquissimum pro meritis summis cum amore debito veneraris vicissim. Adeò nihil est, quod Societatis nostræ Theologicæ consummatæ felicitati hodiè desit, nisi quod SPANHEMIO nostro non amplius fruamur, sed eundem Virum Incomparabilem cum amaro luctu nuper ad cœlestes sedes præmiserimus, exspectantes etiamnum hujus Eliæ loco Elisam qui duplam portionem Spiritus ipsius obtineat à Domino. Et nescio, quantoperè pertremiscam ego, quando ad Historicam muneris ipsius partem sustinendam me vocatum animadverto ab Illustribus & Amplissimis Viris; in qua diffusissima & difficillima scientia uti ille omne potest dici tulisse punctum, ita ego vix è longinquo ipsius potero premere vestigia, qui à tempore Lugdunensis meæ statibnis, eandem tam feliciter promoveri à Viro Magno cernens, Scripturarum Sacrarum exegesi me fere totum dedi, & sepositi ad-

eò

eò quod in Hiſtoria ſacra apud Groninganos egeram. Satisfaciendum tamen pro viribus erit benigniſſimo mandato Academicorum Procerum, & reſumendus adeò cum opere animus, ne omnem eorum exſpectationem prorſus fallam, & ne publicis Eccleſiæ atque Academiæ commodis me indecenter ſubducam. Quod dum ago hac ipſa hora, auxilio divino fretus, ad primas Chriſtianiſmi Origines vos adducere ſtatui, ut contemplantes Admiranda in ejus Propagatione conſpicua, ejuſdem nobiliſſimum nec minus quam cœleſtem & divinum ortum agnoſceretis omnes certiſſimè, & tantò majori cum ardore ad ejus fata inſecuta omnia à nobis exponenda dein attenderetis. Veſtrum erit, A. narrantem me audire cum benevolentia ſolita; quam etiam merebitur, non mea dictio, nec rei narrandæ novitas, ſed hujus dignitas & præſtantia ſumma.

Quam admiranda fuerit veteri Judaici cultus & populi origo, nemo ignorare poteſt qui literas ſacras tractavit. Vocatur ex terra & ſuperſtitione Chaldæorum Abram ad peregrinas & ignotas ſedes, in quibus Deum verum coleret ex ipſius juſſu & majeſtate; cum divini fœderis gratia ſingulari & varia accipit duriſſimum Circumciſionis mandatum; ſenio ipſe confectus ex effœta conjuge parens innumerabilis poſteritatis conſtituitur; quin & filium per quem hæc erat procreanda non illiberaliter Domino in victimam cedens, eundem quaſi ex mortuis recipit. Prognatum dein ex hoc Abrahamo Iſaaco & Jacobo ſemen, per filiorum hujus maledictam in fratrem Joſephum nequitiam & ſuperveniențes ſtupendos caſus, deducitur in Ægyptum, ut peregrinationis longæ terminum moleſtum; ſub diro oppreſſionum immeritarum pondere illic ſervatur, & ſupra humanam fidem augetur brevi annorum curriculo; exit inde contra potentis & ſævi Regis placitum, Duce Moſe, onuſtum ditiſſimis Ægypti ſpoliis in duri laboris juſtiſſimam mercedem, poſt portentoſas hoſtium obduratorum plagas; inerme evadit per diſſectum mare medium ex hoſtium incumbentium armatis manibus, quos undis ultricibus innatantes à tergo videt; & liberatum adeò cum promiſſis Deo dignis ab hoc accipit in Arabiæ deſertis montibus inter terreſtria & cœleſtia prodigia Legem ſanctiſſimam morum & rituum, in fertili terra Cananæa ſervandorum, cum fide venturi Redemtoris etiam ſic firmanda. Et qui hoc modo populum juſſit eſſe ſuum Deus, is eundem porrò in incultis locis

alit

Digitized by Google

alit ducit & protegit; is in terram promiſſam introducit, aquis fiſſis, muris lapſis, incoliſque veteribus cæſis vel fugatis, haud abſque ſyderum & nubium miro concurſu; is in ea defendit & benedicit inter caſus varios, protendens etiam per Davidem regni hujus fines ad Euphratem uſque, ac ab erroribus graviſſimis ad officia decentia revocat verbis ſimul validiſſimis & verberibus duriſſimis; donec Judaiſmus Chriſtianiſmo locum faceret. Atque hujus non minus admirabilem fore ortum & progreſſum, per illius fata non tantum delineavit olim Deus, ſed & verbis plurimis declaravit, & emblematibus viſis illuſtravit. Ex quibus unum nominaſſe modò ſuffecerit, quod maximo Chaldæorum Regi expoſuit Daniel ſapientiſſimus Vates. Lapidem nempe exiguum, qui de monte exciſus, nec ulla hominis manu ſuſtentatus impulſus vel directus, pretioſam & terribilem ſtatuam dejecit & contrivit prorſus, atque ipſe excrevit in montem maximum omnia terræ ſpatia implentem. Quod emblema non adeò ſtupendum eſt, quin in Chriſtianiſmo propagato veriſſimum deprehendatur. Nulla utique major eſt lapidis abjectiſſimi vilitas, quam Chriſtianæ religionis apud mundanum genus. Quod abſque ullo ejus opprobrio attendi meretur ante omnia. Et quod in dogmatibus credendis ac officiis præſtandis æquè conſpicuum eſt. Quid enim illa non jubet credere tam ſupra perceptionem quam fidem craſſæ corruptæque mentis? Inviſibilem Deum, ante res omnes viſibiles ſibi ſufficientem, & in eis à ſe ex nihilo factis præſentem, ac operantem omnia, abſque converſione ſui aut laſſitudine ulla; Unum Deum abſque eſſentiæ & perfectionis multiplicatione ulla aut interno diſcrimine, & eundem ſimul Trinum, Patrem Filium & Spiritum Sanctum, qui ſint veræ diſtinctæque Perſonæ; Æternum Deum, qui ipſe in temporis plenitudine factus ſit ex Virgine intacta homo, atque ut hominum Sponſor Dei ipſius maledictionem diriſſimam pro iis ſubierit, mox ut mortis & inferni victor ſuſcitatus, ſublatus in altum, & exaltatus ad Patris dextram ſuper ejus thronum; Magnum Regem, qui mortuos per ſecula omnia homines, etiam in corporibus ad minimos pulviſculos uſque diutiſſime & irreparabiliter diſjectis, coram ſuo tribunali cœleſti ſiſtet judicandos, pœniſque vel præmiis afficiet æternis. Quis hæc & talia plura, quæ Chriſtiani venerantur ut ſanctiſſima myſteria, non miretur potuiſſe tenebricoſis mortalium placere ingeniis, & non potius ab omnibus com-

muniter ut delirantium ſomnia fuiſſe rejecta? Sed non minor eſt Chriſtianiſmi in officiis capeſſendis difficultas. Is ſcilicet demum verè Chriſtianus eſt, qui innatiſſimum lubenter ponit faſtum, ſuam ſi vel Regum fuerit maximus agnoſcens ſub Dei providentia ſervitutem, ſuam ſi vel mortalium ſanctiſſimus apud Deum impuritatem, & ſuam ſi vel hominum feliciſſimus promeritam certiſſimam damnationem & propriis viribus inſuperabilem miſeriam. Is Chriſtianus eſt, qui in homine, Judæo, viliſſimo, inter latrones crucifixo, & mortuo, omnem ſalutis ſuæ temporalis & æternæ fiduciam conſtituit; rejecto ſacrificiorum veterum ſplendore, abnegatâ hominum omnium etiam ſui ipſius ſanctitate, repudiatoque cœleſtium ſpirituum auxilio. Is Chriſtianus adhuc eſt, qui Dei in Chriſto nutui ſe prorſus abſolutiſſimè tradit, ſuum & creaturarum omnium placitum, gloriam, ac commoda temporalia quævis, ſpernens, mundi dilectos antea mores deſideria & ratiocinia ejurans, Deum ſupra omnes creaturas & ſupra ſe ipſum amans, proximum non minus quam ſe diligens, in adverſitatibus graviſſimis patiens, in proſperitatibus optatiſſimis humilis, & per anguſta hujus terræ ac ſepulchri ſemper cum ſpe & fiducia immota tendens ad cœli nunc inviſibilis auguſtiſſima bona. Et hanc quis iterum non ſtupeat abalienatis à Deo hominibus potuiſſe arridere viam, ut eam calcandam ſub Chriſtiano nomine eligerent? Nolite ad hæc exiſtimare, A. quod negem ego omnia, vel Chriſtiana à Vatibus prædicata dogmata, vel rectæ rationis dictamina, quæ homines ab ævo naturâ duce & traditione auxiliatrice agnoverunt, quibuſque dogmata & officia Chriſtianiſmi nequeant adverſa cenſeri. Etenim ignorat nemo, quam parum Propheticis oraculis ſe ſubjecerit olim orbis, & quam fuerint ea ſimul ænigmatica. Atque uti recta ratiocinatio de rebus divinis fuit ſemper pauciſſimorum, ita in omnibus, etiam ſapientiſſimis, mentis perverſitas ſe illi immiſcens eſt nunquam non conſpicua; & quamquam non ſit vel urgenda vel concedenda rationis cum revelatione Chriſtiana adverſitas, illam tamen ab hac immane quantum ſuperari liquet, quod ſpeciem adverſitatis haud exiguam inducit. Et conſiderate amplius, quales fuerint homines, qui Chriſtianam religionem primi acceperunt. Iiſraelitæ equidem, ſed ab Abrahami & Iiſraelis veſtigiis admodum divagati. Occupabat enim tum communiter eorum animos craſſa veri Dei & Legis ejus ignorantia; regnabant præ-

præjudia in univerſo populo, de Meſſia Rege temporali qui corporale gentium jugum excuteret & hujus vitæ commoda cum notabili augmento reſtitueret Iſraëli, de circumciſionis ſacrificiorum & reliquorum rituum umbraticorum duratione perpetua, de vera felicitate per merita bonorum operum obtinenda, ut taceam Phariſæorum & Sadducæorum Euangelio & ſibi invicem adverſos errores omnes alios; atque morum obtinebat paſſim profligata & vere gentilis impietas. Adeò quidem, ut præcurſore ſingulari opus haberet Dominus qui viam ante ejus faciem pararet, nè anathemati ſubjiceretur terra tota Moſen & Prophetas ſpernens. Sed & degeneribus Judæis oportet jungere gentes alias, quæ præ fratribus ejus propriis natum & prædicatum acceperunt Meſſiam. Atque conſtitutæ fuerunt hæ ab hominibus cæcis; qui pro Creatore creaturas cœleſtes & terreſtres veſani coluerunt; qui per imagines humanâ manu factas gloriam inviſibilis Dei idololatriæ vaniſſimæ dediti obſcurarunt; qui per angelos, divos, ſacerdotos, ſacrificia, virtutum externa ſimulacra, & impietates ſæpe nequiſſimas, ad beatitatem inepti contenderunt; qui paſſim in ſcelera omnia fœdiſſima ſibique & proximo nocentiſſima impetuoſi ruerunt; ut vere à gentium Apoſtolo dicti ſint Athei ac ſpe vera ſalutis deſtituti. Nec prætermitti debet; quod à plurimis retrò ſeculis iſtam traxiſſent pravam conditionem & converſationem, hinc difficilius abducendi; quod ſapientiâ hujus ſeculi & eloquentia eſſent inſtructi ad munienda ſua placita, hinc ægrius convincendi; quod felicitate fruerentur & potentiâ temporali quam optarent, hinc moleſtius attrahendi; quod denique contemptu & odio pari ferrentur tantum non omnes in Judæos à quibus Euangelium ad eos exiit, hinc fruſtra ab his ad communionem ſuam ſpiritualem advocandi. Apud hos tamen adeò degeneres Judæos & Gentiles perditiſſimos invaluit pariter Chriſtianiſmus. Quod ſi magnoperè admirandum eſt, A. magis tamen id fit tale, ſi obſervetis, quantam cum verſutia vim maxima Judæorum & Gentium multitudo ejus progreſſui oppoſuerit. Nihil utique defuit, vel pravarum ratiocinationum, vel blandientium illecebrarum, vel turpium calumniarum, vel putidarum hæreſium, vel aſtutorum ſub amico & inimico nomine moliminum, quibus Euangelium arceri aut expelli poſſe judicavit calidiſſimus Serpens, in mille ſe convertens formas & flexuras ut deflecteret hominum animos. Sed in primis, juxta Do-

mini prædictiones repetitas, perſecutionum validiſſimæ excitatæ ſunt procellæ adverſus Chriſtianam fidem prædicantes & profitentes omnes, ut ſenſu vel metu malorum à nuncio ſalutari deterreretur mortale genus. Hic eſt equus ille rufus cum ſeſſore armato, qui gladio magno accinctus poſt equum album venit, ut pacem dè terra tolleret, & homines in mutuas cædes ruere faceret. Nec facile quiſquam omnem hujus deſcripſerit rabiem, ſive ſæviendi volueris inſtrumenta, ſive modos, ſive inſecutas ſtrages. Malum nempe ortum quidem primò eſt à Judæis odium Chriſti poſt fata producentibus in ejus nomen & fautores: ſed auctum à Gentilibus, rerum per orbem potientibus, qui hunc integrum in Chriſtianos armarunt moverunt & immiſerunt tanquam in perditiſſimas peſtes. Hinc non tantum hi ſubierunt vulgi injurias, ſervitutes moleſtas, expilationes, proſcriptioneſque: ſed & tracti fuere ad carceres, ad tribunalia, ad equuleos, ad ſupplicia duriſſima & diriſſima, per flagra, per ſecures, per gladios, per teſtas, per lapides, per cruces, per feros leones, per ardentes rogos, per torrentes craticulas, & quidquid tandem terribile ipſa potuit incogitare truculentitas. Quæ ubique contra Chriſtianos exæſtuans, horum cum Apoſtolis & Doctoribus aliis non chiliades ſed myriades proſtravit abſque numero; reſuſcitatas mox in novis auctiſque qui ex denatorum cineribus naſcebantur Chriſtianis. Sed nulla potuit conjurati mundi & inferni vis amplius quam aſtutia id efficere, ut Euangelii curſus ſiſteretur, & Chriſtianum in mundo non propagaretur nomen. Quod ſi meritò admiramini, A. admiratione majori etiam capiemini, ſpectatâ conditione vili hominum, per quos Deo libuit Euangelium & Regnum Filii ſui promovere. Ipſe Dominus primus ejus præco nihil habebat ad oculum ſpectabile quod ipſum commendaret, prævidente id dudum Vate Euangelico; fabri habebatur filius & vilis mulierculæ, cui parienti ne quidem in diverſorio dabatur locus; ipſe extra ſcholas educatus fabriles forte tractaverat labores; quis Galilæo & Nazareno ſe tradat erudiendum? num quis ex Principibus credidit in illum aut ex Phariſæis? ſola quæ legem ignorat execrabilis turba ignobili adhæret Duci. Nec alios quam viles elegit Dominus regni ſui miniſtros, quos ipſe à ſapientibus diſcernens infantes dixit, & quos ut Galilæos ſpreverunt alii. Piſcatores erant Simon Petrus & Andreas frater, quos & piſcantes reperit Chriſtus cum ad hominum piſcatum nobiliorem

eos

Digitized by Google

eos vocavit. Nec alia erat Jacobi & Joannis filiorum Zebedæi functio, quibus retia sarcientibus in navigio Euangelii sagenam commisit. Fuit & Philippus Bethsaidensis cum Andrea ac Petro, quod est si interpreteris ex domo piscationis oriundus ; nec magnam in mundo conditionem spirat nomen Bartholomæi, seu filii haurientis aquas. Rudem hominem plusquam semel voce sua se monstravit Thomas, etiam cum post Domini de morte victoriam prorsus hanc credere renuit, priusquam non modo Dominicorum vulnerum signa vidisset, sed & digitum manumque ipsam in ea intrusisset. Matthæum nostis fuisse publicanum, ex maximè contempto & exoso apud Judæos hominum genere, quem & de telonio ad se traxit Jesus. Ex cujus ipsius Domini conditione humili judicari potest de iis qui ejus fratres dicuntur, Jacobo nempe Alphæi, & Juda seu Thaddæo seu Lebbæo, & forte Simone cognomen Cananitæ seu Zelotæ nacto, quem inter duos illos fratres plus quam semel interpositum deprehendimus. Nec quidquam usquam nobis occurrit, cur majorem splendorem mundanum præsumanus, vel de infido Juda Iscariote, qui exiguo lucro ad proditionem Domini conductus etiam sic prodidit suam vilissimam sortem, vel de fideli Matthia qui divino sortis indicio ejus constitutus in Apostolico munere est successor, vel de septuaginta discipulis, vel de aliis primis Apostolorum cooperariis. His verò tam paucis & tam parum à sapientia, prudentia, potentia, & gloria, mundana instructis hominibus successit mirabiliter magnum opus trahendi post communem Dominum & post se orbis totius. Quod si in eo tamen successerint dein aliqui, aut proxime se junxerint, qui præ iis essent in mundo unâ vel alterâ ratione spectabiles, augebitur potius quam minuetur admiratio nostra. Siquidem vim oportet fuisse prorsus divinam, quâ hi permoti sunt, ut à vili popello profectam doctrinam non tantum amplecterentur sed & amplecti juberent alios. Non illustrius cogitare potestis exemplum, quam fuit Saulus seu Paulus, origine Hebræus ex Benjaminis tribu, Romanus civis Tarsi in Cilicia natus, non obstante scenopœi sutoris opere servili quod didicit in urbe Jerusalem ad magni Gamalielis pedes enutritus, nec Hebræorum modò sed & Græcorum sapientia probè imbutus, in Pharisaismo ad curatissimum patriæ Legis modum formatus, supra coævos gentis suæ multos multum in Judaismo promotus, ac zelo traditionum præ

iis impulſus ad Chriſtianiſmum perſequendum & ſi pote delendum, id hinc etiam præ aliis agere à Pontifice juſſus. Quid fuit, obſecro, quod ad promovendum in gente ſua & quibusvis terræ populis Chriſtianiſmum virum hunc impulit? Non terreſtria commoda ulla; quæ ſprevit cuncta, & cum mille moleſtiis ac opprobriis commutavit lubens. Non ſpretorum à ſuis injuria donorum; qui ea verius agnoverunt & approbarunt prolixe. Non cæcus atque inconſideratus impetus; à quo longiſſime eum tam fervor adverſus quam ſapientia ſublimis abducebant, & qui non fuiſſet admodum ſtabilis. Quid ergo aliud? Nihil utique præter cœleſtem Chriſtianiſmi præſtantiam, quam ipſe Dominus de cœlo mirabiliter illi inſinuavit, tanquam electo inſtrumento per quod nomen ipſius ad gentes & reges & filios Iſrael portaretur. Et hoc, quod attendere debetis, egit ille tamen, procul n.iſſa omni humana ſapientia qua pollebat, ſpretisque verborum lenociniis quæ non ignorabat; ne humana magis quam divina videretur quam prædicabat diſciplina. Hi ergò indocti plurimi, & pauci docti quidem ſed doctrinam ſuam ob agnitam ejus vanitatem abnegantes, Magiſtri fuerunt, qui orbem integrum ſapientiæ opinione vana inde à patribus turgidum deſipere in oculis ſuis fecerunt, veramque Chriſtianiſmi ſapientiam docuerunt. Sed nondum dixi omnia quæ admiratione veſtra ſunt digna, A. Inprimis etiam vos animadvertere volo, quam hi Chriſtianiſmi doctores ingreſſi ſint viam ad eundem plantandum & firmandum, & quâ viâ ipſe eos juverit Dominus. Nec habebant illi nec adhibebant aut adhibere deſiderabant Muhammedano & Anti-Chriſtiano more crudelem gladium, quo populos ad obſequium vel verum vel ſimulatum cogerent; nec poſſidebant nec offerebant opum voluptatum aut dignitatum potentiſſimas illecebras, quibus eos pellicerent; nec tuſurpabant nec amabant vel Monachorum vanas fabellas, vel Seductorum hypocriticas ſuperſtitiones, vel Jeſuitarum impias fraudes in mutilando Euangelio, quibus eos abriperent. Ipſa veritatis nudæ & integræ prædicatio, ac demonſtratio ad hominum animos ex juncto rationis quidem ſed præcipue ex Propheticæ revelationis lumine, ipſis ſufficere viſa fuit, ut magnum Domini ſui opus peragerent. Et in ea erant toti, cum manſuetudine inſuperabili & zelo maximo, nihil negligentes vel promiſſionum vel comminationum ſpiritualium quas à Deo didicerant.

Ita

Ita tamen, ut virtutum omnium quas Chriſtiana imperabat religio exempla darent ipſi illuſtriſſima, quæ etiam inviti laudarent hoſtes. Et ſi ab his tamen pati deberent convicia, opprobria, calumnias, perſecutiones, flagra, imò mille mortes, ne ſic quidem à virtutis ſtudio ad indecentia facta aut dicta in Deum aut homines abripiebantur, ſed tùm etiam patientia & ſpes & animi manſuetudo ad promovendum Chriſti regnum quam maximè elucebant. Si quid amplius egerunt ipſi, hoc fuit ſupplicare Domino jugiter pro laboris ſui fructu, & pro hoſtium ſalute ſi vel hanc nece ſua curare deberent, cum perpetua laude ejus ob felicem miniſterii ſui ſucceſſum. Et quid ad iſta egit Dominus? Præcipuum hoc quidem ejus fuit opus, quod Spiritum miſerit ex alto, qui neceſſariis donis omnibus inſtrueret miniſtros, & per ſenſibilia etiam ſigna autoritatem eis daret, quique audientium hominum corrigeret mentes ad intellectum fidem & obedientiam Euangelii promptam. Sed & cooperatus eſt præterea per opera verè ſtupenda nec aliunde quam à Dei digito repetenda. Cæcis reddebatur viſus, ſurdis auditus, mutis loquela, infirmis greſſus, ægris ſanitas, dæmoniacis libertas, & vita mortuis ipſis ac fœtentibus. Et hæc non modò ad unius Domini juſſum, aut ad externum ejus aliquod minimè cæteroquin idoneum factum, fieri conſpiciebantur: ſed & ad diſcipulorum dicta, ad admota eorum veſtimenta, imò & ad tranſeuntes umbras, impleto ſic promiſſo de majoribus operibus ab his quam à Domino ipſo patrandis. Si vultis plura, non tam de perſecutionibus dicam credentium, quibus hi quaquavorſum diſperſi occaſionem protendendi Chriſtianiſmi commodiſſimam nacti ſunt, à Deo in bonum iſtas ordinante; quam de tremendis judiciis, quibus immorigeri homines & populi ab ipſo fuerunt ſubjecti. Ananiam cogitate & Sapphiram; quos mentientes coram Apoſtolis vindicta divina momento uno quaſi cœleſti fulmine necavit. Herodem intuemini ſuperbientem in regio faſtu & ferocientem adverſus Apoſtolos; quem ab Angelo Domini percuſſum vermes in prædam acceperunt. Et præ his ſimilibuſque hominibus ſingularibus oculos conjicite; tum in Romanorum vaſtiſſimum imperium, quod cum moderatoribus ſuis longæ impietatis & tyrannidis ultionem tandem effugere non potuit graviſſimam, ſed vel Barbarorum vel Chriſtianorum pedibus fuit ſubjectum; tum in Judæorum gentem, quæ Regem miſſum repudians cum

terra & urbe & æde ſua magnifica funditus deleta fuit, & per orbem omnem in miſera ſervitute ultra ſedecim ſecula circumvagatur abſque ulla reſtitutionis temporalis reliqua ſpe ſolida. O mirandam Domini virtutem, quam in infirmitate miniſtrorum ſuorum exſeruit! O rigidiſſimam ſupremi Judicis juſtitiam, quæ ad Euangelii contemptum eſt demonſtrata palam! O imperveſtigabiles Dei vias, per quas ex tenebris ille lucem educens, ex cineribus quaſi veteris populi ſui unius novam ſibi gentem in omnibus populis per univerſam terram formavit! Enimverò A. quando ſic infirmo hominum & validiſſimo Dei opere propagatus eſt Chriſtianiſmus, quanta fuit ejus perrumpentis efficacia, & rerum per illum mutatio? Qui in tenebris craſſiſſimis ſederat mundus, lucem non modò vidit magnam, ſed & in ſplendidiſſimum aſtrum ipſe converſus fuit; tranſierunt ignorantiæ tempora; invaluit vera ſapientia inſtar aquarum maris; communis virorum & mulierum, parentum & filiorum, liberorum & ſervorum, ſors eſt prophetia; ſunt hi ad unum omnes à Deo docti ut doceant alios. Qui ut lutulenti ſues in omni idololatriæ impietatis & ſceleris genere volutabantur, hi comparent à ſordibus abluti, pietati & juſtitiæ omni operam dantes aſſiduam, atque ita pollutionem etiam minimam evitantes ut & odio habeant tunicam à carne commaculatam. Qui pluſquam ferinâ rabie in mutua ſæviebant viſcera, nè cognato quidem parcentes ſanguini, hi arma & hoſtiles ponunt animos, & ad manſuetudinem Chriſti ſe componunt, ut commoretur etiam lupus cum agno, & pardus cum hædo cubet, vitulusque & leonis catulus cum ſaginato ſimul ſint, ſub exigui pueri ductu, quin & ex Saulo blaſphemo perſecutore fiat Euangelicus paſtor Paulus. Qui irati numinis & vindictæ ejus terribilis perpetuo metu conſtringebantur peccatores, hi triſtibus his ſoluti vinculis cum lætiſſimis tripudiis Dei in Chriſto conſummato redemptore celebrant gratiam immutabilem, nec minora quam cœli gaudia in terris ſimulant. Et facit hujus lætitiæ durans ſemper magnitudo, ut qui antea nemine perſequente fugiebant atque ad inanis umbræ conſpectum toti contremiſcebant, eidem nihil nunc extimeſcant malorum quæ ab inferno motus mundus vel minatur vel operatur. Imò obſtupuit hic ipſe, ubi animadvertit in iis invictam adeo pro Chriſti nomine & fide conſtantiam, ut de diriſſimis gauderent cruciatibus, ac ſervitutem miſeram cum mille opprobriis non tantum

tum potentiæ & ſplendori omni mundano ſed & duram ac ignominioſam mortem vitæ voluptuoſæ plurimum anteponerent. Tantus nempè fuit in beatis martyribus ardor amoris Chriſti, ut flammæ igneæ vim non ſentirent, niſi cum voluptate pellentem ad læta cantica pro ſolitis alias ejulatibus. Nec metuebant ſed exoſculabantur gladios, qui cum humanas diſſecarent partes novum cum Deo Chriſtoque vinculum non rumpebant ſed conſtringebant arctius; nec averſabantur ſed appetebant cruces, per quas cum Domino ſuo ad cœleſtis coronæ poſſeſſionem aſcenderent. Atque ſic à Chriſtianiſmo perrumpente eluſa eſt vis & crudelitas omnis ei adverſa, & ad ejus curſum ſiſtendum ordinata. O magnam hominum mutationem, quam Euangelium induxit! O lætam omnium renovationem, quam Crucifixi fides effecit! O divinam Chriſtianiſmi propagati virtutem! Hæc vero, A. ſe etiam latiſſime per orbem omnem quaquaverſum diffudit, abſque ſexus, ætatis, ſtatus, gentis, & loci diſcrimine ullo. Mulieres poſita mollitie ad Chriſtianam ſe compoſuerunt ſeveritatem; viri depoſita ferocia uni ſe ſubjecerunt Domino veroque Sponſo. Pueri ſenum didicerunt prudentiam: nec ſenio imminutum fuit Chriſtianum robur. Servi libertate vera ſunt donati: & ſervos ſe dixerunt ac oſtenderunt reges potentiſſimi. Fatuis conceſſa eſt ſapientia: & Philoſophi Sophorum meruerunt nomen. Scelerati in viam pietatis ſunt reducti: & veræ juſtitiæ ſe dederunt quâ Deo placerent, qui vitæ externa honeſtate ſe dudum commendaverant hominibus. Atque facta ſunt hæc omnia, neutiquam intra anguſtos Palæſtinæ limites, aut intra diſperſam per alias plagas Judæorum gentem ſolam, ſed in omnibus ubique terris & populis. Ortus enim in Euangelio eſt verus juſtitiæ Sol, qui poſt longas nec minus quam Ægyptias tenebras omnem illuminaret orbem, divinamque lucem cum ſalute diffunderet ad terræ extremitates diſſitiſſimas. Et prodiit tum equus albus cum ſeſſore armato & coronato, qui per omnia mundi exiret ſpatia, ea nihil obſtante equi rufi & nigri & pallidi ſequela celerrima vincens & victurus; ut ita Tſijonis Rex gentes cunctas ex Patris promiſſo poſſideret, & dominaretur in mediis hoſtibus. Jam ſcilicet Apoſtoli non amplius adſtricti fuere ad perditas oves domus

Iſrael, ſed licuit iis ire in urbes Samaritanorum & in vias gentium; imo decuit eos profectos in mundum univerſum omni creaturæ Euangelium prædicare. Et jam libuit eis ita agere, poſtquam linguarum omnium neceſſariis donis inſtructi, gentis ſuæ contumaciam experti, & cœleſtibus etiam viſionibus confirmati de divina voluntate fuerunt. Nihil ſane heic, dum quæ certa ſunt promo ſola, opus eſt fabuloſis vel incertis narrationibus de terris & populis ad quos ſinguli penetraverint Apoſtoli, vel Apoſtolici etiam viri. Ex unius Pauli exemplo illuſtriſſimo aliorum licet intelligere labores, qui & ipſi intellexerunt, abſque perſonarum acceptione antiqua in omni populo eſſe nunc Deo gratum qui cum ipſius timore veræ juſtitiæ ſtudium junxerit, & Verbum antea miſſum ſolis filiis Iſrael conſtitutum eſſe omnium Dominum. Quas non ille peragravit Aſiæ regiones? quæ non tranſiit maria? quos non adiit Europæ populos? non ut gazas ſibi corporales vel ſpirituales colligeret, non ut nomen ſuum celebrari faceret, non ut ſuæ indulgeret curioſitati, ſed ut Domini ſui regnum protenderet, ac ad hujus ſervitium & abundantiam nationes adduceret; uti egit ille etiam feliciſſimè. Habeo, inquit ipſe, quod glorier in Chriſto Jeſu in iis qnæ ad Deum ſpectant, non enim ſuſtinuerim quidquam loqui, eorum quæ Chriſtus per me non effecerit ad obedientiam gentium ſermone & opere, in virtute ſignorum ac prodigiorum, in virtute Spiritus Dei, ut ego à Jeruſalem & circum circa uſque ad Illyricum impleverim Euangelium Chriſti. Et ne heic quidem ſubſiſtens in Italiam venit, atque in Hiſpaniam ceu occidentalem continentis terminum proficiſci voluit, eam quoque ſub Chriſti jugum miſſurus. Sic dominatus eſt Rex noſter à mari ad mare & à fluvio ad fines terræ, coram eo incurvarunt ſe feri, atque hoſtes ejus pulverem linxerunt, Reges Tarſis & inſularum munus tribuerunt, Reges Shebæ & Sebæ donarium obtulerunt, & procubuerunt coram eo omnes reges, omneſque gentes ſervierunt ei. Neque hæc res omnis, quod veſtram omnino attentionem meretur, A. acta eſt longiſſimo demum ſeculorum plurimorum tractu, quamquam & tum magna fuiſſet admodum, ſed celerrime prorſus; ut ſolent equi ad currendum emiſſi abſolvere ſua ſpatia, & fulmina exire,

re, & ſol radios ſuos ſpargere. Non equidem fidem habeo aut vos habere velim incertiſſimis ſi non plane fabuloſis traditionibus, quæ de populorum variorum, ſeu Europæorum, ſeu Africanorum, ſeu Aſiaticorum, ſeu etiam Americanorum, converſione antiquiſſima ad Chriſtianiſmum paſſim circumferuntur. Non etiam ignoro, quinam ſeriores viri poſt Chriſtianiſmum haud parum depravatum celebrentur ab Eccleſiarum variarum, in hoc quoque ſeptentrionali orbe noſtro, plantatione. Sed ad celerem & incredibilem Euangelii progreſſum, per quem ipſe orbis ſe Chriſtianum factum miratus eſt, agnoſcendum ſufficere debet; quod tam inſignia terrarum ſpatia cum potentiſſimis urbibus, quibus vetus Judæa cum ſua celebratiſſima metropoli conferri nequit, Chriſto per Apoſtolos ceſſiſſe ex illorum Actis & Epiſtolis diſcamus; quod antiquiſſimi primorum ſeculorum Patres de ſua ætate audacter ferant, unus, Getulorum varietates & Maurorum multos fines, Hiſpaniarum omnes terminos, & Galliarum diverſas nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto fuiſſe ſubdita, & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum & Scytharum & abditarum multarum gentium & provinciarum & inſularum multarum ipſis ignotarum & quæ enumerare minus poterant, alter, ne unum prorſus eſſe genus hominum, ſive Barbarorum ſive Græcorum ſive quocunque nomine appellatorum, vel Hamaxobiorum, vel abſque domibus dictorum, vel in tabernaculis habitantium pecuariorum, in quibus non per nomen crucifixi Chriſti precationes & gratiarum actiones Patri & factori omnium fiant, tertius, Eccleſias per orbem totum clariſſimorum ſiderum inſtar fulſiſſe & viguiſſe per omne hominum genus fidem in Servatorem ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quin & quartus, ab India uſque ad Britanniam, à rigida ſeptentrionis plaga uſque ad fervores Atlantici Oceani, paſſionem Chriſti & reſurrectionem ejus cunctarum gentium & voces & literas ſonare, Beſſorum feritatem & pellitorum turbam populorum qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant ſtridorem ſuum in dulce crucis fregiſſe melos, & totius mundi unam vocem Chriſtum eſſe, depoſuiſſe pharetras Armenium, Hunnos diſcere Pſalterium, Scythiæ frigora fervere calore fidei, Getarum rutilum & fla-

vum exercitum circumferre Eccleſiarum tentoria, & quæ id genus apud hos alioſque Doctores leguntur longe plura; quod denique intra tria fere ſecula ex Imperio Romano & de ipſius throno idololatriam antiquiſſimam expulerit, ipſum illic quaſi in ſtabili ſede firmatum. Hoc ergo attendite, A. cum Veteribus vos rogo Patribus, quantum ſit opus, omnem ſub ſole ſitum orbem Eccleſiis tam multis exiguo tempore implere, & ubique altaria erigere in Romanorum regione & Perſarum & Scytharum & Maurorum & Indorum, quid dico? & ultra habitabilem noſtram, etenim & Britannicæ inſulæ extra hoc mare ſitæ & in Oceano deprehenſæ verbi virtutem ſenſerunt. Sed unum adhuc eſt, quod præ aliis memorare debeo, propagatum tam latè & celeriter Chriſtianiſmum fuiſſe etiam firmiſſime ad mortalium ſtuporem plantatum, & egiſſe radices altiſſimas, nunquam vi ulla denuò evulſum. Scio conatus Satanæ inſanos, quos per vim & fraudem gentilem, per tyrannidem & deceptionem Pſeudo-Chriſtianam, perque ſævitiam & impoſturam Muhammedanam, perpetuo adverſus verum Chriſtianiſmum, non tantum introducendum ſed & ſervandum, inſtituit. Nec ignoro maximos impiorum moliminum ſucceſſus, quando ex multis antiquis ſedibus beatiſſimis Eccleſiam ſæpe expulit hoſtis juratus, & veri Chriſtianiſmi nonnunquam nomen quaſi de orbe integro abſtulit. Sed transiens Euangelium de gente & terra una ad aliam manet ſemper apud homines; latitans in deſerto non periit Eccleſia; conſpectui noſtro ſubducta luna nova neutiquam ex cœlo lapſa aut lumine deſtituta eſt; & obductus ſol opacis nubibus vel alterius obſcuri corporis interventu manet ſplendetque in expanſo. Id prorſus credite, ſi deleri plane potuiſſet Chriſtianiſmus, illum per tot æſtus & prægelida frigora, per tot tempeſtates & molles malacias, per tot vulnera & lethales languores, ſuperſtitem minimè fuiſſe futurum in hunc uſque ſeculorum ultimum finem. Et eſt infatuatæ etiam ſtultitiæ in mundo argumentum, quod poſt irrita hactenus omnia molimina peſſima, quin & poſt converſos in propria damna & opprobria conatus inſanos, nondum deſperet de ſubruenda Eccleſiæ Chriſtianæ ſtructura, quæ in Domino fundata, ab hoc corroborata, & per hunc protecta, perſtitit, perſtat, perſtabitque æternum.

Hæc

Hæc, hæc ſunt, A. Chriſtianiſmi Propagati Admiranda; quæ ab hominibus omnibus ad Deum nos abducere debent tanquam unicum ejus autorem, & facere adeo ut ei corde & ore non minus quam opere ipſo adhæreamus conſtanter & purè, ſi Deum & ſalutem noſtram amamus vere. Hæc ſunt Admiranda illa; quæ in maximis Eccleſiæ adverſitatibus ſpem noſtram conſervare queunt vivam, fore ut preſſa ipſa non opprimatur prorſus, ſed ſub pondere creſcat, vel lapſa reſurgat lætior. Hæc ſunt Admiranda Domini; quibus ille firmavit apud nos maxima ſua quorum adhuc implementum exſpectamus promiſſa, de introducenda gentium plenitudine, & adducenda totius Iſraëlis ſalute, & operanda populi ſui felicitate qualem nulla antea viderint ſecula. Qui enim olim incredibilia fecit in erigendo Chriſtianismo, cum per rerum omnium in mundo ſtatum minime exſpectari poſſent, quia futura eſſe illa prædixerat ad ſuam gloriam, is in Chriſtianiſmo ſuo augendo, dum humana decolavit ſpes, ſecundum liberaliſſima promiſſa ſua eandem virtutem exſeret ad nominis ſui decus illuſtriſſimum. Nec exſpectemus à conſiliis, ſermonibus, aut armis humanis, quorum tamen legitimum neutiquam improbamus uſum, ſed à ſolius Dei ſapientia potentia & bonitate glorioſiſſimum Chriſtianiſmi ſplendorem, terreſtrem æque quam cœleſtem. Hæc ſunt Admiranda noſtra, quæ inſuper tum omnes verè Chriſtianos, tum maximè Deo & Eccleſiæ ſacram juventutem allicere debent, ad gentis & religionis ſuæ hiſtoriam curatius pleniuſque addiſcendam, in cujus laudes omnes alias nunc ire nec licet nec libet. Ducem in hac etiam re veſtrum, Optimi Juvenes, quando lubuit Viris Illuſtriſſimis & Ampliſſimis me conſtituere, talem me præſtare cum fide & induſtria ſtudebo. Vos veſtris modò ne deeſte commodis, neque Eccleſiæ laborantis uſibus. Atque favore ſuo adſit nobis utrinque, mihi docenti, vobis diſcentibus, adſit Academiæ ſimul univerſæ, adſit Patriæ cum Rectoribus cunctis, adſit Chriſtianiſmo denique toti cum Magno DEFENSORE GUILIELMO, Optimus & Maximus qui ſolus Admiranda facit Dominus! Quod eſt eritque ſemper votum animi mei primum & ſupremum.

DIXI.

INDEX BREVIS

Rerum Præcipuarum & Vocum in hac Paradisi Historia comprehensarum.

Secundum Numerum Librorum, Capitum, & Paragraphorum.

Ablatio consequens Gratiæ non facit Deum Autorem peccati Adamici III. IV. 10.

Abrogatio Fœderis Operum. Vide Antiquatio.

Abstonfio Protoplastorum ad Dei vocem III. IX. 7. 8.

Adami nomen II. I. 5. Idem exponitur II. I.

Adam homo omnium primus II. II. 3. &c. Initio solus creatus II. Corporis ejus Magnitudo III. 8. Non fuit Gigantea 9. 10.

Adami primum Fœdus cum Deo asseritur & defenditur II. VI. 2. &c.

Adam Fœderatus Dei ut Homo utraque sui parte II. VII. 4. Et ut Rectus 5. Qui tamen singulari Dei Concursu ad Actus præscriptos opus habuit 6. Et ut Mutabilis 7. Adeoque nondum consummate Beatus 8. In Fœdus hoc venit ante Hevæ creationem 9. Hanc cum omni Posteritate naturali repræsentavit 10. Non tamen Christum II.

Adami Consensus in Fœdus Operum monstratur II. XIV. 1. &c.

Adami Lapsus causa humanæ Miseriæ III. I. 2.

Adamicæ Transgressionis nomina III. I. 3. &c. Actus 6. Fœditas 7. II. 1. &c.

Adami Seductio ex illa Hevæ recte colligitur III. II. 2. 3.

Adam non peccavit ex solo Mulieris amore III. II. 2. 3.

Adami Infidelitas in Deum III. II. 4. Et superba affectatio Divinæ Similitudinis 5. Et intemperans Gulæ Desiderium 6. Defectio à Tabula Prima & Secunda 7. Infidelitas præcessit Superbiam 8. Aliis modis quibusdam temere aggravatur Peccatum ejus 9. Quo sensu Gravissimum 10.

Adami Esus de Arbore Vetita unde fluxerit III. III. 6.

Adamus an gravius peccaverit quam Heva III. III. 8.

Adamici Peccati culpa ipsi tribuenda III. IV. 4. Non autem Deo 5. &c.

Adami sententia III. XI. 1. 2. &c.

Ha-

Habet præmiſſam culpam 2. Conſiſtit in Maledictione Terræ propter ipſum 3. In fluente hinc Eſu de ea cum dolore, ac Germinatione Spinæ & Tribuli, & Eſu Herbæ agri, & Eſu Panis in Sudore vultus 4. Et Morte hinc ſecutura 5. 6.
Adam quo ſenſu Deo factus Similis per peccatum III. xiii. 3.
Adami Ejectio ex Paradiſo III. xiv. 6. 7.
Adami ſcelus Poſteris imputatur III. xvi. 2. &c. Et quidem Immediate 3.
Adami Fides & Salus IV. x. 1. &c.
Adamiani Hæretici III. viii. 8.
Adonidis Horti I. i. 10.
Adſtipulatio Adami in Fœdus Operum monſtratur II. xiv. 2. &c. Et defenditur 6.
Æterna Mors in Comminatione Adamo propoſita II. xi. 5.
Æterna Vita Adamo obedienti promiſſa II. xii. 6. &c.
Æterna Vita quomodo cum Eſu Arboris Vitæ à Deo connectatur III. xiv. 4. 5.
Agnitio Nuditatis in Protoplaſtis III. viii. 4.
אחר כמנו III. xiii. 4.
Alcinoi Hortus I. i. 10.
Altingii Jac. gloſſæ de Morte Adamo tranſgredienti denunciata II. xi. 9. Et de Vita illi promiſſa xii. 4. 9. 10.
Ambulatio vocis Dei in Horto III. ix. 4. Ad Ventum Diei 5.
Amœnitas Terræ Paradiſiacæ I. vi. 3.
Amor Uxoris non fuit ſola cauſa Lapſus Adami III. ii. 2. 3.
Amplitudo Paradiſi inquiritur I. iv. 2. &c.
Amyraldi de promiſſo Fœderis Dei Adamici hypotheſis & argumenta II. xii. 4. 8.
Androgynos non fuit Homo primus II. ii. 12.
Angelis etiam competit Imago Dei II. v. 27.
Anima Vitæ Adamo inſpirata II. ii. 10.
Animæ diſtinctio à Spiritu apud Paulum II. v. 1.
Animæ Rationalis nomina declarantur II. iv. 1. Natura difficulter cognita, ſed minime Corporea 2. 3. Non eſt illa mera Cognitatio 4. Sed Subſtantia præter Potentiam præditа Intellectu & Voluntate 5. Ejus Libertas declaratur. 6. Non fluit ex Traduce Seminali vel Spirituali 7. Sed ex immediata Dei Creatione 8. 9. Ejus Immortalitas aſſerta & defenſa 10. 11. Ejus Unio cum Corpore arctiſſima 12.
Anima Rationalis qua talis eſt pars Divinæ Imaginis in Homine II. v. 8. &c.
Animalia Terreſtria Paradiſi I. xix. 3. Non fuerunt prædita Loquela 4.

Ani-

Animalis Serpens adfuit in Tentatione III. v. 6. &c. Isque non Apparens sed Verus 10. Verum Obsessus 11. &c.
Ἄνθρωπος nomen Hominis II. 1. 6
Antiquatio Fœderis Operum monstratur II. xv. 2. Non quoad Legem 3. Neque quoad Debitum Obedientiæ Perfectæ 4. Neque quoad Pœnam transgressionis 5. Neque quoad Præmium obedientiæ 6. Qualis ergo 7. Ejus Perpetuitas 8. Modus Actusque 9. Gradus 10.
Apertio Oculorum à Serpente promissa III. vi. 10. Post peccatum facta viii. 3.
Appetitus ad Virum in Muliere III. xi. 6.
Arbitrii Indifferentia in Adamo prima Radix Lapsus III. iv. 2. Quomodo hic inde processerit 3.
Arborum Paradisi Allegorica expositio I. i. 2. 3.
Arbores Terræ Paradisiacæ I. vi. 4.
Arbores Paradisi præstantes I. xvi. 1. 2. Earum Germinatio ex Terra 4. Earundem Commendatio ex Ezechiele aliisque 4. Non sunt Allegorice intelligendæ 5.
Arbor Scientiæ. Vide Scientiæ Arbor.
Arbor Vitæ. Vide Vitæ Arbor.
Arbor Omnis Horti quo sensu Adamo ad Esum tribuatur II. ix. 2. Una Arbore Scientiæ exemta 3. Cujus Esus interdictus & Tactus ad Esum 4. Copula inter Permissionem illam & Interdictum hoc 5. Quo tempore contigerit 6. Absque ulla Iniquitate 7. Rationes interdicti ineptæ 8. Aliæ meliores 9. Præcipua fuit Exploratio Adami 10. Quo sensu de illa Mulier dederit Viro III. iii. 4.
Arbor Vitæ homini post Lapsum Interdicta III. xiv. 3. Ne viveret in æternum 4. 5.
Assyria cum relatione Fluvii Hiddekel ad eam I. xi. 3.
חיה רעה variè expositum IV. ix. 3. &c.
Auditus Adami ad Mulieris Vocem III. xii. 2.
Auditus Vocis Dei in Horto III. ix. 6.
Aves etiam Paradisi ex Terræ creatæ I. xix. 5.
Australis Terra ante Diluvium quo pacto locus Paradisi juxta T. Burnetium I. v. 4.

B.

Babyloniæ parti hodie Paradisus plurimum rectè tribuitur I. v. 7. 8.
Beatitas Adami Integri nondum consummata II. viii. 8.
Bedola quid I. xii. 4.
Benedictio Divina Diei Septimi II. viii. 7.
בעבור III. xii. 3.

Boni

Bonitas Hominis. Vid. Rectitudo.
Bonitas Dei in Adamum Lapsum IV. I. 1. &c.
Bonum & Malum à cujus Scientia Arbor denominatur I. XVIII. 2.
Boni & Mali Scientia à Serpente promissa III. VI. 12. Ad Esum Fructus vetiti 13.

C.

אדם II. VI. 2. III. 1. 4.
Cajini nomen ab Heva filio datum declaratur IV. IX. 2. Spectat juxta multos ad Fidem nati jam Messiæ vel signi ejus 3. 4. Aliis dissentientibus 5. Horum Argumenta 6. Solutis Objectionibus 7. 8.
Calcanei contritio in Semine Mulieris IV. v. 9. &c.
Calliditas Serpentis præ omni Bestia agri III. v. 7.
Cananæa Terra non est complexa Paradisum intra se I. XV. 1. &c.
Capita Quatuor in quæ divisus Fluvius Hedenis I. IX. 7.
Capitis Serpentini contritio IV. v. 5. A Semine Mulieris futura 6. In Serpente Animali 7. Et Infernali 8.
Carnium Esus licitus ex Dominio hominis in Animantia mox fluxit II. v. 23.
Cerubhim declarati respectu nominis & rei III. XV. 2.
Characteres Tres generales Terræ Paradisiacæ I. VI. 1. &c. Tres speciales VII. . . XIII.
Christus non fuit Obsessor Serpentis Tentatoris III. v. 12. Sed in Semine Mulieris contrituro ejus caput præcipue designatur IV. IV. 6. Non fuit in Fœdere repræsentatus ab Adamo Integro, & cur II. VII. 11.
Cinctoria ex Folio Ficus III. VIII. 6.
Circumitio Havilæ per Pishonem I. XII. 6. Cush per Gihonem XIII. 4.
Clamor Dei ad Adamum lapsum III. X. 2. Cum hujus Responso 3.
Cœli habitatio Adamo promissa II. XII. 10.
Cogitatio non est ipsa Anima II. IV. 4.
Cognitio sui ipsius Homini commendatur II. 1. 2. Ex historia Paradisi haberi potest 3.
Col. II, 21. II. IX. 4.
Comminationis Adamo factæ declaratio II. XI. 1. &c. Ea non est corrupta à Muliere 3.
Conjugii Sanctitas ex Hevæ adductione ad Adamum cognoscitur II. II. 13.
Consensus Adami in Fœdus Operum monstratur II. XIV. 1. &c.
Consutio Folii Ficus in Cinctoria III. VIII. 6.
Constantia Obedientiæ ab Adamo exacta II. X. 5.
Contritio Capitis Serpentis IV. v. 5. Per Semen Mulieris 6. Quæ obtinet in Animali 7. Et in Satana 8.

Digitized by Google

Contritio Calcanei Seminis Muliebris IV. v. 9.
Copia Paradisi. I xix. 1. &c.
Corporis Humani tractatio II. iii. 2. &c. Ejus Præstantia multiplex monstrata & defensa 3. &c.
Corporis Adami Magnitudo in ejus Creatione II. iii. 8. Ortus ex Pulvere II. ii. 9.
Corporea natura ab Anima est removenda II. iv. 2. 3.
Corporalis Mors in Comminatione Adamo quoque denunciata cum Calamitatibus II. xi. 7.
Corruptio Mentis Nativa III. xvi. 4.
Costa Adami ex qua formata Heva II. ii. 11.
Creatio Divina Hominis traditur II. 1. ii. 12. ii. 6. &c.
Creatio primorum hominum quo Loco facta II. ii. 15. Et quo Tempore 16.
Creatio Immediata Animæ in singulis asseritur II. iv. 8. 9.
Culpa Peccati Adamici ipsi tribuenda III. iv. 4. Nulla vero Deo, vel quod eum fecerit Mutabilem 5. Vel quod Lapsum decreverit 6. Vel quod Legem dederit 7. Vel quod tentari promiserit 8. Vel quod à Lapsu non cohibuerit 9. Vel quod Gratiam dein abstulerit 10.
Cush Terra declaratur I. xiii. 3. Quomodo circumeatur à Fluvio Gihon 4.

D.

Datio de Arbore à Muliere facta Viro III. iii. 4.
Decimum Præceptum Adamo latum II. viii. 9.
Decretum Dei de Adami Lapsu non facit Deum peccati Autorem III. iv. 6.
Dei Hortus I. ii. 4.
Dei Imago in Homine declaratur II. v. 2. &c.
Dei Similitudo à Tentatore promissa III. vi. ii. In primis in Scientia Boni & Mali 12.
Dei Scientia quo pacto à Serpente laudata III. vi. 14.
Dei Examen in Hominem Lapsum III. x. 1. &c. Clamor ad Adamum 2. Cum hujus Responso 3. Interrogatio repetita Duplex 4. Cum Responso 5. Interrogatio ad Mulierem 6. Cum hujus Responso 7.
Dei Sententia in Mulierem III. xi. 1. &c. In Virum xii. 1. &c.
Dei Dictio sequens de Adami secum Similitudine III. xvi. 1. &c.
Dei Bonitas in Adamum Lapsum IV. 1. 1. &c.
Dei Locutio ad Serpentem IV. ii. 3. Spectans ad Animal 4. Et ad Satanam 5.
Deus Adami Jehovah per Fœdus II. xiv. 5.
Deus nullo modo Autor Peccati Ada-

Digitized by Google

Adamici, quod contra Sex Objectiones oſtenditur III. IV. 5. &c.
Deus poſt peccatum ſe manifeſtans Adamo non determinate Filius III. IX. 2. Ejus Vox 3. Ejuſque Ambulatio in Horto 4. Ad Ventum Diei 5. Ejus Auditus 6. Hinc ſecuta Abſconſio Protoplaſtorum 7. Quo loco hæc habenda 8.
Diabolus an metaphorice per Serpentem ſeducentem intelligatur III. V. 5. &c. Verius Serpentem obſedit 13. 14. Cur 15. 16.
Die Eſus eodem quo pacto Mors Adamo denunciata ſit à Deo II. XI. 10. 11.
Diei Ventus III. IX. 5.
Dies Creationis Adami & Hevæ Idem II. II. 16.
Dies Humani Lapſus temere definitur III. VII. 3. Non fuit ipſe Dies Sextus creationis 4. &c.
Diviſio Fluvii Hedenis I. IX. 6. In Quatuor Capita 7.
Dolor & Prægnatio Mulieris III. XI. 3. Ejuſque Multiplicatio 4.
Dolor Partus III. XI. 5.
Dolor Adami in Eſu Terræ III. XII. 4.
Dominium Hominis in Animantia reliqua, ejuſque Declaratio II. V. 21. Non exhaurit quidem Imaginem Divinam, ſed tamen eam quoque conſtituit 22. Infert licitum mox Eſum Carnium 23.
Dominium Viri in Mulierem III. XI. 6.
Duratio Paradiſi hodierna à Veteribus & Papiſtis temere credita I. XXI. 1. &c.
Duratio Obedientiæ Adamo præſcripta II. X. 5.

E.

Eccl. VII. 29. II. V. 11. 17. III. IV. 1.
Eccleſ. XII. 3. &c. II. III. 6.
Eden. Vid. Heden.
Ejectio Adami ex Paradiſo III. XIV. 6. 7.
Elegantia Paradiſi I. XIX. 7.
Elyſii Campi I. I. 10.
Enoſch nomen Hominis II. I. 5.
Eph. IV. 24. II. V. 13. &c.
Eſus de Arbore Vitæ Adamo ante lapſum fuit licitus I. XVII. 11.
Eſus Carnium licitus ex Dominio hominis mox fluens II. V. 23.
Eſus de omni Arbore Horti quo ſenſu tribuatur Adamo II. IX. 2. De Arbore Una Scientiæ interdictus 3. &c.
Eſus Adami de Arbore Scientiæ unde fluxerit III. III. 6.
Eſus Terræ in Dolore, & Herbæ agri, & Panis in Sudore vultus III. XII. 4.
Eſus de Arbore Vitæ homini poſt Lapſum interdictus III. XIV. 3.
Eſus Pulveris Serpenti tributus IV. III. 7. &c.
Eva. Vid. Heva.

Digitized by Google

Euangelicum argumentum Sententiæ in Serpentem monſtratur IV. VI. 1. &c.
Euphrates. Vid. Prath.
Examen Dei in Hominem Lapſum III. X. 1. &c.
Excuſatio Adami cum Mulieris accuſatione III. X. 5.
Exploratio Obedientiæ Adami per interdictum Arboris Scientiæ facta II. IX. 10.
Expulſio Adami ex Paradiſo III. XIV. 6. 7.

F.

Fertilitas Terræ Paradiſiacæ I. VI. 2.
Ficus Folium III. VIII. 5. Ejuſque Conſutio 6. In Cinctoria 7. Quo loco habenda 8.
Fides Saluſque Adami & Hevæ IV. X. 1. &c.
Filius Dei non manifeſtavit ſe determinate Protoplaſtis poſt Lapſum III. IX. 2.
Flamma Gladii ſe vibrantis III. XV. 3. Cum Cerubhim juncta 4. Ab Oriente ad Hortum Heden 5. Quam Deus illic commorari fecit 6. Ad Obſervationem viæ Arboris Vitæ 7.
Fluviorum Paradiſi Allegorica expoſitio I. 1. 2. 3.
Fluvius Hedenis ad Hortum irrigandum, inde diviſus in Quatuor Capita I. IX. 1. &c. Vis nominis 2. Quo modo Hedeni tribuatur 3. Et inde proceſſ ſe dicatur 4. Horti per eum Irrigatio qualis 5. Diviſio qualis & unde facta 6. In Quatuor Capita 7.
Fluvius Primus. Vid. Piſhon.
Fluvius Secundus. Vid. Gihon.
Fluvius Tertius. Vid. Hiddekel.
Fluvius Quartus. Vid. Prath.
Fœderis Divini primi cum Adamo varia nomina II. VI. 1. Ejus Veritas oſtenſa & defenſa 2. &c.
Fœdus propria notione Adamo cum Deo tribuitur II. VI. 3.
Fœdus Operum cum Adamo erectum eſt II. VI. 4. 5. Ejus apud Moſen Indicia 6. Antiquitus id etiam creditum 7. Male ab aliis negatur 8. Quorum Objectiones ſolvuntur 9.
Fœderis Divini cum Adamo Partes Duæ Inæquales II. VII. 1. Nempe Jehovah Deus, non tam Filius quam Triunus 2. Conſiderandus ut Supremus, Juſtiſſimus, & Optimus Dominus 3. Et Adam ut Homo tam in Corpore quam in Anima 4. Spectandus ut Rectus ac Donis ſufficientibus inſtructus 5. Qui tamen ſingulari Dei Concurſu ad Actus præſcriptos opus haberet. 6. Et ut Mutabilis. 7. Adeoque nondum Conſummate Beatus 8. Cum Solus adhuc eſſet abſque Heva 9. Repræſentans tamen Hevam ac omnem Poſteritatem Naturalem. 10. Sed Chriſtum minime 11.
Fœderis Divini cum Adamo Lex Præ-

Præcipua II. VIII. Et Symbolica IX. Vid. Lex.
Fœderis Divini cum Adamo Signacula ſive Sacramenta II. XIII. 1. &c.
Fœderis Divini cum Adamo Antiquatio quouſque, & quomodo facta ſit II. XV. 1. &c. Vide Antiquatio.
Fœdus Gratiæ in Sententia Serpentis continetur IV. VI. 1. &c.
Fœditas Peccati Adamici III. 1. 7. 11. 1. &c.
Folium Ficus. Vid. Ficus.
Franciſci Georgii Error de Paradiſo I. 1. 6. &c.

G.

Ganges non eſt Pishon I. XII. 7. Gen. II. 1. 2. 3. II. VIII. 7. Reliqua hujus & ſequentis Capitis loca vide apud Res ſingulas illic comprehenſas late expoſita.
Gen. IV. 1. IV. IX. 1. &c.
Germinatio Spinæ & Tribuli III. XII. 4.
ptus IV. III. 5.
Gigantea Corporis Magnitudo Adamo non tribuenda II. III. 9. 10.
Gihon reſpectu nominis declaratur I. XIII. 2. Ejus Moſaica ad Terram Cush relatio 3. 4. Male pro Nilo habitus 5. Aliæ Sententiæ dè eo rejiciendæ 6. Rectius pro altero Oſtio Tigridis vel Euphratis habetur 7. Sive Orientali ſive Occidentali, quod minus certum 8. 9.
Gladii ſe vibrantis Flamma III. XV. 3. Cum Cerubhim juncta 4. Locus ab Oriente ad Hortum Heden 5. Quem Deus illic commorari fecit 6. Ad obſervandum viam Arboris Vitæ 7.
Gratiæ cohibentis negatio non facit Deum Autorem Peccati Adamici III. IV. 9. Uti nec ejus conſequens Ablatio 10.
Gratiæ Status in Homine IV. 1, 2. &c.
Gratiæ Fœdus in Sententia Serpentis continetur IV. VI. 1. &c.
Graviſſimum quo ſenſu Peccatum Adami III. II. 10.
Gravitas Peccati Adami an Hevæ major ſit III. III. 8.
Gulæ deſiderium intemperans in hominibus peccantibus III. II. 6.

H.

Havila Terra declaratur I. XII. 3. Aurum Bedola & Shoham illi tributa 4. Quæ conveniunt Arabiæ & regionibus vicinis 5. A Pishone quomodo circumeatur 6.
Heden regio à Voluptate videtur nomen accepiſſe I. II. 2.
Hedenis Hortus I. II. 1. &c. Non appellativo ſed Proprio nomine ſic dictus 3.
Hedenis nomen I. VIII. 1. No-

Digitized by Google

mina cognata 2. Eadem Terra apud Moſen & Prophetas 3. &c. Ejus Situs in Babylonia vel Meſopotamia aſſeritur & defenditur 10. 11.
Hedenis Fluvius I. IX. 1. &c.
Herbæ Paradiſi I. XIX. 2.
Herbæ agri Eſus Adamicus III. XII. 4.
Heſperidum Horti I. 1. 10.
Hevæ nomen exponitur II. II. 10. IV. VIII. 1. &c.
Heva ex Adami Coſta formata II. II. 11. Eodem Die Sexto cum Adamo creata 11. 16.
Hevæ nomen poſt Lapſum & Prot-Euangelium Mulieri datum IV. VIII. 3. Non per Adami Incredulitatem, neque Ironiam 4. Sed cum reſpectu vel ad Vitam Spiritualem & Æternam 5. 6. Vel potius ad Vitam Animalem 7. 8. 9.
Hevæ Fides & Salus IV. X. 1. &c.
Hiddekel cum ejus nominibus aliis hinc derivatis I. XI. 2. Ejus relatio Moſaica ad Aſſyriam 3. Ejus Amplitudo, Profunditas, & Rapiditas 4. Ortus in Armenia 5. Progreſſus 6. Exitus in Mare Perſicum cum Loco & Modo 7.
עמה III. III. 4.
עמרי III. X. 5.
Homo eſt ob quem Paradiſus eſt plantatus II. 1. 1. Ei cognitio ſui maxime neceſſaria 2. Quæ ex Paradiſi hiſtoria haberi poteſt 3.
Hominis nomen hoc exponitur reſpectu originis II. 1. 4. Hebraica ejus nomina tria 5. Græcum 6. Ad Statum vilem & ſervilem illud quandoque refertur 7. Etiam ad Sexum Virilem & Præſtantiam ſingularem 8. Ejus Antonomaſtica relatio ad primum Adamum 9. De toto Genere utriuſque Sexus communiſſime capitur 10.
Homo eſt Dei Creatura per Generationem ſolitam II. 1. 11. Sed etiam per primam extraordinariam Productionem 12.
Homines ante Adamum nulli fuerunt II. 11. 3. &c.
Hominis creatio facta poſt vocem Dei ſeu excitantem ſeu conſultantem II. 11. 6. Quæ argumentum præbet Pluralitatis Perſonarum Divinarum 7. Reſpectu Corporis facta ex Pulvere de Terra 9. Cui inſpirata eſt à Deo Anima Vitæ 10.
Homo primus non eſt creatus Androgynos II. 11. 12.
Homo uterque primus quo loco creatus II. 11. 15. Et quo tempore 16.
Hominis corpus deſcriptum II. III. 2. &c. Et Anima IV. 1. &c.
Homo Imagine Dei præditus II. V. 2. &c.
Horti Heden nomen I. II. 1. &c. Etiam dictus Hortus Dei & Jehovæ 4.
Hoſ. VI. 7. II. VI. 2. 3.

Digitized by Google

עיום *III.* v. 7
הין *III.* xi. 5.
השא *III.* x. 7.
רמא *III.* i 3.
חוה vid. Heva.

I.

Jehovæ Hortus *I.* ii. 4.
Jeſ. xliii. 27. *III.* i. 3.
Imago Trinitatis quo ſenſu in homine agnoſcenda *II.* ii. 8.
Imaginis Divinæ in homine tractatio *II.* v. 2. &c. Ejus & Similitudinis eadem heic Significatio 3. Non notat directe aliquid in Deo 4. Nec in lineamentis corporeis ea eſt quærenda 5. 6. Sed in rebus variis in quibus aliqua eſt hominis præ aliis creaturis cum Deo convenientia 7. Conſiſtit quoque in Animæ Rationalis Natura cum Facultatibus ſuis 8. &c. Sed præcipue in hominis Rectitudine ſeu Bonitate Morali 11. &c. Etiam tamen in Dominio in reliquas creaturas 21. Quod non quidem eam exhaurit, ſed tamen ejus eſt pars 22. Licitumque mox Eſum Carnium monſtrat 23. Tandem & in Hominis totius Immortalitate 24. &c. Quouſque Naturalis ſit dicenda 31.
Imago Dei non eſt Angelis denegaanda *II.* v. 27. Neque Mulieri 28.
Imago Dei quouſque per Lapſum perdita *II.* v. 30.
Imaginis Dei ſedes in homine II. v. 29.
Imaginis Dei Reliquiæ in Homine Lapſo *II.* v. 30.
Immortalitas Animæ aſſerta & defenſa *II.* iv. 10. 11.
Immortalitas Hominis ante Lapſum aſſerta *II.* v. 24. An Naturalis 31.
Imputatio Lapſus Adamici facta poſteris *III.* xvi. 2. Immediate 3. Ejus conſequentia 4. &c.
Indifferentia Arbitrii in Adamo prima Origo Lapſus *III.* iv. 2. Quomodo hic inde proceſſerit 3.
Infidelitas Adami in Deum *III.* ii. 4. Anteceſſit Superbiam 8.
Inimicitia inter Mulierem & Serpentem *IV.* v. 2. &c. Reſpectu Animalis 3. Et Satanæ 4.
Iniquitas nulla interdicti Eſus de Arbore Scientiæ *II.* ix. 7.
Integritas Hominis. Vid. Rectitudo.
Integritas Adami aſſeritur *II.* v. 17. 18. 19. Et defenditur 20.
Integritatis Adamicæ Indicia apud Moſen *II.* v. 18.
Integritas ab Adamo ſervanda juxta Legem Fœderis *II.* vi ii. 10.
Interrogatio Serpentis ad Hevam *III.* vi. 7. Cum Reſponſo Mulieris 8.
Interrogatio repetita Dei ad Adamum *III.* x. 2. 4. Cum hujus Reſponſo principali 5.
Interrogatio Dei ad Mulierem *III.*

Digitized by Google

x. 6. Cum hujus Responso 7.
Iob. xxxi. 33. III. 1. 4.
Ioh. viii. 44. III. vii. 9.
Iordanis nomen & constitutio I. xv. 7.
Ios. xiv. 15. II. iii. 8. 10.
Iovis Hortus I. i. 10.
Ironica Dei dictio de Adamo III. xiii. 5. 6. 7.
Irrigatio Horti per Fluvium Hedenis I. ix. 5.
Itio Serpentis super Ventrem IV. iii. 5. &c.
Iustitia cum Sanctitate Veritatis juncta apud Paulum quæ II. v. 15.

L.

Lapsus Humani Status III. i. 1.
Lapsus Adami nomina III. i. 3. &c. Actus 6.
Lapsus Humani Origo & Processus declaratur III. iv. 1. &c. Culpa in Homine solo 4. Non in Deo 5. &c.
Lapsus Humani Tempus. Vid. Tempus.
Legatum Dei Extraordinarium an se finxerit Serpens III. vi. 6.
Legis Obedientia qualis ab Adamo sit exacta II. x. 1. &c.
Legis Moralis integræ violatio in Adami Lapsu III. ii. 7.
Legis datio non facit Deum peccati Adamici Autorem III. iv. 7.
Lethalis vis Arboris Scientiæ Physica perperam creditur II. ix. 8.
Lex à Deo in Fœdere Adamo lata asseritur II. viii. 2. Non absolvitur per solum Præceptum Symbolicum 3. Sed etiam Moralis fuit, quæ Naturalis dicitur & Decalogica 4. Id monstratur ex argumento Utriusque Tabulæ 5. Quoad Præceptum Primum Secundum Tertium 6. Et Quartum 7. Quintum Sextum Septimum Octavum & Novum 8. Decimum 9. Ad Naturæ Integritatem servandam quoque obligavit 10. Ejus latæ Modus 11. 12.
Lex Symbolica Adamo lata II. ix. 1. &c. Secundum quam Esus de omni Arbore Horti fuit permissus 2. Exemta Una Arbore Scientiæ 3. Cujus interdictus Esus & Tactus quoque ad Esum 4. Copula Permissionem cum Interdicto nectens 5. Quo tempore lata 6. Nullam habet iniquitatem 7. Rationes ejus ineptæ 8. Aliæ meliores 9. Præcipua fuit Exploratio Adami 10.
Lex Præcipua Fœderis Operum non antiquata per Peccatum II. xv. 3.
Libertas Animæ Rationalis II. iv. 6.
Locus Paradisi communiter, non extra Terram, sed in Terra quærendus I. iii. 1. &c.
Locus Paradisi specialis. Vid. Paradisi Situs.
Locus Creationis Adami & Hevæ II. ii. 15.

Lo-

Digitized by Google

Locus Humanæ Tentationis in Paradiſo III. VII. 1.
Locutio Dei ad Serpentem IV. II. 3. Spectans ad Animal 4. Sed præcipue ad Satanam obſidentem 5. &c.
Loquela intelligibilis Serpentis Tentatoris III. VI. 3. Facta ad Mulierem 4. Eamque Solam 5.

M.

Magnitudo Corporis Adami in ejus Creatione II. III. 8. Non fuit Gigantea 9. 10.
Magnitudo Peccati Adamici III. I. 7. II. I. &c.
Maledictio Terræ propter Adamum III. XII. 3.
Maledictio Serpentis IV. III. 2. &c. Continet ProtEuangelium VI. 1. &c.
Malum & Bonum à cujus Scientia Arbor denominatur I. XVIII. 2.
Matrimonii Honeſtas ex Hevæ adductione ad Adamum cognoſcitur II. II. 13.
Medium Horti in quo collocata Arbor Vitæ I. XVII. 10. Et Arbor Scientiæ XVIII. 15.
Mens Humana. Vid. Anima.
Meritum quale in Adamo obediente locum fuiſſet habiturum II. XII. 12.
Meſopotamiæ vel Babyloniæ parti tribuitur hodie vulgo & recte Paradiſus I. V. 7. 8.
Meſſiam vel ejus Signum an in Cajino ſe habere crediderit Heva IV. IX. 3. &c.
Miſeriæ Humanæ Status III. I. 1. Derivandus à primo Adami Lapſu 2.
מקרם I. VII. 1. XX. 2.
ממנו II. IX. 3. III. XIII. 4.
Monogamiæ Lex ex Unius Hevæ creatione conſtat II. II. 14.
Moralis Lex Adamo Integro lata II. VIII. 3. 4. &c.
Moriendo mori quid dicat II. XI. 2.
Mors etiam Corporalis ſtipendium peccati II. V. 24.
Mors qualis Adamo in Comminatione denunciata II. XI. 4. &c. Utique Æterna 5. Et Spiritualis 6. Etiam Corporalis cum Calamitatibus præcedentibus 7. Ea omnis hinc habenda pro Pœna Peccati 8. Gloſſæ ineptæ Jac. Altingii de ea redarguuntur 9. Quo ſenſu Adamo ipſi & ipſo Lapſus Die denuncietur 10. 11.
Mors Temporalis Fidelium quo loco habenda III. XVI. 5.
Mors Æterna hominum ex Adami peccato III. XVI. 6.
Mors Adamo poſt peccatum in Pœnam denunciata III. XII. 5.
Mortis Comminatio à Serpente negata III. VI. 9.
Mulieri Imago Divina competit juxta Virum II. V. 28.
Mulier creata poſt Dei cum Adamo Fœdus erectum II. VII. 9.
Mulier Præceptum aut Commina-

Digitized by Google

tionem Divinam non corrupit II. IX. 4. XI. 3.
Mulier prima in tranſgreſſione III. III. 2. Sola ſi peccaſſet poſteris non nocuiſſet 3. Sed & Virum ſeduxit 4. Quo animo 5. An gravius peccaverit quam Adam 8.
Mulier ut debilior præ Viro à Serpente tentata eſt III. VI. 4. Cum ſola eſſet 5.
Mulieris Reſponſum ad Serpentem III. VI. 8.
Mulier ab Adamo accuſata III. X. 5.
Mulieris Reſponſum ad Deum III. X. 7.
Mulieris Sententia III. XI. 1. &c. Continens Dolorem & Prægnationem ejus 3. Cum Multiplicatione hujus 4. Et Liberorum Partum in Dolore 5. Appeturnque ad Virum cum hujus Dominio 6. Extenſio ejus ad integrum Muliebrem Sexum 7.
Mulier in Serpentis ſententia quænam IV. IV. 2. Cur præ Adamo nominetur 3. Ejus Semen 4. &c. A quo ipſa diſtincta 7. Ejus cum Serpente Inimicitia V. 2.
Multiplicatio Doloris Muliebris III. XI. 4.
Mutabilitas Adami Integri II. VII. 7. Quæ Conſummatam Beatitatem excludit 8.
Mutabilitas Adami Integri cum Arbitrii Indifferentia prima radix Lapſus III. IV. 2. Non ponit Deum Autorem Peccati 5.

N.

Naturæ Integritas ab Adamo ſervanda juxta Legem Fœderis II. VIII. 10.
Naturæ Corruptæ Status III. I. 1.
Naturalis an ſit Rectitudo & Immortalitas in Adamo dicenda II. V. 31.
Negatio Gratiæ cohibentis non facit Deum Autorem peccati Adamici III. IV. 9.
גיחון I. IX. 2.
גחון III. V. 3.
Nilus non conſtituit Gihonem I. XIII. 5.
Nominum Impoſitio Animantibus ab Adamo facta II. V. 18. 21.
Nonum Præceptum Adamo latum II. VIII. 8.
Novus Homo quis apud Paulum II. V. 13.
Nuditatis Agnitio in Protoplaſtis III. VIII. 4. Ejuſque Confeſſio X. 3.

O.

Obedientia Legis ab Adamo exacta unde cognoſcatur II. X. 2. Quæ debuit eſſe Univerſalis 3. Et Totalis 4. Et Conſtans 5. Et Perfecta 6. Et Propria 7. Ad eandem quouſque nos obligemur 8.

Digitized by Google

Obedientiæ Perfectæ Debitum per peccatum non tollitur II. xv. 4.
Obligatio Adami per Sigilla Fœderis Operum monstratur II. xiii. 6.
Observatio viæ Arboris Vitæ III. xv. 7.
Obsessio Serpentis Tentatoris asseritur III. v. 11. Non facta à Christo 12. Sed à Diabolo 13. 14. Et cur 15. 16.
Octavum Præceptum Adamo latum II. viii. 8.
Oculorum Apertio à Serpente promissa III. vi. 10. Post peccatum evenit viii. 3.
Operum Fœdus cum Adamo erectum II. vi. 4. 5. Ejus apud Mosen Indicia 6. Vid. Fœdus.
Ophitarum Hæresis III. v. 2. 12.
Oriens in quo Paradisus plantatus, non intelligendus respectu alterius partis Hedenis, sed Deserti vel Cananæ I. vii. 2. Quænam in Scripturis loca notet 3. 4.
Oriens Assyriæ I. xi. 3.
Oriens in quo Cerubhim cum Flamma Gladii III. xv. 5.
Origo prima Lapsus Adami ejus Indifferentia III. iv. 2.
Ornatus Paradisi I. xix. 1. &c.
Ostium Tigridis Orientale & Occidentale, & quodnam constituat Pishonem I. xii. 9. Et Gihonem xiii. 7. 8. 9.

P.

Palestinæ à nonnullis tribuitur Paradisus I. v. 6. Sed male xv. 1. &c.
Paradisi Allegorica expositio apud Philonem I. 1. 2. Literalis ab eo rejecta 3. Item à Seleucianis, Valentinianis, & Hierachitis 4. Nec non ab Origene & Ambrosio 5. Etiam à Franc. Georgio 6.
Panis Esus in sudore vultus III. xi. 5.
Paradisi literalis Veritas ab Augustino & Hieronymo agnita I. 1. 7. Ex Mose adstructa 8. Item ex ejus alibi in Scripturis facta Translatione Mystica 9. Et ex memoria ejus apud Gentiles 10. Contra Objectiones defensa 11. 12.
Paradisi vestigia apud Gentiles in Hortis Jovis, Alcinoi, Adonidis, Hesperidum, & Campis Elysiis I. 1. 10.
Paradisi scriptio & Etymologia varia I. ii. 5. Propria vocis significatio 6. Usus proprius & metaphoricus 7.
Paradisus non quærendus in Inferno I. iii. 1. Nec supra Cœlum Tertium 2. Nec in Aëreo longe supra Terram 4. Sed in Terra 5.
Paradisi Amplitudo non extendenda per Totam Terram I. iv. 2. &c. Magnitudo ejus aut Exiguitas nimia vitanda 5. Spatium

Digitized by Google

mediocre illi tribuendum 6.
Paradisi Situs minus probabilis, seu in Orbe altero trans Oceanum, seu in Novo Orbe, seu in Insula aliqua &c. I. v. 2. Ab aliis plane latere creditus 3. Ab aliis tributus Terræ Australi, hodiernæ vel antediluvianæ omni 4. Ab aliis agnitus in extremo Oriente 5. Ab aliis in Occidentali Asiæ parte seu Palæstina ad Lacum Genesar 6. A plurimis hodie in aliqua Babyloniæ aut Mesopotamiæ parte 7. Qui tamen plurimum rursus inter se dissentiunt 8.
Paradisi Situs in Oriente declaratur I. VII. 1. &c.
Paradisiacæ Terræ Characteres Tres generales I. VI. 1. Soli Fertilitas 2. Amœnitas 3. Arborumque præcellentia & Multitudo 4. Characteres Tres speciales VII. .....XIII.
Paradisi Situs ita à Mose descriptus ut ad orbem Post-Diluvianum spectet I. XIV. 2. Non plane ab omni humana cognitione remotus est 3. Non quærendus in Terra Australi, vel Oriente extremo, vel Palæstina 4. Sed in aliqua Chaldææ vel Mesopotamiæ parte 5. Nimis specialis determinatio incerta 6.
Paradisi locus non quærendus in Terra Canaan ad Jordanem I. XV. 1. Argumenta pro isthac sententia recensentur 2. Et solvuntur distincte omnia 3. &c.
Paradisi Arbores. Vid. Arbores.
Paradisi Copia & Ornatus I. XIX. 1. &c. Herbæ 2. Animalia terrestria 3. Quæ minime tunc locuta sunt 4. Aves ex terra creatæ 5. Pisces ex aqua facti 6. Ornata Ordinatio 7.
Paradisi plantati Tempus I. XX. 1. &c. Non ante Principium Mosaicum 2. Non post Sextiduum aut post Adamum formatum 3. Sed Die Tertio Creationis 4.
Paradisi Duratio I. XXI. 1. Hodierna adhuc temere à Veteribus quibusdam & Papistis credita 2. Ejus argumenta 3. Vastatio ab aliis asserta 4. Per argumenta valida 5. Sicuti opposita facillime solvuntur 6. 7. Vastationis Modus & Causæ 8.
Paradisus propter Hominem factus II. 1. 1.
Paradisus Sacramentum Fœderis Operum merito censetur II. XIII. 3.
Paradisus Adamo Lapso negatus III. XIV. 6. 7.
Partes Duæ Fœderatæ Inæquales in primo Fœdere II. VII. 1. &c.
Partus Mulieris in Dolore III. XI. 5.
Peccati Adamici nomina III. 1. 3. &c. Et Actus Externus 6. Ejusque Fœditas 7. 11. 1. &c. Ab aliis temere amplius aggravatur 9. Gravissimum quo sensu 10.

Digitized by Google

Peccatum cœpit à Muliere III. III. 2.
Peccati Adamici Culpa tribuenda ipsi III. IV. 4. Nulla verò Deo 5.
Peccati Adamici Imputatio Immediata III. XVI. 2. 3. Ejus Consequentia 4. &c.
Pellis Tunicæ. Vid. Tunicæ.
Perditio Divinæ Imaginis quousque concedenda & neganda II. V. 30.
Perfectio Obedientiæ ab Adamo postulata *II.* X. 3. &c.
Permissio Tentationis non facit Deum autorem Peccati Adamici *III.* IV. 8.
Pisces Paradisi ex aqua facti I. XIX. 6.
Pishon fluvius declaratus respectu nominis I. XII. 2. Ejus connexio cum Havila terra 3. . . 6. Male de Gange exponitur 7. Aliæ sententiæ rejiciendæ 8. Rectius Ostium Orientale vel Occidentale Euphratis Tigridisque creditur 9. 10. XIII. 8. 9.
Pœna Mortis ad omnem transgressionem per Peccatum non tollitur II. XV. 5.
Polygamiæ indecentia monstratur II. II. 14.
Posteri naturales ab Adamo repræsentati II. VII. 10.
PræAdamitæ refutantur II. II. 3. &c.
Præceptum Primum Secundum & Tertium obligavit Adamum integrum II. VIII. 6. Etiam Quartum 7. Quintum &c. 8. Decimum 9.
Prægnatio & Dolor Mulieris III. XI. 3. Ejusque Multiplicatio 4.
Præsentia Serpentis apud Sententiam Divinam IV. II. 2.
Præstantia Humani Corporis monstrata & asserta III. III. 7. &c.
Prath cur ut Quartus Fluvius nominetur I. X. 1. Nominis origo & significatio 2. Inde factum nomen Euphrates 3. Ejus Amplitudo, Fertilitas, Inflexio, & Divisio 4. Ortus primus ex Armenia 5. Progressus ulterior 6. Exitus in Mare una cum Tigride 7. Aliæ Veterum Traditiones 8.
Primum Præceptum obligavit Adamum integrum II. VIII. 6.
Primus Fluvius. Vid. Pishon.
Prolepsis non admittenda in Sanctificatione Diei Septimi II. VIII. 7.
Promissio Adamo facta pessime à quibusdem prorsus negatur II. XII. 2. 3. Male etiam ad præsentis felicitatis continuationem restringitur 4. Qualis fuerit, nempe præcipuè Vitæ Cœlestis & Æternæ 5. 6. Quo modo ei facta sit 11. Quale Meritum inde fluxisset 12.
Promissum à Serpente Mulieri factum III. VI. 10. &c.
Propria Obedientia ab Adamo exacta II. X. 7.
Prot-Euangelium in Serpentis Maledi-

ledictione varie monſtratum IV. VI. 1. &c.
Prov. XVI. 4. II. III. 1.
Pſal. XLIX. 13. III. VII. 8.
Pudor Protoplaſtorum poſt peccatum III. VIII. 8.
Pulvis de terra reſpectu corporis dicitur Homo II. II. 9.
Pulvis quo ſenſu Adam & in eum rediturus III. XII. 5.
Pulveris Eius ſerpenti tributus IV. III. 7. &c.

Q.

Quartum Præceptum obligavit Adamum Integrum II. VIII. 7.
Quartus Fluvius Prath deſcribitur I. X. 1. &c.
Quatuor Capita in quæ diviſus Fluvius Hedenis I. IX. 7.
Quintum Præceptum in Integritate Adami quoque obtinuit II. VIII. 8.

R.

Rationalis Anima. Vide Anima.
רקמה II. III. 5.
Reatus omnium in Adamo III. XVI. 2. Iſque Immediatus 3.
Rectitudo hominis in quo conſiſtat II. V. 11. Præcipue conſtituit Divinam Imaginem 12. &c. An Naturalis an Supernaturalis Adamo 31.
Reditus Hominis in Pulverem III. XII. 5.
Reliquiæ Divinæ Imaginis in Homine Lapſo II. V. 30.
Repræſentatio Hevæ ac Naturalium Poſterorum in Adamo Integro II. VII. 10. Cum excluſione Chriſti 11.
Reſponſio Mulieris ad Serpentem III. VI. 8. Ad Deum III. X. 7.
Reſponſio Adami vocati ad Deum III. X. 3. Altera principalis 5.
Reſtipulatio Adami in Fœdere Operum monſtratur II. XIV. 4. Et defenditur 6.
Reſtitutionis humanæ Status IV. 1. 2. Poſſibilitas ex Dei perfectionibus conſtans 3. Probabilis unde potuerit fieri Adamo 4. Ejus futuræ revelatio in ProtEuangelio 5.
Revelatio nova Gratiæ in ProtEuangelio IV. 1. 5.
Rom. V. 12. —— 19. III. 1. 5: III. 7.

S.

Sabbathi Præceptum Adamo Integro datum II. VIII. 7. Pro Sacramento quadantenus potuit haberi II. XIII. 2.
Sabbathum primum non ſupponit hominis Lapſum III. VII. 10.
Sacramenta Fœderis Operum II. XIII. 1. &c.
Salus Fideſque Adami & Hevæ IV. X. 1. &c.

San-

Digitized by Google

Sanctificatio Divina Septimi Dici II. VIII. 7.
Sanctitas Veritatis apud Paulum quid II. V. 14.
Satanas Serpentis obsessor III. V. 13. A Deo in Serpente compellatus IV. II. 5. Cur non expressius nominatus 6.
Scientiæ Arbor an Una numero an specie I. XVIII. 1. Nomen illud præscribit contra Frumentum 1. Quodnam Bonum & Malum sit à cujus scientia denominatur 2. Qualis ejus Scientia 3. Juxta quosdam hinc denominata illa per Prolepsin, sive à Mali experientia, sive à Serpentis voce decipiente 4. Quæ Prolepsis refutatur 5. Speciatim quæ spectat ad Serpentis tentationem 6. Et similiter quæ refertur ad Mali experientiam 7. Nomen hoc Arbori ante Lapsum datum an Vim ingenerandæ homini Scientiæ arguat 8. Potius dicit Conscientiam Boni & Mali Humani per eam Arborem habendam 9. Quam Arbor hæc per Esum aut Abstinentiam sui erat operatura 10. Consensus Veterum in eam rem 11. Arboris ulterior descriptio Mosaica 12. De ejus Specie sententiæ variæ, juxta quas vel Vitis vel Ficus vel Malus fuit 13. Quid de eo vere & probabiliter dici possit 14. Ejus Situs in Medio Paradisi. 15. Ejus à Deo ordinatus Usus 16. Vestigia apud Gentiles. 17. Literalis Veritas 18. Vis Lethalis & Venenata male credita II. IX. 8.
Scientiæ Arbor homini Interdicta sola II. IX. 3. Quoad Esum & Tactum ad esum 4. Copula inter Permissionem & Interdictum 5. Quando interdicta 6. Absque ulla Iniquitate 7. Rationes ejus ineptæ 8. Aliæ meliores 9. Præcipua fuit Exploratio Adami 10.
Scientiæ Arbor quo pacto pro Sacramento Fœderis Operum queat haberi II. XIII. 4.
Scientia Boni & Mali à qua Arbor denominatur I. XVIII. 3. &c.
Scientia Boni & Mali à Serpente promissa III. VI. 12. Ad Esum fructus vetiti 13. Qualis consecuta XIII. 5.
Scientia Dei à Satana in seductione memorata III. VI. 14.
Secundum Præceptum Adamum Integrum obligavit II. VIII. 6.
Secundus Fluvius. Vid. Gihon.
Seductio Adami ex illa Hevæ recte colligitur III. II. 2. 3.
Seductio Hominis. Vid. Tentatio.
Seductor Hominis. Vid. Serpens.
Semen Serpentis quodnam IV. II. 8.
Semen Mulieris in sententia Serpentis IV. IV. 4. &c. Speciatim notat Electos 5. Et præci-

Digitized by Google

pue Christum 6. Distinguendum ab ipsa Muliere 7. Contriturum caput Serpentis v. 5. &c. Calcaneus ei conterendus v. 9. 10.

Sententia Dei in Mulierem III. xi. 1. &c. Vid. Mulieris Sententia.

Sententia Dei in Adamum III. xii. 1. &c.

Sententia Dei in Serpentem IV. ii. &c.

Septimi Diei Benedictio & Sanctificatio antiqua tempore Adami asseritur II. viii. 7. Pro Sacramento Fœderis Operum potest haberi xii. 1. 2.

Septimum Præceptum obligavit Adamum Integrum II. viii. 8.

Serpens hominis Seductor III. v. 1. &c. Ejus memoria apud Gentiles & Ophitas 2. Nomen Hebræum נחש expositum 3. Historia impiè à quibusdam tractata 4. A quibusdam metaphorice de Diabolo intelligitur 5. Argumenta in contrarium pro Serpente Animali 6. Etiam ex ejus Calliditate præ omni Bestia agri 7. Objectiones irrisorum solvuntur 8. Eorumque qui metaphoricum sensum urgent 9. Fuit non tantum Apparens sed & Verus Serpens 10. Sed ab Intelligente Spiritu Obsessus 11. Qui non fuit Christus 12. Sed Diabolus 13. Objectiones solvuntur 14. Quid hunc ad Seductionem moverit 15. Cur eam per Visibile corpus, & quidem Serpentis, instituerit 16. Quo pacto ad eum non exhorruerit vel obstupuerit Mulier 17.

Serpens à Muliere accusatus III. x. 7.

Serpens in Sententia coram à Deo compellatur IV. ii. 2. 3. Corporeus quidem 4. Sed præcipue Infernalis 5. 6. 7.

Serpentis Semen IV. ii. 8.

Serpentis Sententia absque Examine, & Prima IV. ii. 9. Scelus ob quod punitus 10.

Serpentis Maledictio præ omni Bestia IV. iii. 2. &c. Itio super Ventrem 5. 6. Esus Pulveris 7. 8. Inimicitia cum Muliere &c. v. 2. &c. Capitis contritio 5. Non per Mulierem sed per Semen ejus 6. Competens tum Corporali 7. Tum Infernali 8. Continet Proteuangelium VI. 1. &c.

Sextum Præceptum obligavit Adamum Integrum II. viii. 8.

Sextus Dies Mundi non est ille Humani Lapsus III. vii. 4. &c.

Sexus Muliebris particeps Pœnæ Hevæ III. xi. 7.

Shoham quid I. xii. 4.

Signacula Fœderis Operum II. xiii. 1. &c.

Similitudo Divina idem cum ejus Imagine II. v. 3.

Similitudinis Divinæ affectatio in Ada-

Digitized by Google

Adamo indecens III. 11. 5.
Similitudo Dei à Satana promissa III. VI. 11. Inprimis in Scientia Boni & Mali 12. Ad Esum fructus vetiti 13. Cum mentione ipsius Scientiæ Divinæ 14.
Similitudo Adami cum Deo in Scientia post peccatum ironice intelligenda III. XIII. 5. &c.
Situs Paradisi. Vid. Paradisi Situs.
Sola fuit Mulier cum à Serpente tentaretur III. VI. 5.
Somnus Adamo immissus II. II. 11.
Spatium Paradisi non nimis magnum aut parvum, sed mediocre statuendum est I. IV. 5. 6.
Spinæ & Tribuli Germinatio III. XII. 4.
Spiritus distinctio ab Anima apud Paulum II. V. 1.
Spiritualis Mors in comminatione Adamo denunciata II. XI. 6.
Status hominum Triplex I. I. I. Integritatis II. I. I. &c. Lapsus & Miseriæ III. I. &c. Restitutionis & Gratiæ IV. I. &c.
Subjectio Mulieris sub Virum III. XI. 6.
Sudor Vultus in Esu III. XII. 4.
Sui Cognitio homini necessaria II. I. 2.
Superbia Adami III. II. 5.
Supernaturalis an sit dicenda Recitudo & Immortalitas in Adamo II. V. 31.
Symbolica Lex Adamo lata. Vid. Lex Symbolica.

T.

Tabula Utraque Legis Moralis obligavit Adamum Integrum II. VIII. 5. &c.
Tactus Arboris Scientiæ ad Esum homini quoque interdictus fuit II. IX. 4.
Tatiani de Adamo Error IV. X. 2. &c.
Tempus plantati Paradisi inquiritur I. XX. 1. &c.
Tempus Creationis Adami & Hevæ II. II. 16.
Tempus Interdicti Esus de Arbore Scientiæ II. IX. 6.
Tempus Lapsus humani non figendum Annis aut Mensibus pluribus post Creationem III. VII. 2. Sed potius aliquibus Diebus tantum, qui temere & varie definiuntur 3. Neutiquam ad Septimum aut Sextum Diem Mundi referendum 4. Cujus sententiæ Autores ex nostris nominantur 5. Variis argumentis refutantur 6. Solutis eorum Objectionibus 7. Etiam ex Psal. XLIX. 13. 8. Et Joh. VIII. 44. 9. Etiam ex Sabbatho insecuto 10.
Tentationis Permissio non facit Deum

Digitized by Google

Deum Autorem Peccati Adamici III. IV. 8.
Tentatio Hominis per Serpentem declaratur III. VI. 1. &c. Modus ejus conflictus 2. Facta eſt per intelligibilem Serpentis Loquelam 3. Immediatè ad Mulierem ut Debiliorem 4. Et quidem cum hæc Sola eſſet 5. Non per confictam Extraordinariam Legationem 6. Sed primo per Interrogationem quæ declaratur 7. Mulieris Reſponſum ad eam 8. Dein per Negationem Mortis ad Eſum ſecuturæ 9. Et per Promiſſionem Apertionis Oculorum 10. Similitudiniſque Divinæ 11. In primis in Scientia Boni & Mali 12. Quæ cum Eſu fructus vetiti arctiſſimè connectitur 13. Etiam Sciente id Deo 14. Conſecutus Mulieris Intuitus in Arborem 15.
Tentationis Humanæ Locus III. VII. 1. Et Tempus 2. &c.
Tentator Hominis Serpens III. V. 1. &c.
Terra Tota non conſtituit Paradiſum I. IV. 2. &c.
Terræ Maledictio propter Adamum III. XII. 3.
Tertium Præceptum obligavit Adamum Integrum II. VIII. 6.
Tertius Fluvius. Vid. Hiddekel.
Teſtamentum pro Fœdere ponitur II. VI. 7.
Tigris. Vid. Hiddekel.
1. Timoth. II. 14. III. 11. 3.
Tradux Animæ Seminalis & Spiritualis rejicitur II. IV. 7.
Tribuli & Spinæ Germinatio III. XII. 4.
Trinitatis probatio ex voce Dei ante hominis creationem II. II. 7.
Trinitatis Imago quo ſenſu in homine admittenda II. II. 8.
Tri-Unus Deus Adamo Fœderatus II. VI. 2.
תשוקה III. XI. 6.
Tunicæ quid notent IV. VII. 2. Cur Pellis dictæ 3. Quo modo à Deo factæ & homines iis induti. 4. Unde ſumptæ & ad quid ſpectaverint 5.

V.

Vaſtatio Paradiſi aſſerta & defenſa I. XXI. 4. &c. Modus ejus & Cauſæ 8.
Ubi es? quo ſenſu Deus ad Adam dixerit III. X. 2.
Venter ſuper quo iturus Serpens IV. III. 5.
Ventus Dici III. IX. 5.
Venenata Vis Arboris Scientiæ male credita II. IX. 8.
Veritas Literalis Paradiſi aſſerta & defenſa I. I. 7. &c.
Veritatis Sanctitas apud Paulum II. V. 14.
Vibratio Gladii flammantis III. XV. 3.
Vis Lethalis Arboris Scientiæ male credita II. IX. 8.

Digitized by Google

Vitæ Arbor an Una numero an ſpecie L. XVII. 2. Vitæ quo ſenſu dicatur 3. 4. Ad Vitæ Naturalis continuandæ vel prolongandæ vim phyſicam id nomen à multis trahitur 5. Non eſt inſignior Vis in uſum Vitæ Naturalis Arbori illi denegandâ 6. Sed non eſt illa Vis ratio unica vel præcipua Nominis 7. Verum ad Vitam ſpiritualem & æternam ſignificatam & obſignatam illud unice vel præcipue pertinet 8. Qualis porro fuerit hæc Arbor, indagatur 9. In Medio Horti quo ſenſu collocata fuerit 10. De ea edere licuit Adamo Integro & edit ipſe 11. Ejus veſtigia apud Gentiles 12. Ejus literalis Veritas tenenda 13. Pro Sacramento Fœderis Operum recte habetur II. XIII. 5. Ejus Eſus homini poſt Lapſum interdictus III. XIV. 3.

Vita in Æternum quo ſenſu cum Eſu Arboris Vitæ à Deo connectatur III. XIV. 4. 5.

Vita Adamo promiſſa ſit qualis II. XII. 4. &c. Corporalis & Spiritualis continuanda quo pacto admitti queat 5. Eſt autem præcipue Æterna 6. Quod defenditur contra Objectiones Socinianorum 7. Et Amyraldi 8. Et Altingii 9. Eſt etiam Cœleſtis, quod urgetur & defenditur contra Altingium 10. Quo modo promiſſa ſit 11. Quale inde in Adamo fluat Meritum 12.

Vitæ ad Obedientiam plenam Promiſſio per Peccatum non tollitur II. XV. 6.

Vita à qua Mulier Heva appellata, an Spiritualis IV. VIII. 5. 6. An potius Naturalis 7. &c.

Uni Adamo quo ſenſu noſtra tribuatur Miſeria III. III. 7.

Unio Animæ cum Corpore arctiſſima II. IV. 12.

Unus ex Nobis, quo ſenſu à Deo dictum III. XIII. 4.

Vox Dei poſt Lapſum III. IX. 3. Ejuſque Ambulatio in Horto 4. Ad Ventum Diei 5. Et Auditus 6. Cum effectu humanæ Abſconſionis 7.

FINIS.

B. Lector legat velim pag. 15. in margine, *De Nominibus Horti Dei & Horti Jehovæ agitur*, pag. 321. in marg. *Quæ poſtrema refutatur*, pag. 387. in marg. *repræſentatione*, pag. 447. lin. 32. *moriemini*, pag. 468. lin. 3. *Vox*, pag. 476. lin. 31. *adjiciendum*, pag. 790. lin. 4. *Quo*, pag. 864. lin. 7. pro *operum* ſubſtituatur *dierum*, pag. 872. lin. 15. *veteris*, &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google